
IHS







6
39 N
21

LVCAS
EXPENSVS
A R. P.
ALOYSIO NOVARINO.

LVCAS EXPENSVS,

NOTIS MONITISQVE SACRIS,

QVA EX LINGVARVM FONTIBVS,

QVA EX VARIARVM VERSIONVM COLLATIONE,

quà ex SANCTORVM PATRVM, aliorúmque AVCTORVM obseruationibus, quæ ad mores informandos præcipuè spectant, illustratus;

Adeò, vt melior, salubriórque succus, *qui ex sacrosanctis huius Euangelistæ verbis, vel leui* Auctoris contactu *fluxit, vel multorum Doctorum labore velut quodam* Torculari *est expressus, hîc omnibus ad omnium vtilitatem & gustum exhibeatur; &, quæcumque nouè dicuntur, aut adducuntur nouè,* vitæ nouitati *suadenda & exercendæ seruiant.*

Additâ Lectionum varietate *Vulgatæ editioni ad verbum respondente, ex* Sanctorum Patrum *monumentis, variisque* Interpretibus *non exiguo labore collectâ, & in ordinem redactâ.*

Omnia nunc primùm offert R. P. D. ALOYSIVS NOVARINVS, Veronensis, Clericus Regul.




LVGDVNI,

Sumpt. hæred. GABR. BOISSAT, & LAVRENTII ANISSON,

M. DC. XLIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





LVCÆ
IESV CHRISTI
EVANGELISTÆ.


NON abeo à meo more in Tui cultu. Vnicuique offero, quod ſuum; Tu igitur tua verba, medicam virtutem exhalantia, in obſequium accipe, quæ nos à te accepimus in remedium, in ſolamen, cum tuis accipe etiam mea, quæ ab ea parte, quâ tuis innituntur, ex tuis nata, tuis inſerta ſunt: ſperni omninò, reiicíque non debent. Vtilia monita quæ ex dictis tuis exculpſi, inſculpe meæ menti, & quæ chartis tuorum verborum vi, ac ductu exaraui, tuis precibus præſta, vt meo, & omnium cordi exarentur, adeò vt dum legimus, quæ dediſti, in omnium mentibus legantur ea, quæ damus; alioquin calamum contra me videbor exacuiſſe, ſi facien-

da ſcripſerim, & præſcripſerim aliis, & non fecero; Alij verò ieiuni lectores, ſi lectores tantùm. Quo ad me, ſit ſanitatis aliqua pars, quod me Tibi, tanquam animæ medico expono, expono & mea. Tu cordis mei venam tange, & ſi quid curâ tuâ indigere repereris, reperies autem multa, cura vt curetur. Minus tibi mea diſplicebunt, ſi magis ego Deo meo, & tuo placuero, & quod maximè velim, etiam per Te. Ita in tua verba ſcribens, ſcribebat Tibi

Dicatiſſimus tibi ſeruus,

ALOYSIVS NOVARINVS, Clericus Regularis.

EMINENTIS



EMINENTISSIMO PRINCIPI,

RAYNALDO ESTENSI,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

NEQVE enim horret calamus meus purpuram tuam: quin illam, qui illum ducit, veneratur & colit; iudicátque istuc hoc volumen, quod nomini tuo inscriptum iui. Exiguum munus est, si Magnitudinem tuam specto & Eminentiam: non est, si vires meas pendo & affectum. Imbecilles, aut (vt verius dicam) nullæ illæ sunt: est iste magnus. Adiicit hic pondus: excusant illæ aptiùs leuitatem, quò leuiores. Sed, quid muneris exiguitatem excuso? cùm non sit meæ mentis nec facultatis, oblatione par esse Magnitudini tuæ; sed obsequij tantùm signum exhibere & cultûs. Hoc verò etiam à re exiguâ esse potest: vel tenuis vmbræ paruitate magnum magni Solis cursum metimur

timur. Idem hîc factum puta. Tu solem ipsum refers, referunt tua gesta solis motum: vmbram verò & quæ offero, & qui offero. Addo, me mores tuos sequi, non tuam dignitatem; modestiámque tuam me spectare potiùs, quàm tuam Purpuram, & ab hoc capite à Te adeò non auocor, vt ad Te vocer & alliciar. Possum Te illis verbis alloqui, quibus Sophronium suum alloquutus est Sanctus Gregorius Nazianzenus. [Aurum inquit, aliàs quidem alio modo immutatur & effingitur, in multos ornatus informatum, atque in multas res ab arte traductum: aurum tamen, vt est, manet; nec materia, sed forma mutationem suscipit. Eodem modo tuam quoque probitatem eandem erga tuos amicos manere existimantes, etiamsi ad altiores quotidie dignitatum gradus proueharis, hanc tibi deprecationem offerre minimè dubitauimus; quòd scilicet dignitatem tuam non magis metuerêmus, quàm moribus tuis confideremus.] Pro deprecatione, munus litterarium substituo; &, quod ab alieno calamo est, alienum non est à meâ mente. Accipe igitur, Eminentissime Princeps, quod Tibi offero. Efferes illud, si accipias: nam, quæ à magnis accipiuntur, magna videntur fieri vel hoc solo, quòd

ab

ab illis cenſentur magnî fieri, dum non reiiciunt. Itaque, licèt & titulum & dignitatem, quâ in Chriſtianâ Republicâ emines, & verear & reuerear, & adhuc magis mentem tuam ipſo titulo, ipſâ dignitate grandiorem; reuerentiæ tamen decorem (vt ita loquar) non infeci, quùm nomen tuum huic volumini præfixi. Non Te demittet humilitas operis, quod Te in fronte geſtat; ſed ipſa operis vilitas tuo nomine euehetur, quod adiicere illis rebus nobilitatem ſolet, quibus adiicitur. Denique hic nexus teſtabitur Eminentiæ tuæ memoriam à meâ non abradendam, atque indiſſolubili humilis obſequentiæ vinculo me Tibi addictum futurum, dum futurus. Et verò, licèt ſolus Tibi hoc volumen ſiſtam, quod imbecillitatis meæ tenuitas excudit: id tamen me omnium illorum, cum quibus viuo, mente ac nomine feciſſe, crede. Idem omnes ſentimus: eodem ſpectamus omnes: nec aliter debemus, cùm Tu quoque omnes protectionis tuæ vmbrâ munias, ac quodam paterni affectûs ſenſu omnes reſpicias. Claudo, neque plura adiicio. Fruſtrà in alia calamus excurrat, vbi exertè res ipſa loquitur. Tibi ſilentium aliquam fors laudem fabricabit, cùm ægrè id loquentis ſermo poſſit.

Magnis

Magnis ſilentium , laus quædam eſt : laus verò , ſilentium quoddam. Sileo, & purpuram tuam exoſculor: vix erit, qui exoſculetur, quod exhibeo. Satis tamen mihi, ſi Tibi, Magne, leue hoc obſequium non diſpliceat.

Veronæ Kal. Decembr. M. DC. XLII.

EMINENTIÆ TVÆ

Seruus addictiſſimus,

ALOYSIVS NOVARINVS, Clericus Regularis.

OPERIS

Operis Approbatio.

Vsv admodum *R. P. D. Philippi Mariæ Guadagnij* Præpositi Generalis nostræ Congregationis, hoc volumen perlegimus, quod hunc titulum præfert: *Lucas expensus notis monitisque sacris* à R. P. D. Aloysio Novarino *Clerico Regulari illustratus*, nihilque in eo reperimus, quod non tutum, ac salubre sit, vt inoffenso per illud pede currere quisque possit. Atque adeo in commune commodum ac gustum edi tutò posse censemus. Veronæ 15. Kalendas Septembris 1638. Nos hic subscripti.

Ego D. Franciscvs Aldrisivs Visitator Cler. Regular. & Sacræ Theologiæ Professor.

Ego D. Dominicvs Merlvs C. R. Sacræ Theologiæ Professor.

D. PHILIPPVS MARIA GVADAGNIVS
Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

Hoc opus inscriptum *Lucas expensus* à R. P. D. Aloysio Novarino nostræ Congregationis Theologo compositum, & iuxta præfixam assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, vt typis mandetur (quoad nos spectat) facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propriâ subscripsimus, & solito nostro sigillo firmauimus. Romæ Nonis Nouembris 1638.

D. Philippvs Maria Gvadagnivs Præpositus Generalis Cler. Regul.

D. Andreas Sottanus Secretarius.

APPROBATIO.

Nos infrascripti Facultatis Parisiensis Doctores, fidem facimus perlegisse R. P. D. Aloysii Novarini Commentarios in *Nouum Testamentum*; nihilque in eis fidei Orthodoxæ contrarium reperisse. Lugduni die 28. Martij 1642.

Fr. Cl. Cochet Prior Prædic. Lugdunens.
Fr. M. Micard Guardian. Conuentus S. Bonauenturæ.

SVMMA



SVMMA PRIVILEGII
REGIS CHRISTIANISSIMI.



VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, ac patentibus Litteris cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subjectis; intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet, Librum, qui inscribitur, R. P. ALOYSII NOVARINI, *Commentarij in nouum Testamentum*, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra deliquentes expressis. Datum Lugduni, die 31. Augusti 1642.

De mandato Regis,

Signatum,

FAVVRE.

Desiit prælum 15. Decembris 1642.



LVCAS EXPENSVS ET NOTIS, MONITISQVE SACRIS ILLVSTRATVS

A. R. P.

ALOYSIO NOVARINO VERONENSI
CLERICO REGVLARI.

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

Sanctum Iesv Christi Euangelium secundùm Lucam.

Arab. In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Dei vnius Euangelium, Patris excellentis Lucæ Euangelistæ aperitio Euangelij gloriosi.

CAPVT PRIMVM.

Verſ. 1.



Voniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum.

Quoniam quidem. *Euth. Quandoquidem.*
Multi *Syr. Plurimi. Pagn. Complures.*
Conati sunt. *Arab. Voluerunt. Euth. Tentauerunt. Theoph. Attentarunt. Caiet. Agressi sunt. Fr. Luc. In manus sumpserunt.*
Ordinare. *Syr. Scribere. Euth. Retexere. Theoph. Contexere. Vat. Ordine conscribere. Pagn. Digerere. Ar. M. Reordinare. Caiet. In ordinem redigere. Fr. Luc. Componere, Conficere.*
Narrationem. *Syr. Narrationes. Caiet. Res gestas. Fr. Luc. Historiam.*
Quæ in nobis c. ſ. r. *Syr. Earum actionum, in quibus nos contenti acquiescimus. Euth. Earum rerum, quæ in nobis certissimâ fide comprobatæ sunt. Ar. M. De impletis in nobis rebus. Vat. De certo compertis inter nos rebus. Theoph. Earum quæ inter nos multis argumentis completæ sunt rerum. Pagn. Earum, quæ inter nos plenissimæ fidei sunt rerum. Caiet. Quæ plenissimè scita sunt rerum. Fr. Luc. Quæ in nobis certiorata sunt rerum.*

Verſ. 2.

Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Ab initio. *Syr. A principio. Corn.* omittit.
Ipsi viderunt. *Syr. Spectatores. Arab Viderunt. S. Epiph. Inspectores. Orig. Sibimet spectatores. Ar. M. Ipsi oculati. Vat. Ipsimet spectatores. Theoph. His oculis viderant. Corn. Oculares spectatores.*
Ministri f. *Arab. Ministri fuerant. Ar. M. Ministri existentes. Vat. Ac pars aliqua fuerant.*
Sermonis. *Syr. Ipsius sermonis. S. Epiph. Verbi. Vat. Dicendum. Al. Eorum, quæ narrabant.*

Verſ. 3.

Visum est & mihi, assecuto omnia

Assecuto omnia a. p. d. *Syr. Quippe qui fuerim impensè proximus illis omnibus. Arab. Cùm essem assecutus omnia. Theoph. Vt cuncta ab initio diligenter peruestigans. Euth. Qui cuncta sum ab exordio assecutus. Ar. M. Assecuto altius omnia. Vat. Prosequendo ab initio omnia. Pagn. Subsecuto ab initio cuncta. Caiet. Assecuto omnia à*

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.

summo exactè. Fr. Luc. Consecuto omnia altè & ad intima vsque. Al. Cunctis ab initio exactâ diligentiâ peruestigatis.
Ex ordine. *Syr. Ordine suo cuncta. Arab. Secundum veritatem. Euth. Ordine. Ar. M. Secundum ordinem. Vat. Deinceps. Fr. Luc. Seruato ordine congruo.*
Scribere. *Theoph. Scribam.*
Optime. *Syr. Victoriosissime. Euth. Strenue. Corn. Præstantissime.*

Vers. 4.
Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Cognoscas. *Syr. Recognoscas. Pagn. Agnoscas.*
Eorum verborum. *Arab. Sermonum. Euth.* omittit: *Vat. Earum rerum. Pagn. Eorum sermonum. Al. Eorum.*
De quibus e. e. *Syr. Quibus eruditus fuisti. Euth. De quibus imbutus fueras. Ar. M. De quibus institutus es. Pagn. de quibus edoctus fueras. Caiet. De quibus institutus es. Fr. Luc. De quibus Catechizatus es.*
Veritatem. *Arab. Veritates. Theoph. Communicationem. Vat. Certitudinem. Fr. Luc. Securitatem.*

Vers. 5.
Fuit in diebus Herodis, regis Iudeæ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

Fuit. *Pagn. Erat. Ar. M. Factum est.*
Quidam. *Arab.* omittit.
De vice. *Syr. Ex ministerio domûs. Arab. De ministerio familiæ.*
Et vxor. *Syr. Vxor autem.*
Illius. *S. Ambr. Illi.*
De filiabus. *Euth. Ex filiabus.*
Et nomen eius. *Syr. Cuius nomen erat. Vat. Cuius nomen.*

Vers. 6.
Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.

Ante Deum. *Tigur. Coram Deo.*
Incedentes. *Theoph. Ambulantes. Tig. Vitam agentes. Pagn. Versantes. Corder. Proficientes.*
In omnibus m. *Syr. In omnibus mandatis eius. Tig. Iuxta omnia præcepta.*
Iustificationibus. *Syr. In iustitiâ. Tig. Iura.*
Sine querela. *Syr. Inculpatè. Arab. Sine maculâ. Euth. Absque reprehensione. Tig. Irreprehensi. Corder. Irreprehensibiles. Auth. Inculpabiles.*

Vers. 7.
Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

Et non e. i. *Syr. Nullum porrò habebant. Vat. Nec tamen erat illis.*
Filius. *Syr. Filium. Ar. M. Natus. Caiet. Proles.*
Eo quod e. s. *Syr. Quandoquidem erat sterilis.*
Processissent in d. s. *Syr. Erant multorum dierum. Arab. Attigissent dies suos. Ar. M. Erant prouecti in diebus. Vat. Prouecta iam ætatis essent.*

Vers. 8.
Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum.

Factum est a. *Arab. Et dum. Vat. Euenit autem.*
Cùm sacerdotio f. *Syr. Cùm ipso sacerdotio fungeretur. Theoph. Cùm sacerdotio fungeretur Zacharias. Ar. M. In sacerdotio fungendo ipsum.*
In ordine v. s. *Syr. In ordine ministerij sui. Arab. In diebus ordinis ministerij sui.*
Ante Deum. *Euth. Coram Deo.*

Vers. 9.
Secundùm consuetudinem sacerdotij,

Secundùm c. *Syr. Ritu. Euth. Secundùm sortem.*
Sacerdotij. *Tig. Functionis sacerdotalis.*
Sorte e. *Syr. Accidit ei. Arab. Cùm eò temporis suum esset. Ar. M. Sortitus est. Vat. Vt sors illi obueniret. Theoph. Sors illi obuenit. Tig. Vt sors illi eueniret.*
Vt incensum p. *Syr. Vt componeret suffitus. Arab. Ponere incensum. Ar. M. Suffire. Vat. Vt suffitum faceret. Pagn. Vt suffiret figmentum. Theoph.*

sorte

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

forte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.

Vt odores incenderet. Caiet. Vt thymiama poneret.
Ingressus in t. *Syr. Et ingressus est templum.*

Vers. 10.

Omnis multitudo populi erat orans foras horâ incensi.

Omnis m. p. *Syr. Tota verò turba populi. Arab. Et omnis populus. Euth. Et multitudo. S. Ambr. Populus.*
Erat orans. *Euth. Orabat. Vat. Precabatur.*
Horâ incensi. *Syr. Tempore suffitûs. Euth. Tempore quo incendebatur thymiama. Pagn. Tempore suffimenti. Theoph. Tempore thymiamatis.*

Vers. 11.

Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.

Apparuit a. i. *Euth. Apparuit autem. Mald. Visus est autem illi.*
A dextris. *Vat. A dexterâ.*
Incensi. *Euth. Thymiamatis. Pagn. Suffimenti. Al. In quo thymiamata solent adoleri.*

Vers. 12.

Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

Turbatus est. *Syr. Conturbatus est.*
Videns. *Euth. Viso eo. Pagn. Conspicatus. Theoph. Viso eo.*
Timor irruit s. e. *Syr. Timor irruit in eum. Arab. Inuasit eum timor magnus. Euth. Timor cecidit super eum. Vat. Ingruit timor in eum.*

Vers. 13.

Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem:

Ne timeas. *Cerd. Ne time.*
Quoniam. *Arab. Iam.*
Exaudita. *S. Ambr. Ecce exaudita.*
Deprecatio. *S. Ambr. Oratio Ar. M. Petitio. Vat. Precatio.*
Et vxor tua e. *Orig. Ecce Elizabeth vxor tua.*
Pariet tibi f. *Arab. Pariet filium. Orig. Concipiet, & pariet tibi filium. Ar. M. Gignet tibi filium.*
Vocabis. *Arab. Vocabunt.*

Vers. 14.

Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Gaudium. *Syr. Gaudio. Arab. Gaudium magnum.*
Exultatio. *Syr. Exultationi. Cerd. Gloriatio.*
Multi. *Syr. Plurimi.*
In natiuitate. *Syr. Natiuitate. Pagn. Super natiuitate.*

Vers. 15.

Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.

Erit. *Syr. Futurus est.*
Coram Deo. *Orig. In conspectu Domini.*
Et siceram. *Pagn. Inebriatiuumque.*
Non. *Euth. Nequaquam.*
Spiritu sancto. *Syr. In spiritu sanctitatis.*
Adhuc. *Tig. Iam indè.*
Ex vtero. *Syr. Ipse existens in vtero. Arab. In ventre. S. Cypr. In vtero. Tig. Ab vtero.*

Vers. 16.

Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.

Filiorum. *Theoph. Ex filiis.*

Vers. 17.

Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad pruden-

Præcedet. *Orig. Procedet. S. Ambr. Præibit.*
Ante illum. *Syr. Eum. Euth. Coram eo. S. Ambr. In conspectu Domini.*
In spiritu. *Orig. Cum spiritu. Caiet. Fortitudine.*
Eliæ. *Syr. Elia Propheta.*
Vt conuertat. *Arab. Et conuertet. Cerd. Conuertere.*
Corda. *Syr. Cor.*
In filios. *Orig. Ad filios. Ar. M. In natos.*
Incredulos. *Syr. Eos qui sunt immorigeri. Arab. Non obediunt. S. Epiph. Inobsequentes. Euth. Inobedientes. Ar. M. Insuasibiles. Vat. Contumaces. Cerd. Impersuasibiles.*
Ad prudentiam. *Syr. Ad scientiam. Orig. Ad sapientiam. Ar. M. In prudentiam.*
Iustorum. *Syr. Rectorum. Orig. Sanctorum.*
Parare. *Syr. Ac prepararet. Arab. Et parabit. Euth.*

Vulgata Editio.

tiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.

Lectionum varietas.

Vt paret. Caiet. Vt pararet. Tigur. Vt præparet.

Plebem perfectam. *Syr. Populum perfectum. Arab. Plebem iuſtam. Euth. Plebem preparatam. Ar. M. Plebem expeditam. Pagn. Apparatam plebem. Orig. Populum inſtructum. Mald. Populum præparatum. Tig. Populum ſanctum.*

Perfectam. *Corn. Benè & perfectè præparatam. Theoph. Capacem. Arab. Iuſtam. Plerique. Diſpoſitam.*

Verſ. 18.

Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.

Dixit ad A. *Syr. Ait Angelo.*

Vnde. *Arab. Quomodo. Euth. Per quid. Caiet. In quo. Theoph. Quo argumento. Mald. Iuxta quid. Tig. Cui.*

Sciam. *Orig. Cognoſcam.*

Ego enim S.S. *Arab. Cùm ſim ſenex.*

Proceſſit. *Syr. Prouecta. Arab. Iam proceſſit. Euth. progreſſa eſt. Theoph. Prouecta ætatis eſt. Tig. Prouecta iam.*

In diebus ſ. *Tig. Ætatis.*

Verſ. 19.

Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

Qui aſto. *Arab. Stans. S. Ambr. Qui aſſiſto. Corn. Qui aſtiti. Ar. M. Aſtans.*

Ante Deum. *Syr. Coram Deo. Vat. In conſpectu Dei.*

Loqui ad te. *Syr. Vt te alloquar. Arab. Vt loquar tecum hoc.*

Euangelizare. *Syr. Euangelizem. Euth. Annunciem. Theoph. Læta nunciem. Pagn. Bona annunciem.*

Verſ. 20.

Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.

Et ecce. *Syr. Nunc. Arab. Ex nunc.*

Eris tacens. *Syr. Silebis. Euth. Eris mutus. Orig. Eris tacitus. Theoph. Futurum eſt vt ſis tacitus.*

Et non p. l. *Tig. Nec valebis loqui. Pagn. Neque valens loqui. Theoph. Nec fari poſſis.*

Vſque in d. *Orig. Ad eum vſque diem. Ar. M. Vſque quo die.*

Pro eo, quod. *Ar. M. Pro quibus. S. Ambr. Propterea quod.*

Credidiſti. *Pagn. Credidiſtis.*

Verbis m. *Syr. Hiſce ſermonibus meis. Arab. Verbo meo.*

Quæ implebuntur. *Arab. Quod adimplebitur. Euth. Quæ implebuntur.*

In tempore ſ. *Vat. Tempore ſuo. Ar. M. In tempus ipſorum.*

Verſ. 21.

Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo.

Et erat plebs e. *Syr. Populus autem ſtabat ac præſtolabatur ipſum. Arab. Et erat plebs expectans. Vat. Et populus expectabat.*

Et mirabantur. *Arab. Admirati. Euth. Mirabatur.*

Quod tardaret i. *Syr. Super retardatione ipſius. Arab. Tardationem eius. Euth. Quòd moram faceret. Theoph. Quòd moraretur.*

Verſ. 22.

Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

Egreſſus. *Syr. Quum exiret Zacharias.*

Loqui ad illos. *Pagn. Loqui illis.*

Cognouerunt. *Arab. Intellexerunt.*

Viſionem. *Vat. Viſum.*

Erat innuens. *Syr. Nutu innuebat. Arab. Annuebat.*

Permanſit. *Syr. Manſit S. Ambr. Remanſit.*

Verſ. 23.

Et factum eſt, vt impleti ſunt dies offi-

Factum eſt. *Pagn. Accidit.*

Vt impleti ſunt. *Euth. Poſtquam completi ſunt.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

cij eius, abiit in domum suam.

Officij. *Vat. Muneris. Caiet. Ministerij. Mald. Ministrationis.*
Abiit in domum. *Syr. Venit domum.*

Vers. 24.

Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque dicens.

Post hos a. d. *Syr. Et factum est post dies illos.*
Concepit. *Syr. Vt vterum ferret. Arab. Grauida facta est.*
Occultabat se. *Syr. Occultaret sese. Arab. Abscondit grauiditatem suam. Vat. Abscondit se.*

Vers. 25.

Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Quia sic. *Syr. Nempe ista. Arab. Hoc est, quod.*
Respexit. *Arab. Respexit in me. Pagn. Respexit me. Euth. Aspexit. Ar. M. Inspexit. Vat. Respectum habuit.*
Auferre. *Syr. Vt auferret. Arab. Ad auferendum à me.*
Opprobrium. *Theoph. Probrum.*
Inter homines. *Ar. M. In hominibus.*

Vers. 26.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

In mense. *Vat. Mense.*
In ciuitatem G. *Syr. Galilaam in vrbem.*
Cui nomen. *Syr. Nomine. Arab. Qua vocatur.*

Vers. 27.

Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.

Cui nomen e. *Syr. Nomine. Arab Cuius nomen erat. Ar. M. Cui nomen.*
De domo. *Vat. E domo.*

Vers. 28.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Aue. *Syr. Pax tibi. Goth. Aue Maria. Ar. M. Gaude.*
Gratiâ plena. *Arab. O plena gratiâ. Salm. ex Syr. Plena bonitate. Tig. Gratiosa. Pagn. Gratiâ affecta. Caiet. Gratificata.*
Dominus t. *Syr. Dominus noster est tecum.*
In mulieribus. *S. Ambr. Inter mulieres.*

Vers. 29.

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

Quæ cùm a. *Arab. Quum autem vidisset eum. S. Ambr. Ipsa autem vt vidit eum. Theoph. Illa verò cùm vidisset. Ar. M. Illa verò videns. Quid. Cod. Vt vidit. Tig. Illa verò viso eo.*
Turbata. *S. Ambr. Mota. Tig. Perturbata.*
In sermone. *Syr. Sermone. S. Ambr. In introitu. Vat. Oratione. Pagn. Super oratione.*
Cogitabat. *Syr. Meditabatur. Arab. Cogitauit dicens. S. Ambr. Erat cogitans. Adam. C. Accuratè meditabatur. Cerd. Ratiocinabatur.*
Qualis esset i. s. *Syr. Qualis esset pax ista. Arab. Quæ est ista salutatio? Pagn. Qualis esset illa salutatio. Salm. Quanta esset ista salutatio.*

Vers. 30.

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

Ei. *S. Ambr. Ad eam.*
Ne timeas. *Ar. M. Ne paue.*
Inuenisti. *Arab. Lucrata es. Euth. Nacta es.*
Apud Deum. *S. Isid. Hisp. Ante conspectum Domini.*

Vers. 31.

Ecce concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius IESVM.

Ecce. *Syr. Ecce enim. Arab. Tu namque S. Ambr. Et ecce.*
Concipies in v. *Syr. Concipies vtero. Arab. Recipies grauidationem.*

Vers. 32.

Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum.

Dominus D. *S. Ambr. Dominus.*
Sedem. *S. Cypr. Thronum. Vat. Solium.*
Patris e. *Pagn. Patris ipsius.*
In domo. *S. Cypr. Super domum.*
In æternum. *S. Cypr. In seculo.*

Vers. 33.

Et regni eius non erit finis.

Nouarin. in Euang. Tom. II.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 34.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?

Ad Angelum. *Vat. Angelo.*
Quomodo. *S. Cypr. Vnde.*
Fiet i. *Arab. Fiet mihi hoc. S. Epiph. Cognoſcam mihi iſtud affuturum. Cerd. Erit iſtud.*
Quoniam virum n. c. *Syr. Quandoquidem vir non eſt mihi cognitus. Arab. Cùm non cognouerim hominem. S. Ambr. Quoniam virum non cognoui.*

Verſ. 35.

Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.

Spiritus ſ. *Syr. Spiritus ſanctitatis.*
Superueniet i. t. *Syr. Veniet. Arab. Deſcendet ſuper te. S. Hil. Deſuper veniet in te.*
Virtus. *Ar. M. Efficientia.*
Tibi. *Vat. Super te. Tig. Te.*
Et quod n. e. t. *Syr. Is qui naſciturus eſt ex te. Arab. Natus ex te. Euth. Et quod naſcitur. Ar. M. Natum ex te. Adam. C. Quod gignitur.*
Sanctum. *Syr. Sanctus ipſe. Arab. Sanctus eſt. S. Cypr. Sanctus.*
Vocabitur. *Syr. Ac vocabitur.*

Verſ. 36.

Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.

Concepit. *Arab. Grauida facta eſt. Ar. M. Concipiens fuit.*
Filium. *Arab. In filium.*
In ſenectute ſ. *Arab. In magnis annis ſuis.*
Quæ vocatur ſ. *Vat. Dictæ ſterili. Ar. M. Vocatæ ſterili Theoph. Quæ dicebatur ſterilis.*

Verſ. 37.

Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

Non erit impoſſibile a. D. o. v. *Syr. Deo nihil eſt difficile. Arab. Non eſt apud Deum quidquam difficile. Vat. Non erit impoſſibilis apud Deum vlla res.*

Verſ. 38.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

Dixit autem. *Arab. Et dixit Angelo.*
Ecce ancilla D. *Syr. Ecce ego ſum ancilla Domini.*
Fiat mihi. *S. Ambr. Contingat mihi.*
Diſceſſit. *Abiit. Syr. Abiit.*

Verſ. 39.

Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda.

Exurgens. *Arab. Surrexit. Vat. Cùm exurrexiſſet.*
Diebus illis. *Pagn. Diebus his.*
Abiit. *Arab. Et abiit. Vat. Profecta eſt.*
In montana. *Syr. In montem. Caiet. In montanam regionem. Salm. In ſummitatem montium.*
Cum feſtinatione. *Syr. Studiosè. Arab. Feſtinando. Salm. Cum diligentiâ, ſtudio. Auct. Cum ſedulitate.*
Iuda. *S. Ambr. Iudæ.*

Verſ. 40.

Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth.

Intrauit in d. *Syr. Ingreſſa domum.*
Salutauit. *Syr. Petiit pacem ipſius.*

Verſ. 41.

Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth; exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth.

Et factum e. *Arab. Et S. Ambr. Simul autem. Vat. Et euenit.*
Vt audiuit. *Syr. Quùm audiret. Arab. Cùm audiſſet.*
Salutationem. *Arab. Vocem ſalutationis.*
Mariæ. *Syr. Ipſius Mariæ.*
Exultauit. *Syr. Vt exultaret. Arab. Motus eſt. Tig. Subſiluit. Vat. Subſilierit. Caiet. Saliit. Al.* omittit.
Infans in v. e. *Syr. Fœtus in vtero eius. Al.* omittit.
Et repleta. *Euth. Et impleta. Al. Repleta.*
Spiritu ſancto. *Syr. Spiritu ſanctitatis.*

Verſ. 42.

Et exclamauit voce magna, & dixit:

Magna. *Syr. Altâ.*
Dixit. *Syr. Dixit ipſi Mariæ.*
Inter m. *Ar. M. In mulieribus*

Benedicta

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.	Benedictus. *Syr. Benedictus est.* Ventris tui. *Syr. Qui est in vtero tuo. Ar. M. Vteri tui.*
Vers. 43. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?	Et vnde. *Syr. Vnde nam.* Hoc mihi. *S. Cypr. Hoc mihi contingit.* Mater Domini m. *Salm. Mater illius summi Domini.*
Vers. 44. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.	Ecce. *Arab. Vbi.* Vt facta e. *Syr. Quum incidit. Arab. Cecidit. Euth. Vt peruenit. Tig. Vt edita est.* In auribus m. *Syr. In aures meas. Euth. Ad aures meas. Pagn. In vtero meo.* Exultauit. *Syr. Subsaltauit. Arab. Motus est. Vat. Subsiliit. Caiet. Saluit.* In gaudio. *Syr. In gaudio magno. Arab. Cum exultatione. Theoph. Prægaudio. Caiet. In exultatione. Pagn.* omittit. Infans. *Syr. Fœtus. Pagn.* omittit.
Vers. 45. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.	Beata. *Syr. O felix. Euth. Beata est.* Credidisti. *Theoph. Credidit. Ar. M. Credens.* Perficientur ea. *Syr. Quia futurum est complementum earum rerum. Pagn. Perfectio erit in his. Ar. M. Erit perfectio.* Quæ dicta s. t. *Theoph. Quæ dicta sunt ei. Ar. M. Effatis ei.*
Vers. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.	Magnificat. *Caiet. Extollit, magnificat.*
Vers. 47. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.	Salutari. *Tig. Seruatore. Salm Saluatore.*
Vers. 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.	Respexit. *Mald. Aspexit.* Humilitatem. *Pagn. Ad humilitatem. Caiet. Exiguitatem, paruitatem. Mald. In humilitatem. Quid. Apud Salm. Demissionem, vilitatem.* Ancillæ. *Mald. Serua.* Ecce enim e. h. *Ecce enim ex hoc tempore. Arab. Quia ex nunc. S. Epiph. Ecce enim ex hoc nunc. Euth. Ecce enim posthac. Vat. Ecce enim ab hinc. Salm. Ecce enim ex hoc temporis momento.* Beatam me d. *Syr. Beatitudinem mihi tribuent. Arab. Dabunt mihi beatitudinem.* Generationes. *S. Epiph. Generationes terræ.*
Vers. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.	Fecit. *Syr. Egit. Tig. Præstitit.* Mihi magna. *Syr. Apud me magnifica. Tig. Mihi magnifica. Caiet. Mihi magnalia. Salm. Mihi excelsa.* Qui potens e. *Syr. Ille potens. Ar. M. Potens. Salm. Ille qui summipotens est.* Et sanctum n. *Vat. Et cuius nomen sanctum.*
Vers. 50. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.	A progenie i. p. *Syr. In ætates, & generationes. Arab. In generationem generationum. Euth. In progeniem, & progeniem Caiet. In generationem & generationem.* Timentibus e. *Syr. Super eos, qui timent ipsum.*
Vers. 51. Fecit potentiam in brachio suo: dis-	Fecit. *Tig. Exercuit. Al. Præstitit.* Potentiam. *Syr. Victoriam. Arab. Virtutem. Theoph. Robur. Caiet. Imperium. Euth. Per brachium suum.* In brachio s. *Tig. Brachio suo.*

Vulgatâ Editio. | *Lectionum Varietas.*

perſit ſuperbos mente cordis ſui.

Diſperſit. *Syr. Et diſſipauit.*
Mente. *Tig. Cogitatione.*
Cordis ſui. *Arab. Cordium eorum. Tig. Cordis ipſorum. Ar.M. Cordis eorum.*

Verſ. 52.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

Depoſuit. *Syr. Deturbauit. Cerd. Detraxit.*
Potentes. *Caiet. Primores.*
De ſede. *Syr. De cathedris. Euth. A ſedibus. Vat. De ſoliis. Cerd. De thronis.*
Exaltauit. *Vat. Euexit.*
Humiles. *Caiet. Humiles corde.*

Verſ. 53.

Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.

Impleuit. *Syr. Saturauit. Arab. Satiauit.*
Dimiſit. *Tig. Ablegauit. Caiet. Emiſit.*
Inanes. *Syr. Inaniter.*

Verſ. 54.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Suſcepit. *Syr. Adiuuit. Euth. Auxiliatus eſt.*
Iſraël. *Tig. Iſraelem.*
Puerum ſuum. *Euth. Puero ſuo. Tig. Seruum ſuum.*
Recordatus. *Arab. Et eſt recordatus. Theoph. Vt memor eſſet. Beda memorari. Tig. Recordatione. Caiet. Vt recordaretur.*
Miſericordiæ ſuæ. *Theoph. Miſericordiæ.*

Verſ. 55.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſæcula.

Sicut locutus e. *Arab. Veluti qui loquutus fuerat.*
Ad patres n. *Syr. Cum patribus noſtris. Arab. Patribus noſtris.*
Abraham. *Syr. Cum Abraham. Vat. Abraha. Pagn. Ipſi Abrahamo. Al. Nimirum Abrahamo.*
Semini. *Syr. Cum ſemine.*
In ſecula. *Euth. In ſeculum. Tig. In æuum.*

Verſ. 56.

Manſit autem Maria cum illâ, quaſi menſibus tribus: & reuerſa eſt in domum ſuam.

Manſit autem. *Arab. Et ſtetit.*
Cum illa. *Syr. Apud Eliſabeth. Arab. Apud eam.*
Quaſi. *Theoph. Circiter. Caiet. Ferè.*
Menſibus tribus. *Pagn. Menſes tres.*
In domum. *Vat. Domum.*

Verſ. 57.

Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.

Eliſabeth. *Euth. Ipſi Eliſabeth.*
Impleta eſt. *Syr. Factum eſt. Arab. Cum impletum eſſet. Vat. Completum eſt.*
Peperit. *Ar.M. Genuit.*

Verſ. 58.

Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.

Et audierunt. *Vat. Cumque audiſſent.*
Cognati. *Syr. Filij cognationis.*
Quia magnificauit D. *Syr. Deum magnificaſſe. Tig. Magnificè Dominum declaraſſe. Theoph Quod magnificè Dominus vſus eſſet.*
Miſericordiam ſ. *Syr. Gratiam ſuam. Theoph. Miſericordiâ ſuâ.*
Cum illâ. *Syr. Erga eam. Arab. Illi. Tig. Erga illam.*
Congratulabantur. *Arab. Congratulati ſunt. Theoph. Gratulabantur. Mald. Congaudebant.*

Verſ. 59.

Et factum eſt in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.

Et factum eſt i. d. o. *Vat. Porrè autem die octauo.*
Puerum. *Syr. Puerulum. Vat. Puellum.*
Vocabant. *Arab. Vocauerunt.*
Nomine. *Ar.M. In nomine.*

Verſ. 60.

Et reſpondens mater eius dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes.

Et reſpondens. *Vat. At reſpondens.*
Nequaquam. *Syr. Non ità. S. Ambr. Non.*
Vocabitur Ioannes. *Arab. Vocate eum Ioannem.*

Verſ. 61.

Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

Ad illam. *Vat. Illi.*
Quia nemo. *Euth. Nemo.*
In cognatione. *Syr. In preſapiâ.*
Hoc nomine. *Vat. Iſte nomine.*

*Verſ.*62.

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

Verſ. 62.

Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum.

Autem. *Syr. Itaque.*
Quem vellet. *Syr. Quomodo vellet. Arab. Quem vis. Vat. Quo nomine vellet. Ar. M. Hoc quod vellet. Cerd. Quid vellet.*
Vocari eum. *Syr. Et nomen imponi.*

Verſ. 63.

Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt vniuerſi.

Poſtulans. *Syr. Petiit. Euth. Poſtulatis. S. Ambr. Accepit. Tig. Poſtulatâ.*
Pugillarem. *Syr. Codicillos. Euth. Tabellis. Tig. Tabellulâ. Cerd. Tabellam.*
Scripſit. *Syr. Et ſcripſit. Orig. Cùm ſcripſiſſet.*
Dicens. *Tig. His verbis.*
Mirati ſunt v. *Syr. Miratus eſt vnuſquiſque. Orig. Mirati fuiſſent omnes. Pagn. Admirati ſunt vniuerſi.*

Verſ. 64.

Apertum eſt autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

Apertum e. *S. Ambr. Reſoluta eſt.*
Illico. *Euth. Repentè. S. Ambr. Continuò.*
Os. *S. Ambr. Lingua eius.*
Lingua eius. *Ar. M. Lingua eius afformata eſt. Cerd. Lingua eius efformata eſt. S. Ambr. Apertum eſt os.*
Loquebatur. *Syr. Loquutus eſt.*
Benedicens Deum. *Tig. Benedicens Deo. Theoph. Laudans Deum.*

Verſ. 65.

Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.

Factus eſt. *Syr. Extitit. Tig. Ingruit. Al. Peruaſit.*
Timor. *Syr. Pauor. Tig. Metus.*
Super omnes. *Vat. In omnes. Pagn. Per omnes.*
Super omnia m. *Syr. In vniuerſo monte. Arab. In omnibus finibus. Theoph. In totâ montanâ regione. Ar. M. In omni montanâ. Pagn. Per omnem montanam regionem.*
Diuulgabantur. *Syr. Prolata ſunt. Arab. Loquebatur.*
Omnia verba h. *Syr. Iſta. Arab. De hoc verbo. Vat. Omnia facta hac.*

Verſ. 66.

Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Poſuerunt. *Syr. Cogitabant. Tig. Aduerterunt.*
Audierant. *Vat. Audierunt.*
In corde ſ. *Arab. In cordibus ſuis. Vat. In animum ſuum.*
Quis putas puer i. e? *Syr. Quiſnam futurus eſt paruulus iſte? Arab. Quid putas futurum eſſe de hoc puero? Goth. Quid putas puer iſte erit? Ar. M. Quid nam puer hic erit. Tig. Quiſnam puellus hic erit?*
Etenim manus. *Pagn. Et manus.*
Erat cum illo. *Vat. Aderat illi.*

Verſ. 67.

Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto: & prophetauit dicens.

Et Zacharias p. e. *Orig. Quemadmodum Zacharias pater eius.*
Repletus. *Euth. Impletus. Orig. Plenus.*
Spiritu ſancto. *Syr. Spiritu ſanctitatis.*
Prophetauit. *Syr. Vaticinatus eſt.*

Verſ. 68.

Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Benedictus. *Tig. Laudandus.*
Iſraël. *Tig. Iſraëlis.*
Quia viſitauit. *Syr. Quippè qui viſitauerit populum ſuum. Arab. Qui viſitauit.*
Fecit. *Syr. Fecerit. S. Cypr. Proſpexit. Vat. Perfecit.*
Plebis ſuæ. *Syr. Eius. Arab. Populi ſui. Euth. Plebi ſuæ. Tig. Populo ſuo.*

Verſ. 69.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.

Erexit. *S. Cypr. Excitauit.*
Pueri. *Vat. Serui.*

Verſ. 70.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Verſ.70. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum eius.	Sicut locutus eſt. *Arab. Veluti qui locutus eſt.* Per os. *Arab. Per ora.* A ſæculo. *Arab. Ab æterno. Vat. Ab æuo.* Sunt. *Pagn. Fuerunt. Ar. M.* omittit. *Pagn. Fuerunt.* Prophetarum e. *Syr. Vatum ſuorum.*
Verſ.71. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.	Salutem. *Syr. Se nos liberaturum. Tig. Vindicationem, Al. Fore, vt ſeruaremur.* Ex inimicis. *Syr. Ab hoſtibus. Tig. Ab inimicis.* De manu. *Arab. De manibus. Vat. è manu.* Qui oderunt. *Arab. Odientium. Vat. Quod oderunt. Pagn. Qui odio habent.*
Verſ.72. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.	Ad faciendam. *Syr. Ac vſurum. Vat. Vt faciat. Al. Vt vteretur.* Miſericordiam. *Syr. Miſericordiâ ſuâ.* Cum patribus n. *Al. Erga patres noſtros.* Memorari. *Syr. Se memorem futurum. Arab. Recordatus eſt. Theoph. Memor eſſet ſancti Al. Sancti præſtaretque.*
Verſ.73. Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.	Iuſiurandum. *Syr. Nec non iuſiurandi. Theoph. Iuxta iuſiurandum.* Iurauit. *Arab. Promiſit.* Ad Abraham p. n. *Vat. Abraham patri noſtro.* Daturum ſe n. *Arab. Se daturum nobis ſalutem. Vat. Vt daret nobis. Ar. M. Dare nobis.*
Verſ.74. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.	Vt ſine t. *Syr. Et abſque timore. Theoph. Vt citra timorem. Euth. Quo ſine timore. Ar. M. Impauidè.* De manu. *Arab. De manibus. Ar. M. Ex manu.* Liberati. *Syr. Liberaremur. Arab.* omittit. Seruiamus illi. *Syr. Seruiremus coram eo. Vat. Seruiamus ipſi. Corder. Seruire illi.*
Verſ.75. In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.	In ſanctitate. *Syr.* omittit. *Pagn. Cum ſanctitate.* In iuſtitia c. i. *Syr. Cùm iuſtitiâ.* Omnibus diebus. *Ar. M. Omnes dies. Theoph. Cunctis diebus.* Noſtris. *Euth. Vita noſtra.*
Verſ.76. Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.	Puer. *Syr. Puerule. Arab. O puer. Caiet. Puelle.* Præibis enim. *Syr. Quandoquidem ambulabis. Arab. Et ibis.* Parare. *Arab. Ad praparandas. S. Proſp. Præparare.* Vias *Syr. Viam.*
Verſ.77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum.	Ad dandam. *Syr. Vt des.* Scientiam ſalutis. *Syr. Cognitionem vitæ. Tig. Cogitationem ſalutis.* Plebi eius. *Syr. Populo ſuo. Pagn. Populo ipſius.* In remiſſionem. *Euth. Per remiſſionem.* Eorum. *Arab. Suorum. Vat. Ipſorum. Theoph. Eius.*
Verſ.78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos, oriens ex alto.	Per viſcera m. *Tig. Per intimam miſericordiam. S. Ambr. Propter viſcera.* Dei. *S. Proſp. Domini.* In quibus. *Arab. Qui. Theoph. Quibus. Vat. Quâ.* Viſitauit. *Syr. Inuiſit.* Oriens ex alto. *Arab. Ortus eſt ab alto.*
Verſ.79. Illuminare his, qui in tenebris, & in	Illuminare. *Syr. Vt luceat. S. Greg. Nyſſ. Inuiſit. S. Ambr. Lucere. Tig. Vt illuceſcat. Euth. Vt appareret. Pagn. Vt illuceſceret. Caiet. Illuce, illuceſce.*

umbrâ

Vulgata Editio.

vmbrâ mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Vers. 80.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.

Lectionum Varietas.

His. *S. Greg. Nyss. Eos.*
Qui. *Syr. Qui sunt.*
Vmbrâ. *Syr. Vmbra.*
Sedent. *S. Greg. Nyss. Consedebant. Al. Sedebant.*
Viam. *Arab. Vias.*

Puer. *Syr. Puerulus. Caiet. Puellus.*
Crescebat. *Arab. Adolescebat.*
Confortabatur. *Caiet. Potens fiebat. S. Epiph. Corroborabatur.*
Erat. *Syr. Fuit. Arab. Stabat.*
In desertis. *Syr. In deserto.*
Vsque in diem. *Syr. Ad hanc vsque diem. Vat. Ad diem. Theoph. Donec veniret dies.*
Ostensionis suæ. *Syr. Quo se ostenderet. Euth. Quo demonstrandus esset. Tig. Declarationis suæ. Theoph. Quo ostendendus erat.*
Ad Israël. *Syr. Apud Israel. Euth. Israel. Tig. Apud Israelitas.*

CAPVT PRIMVM

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Animæ salutem *quærere, quanti res momenti* 1.
S. Lucas *animorum potiùs, quàm corporum* medicus. 1
Cur in iis quæ Dei misericordiam *tangunt multus fuerit* S. Lucas. 2
In solo desiderio *non sistat, qui aliquod bonum efficaciter vult.* 3
Omnia Deo tribuenda. 3
Fidelis *in rebus, quas credit acquiescere debet.* 4
Elegantia *apud Deum non in verbis sita, sed in operibus.* 4
Sua cuique tribuenda. 5
Verbi *minister, doctrinæ & litteræ* sensui *obsequi debet.* 6
Sermones *& verba, quæ de rebus* terrenis, *vix sermonis & verbi nomen merentur.* 6

Euangelium secundùm Lucam.

1\. NVLLVM auctoris nomen habes, nihil prætereà. Medicus Lucas extitit, nullibi tamen medicum se vocat, nullibi medendi peritiam iactat. Artis obliuiscitur, qua corporis morbis occurritur; medicum animæ se esse gloriatur; salutaria offert monita. Nimirum animæ salutem quærere tanti apud Deum est, vt alia omnis scientia præ istâ negligenda sit; & nihil habenda. Quid medicinam iactet, cùm omnia eius verba animæ languentis medicina sint? Lucas, inquit sanctus Gregorius Nyssenus, *animorum magis, quam corporum medicus*; vt non mirum si medici titulum omittat, ne corporum potius medicus crederetur, quàm animorum. *Lucas medicus*, inquit Carensis Vgo, *de corporibus transiuit ad animas, de herbis transiuit ad verba.*

In cat. Græc. Luc. 7.

2\. De S. Lucâ hoc obseruatum obseruo, vt, inter alios præcipuè Euangelistas, Dei commendet misericordiam. Rei huius hanc reddit rationem sanctus Anselmus in cap. 4. Epist. ad Coloss. *Lucas*, inquit, *primò fuit medicus corporum, deinde conuersus ad Christum factus est medicus animarum: inde est, quòd plusquàm alij Euangelista* LOQVATVR DE MISERICORDIIS *Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus repelluntur.* Addit etiam id ab eo præstitum; quia *sacerdotis personam in Christo describit, interuenientis pro peccatis totius Mundi:* Nihil sic sacerdotem decet, & præcipuè præcipuum, quàm misereri.

Liceat aliam rei huius causam adiicere. Lucas Virgini maximè dilectus, maximè fuit familiaris; & ad eius mentem, vt alij notauere, plurima scripsit: non ergo mirum, si in iis narrandis quæ Dei commendant misericordiam, tam multus est; cùm hoc à misericordiæ matre haurire potuerit, quæ, vt ad Deum omnes alliceret, studuit indulgentiæ Diuinæ exempla non deesse, quibus magni quique peccatores à peccatis resipiscant, & ad Deum redeant, à quo abierunt.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum.

CONATI *sunt*, Græcè ἐπεχείρησαν *in manus sumpserunt, aggressi sunt*, Syrus vertit *voluerunt*. 3.
Colligere ex his versionibus possumus, cohærere inter se, velle aliquid & aggredi; nam qui aliquod bonum efficaciter vult, in solo desiderio non sistit, operi manum admouet, & perficere, quantùm potest, studet; nolle videtur, qui aggreditur, nec efficere conatur.

Ordinare, Græcè ἀνατάξασθαι, *astruere, contexere*, Syrus, *scribere*, Probè, *scribendi* verbum cohæret cum *ordinandi*; vt intelligeremus, etiam rerum narratarum ordinem, seriémque mysterio non carere, sed omnia ritè disponenda, & ordinatè literis mandanda; quod in diuinis literis plenè fit.

Quæ in nobis; signatè *in nobis*, non *à nobis*, vt ita disceremus, nihil nobis à nobis tribuendum, omnia Deo; nimirum omne opus bonum Deo adscribendum, nihil exiguitati nostræ.

Completa sunt; Græcè, τῶν πεπληροφορημένων. 4.
Verbum πληροφορεῖσθαι, ad personam relatum, est ita certiorem de re aliqua fieri, vt nullus relinquatur dubitationis locus. Rom. 4. v. 21. πληροφορηθεὶς, quod

quod interpres vertit, *plenissimè sciens*, id est certissimè persuasus, & credens. Hîc *πεπληροφορημένων* ad res refertur, & significat res creditas, firmitérque receptas, quas plenè scimus. Syrus ita legit: *In quibus nos contenti acquieuimus.* Verbum Syrum *paies* contentum reddere, & persuadere significat, & verbale nomen, *petaso* certitudinem notat, & certam persuasionem, cui mens acquiescit. Cohærent acquiescere; & certus esse; quia fidelis in rebus, quas certò credit, acquiescere debet, nec dubitatione aliquâ fluctuare.

Quæ in nobis completa sunt rerum; signatè, *rerum*, non *verborum*: apud prophanos oratores elegantia in verbis sita; secus apud Deum; elegantiæ venustas non in nudis sermonibus posita est, sed in operibus.

Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

5 *Sicut tradiderunt.* Hîc traditionum firmitatem habes; licèt negent hæretici; sed nil mirum, cum hæretico sensu incedant. Ab Apostolis res, quæ litteris traditurus erat, se accepisse, & fatetur, & gloriatur Lucas: nihil ex proprio sensu fingit, nihil non certum chartis illinit. Disce, veritati, ac certitudini seruire, non tuæ gloriæ; & auctoribus sua tribuere, non aliena pro tuis venditare.

Ipsi viderunt; Græcè vox vna est, vnum nomen, est enim *αὐτόπται spectatores*, subintelligitur, *fuerunt*; significanter autem vertit interpres, *ipsi viderunt*, vt innueret, suis ipsos oculis res spectasse, & oculatos testes exstitisse; vt proinde certa omnia sint, & fide dignissima.

6 *Ministri fuerunt*, quia nimirum diuinitùs eis data cura fuit prædicandi, ministrandique Dei verbum. Scitè ministri dicuntur sermonis, quia nempè doctrinæ, quam Saluator tradiderat, subseruierunt: minister verbi audire non debet, qui doctrinæ, litteræque sensui non obsequitur; sed, tanquam Dominus, aut potius, vt tyrannus, doctrinam sibi, & intellectus sui captui subiicit, sacras scripturas alienis sensibus torquet, ac lancinat; quod vtinam sæpè non fieret, dum ad ineptas interpretationes sacra verba rapiuntur.

Sermonis. Sed cuius? non explicat Euangelista; sed *sermo*, seu, *verbum* absolutè positum de verbo Dei, siue Euangelij *καθ' ἐξοχὴν* dicitur. Sic Actuum 10. v. 44. Rectè verbum, & sermo absolutè positus de Dei verbo, atque euangelicâ doctrinâ, ac prædicatione intelligitur, ac si hæc sola sermonis nomen mereretur; alij sermones, alia verba, quæ de rebus terrenis, ac futilibus, vix sermones, verbaque dici possint, ac proinde à loquentis, & rationalis hominis vsu abesse huiusmodi sermones debent.

SECTIO II.

Eò feruentiùs in bono laborandum, *quò magis in malo laborant mali.* 7
In scribendo *aliena* salus *quærenda, non propria laus.* 8
Ἀσφάλεια, Diuina veritas *ad nostri tutelam.* 9
Reges *suum principatum diebus potiùs, quàm anno mensurent.* 10
Verè iustus *etiam inter iniustitia hostes iustitiam colit.* 11.
Etiam inter malos probitati *litare quisque debet.* 12.
In coniugum *corde* Deus *sit, vt felix sit coniugium.* 13.
Frustrà maiorum sanctitatem *iactat, qui eam* moribus *non exprimit.* 14
In nominibus referendis non nobilitatis *habenda ratio, sed perfectionis.* 15
Sub Dei sceptro quies *tantùm inuenitur.* 16
Sanctitas in Iosephum *per* Mariam *resiliuit.* 16
Bono *laudi tribui debet, quòd bonus inter* malos *viuat.* 17
Cautè aliorum famæ *consulendum.* 18
Corporis *defectus animæ* virtutibus *supplendus.* 19
Coram Deo, *non coram hominibus tantùm* iustitiam *colere quisque debet.* 19
Iusti *in* Dei obsequio *stare nequeunt, sed semper incedunt.* 20
Ἄμεμπτος, quid significet. 21.
Solida & firma Dei serui iustitia *sit.* 22
Probitas *in rerum abundantiâ curiosas radices ponit & infirmas, stabiles in* afflictione. 23.
S. Ioannes *Cælo totum debuit, quod fuit.* 23
Verba Dei auidè *excipi Deus curat.* 24
Anni à virtute *potiùs numerandi, quàm à Solis cursu.* 24
In donis *exhibendis quærit* Deus *vt gratiora ad nos perueniant.* 25
Caueant sacra facientes sacerdotes *ne terrena cogitent.* 25

Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile.

Visum est, Spiritu sancto inspirante, quod verbum *visum* significat, hinc illud Act. 15. 7
v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis*: non ergò voluntate humanâ visum Lucæ ad Theophilum scribere, sed dispositione diuinâ.

Visum est & mihi: suam vim illud, *& mihi*, habet; sensus est; visum est illis, visum est mihi; illorum scilicet exemplo, licet alio spiritu mihi, alio illis. Nimirum boni auctores ad scribendum prouocantur etiam à malis, vt scilicet benè scribant, quod improbè improbi. Hoc vniuersè in rebus omnibus præstandum, vt feruentiùs in bono laboremus, quò magis in malo mali laborant: vt vel malorum exemplo excitemur ad bonum, tantum abest, vt auocemur.

Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Hic scriptionis finis, vt Theophilus, aliique 8
cum illo veritatem cognoscerent, nec de rerum à Christo gestarum veritate quidpiam dubitarent. Non suam laudem quærebat Lucas, non gloriæ suæ scribens litabat; quærebat alienam salutem, aliorum profectum; à probi scriptoris munere abeunt, qui aliò spectant, humanasque laudes venantur, dum scribunt.

Vt cognoscas, Græcè *ἵνα ἐπιγνῷς*, *vt agnoscas, recognoscas*, non ait simpliciter *γνῷς cognoscas, scias*, sed *ἐπιγνῷς*, vt scilicet maiorem acciperet scientiam, maiori lumine perfunderetur, & intimius rerum veritatem expenderet.

Veritatem, Græcè, *ἀσφάλειαν certitudinem, fir-* 9
mitudinem. Hoc nomen significat etiam *tutelam,*
custodiam,

custodiam, præsidium, ac protectionem; quæ notiones cum veritate optimè cohærent; veritas enim, præsertim quæ in diuinis litteris continetur, ad nostri tutelam, & custodiam est.

Ἀσφάλεια securitatem etiam significat. 1. Thessal. 5. vers. 3. *εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια*, quod interpres ita vertit: *Pax & securitas*; quæ notio etiam diuinæ veritati congruit, in quâ securi, ac tuti quiescere possumus, extra ipsam securitas nulla, nulla quies.

Fuit in diebus Herodis regis Iudaæ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

10. FVit: Ioannes de verbi generatione loquens ita exorditur: *In principio erat verbum*. Lucas, non, *erat*, ait sed *fuit*, quod nec sine causâ nec sine mysterio factum. *Erat* æternitatem quandam innuit, *fuit*, mutabilitatem. Vbi de diuinis rebus sermo est; quæ æternùm permanent, dicatur, erat, vbi de hominibus, de humanis, quæ transeunt, quæ intereunt, congruè præteriti temporis verbum, *fuit*, adhibetur.

In diebus Herodis; non ab re dierum potius meminit, quàm temporis; vt & Reges discerent suum principatum diebus mensurari, non æternitate, non æuo, & vix paucorum dierum lapsu eorum dignitatem duraturam.

11. *In diebus Herodis*. Hoc in Zachariæ laudem cedit, quòd iustitiæ tàm bonus cultor extiterit inter iustitiæ hostes. Tantum potuit Zachariæ virtus, vt nihil in illum potuerit Herodis impietas: sed illâ fuerit quodammodò victus & oppressus. Pulchrè id tetigit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 89. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudaæ. Tempus memorat regis nefandi, qui sacrum sacerdotij violauit honorem, confudit ordinem, statum soluit, abstulit institutum.* Et *hoc accedit* AD MERITVM ZACHARIÆ: *quia, cùm in omnes penè Herodes ausum suæ temeritatis extenderit, ausus sit nihil in isto: virtutibus sit huius oppressus, vt sacerdotiis immaculata successio ad gloriam germinis seruaretur.*

12. *Herodis Regis*, impij, sceletati, immanis. Elucet hìc summa Dei prouidentia, qui inter malos, atque etiam sub illis, bonos vult viuere; & dum malorum vitia ad malum prouocant, bonorum exempla ad bonum excitent. Hinc Elias vixit tempore Achab, Esaias Manasses, Ieremias Sedechiæ, & vt hìc habes Zacharias tempore impij Herodis. Nemo causetur malorum principum, regum impietatem: & sub impiis regibus, iustitiæ seruire possumus, litare probitati.

Nomine Zacharias: nec nomen luce laudis viduum est: *Zacharias memoria Domini* interpretatur; multis cumulabitur donis, qui Dei sui memoriam habet.

13. Vtriusque coniugis nomen Dei nomen ingreditur, & ornat. Zacharias *memoria Domini* dicitur, Elisabeth *Dei iuramentum*. Felix coniugium cum coniuges Deus nectit, & in vtriusque corde, non solum nomine, Deus est.

Et vxor illius de filiabus Aaron; Maritus ex filiis Aaron, vxor ex filiabus: non solum à parentibus, sed etiam à maioribus Sancti Ioannis nobilitas propagatur; quæ religionis potiùs successione venerabilis quàm seculari potestate sublimis.

14. *De filiabus Aaron*. Aaron, à quo descendebant, moribus hi coniuges referebant; frustrà à religiosis, sanctisque viris originem suam ducat, qui eos vitæ sanctimoniâ non æmulatur. De Aaron dicitur Sap. 18. *Properans homo sine querelâ*; sed & de his coniugibus Sanctus Lucas ait vers. 6. *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querelâ.* Pares nimirum Aaroni, à quo trahebant originem. Frustrà maiorum sanctitatem iactat, qui eam moribus non exprimit, & vitâ.

Et nomen eius Elisabeth. Singulare hoc, quod 15.
matris quoque nomen exprimatur. Isaiæ, & Ieremiæ patrum nomina dumtaxat referuntur, matrum supprimuntur: hìc vtriusque coniugis nomen scribitur. Cur ita? An, quia hìc vterque propheta extitit, tam vir, quàm vxor? primorum verò prophetarum tantùm patres prophetæ fuerunt? Vxoris Zachariæ nomen exprimitur, quia prophetiæ spiritu claruit; vt intelligeremus in nominibus referendis, non extimæ nobilitatis rationem habitam, nec habendam, sed superæ dignitatis, ac sanctitatis.

Elisabeth. Hoc nomen si vltimam litteram ט 16.
teth habeat, significat *Dei virgam, Dei sceptrum*, si verò ת *Tau*, *Dei quietem*. Sed facilis harum notionum nexus, vt minima varietas est; indicatur quippè sub Dei sceptro, virgâ, ac Dominio quietem quærendam; fatuum esse qui extra illud eam quærat.

Fuit in diebus Herodis regis Iudaæ sacerdos quidam: Ioannes priùs commendatur à Patre, deinde à matre; quia vir caput est mulieris, pietasque, & religio à viro, vt à capite, in vxorem se debet demittere. *Christus è contrario*, vt notabat hìc Vgo Carensis, *primò commendatur à matre, deinde à patre putatiuo Ioseph*, quia sanctitas in Iosephum per Mariam resiliuit potiùs, quàm contrà.

Fuit in diebus Herodis; Regis Herodis cur me- 17.
minit, & boni sacerdotis memoriam, impij tyranni recensione maculat? Maculat? Solis radij, licet cœnum feriant, non polluuntur; nec sacerdos bonus, etiamsi inter malos sit, aut cum malis numeretur; hoc ad Zachariæ meritum accedit, quod iustitiam non deseruerit sub iniusto Rege.

Herodes, qui sacrum sacerdotij violauit nomen, in omnes sæuiens, omnes opprimens, Zachariæ virtutibus ita fuit oppressus, vt nihil in isto ausus sit, nec potuerit sacerdotis pectus inflectere, quin sacerdotis immaculata successio ad gloriam germinis seruaretur.

Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querelâ.

ERant iusti; dicturus Euangelista, hos coniuges 18.
ob sterilitatem prole carere, præmisit, eos iustos, vt eorum nomini consuleret, ne quis crederet sterilitatem pœnam culpæ esse; nam legis transgressoribus eam minatur Deus in diuinis litteris; ne ergo sinistram quis de his coniugibus conciperet opinionem, quasi ob eorum scelera sterilitatis pœnâ punirentur, ambo apud Deum iustos fuisse consultò dixit, docens quàm cautè aliorum famæ consulendum sit.

Felix coniugium, quod par vtriusque coniugis sanctitas ornat, & munit. Ambo isti coniuges iusti erant, & alter alteri exemplum ad iustitiam ad sanctitatem.

19. Dicturus Sanctus Lucas Elisabeth sterilem esse, præmisit, ipsam cum viro suo in omnibus Dei mandatis, & iustificationibus Domini sine querelâ incessisse; vt innueret sterilitatem non fuisse in pœnam, sed ad mysterium; & vt ex miraculo Ioannes nasceretur. *Erat Sancta Elisabeth* (inquit etiam Sanctus Augustinus serm. 3. de Sancto Ioanne Baptista, STERILIS *corpore, sed* FOECVNDA *virtutibus*; & animæ fœcunditate opprobrium satagebat eluere, quod illo æuo sterilitas corporis sterilibus afferebat.

Ante Deum: Græcè, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, coram Deo, in Dei conspectu, Deo teste, ac iudice. Non satis illis erat hominibus se probare, sed Deo in primis placere studebant. Hypocritarum est externâ iustitiæ laruâ iustitiam simulare: veri, summique numinis cultorum coram Deo, qui corda scrutatur, iustitiam colere.

20. *Incedentes*: Græcè, πορευόμενοι, *ambulantes, conuersantes*. Iusti quiescere, ac stare in Dei cultu nequeunt, nouis semper auctibus ambulant, nouis profectibus incedunt, semper aliquid adiiciunt. Explicans hîc idem Euangelista Christi in cælum ascensum hôc eodem vtitur verbo Act. 1. vers. 10. *Cumque intuerentur in cælum euntem illum*; Græcè, ὡς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ: Iurè etiam hîc adhibetur: nam in Dei mandatis incedere, est ad cælum pergere ad paradisi gaudia euolare.

21. *In omnibus mandatis.* Non in aliquibus, sed in omnibus. Vt iustus audias, non satis est aliqua seruare, omnia seruanda sunt.

Sine querela: Græcè est nomen, ἄμεμπτοι, quod interpres, tanquam aduerbium, reddidit, ἄμεμπτος: inculpabilis dicitur, & irreprehensibilis, de quo nemo iurè queri possit, & in quo nihil sit, quod reprehensione dignum sit: magna horum coniugum laus: præterea ἄμεμπτος sumitur etiam actiuè, *nihil querens*, quod apud atticos in vsu est. Fors ambiguâ nominis notione innuitur, vtrumque iustis necessarium; vt nimirum de nullo ipsi conquerantur nec aliquis iurè de ipsis conqueri possit, aut quid in illis reprehendere.

Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

22. PRobè hæc verba cum superioribus cohærent: priùs hi coniuges iusti, iustitiæque cultores dicti sunt; nunc sine filiis esse referuntur; quod illô æuô probro dabatur, & infelix habebatur, qui sine filiis. *Iusti erant ambo ante Deum*, & tamen additur statim, *non erat illis filius, sterilisque erat Elisabeth.* Vt intelligeremus, firmam, solidamque eorum fuisse iustitiam, quæ nullâ aduersitate deiici poterat, nullis infortuniis concuti: carere filiis potuerunt; sed fœcundi bonorum operum fœtibus erant.

23. Priùs laudantur postea sine liberis esse dicuntur; vt disceremus, eorum virtutem, ac probitatem in rerum abundantiâ, & affluentia infirmas, & cariosas radices posuisse, sed firmas, stabilesque in afflictione, ac tribulatione. Vera sanctitas est, quæ in rebus aduersis adeò non decrescit, deficitque, vt potiùs adolescat, & firmior fiat.

In sanctis coniugibus desiderabatur quicquid gignendæ proli erat necessarium, vt, qui nasciturus erat, cælo potiùs deberetur, quàm terræ, & Angelum referre videretur, quàm hominem: *In Zacharia*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *& Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, abolescit totum quicquid est, & humani ordinis, & negotij coniugalis, vt Diuino munere non partu ex hominibus Angelus nasceretur.*

E sterili nasci Deus Ioannem voluit: non casu id factum, sed Diuino consilio. Nimirùm, inquit Beda. *Vt cæteros miraculi stupor futuri prophetæ pararet auditui.* Sicque auidiùs atque adeò vtiliùs eius exciperent verba, quem diuinitùs datum scirent. Quantis actibus studet Deus, vt monita, quæ per suos seruos ad nos transmittit cum fructu excipiantur. Nasci ex sterili Ioannem statuit, ne alij steriles essent, eius deinde verba excepturi, cùm prædicaret. 24.

Et ambo processissent in diebus suis; iustitiam eorum priùs extulerat, nunc & de prouectâ eorum ætate agit; vt disceremus, annos non à Solis cursu numerare, sed à virtute; venerabilis senectus est, quam anteacta commendat vita, vt meritis potiùs, glorietur, quàm annis.

Ambo processissent in diebus suis; nimirum in virtutis viâ lassi non resederant; quò magis corporis vires deficiebant, eò maius robur animo ad virtutem addebatur.

Et ambo processissent in diebus suis: Nimirum, iam spem habendæ probis posuerant. Sed cur tandiù Deus expectauit, vt tanto illos dono bearet? *Quatenus*, Bedæ sunt verba, *inopinato prolis ortu ipsos* DONVM GRATIVS *afficeret*, ipsique Deo gratiores essent. In donis exhibendis hoc sæpè Deus curat, vt gratiora ad nos perueniant, pleniores à nobis gratiæ ad ipsum eant. 25.

Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ.

I*N ordine vicis suæ.* Per vices Domino ministrabant sacerdotes; vt nimirùm dum tempora paterentur, cor non diducerent, nec ministerij tempore ad domum domesticaque negotia mentem flecterent, non ad vxorem cogitarent; sed puritati litarent, in vnum Deum animum figerent. Pulchrè Beda hîc: *Per Moysem quidem Dominus vnum constituit summum sacerdotem, cui mortuo vnum per ordinem succedere iussit, & hoc ad Dauid vsque tempora seruatum est, à quo plures fieri, (vt diximus) Domino nihilominùs agente decretum est: qui vicissim ministrantes, tempore vicis suæ singuli* CASTIMONIÆ *studerent, domumque omninò non tangerent. Vnde nunc Zacharias in ordine vicis suæ sacerdotio functus asseueratur.*

SECTIO III.

Viri nutibus parere vxor *debet.* 26
Animus à terrenis *curis vacuus sit, qui cælestium ciuium visitationem excipere debet.* 27
Ecclesiæ præsules *à suis non facilè absint.* 27
Summa rebus sacris reuerentia *debita.* 28
Cælestis visitatio *interna* deuotioni *frequentiùs exhibetur quàm corporali afflictioni.* 29
Angeli *ante incarnationem hominibus terribiliores erant.* 30
Supernus iudex *quàm formidabilis futurus.* 30
Student Angeli *ne Dei* verba *negligantur, & animo in alia sparso excipiantur.* 31
Orationis *odor quàm* Deo *gratus.* 32
Ἀμήν, *quid. Indigentia &* præcationis *nexus.* 33

Terrena

Terrena *non facilè quærenda in* oratione. 34
Ioannis partus, *populi salutem portendebat.* 35
Deus *plura concedit, quàm exoretur.* 36
Profectus *spiritualis in* sacerdotibus *quæritur.* 36
Quæ alicuius infamiam *tangunt, tegenda.* 37
Vera exultatio *vnde originem trahat.* 38
Iustus gaudij *materiam omnibus præbet.* 39
Deliciarum *neglectum & pœnitentiam suaderi non omnibus placet.* 40
Gaudium *multis parturire paucorum est.* 40

Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

26. *A Pparuit autem illi*, scilicet Zachariæ: quæri potest cur Angelus etiam coniugi Elisabeth non apparuerit? An, quia mulier subdita viro est, adeo vt quod viro persuadetur mulieri peculiariter persuaderi necesse non sit, cum viri nutibus parêre vxor debeat, nec, è cælo moneri, vt pareat, opus sit.

Cùm in Dei templo Deo thymiama Zacharias adoleret, adfuit statim Angelus. Cur non ante? An, vt sic ostenderetur, cum sacris operamur, bonisque vacamus operibus, & in iis, quæ ad diuinum cultum pertinent, occupamur, tunc aptissimum tempus esse, quo Angelorum aduentu nos Deus nobiliret, & honestet? Vbi luxibus, ac voluptatibus datur locus, non adsunt ibi cælestes Angeli, adest satanicus.

27. Qui sacris operatur, animo in Deum collecto, & à terrenis curis vacuo, cælestium ciuium visitationi excipiendæ aptus est; ideirco, dum incensum adoleret Zacharias apparuit ei Dei Angelus à Deo missus: supero lumine non merentur perfundi, qui in templis corpore manent, effusâ mente in externa.

Dum munere suo fungeretur Zacharias, & in templo pro communi populi salute oraret, videre Domini Angelum meruit; non vidisset, si populi curâ neglectâ, à populo abfuisset. Discant Dei sacerdotes, discant Ecclesiæ Præsules à suis non abesse; ne, Angeli Domini loco, Angelum satanæ à dextris habeant extremo vitæ tempore,

28. Subitò, & præter expectationem, apparuit Angelus; & licèt humanam formam præseferret, hominum tamen more non est ingressus, sed repentè se conspicuum exhibuit; non incessit, sed aduolauit; ne humanum aliquid Zacharias cogitaret.

Stans, scilicet tanquam ministet; sederit ad Christi sepulchrum Angelus, cum mulieribus apparuit; hîc non sedet, sed stat, vt vel situ ostenderet, qualis rebus sacris reuerentia deberetur. Stat Angelus, dum sacerdos incensum offert, & homines indecorè sedebunt, aut sine vllo reuerentiæ signo aderunt, dum non incensum in templis offertur, sed incruentum Dominici corporis sacrificium?

29. *A dextris altaris incensi.* Cur à dextris potius stat, quàm à sinistris? an, quia prospera, & bona nunciaturus aduenerat? An, vt nihil sinistrum cogitaret propheta?

Altaris, in quo scilicet Zacharias sacrificabat; vt ostenderet Angelus, se à Deo missum, cui Zacharias in altari operabatur.

Altaris incensi; non altaris holocaustorum, vbi animalia immolabantur, sed incensi; quia nimirum cælestis visitatio internæ deuotionis frequentiùs exhibetur, quam corporali afflictioni.

Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

T Imore corripitur prophetæ mens; ea est humanæ mentis infirmitas, vt spiritualis potestatis occursu, & superioris creaturæ visione turbetur. Non sine aliquo timore vult Angelus apparere, ne supera visio vilipendatur; excipi cum reuerentia vult, tanquam Dei nuncius, vt reuerenter auscultetur, & fidem impetret, dum loquitur. 30.

Terruit Angelus Zachariam. Obseruatione dignum, Angelos formidabiliores hominibus ferè fuisse, antequam Dei Filius homo fieret, quàm fuerint posteà; vt hoc quoque Verbi Diuini incarnationi debeamus. Benè Salmeron tom. 2. tract. 21. *Erat in primis tum Deus tum Angeli ante perfectam pacem per incarnationem terribiles ac formidabiles. Ex quo Daniel, viso Angelo, concidit: & Iacob etiam, Angelo conspecto, præ admiratione dixit: Vidi Deum facie ad faciem & salua facta est anima mea. Post peccatum Adæ Angelus visus est cum gladio flammeo atque versatili ad custodiam paradisi. Zachariam sacerdotem in templo terruit Angelus: & Maria Virgo turbata est in sermone eius, dum ab Angelo salutata est. At post Verbi incarnationem & natiuitatem, in quâ pacem cecinerunt Angeli,* FAMILIARES REDDITI SVNT ANGELI *hominibus. Vnde & Angelus familiariter ad Ioseph virum Mariæ loquens introducitur. Familiaris fuit Petro Angelus in abductione à carcere. Familiariter agebat Angelus cum Paulo, vt in Actis Apostolicis dicitur. Ioanni in Apocapsi familiaris aderat Angelus.*

Irruit, Græcè ἔπεσεν *cecidit*: timore vehementi correptus est, vt ferè exanimatus fuerit. Nihil formidabile Angelus nec in verbis, nec in habitu præsefert, terretur tamen Zacharias; quid erit cum Angelorum creator, vt iudex, peccatores puniturus formidabilis apparebit?

Ait autem ad illum Angelus, ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

A Biecit Angelus ingentem illum timorem, quo Sancti Zachariæ mens absorbebatur, vt sine turbatione Angeli verba exciperet, & animum Angeli sermonibus aduerteret; nimirum student Angeli, ne Dei verba negligantur, & animo in alia sparso excipiantur. 31.

Ne timeas Poterat Angelus timorem impedire, ne insurgeret, sicut insurgentem amouit; noluit tamen, vt loquentis maiestas hoc incusso timore magis repræsentaretur, sicque fieret, vt maiori reuerentiâ eius exciperet verba, promptiúsque ei crederet.

Zacharia, proprio eum nomine vocat, tanquam notum, & familiarem, vt ita facilius timorem discuteret, & beneuolentiam sibi conciliaret: vel nuda iustorum nomina recensere gratum Angelis est. 32.

Quoniam exaudita est deprecatio tua. Vt thymiama, quod incenderat Zacharias, in aërem eleuatum erat, ita & oratio eius in Dei conspectum ascenderat; sed hîc orationis meminit, non odoris; gratior quippè Deo orationis odor, quàm incensi.

Exaudita est deprecatio tua. Poterat dicere Angelus: *Breui Messias veniet*; hoc enim desiderabat, hoc petebat Zacharias; sed aliter rem extulit. Deprecationis meminit, vt orationis virtutem ostenderet, 33.

ostenderet, quàmque grata Angelorum, & Dei auribus esset, innueret.

Deprecatio tua, Græcè ἡ δέησίς σου *oratio tua*; Vox δέησις *indigentiam* significat, *& deprecationem*, quâ rogamus, vt ab imminentibus malis liberemur. Congruunt inter se *indigentia* & *oratio*; quia, cum in angustiis positi Dei auxilio indigemus, tunc maximè ad orationem confugere debemus, hàc de causâ permittit nos plerunque Deus aduersis premi, vt, vel sic, ad orationem fundendam nos alliciat.

34. *Deprecatio tua* Quæri hîc poterat; quid in oratione sua quæsierit Zacharias; communis censio est, pro communi populi salute orationem fudisse, nec vero simile est, eum pro sobole Deum exorasse. Merebatur exaudiri, qui sui, rerum suarum oblitus, populi salutem tam sollicitè quærebat, vt pro hac solâ preces Deo sterneret in Dei templo. Arguuntur, qui res perituras quærunt, diuitias postulant, & honores, neglectâ sui, suorumque salute.

35. Rogabat pro populi peccatis Zacharias, cur igitur in exauditæ orationis argumentum Ioannis partus adducitur. An quia præcursor illius erat futurus, qui salutem erat populo allaturus? Peritè Sanctus Chrysostomus homil, 27. quæ est de incomprehensibili Dei natura; *Vidit*, inquit, *Angelum intra parietem sacri illius domicilij stantem cuius aspectu ictus atque expauidus vocem audit: Noli timere Zacharia, exaudita est oratio tua, & ecce Elisabeth vxor tua pariet filium. Sed vnde hac verba consequendi habeant rationem? Ille pro populo rogabat*, PRO PECCATIS VENIAM SVIS CONSERVIS IMPLORABAT: *hic noli timere*, inquit, *nam exaudita est oratio tua. Atque exaudiendi indicium addit, filium in lucem venturum Ioannem. Vide quàm rectè ista sequantur, quum pro peccatis rogaret populi, nasci ex eo debere filium qui clamaret.*

Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

36. Liberationem populi petebat Zacharias, & Messiæ aduentum, quo populus à seruitute erat eximendus; sed præter istuc etiam sobole, quam petere non audebat, cumulatur. Hæc Dei liberalitas est, hoc orationis priuilegium, vt Deus plura concedat, quàm exoretur; oratio plura obtineat, quam quærat.

Sacerdotes olim ducebant coniuges, filiis augebantur, nostris id non licet; *quia enim*, Venerabilis Bedæ verba sunt, *tunc sacerdotalis ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessariò tempus substituendæ sobolis procurabatur; at, quia nunc non carnalis successio, sed* PROFECTIO SPIRITVALIS INQVIRITVR, *sacerdotibus, vt semper altari queant assistere, semper castitas obseruanda præcipitur.*

37. *Elisabeth pariet tibi*; partus hîc mentio fit, cur non conceptus? præsertim, cum idem Angelus Mariæ dixerit. *Ecce concipies, & paries filium*; dixisset & Zachariæ, *Elizabeth concipiet, & pariet tibi*; omisit Ioannis conceptum, ortum dixit: Iesu verò prædicit ortum pariter, & conceptum, cur ita factum? an, vt innueret ea, quæ ad alicuius gloriam explicanda, quæ ad infamiam, tegenda? tacuit Ioannis conceptum; *quia*, ait Innocentius, *Ioannes fuit* CONCEPTVS IN CVLPA, *Christus verò sine culpâ conceptus; vterque verò natus in gratiâ*; vt ita doceret, aliorum peccata, nisi aliter res id exigat, supprimenda, nec facilè vulganda esse.

Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Filius, gaudij materia, seni exstitit; quod adeò magnum fuit, vt à corde foràs prodiret, & 38.
erumperet, tanquam se cordis claustris continere non posset; hoc enim indicat vox, exultatio, sed ordinem pende; priùs *dicitur gaudium*, deinde, *exultatio*; debet enim hæc ab illo prodire, vt externa lætitia, quam quis præsefert, ab interno cordis gaudio originem trahat; sic enim vera erit, & solida; alioquin ficta erit, & ementita, si labiis tantùm insideat, & aliunde, quàm à corde, nascatur, qualis mundanorum, & voluptuariorum lætitia est.

Multi in natiuitate eius gaudebunt; non pa- 39.
ter tantùm gaudio perfundetur, perfundentur & alij; non cognati solùm, ac vicini, sed & extranei; non priuatis se parietibus gaudium continebit, prodibit foràs; nimirum iustus, vt omnibus prodest, sic gaudij materia omnibus est,

Gaudent cognati, non tam felicem sobolem parentibus inuident: verè cognati, non sanguinis tantum propinquitate, sed & virtutis.

In natiuitate: Signatè in natiuitate dixit; nam 40.
fors non tam multi gauisi sunt, cùm iam Ioannes adoleuisset, & pœnitentiam, deliciarumque neglectum ore, ac opere suasisset.

Nexum pende: *Multi*, inquit, *in natiuitate eius gaudebunt*; deinde, *erit enim magnus coram Domino*, ac si non aliter posset Ioannes placere multis, à multis probari, nisi meritorum magnitudine coram Domino commendaretur; gaudium multis parturire paucorum est.

SECTIO IV.

Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.

Erit enim magnus coram Domino: Pende, non 41.
gaudebunt, quia magnus, sed quia magnus coram

coram Domino; magnus coram hominibus esse, vt vera magnitudo non est, sic nec veri gaudij fons esse potest.

Hæc lætitiæ ratio, & gaudij occasio, quia videlicet omnes cognoscent, Ioannem magnum futurum. Huiusmodi lætitiæ expers inuidus est, qui ob alterius magnitudinem, ac excellentiam, tantum abest, vt gaudio perfundatur, vt tristitiâ corripiatur, atque dolore.

42. *Erit enim magnus coram Domino.* Et quando magnus? immò & quando non magnus? Semper fuit magnus etiam cum saltantis puellæ pretium caput eius fuit constitutum: quin tunc veriùs apud Deum magnus, cùm hominibus impiis visus est vilis: *Et hoc coram Domino* MAGNVM EMINET, inquit hîc Beda, *quamuis hominibus videatur esse despectum, quòd is, quo in natu mulierum maior nemo est; lasciuientis ob ludum puellæ capite truncatus est.* Capite diminutus, sanctitate apud eum creuit, qui veræ magnitudinis caput est.

43. *Erit magnus*, sed non explicat in quo; vt nos, in omnibus magnum futurum, colligeremus; magnus in sanctitate, magnus in ministerio, magnus in donis, denique magnus in omnibus, in omnibus sibi par.

Coram Domino, Græcè *ἐνώπιον τοῦ κυρίου in conspectu Domini*; quo loquendi modo non tam magnitudinis soliditas explicatur, opposita hypocrisi, quàm magnitudinis excellentia, ac singularitas; coram Deo magnus erit Ioannes, in cuius conspectu omnis sanctitatis magnitudo exigua est, & vix apparet.

Vinum & siceram non bibet. Et quid necesse erat abstinentiæ & sobrietati se mancipare, qui vel in matris vtero fuerat sanctificatus? *Sanctificatus est* (inquit S. Eucherius serm. 2. de S. Ioanne Bapt.) *sed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus* ABSTINENTIÆ *atque iustitia Diuina in se vota seruare contendit.* Plantæ, cùm adhuc teneræ, aquis, ne exsiccentur, debent irrigari: spirituales verò, vt tutò adolescant, nec pereant, à terrenarum deliciarum amore subducantur.

Vinum, & siceram non bibet. Magnitudinis ordinem, ipse, qui proposuit, Angelus consequenter exponit, dum ait: *vinum, & siceram non bibet*; indicans ingentis magnitudinis fundamentum abstinentiam, & sobrietatem esse.

44. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Antequàm videret humana, Diuinis ditatur. *Beatus Ioannes* (inquit, hîc Sanctus Petrus Chrysologus serm. 88.) *qui antè Dei spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu: beatus, qui* ANTE DIVINA *possidere meruit, quàm* SORTIRETVR HVMANA: *beatus, qui antè meruit Cælum scire, quàm terram: beatus, qui, antequàm videret præsentia, futura meruit nunciare: beatus, qui antè Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore: beatus & singulariter est beatus, qui, ante quàm saperet quærere, meritum conquisiuit: beatus, qui non peruenit ad gratiam per laborem; sed & ad labores, ipsius gratiæ dignatione, descendit.*

Spiritu sancto replebitur; sobrietatis cultor priùs Ioannes dicitur, deinde repletum in superâ Dei gratiâ narratur, spirituali quippè gratiâ cumulatur, qui ebrietatem, & vinum, in quo est luxuria, fugit.

Adhuc ex vtero matris suæ. Apertiùs Syrus
45. hanc eandem sententiam extulit, legens: *adhuc ipse in vtero*, scilicet existens; vt plenus sensus sit: totâ vitâ suâ Ioannes, superâ Dei gratiâ, spiritualibusque virtutibus cumulabitur, incipiendo ab eâ, quam in matris vtero acturus est. Falsi ergo illi, qui illud, *ex vtero*, interpretantur, à primâ infantia, & statim post vteri egressionem.

Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.

E*T multos filiorum*: multos, non omnes; nec potuit, licet in votis fuerit. *Conuertet*; ab iniquitate abducet; sed quî? Sanctissimæ vitæ exemplo, atque prædicatione; neutrum explicatur, vt vtroque vsum fuisse colligeremus.

In spiritu, & virtute Eliæ; rectus nexus spiri- 46.
tus, & virtutis: *Nunquam enim*, verba sunt Sancti Ambrosij, *sine* VIRTVTE SPIRITVS, *vel* SINE SPIRITV VIRTVS: *& ideo in spiritu & virtute; quia Sanctus Elias, & virtutem habuit magnam, & gratiam: virtutem abstinentiæ, atque patientiæ; spiritum prophetandi.*

Eliæ similis Ioannes: ille in deserto, in deserto iste: ille Achab Regis non quæsiuit gratiam, hîc spreuit Herodis: sed Elias Iordanis aquas diuisit: quid Ioannes? Ad lauacrum salutare homines vocauit; vocauit ad pœnitentiam; quod maius, quàm aquas diuidere.

Et dixit Zacharias ad Angelum: vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.

SIc ferè fit, vt Dei beneficiis ingratitudine re- 47.
spondeamus; cùm gratias, ob læsum Angeli nuntium, agere Deo, deberet Zacharias, incredulus signum, & argumentum quærit: Hæsitat diffidentiâ, & pro gratiarum actione incredulitatem reponit.

Vnde hoc sciam: Signum quærit, qui sine alio signo credere debuerat. Diffidentis pœnas luit, taciturnitatem plectitur, quæ ita pœna fuit infidelitatis, vt fidei quoque esset signum. Pulchrè hîc Beda: *Meritam* DIFFIDENTIÆ *tacendo pœnam luit, cui taciturnitas eadem & signum fidei, quod quæsiuit; & infidelitatis esset pœna, quam meruit.* Hoc Diuinæ bonitatis ingenium est, vt pœnas nudas hîc pœnas esse non sinat, sed monita etiam eas reddit.

Iurè reprehenditur, & taciturnitate mulctatur; 48.
vt, qui non credens loquutus est, tacendo credere discat. Atqui & Abraham auditâ filij promissione dixisse legitur: *putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Gen. 17. vers. 17. Cur castigatur Zacharias, non castigatur Abraham? An, quia Deo iudice, & cordium inspectore alia Abrahæ fuit mens, ac Zachariæ; reuerà enim Abraham diffidentiâ non laborauit, cum de eo dicat Apostolus: *contra spem in spem credidit.* Rom. 4. vers. 17. Zacharias autem verè incredulus fuit, & ideo punitur. Videantur Abrahæ verba diffidentiam aliquam præseferre, verè non diffidit; & ideo non punitur; ex quo habes, quòd Deus non de verbis, sed de cordibus iudicat.

Deinde immunis à reprehensione Abraham, 49.
non Zacharias, quia, Abraham illa verba dixit postquam in faciem suam ceciderat, adorantis, & gratias, agentis habitu, atque adeò verè credentis; quod Zacharias minimè præstitit. Tantum gratiarum actio apud Deum potest, vt diffidentiam, quam nuda verba præseferebant, aut eluerent, aut operirent.

Et vxor mea processit in diebus suis; ac si diceret: adeo ætate prouecta est, vt concipiendæ proli amplius idonea non sit. Sed hîc quæri potest, cur non dixerit: *& vxor mea sterilis est?* talis quippè ab aliis habebatur; vnde & idem Angelus infra de Elisabeth ait, *quæ vocatur*, id est habetur, reputatur, *sterilis*: Sterilitatem tacuit Zacharias; cauens ne infœcunditatis notam vxori inureret cui poterat & ipse subiacere. Vtile ex hoc coniuges monitum exsculpant vt à contumeliâ, iniuriâ; & earum rerum narratione abstineant, quibus offendi alter coniux potest, præcipuè si dubia sint, & incerta.

Et respondens Angelus dixit ei, ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

50. EGo sum Gabriel: Ac si diceret; quid tuam, vxorisque ætatem iam prouectam cogitas? Considera potiùs, quis ego sim, & à quo mittar. Si homo talia polliceretur, impunè signum quærere posses, ac diffidere; at, cùm Angelus promittat, dubitare non licet, nec decet. Nimirum homines pollicitis diuites esse solent, à quibus se non soluunt. Angelus, dum promittit, promissis stat.

Ego sum Gabriel; Angeli nomen mysterio non est viduum; *Gabriel*, vt multis placet, *fortitudo Dei*, dicitur, seu *fortis meus Deus*: erat Zachariam increpaturus Angelus, & Gabrielem se vocat; vt vel hinc colligeremus magnam fortitudinem, ac robur requiri, ad hoc vt vtilis correctio sit, & vt is, qui diffidit, in fiduciæ signum reuocetur.

51. Gabrielem se vocat, & statim silentium ei, ac taciturnitatem indicit; nimirum diuinæ quodammodo virtutis est linguam cohibere, ac oris officia inhibere.

Qui adsto ante Deum: non excellentiam naturæ suæ iactat, non magnitudinem suam extollit; tantum ait: *Qui adsto ante Deum*, tanquam minister intentus, ac paratus ad excipienda Dei mandata; vt ita ostenderet, veram nobilitatem, ac excellentiam esse ante Deum stare, eiusque iussibus obtemperare.

SECTIO V.

Vtilis est correctio, *cùm, qui deliquit erroris conuincitur.* 52
Silentium, *sermonis & vocis bonus parens.* 52
Angeli *in homines quàm mites.* 54
Iustorum *nota est, resipiscere si* corrigantur. 54
Plebis deuotio, *dum sacra fiunt.* 55
A sacerdote benedici, *quanti sit faciendum.* 56
Quàm efficax superioris præsentia *sit.* 56

Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.

52. ET *ecce eris tacens*; Aptus correctionis ordo hic est; prius erroris conuictus est ab Angelo Zacharias, qui Gabrielem se esse dicens, & coram Deo adstare, omni se fide dignum declarauit; postea errati, & infidelitatis pœnam inflixit; tunc quippè vtilis correctio est, quum, qui deliquit, priùs conuincitur erroris, & posteà corrigitur; nuda pœna vindicta quandoque videtur, non correctio.

Et ecce. Illud *ecce*, admonentis est, vt ex inflictâ pœna errorem suum Zacharias agnoscat, & dignam pœnitentiam agat.

Non dixit, *tacebis*, sed *eris tacens*, vt silentij continuitas significaretur. Tacere iubetur Zacharias; habiturus filium, qui vocis nomen sumeret: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto*: nimirum silentium vocis, sermonisque optimus parens est; vt tacere discat priùs, qui sermonem concipere cogitat, cogitat parturire.

Et ecce eris tacens, Græcè καὶ ἰδοὺ ἔσῃ σιωπῶν vox 53.
σιωπῶν non tacentem, & silentem tantum aliquibus significat, sed etiam surdum; aut certè vtriusque significati vim hîc habere videtur. Theophylacti verba sunt: *Quia discredis, ego te faciam surdum, & loqui non poteris.* Nec discrepat Titus, dum ait: *surditate, loquendique facultate mulctatus.* Vt ferè connexa sunt hæc vitia, & surdus magnâ ex parte mutus est; sic & vnâ voce significantur. Hinc Psal. 27. vers. 1. vbi à LXX. Interpretibus vertitur, μὴ παρασιωπήσῃς, *ne sileas*, sic enim Latinus interpres vertit, B. Hieronymus, aliique legunt, *ne obsurdescas.* Porrò Zachariam surdum fuisse, nec vocem audire potuisse clarè colligitur ex illis huius capitis verbis: *innuebant autem patri eius*; nutibus cum illo agitur, quia excipere vocis sonitum non poterat.

Pro eo, quod non credidisti verbis meis.

CAusam reddit Angelus inflictæ pœnæ; nec 54.
enim videri voluit sine causâ, eâque euidenti, Zachariam punire. Adeò amant Angeli homines, vt eos punire priùs nolint, quàm causa punitionis appareat, quare pœnam culpæ suæ tribueret potiùs Zacharias, quàm Angelo.

Non credidisti, non ait, *non credis*; nam statim, ac Angeli increpationem audiuit Zacharias, diffidentiam omnem euomuit, & Angelo credidit; scilicet hic iustorum mos, vt, si contingat eos in aliquod crimen labi, statim admoniti resipiscant, & aliam mentem induant, culpamque præteritam corrigant.

Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur, quod tardaret ipse in templo.

DVm hæc inter Angelum, & Zachar iam age- 55.
rentur, plebs, quæ religionis causâ conuenerat, perseuerabat; vide plebis deuotionem. Licet sacerdos intus moraretur, templum tamen non deserunt, nec domum se conferunt; nostrorum indeuotionem arguunt, qui tantisper, dum sacrificium perficiatur, expectare nolunt, nec ferre sacerdotem sacra deuotè, & vtili aliquâ cunctatione operantem.

Erat plebs: Expectabat humilis plebs: fors primores, nobilesque expectare noluissent; ferè enim, qui minùs nobiles, magis deuoti, magisque rebus Diuinis addicti esse solent.

Exspectans; sed cur expectabat? An, quòd egre- 56.
diens sacerdos plebem Dei lege instrueret, & erudiret: Vide quanta inerat plebi diuinorum verborum audiendi cupido, quantus ardor; vt, licet diù Zacharias cunctaretur, non tamen discesserit. Fors etiam exspectabat, vt Sacerdotis benedictionem acciperet: tanti nimirum faciebat à sacerdote benedici, vt tamdiù exspectaret, donec egrederetur; contrà ac nostri agere soleant.

Mirabantur, quòd tardaret ipse in templo: Mirantur adstantes, non tamen detrahunt, non murmurant:

murant: quod fecerat antè populus, dum Moses in monte moraretur. Hinc colligete liceat, quàm efficax superioris præsentia sit. Aberat à populo Moses, non aberat Zacharias; quin eum fors consternatum videbant: nil mirum, si hic abstinent à murmuratione, ibi non abstinuerunt.

SECTIO VI.

Subditorum *offensam vitare* superior *debet, quantum potest*, 57
Qua Dei gloriam *spectant quærat* superior *sui oblitus*. 58
Subditi *non facilè* superiorum *facta damnent*. 59
Non facilè munus suum deserant sacerdotes. 60
Toto animo Diuinis *vacandum*. 60
Duris verbis *viros suos minimè exasperent* mulieres. 61
Cauendum, ne Dei opera *hominum ludibrio exponantur*. 62
Calumniæ *occasio auferenda*. 63

Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt, quòd visionem vidisset in templo; & ipse erat innuens illis, & permansit mutus.

57. *NOn poterat loqui*; conabatur, sed non valebat, statim quippe mutus redditus fuerat. Ipse autem erat innuens illis, ac, sermonis loco, nutibus vtebatur, vt declararet, se mutum esse, & visionem vidisse. Sed cur istuc conatur significare? cur & à nutibus non abstinet? Vt populo rationem longioris moræ redderet; ne scilicet ob cunctationem offenderetur: nimirum studere sacerdos, & superior debet, ne subditorum offensam aliquo pacto incurrat; aut saltem eam statim eluere studeat, omnemque occasionem auferre.

58. Conabatur etiam loqui, & gestibus vtebatur, vt adstans plebs intelligeret, feliciter esse sacrificatum, Deoque agendas gratias, qui suorum vota non spreuerit, orationem exaudierit. Huc spectare superioris solicitudo debet, vt gratiæ Deo ab omnibus pro concessis beneficiis agantur. Inflictæ sibi pœnæ oblitus Zacharias, quæ ad Dei gloriam spectant, quærere videtur.

59. *Et cognouerunt quod visionem vidisset in templo.* Probè erudita hæc plebs erat; non sinistrum aliquid de Zacharia cogitauit; non moram in malam partem rapuit: Visionem eum vidisse cognouerunt, non tamen eum infidelitate laborasse suspicari sunt. Scilicet subditorum, & plebis est, non damnare superiorum facta, nec sinistrâ aliquâ opinione eius nomen inficere. Quæ laudis in superiore sunt, efferri, ac celebrari à plebe debent; quæ secus, aut non videri, aut supprimi.

Et permansit mutus, Græcè καὶ διέμενε κωφός vox κωφὸς, & mutum significat, & surdum; autium, & linguæ vitia inter se ferè cohærent; vt naturâ surdus, naturâ quoque mutus sit, vnde & par vtriusque custodiâ esse debet, & ab eorum auditione fugere, de quibus loqui nolumus.

Porrò Zachariæ & vox ablata est, & surdus remansit, eo quod incredulus Angeli verba excepisset, & cum incredulitate loquutus fuisset.

Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

HAbes veri sacerdotis notam; quamuis adeò lætum, ac iucundum accepisset nuntium, non prius tamen officium suum deseruit, & ad vxorem abiit, quàm munus suum compleuisset. Probum sacerdotibus exemplum, quo docentur, ne, siue prospera, siue aduersa accidant, deserant munus suum; quod fecit Zacharias, qui nec inflictâ silentij pœnâ, nec læti nuntij auditione ab officio suo discessit, donec omnia perfecisset. 60.

Abiit in domum suam; à quâ toto officij tempore abesse consueuerant sacerdotes; ne scilicet, negotiis familiaribus distracti, diuina peragerent; toto animo diuinis vacabant rebus, animo prorsus à terrenis, & perituris vacuo.

In domum se recepit Zacharias; sed mutus eò rediit, vnde mutus non discesserat. Non legimus, Elisabeth maritum ob infidelitatem increpasse cùm vidit eum mutum redditum, quòd credere Angeli verbis noluisset; nam probabile, hoc à Spiritu sancto ei reuelatum. Abstinuit à seuerâ increpatione, ne afflicto afflictionem adderet; vxoris quippe est marito compati, & condolere, non eum duris verbis exasperare: quod à plerisque vxoribus, ingenti maritalis concordiæ damno, fit. 61.

Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque.

REi seriem pende, ordinemque: priùs, quæ ad Dei cultum pertinent, perficiuntur, deinde alia; priùs spiritualia compleuit Zacharias, deinde quæ carnalia Deo volente; vt disceremus spiritualia carnalibus præferenda, non contrà. 62.

Occultabat se mensibus quinque: Se ab hominum oculis Elisabeth subducebat, ne grauida videretur: cur ita? An, quia tantus ei inerat pudor, & verecundia, vt vel de re honestâ erubesceret? Rubore suffundebatur, quòd in senectute concepisset. Ita plerique exponunt hæc verba: ne autem vitio hic rubor, & verecundia tribuatur, sed laudi, aliter explicanda sententia est. Putarim, se toto hoc tempore Elisabeth occultasse, & se ab hominum oculis subduxisse, vt virtus diuina & cognosceretur, & commendaretur; nam, si statim à principio rem ipsa prodidisset, Dei opus hominum ludibrio exposuisset: nullus ei credidisset, illusissent omnes. Ideircò primò tacuit, dum Dei operatio irrisioni exposita erat; cùm res ostendi poterat, & probari, tunc eam manifestat Elisabeth. Quâ re docemur in omnibus Dei gloriam spectandam, cauendùmque summopere nobis esse, ne Dei opera per nos hominum ludibrio exponantur: quod hic factum.

Sed cur vsque ad partum non occultauit? ne supposititius non proprius eius filius crederetur; quam calumniam anteuertit, cum ante nonnullos menses multis prægnans palàm visa est. Iusti calumniæ occasionem, si commodè possunt, auferunt, ne Deus offendatur, alioquin calumniæ notam subire non defugiunt, opprobria amant; dicteriis excipi, honoris loco habent. 63.

Quinque mensibus, cur non pluribus? An quia vtero intumescente diutiùs non poterat? nam, vt aliquâ arte vterum toto gestationis tempore obduceret, adduci non potuit; nec enim celare partum volebat, nec factum videri suppositum: Ad tempus subticuit, se esse prægnantem, gratias

 interim

interim ipsa Deo agens; vbi iam vterus rem prodere incœpit, non occultare studuit, sed propalare, vt ab aliis quoque gratiæ Deo agerentur, resque tota in Dei gloriam, laudemque verteretur.

SECTIO VII.

Bona, *Diuinæ bonitati adscribenda, non humanæ industriæ.* 64
Sterilitas *cur adeò exosa Iudæis.* 65
In mysterio Incarnationis, Angeli *ministerio cur Deus vsus.* 66
Mariæ *Virginis* fides *quàm insignis.* 67
Christi *aduentus humanæ ignorantiæ tenebris expellendis.* 68
Conceptionis *nexus & Crucis.* 68
Lapsi hominis *erigendi causâ* Deus *aduenit.* 69
Mundi totius reuolutio in Christi *aduentu.* 70
Nuptiæ *Virginis* Mariæ *quàm puræ.* 71
Ex muliere nasci *cur* Deus *voluerit.* 72
Ex Virgine *cur prodierit Dei Filius.* 72
Virginitas *nuptiis præferenda.* 73
Regnorum *finis & principatuum ferè humilis.* 74
Pœnitentes, *quanti Deus faciat.* 74

Dicens, quia fecit sic mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

64. PRobè, quia conceptionis gratiam Deo tribuit, non homini; *fecit*, inquit, *sic mihi Dominus.* Felix cuiusque boni operis conceptio, quæ diuinæ bonitati adscribitur, non industriæ humanæ.

Respexit auferre opprobrium meum. Respicere hîc miserentis est, & beneficio afficere volentis. Opprobrij nomine infamiam sterilitatis intelligit; probrosum quippè apud homines erat liberis carere; contrà verò honorificum plures filios numerare, quæ censio maximè vigebat apud Iudæos.

65. Sed aliquis hîc quærat: cur adeò exosa illis sterilitas, adeò fœcunditas grata? An, quia pœna peccati videbatur esse sterilitas, fœcunditas verò singularis Dei benedictio habebatur? Rectè, si hâc de causâ ab illâ abhorruissent, hanc postulassent. Nobis in bonis operibus fœcunditas quærenda, fugienda sterilitas est.

Inter homines; signatè *inter homines*; opprobrium quippe sterilitatis apud homines maximè locum habet; non item apud Deum, cui operum sterilitas displicet, non filiorum.

In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo.

66. QVæri hic potest; cur in mysterio Incarnationis Angeli ministeriô vsus Deus fuerit? multæ huius rei causæ reddi possunt; primò, vt iisdem cursibus ad vitam, ad salutem rediremus, quibus à vitâ, à salute abieramus. Per Angelum malum prolapsus homo fuerat, per bonum nunc erigitur. Præterea vtitur Angeli ministeriô, vt Angelorum erga humanum genus amori satisfaceret; magno quippè gaudio Angeli perfunduntur, cùm eorum operâ vtitur Deus in hominum salutem.

Mittitur Angelus, vt hoc honore Angelica natura efferretur. Nota quædam bonis Angelis videbatur inusta, quòd ab illis ille prodierit, qui totius humani generis perniciem, atque ruinam molitus fuerat in paradiso. Eluitur hæc dum prodit nunc Gabriel, cuius nuncio, mundo salus inuehitur, & vita: cujus aduentu damnum, quod Lucifer intulerat, reparatur.

Poterat quidem Deus per se ipsum incarnationis mysterium Virgini reuelare, sed noluit; vt scilicet ita virginis fides magis exerceretur; quò enim difficiliùs fuit in tanto mysterio Angelo credere, quàm Deo ipsi reuelanti, eò credentis Virginis maior fides apparet, & firmior, atque adeo magis mereri videbatur: nimirum suorum virtutes Deus exercet, & ad summum euehere gradum studet. 67.

Denique, cum Deus Angelicam naturam nollet assumere, sed humanam, noluit Angelos ab hoc incarnationis mysterio penitùs excludere, & ideò nuntios effecit; præsertim, cum hoc mysterium etiam ad eos spectaret; nam ruinæ illorum implendæ per illud erant.

In mense sexto, qui Hebræis *Nisan* dicitur, hoc eodem mense populus egressus fuerat de Ægypto; vt vel à temporum collatione disceremus, Christum aduenisse, vt nos à vitiorum, & calamitatum Ægypti erueret, & ab ignorantiæ plusquam ægyptiacis tenebris reuocaret. 68.

In mense sexto; notatur mensis, dies mensis non notatur; fuit vigesimus quintus Martij, & (sic plerisque placet) feria sexta; vt conceptionis dies diei crucifixionis responderet, & statim, ac conceptus esset, ostenderet, se crucem, se mortem cogitare.

Angelus Gabriel, idem Angelus ad Virginem mittitur, qui prius ad Zachariam, & multo anteà Danieli; totum nimirum negotium Christi aduentum mortalibus nunciandi Gabrieli committitur; & variis temporibus, variisque personarum generibus idem legationis munus idem nuncius fungitur. 69.

Gabriel; etiam Angeli nomen mysterio congruit, Gabriel *fortitudo Dei* dicitur; aliis, homo Deus seu *vir Deus*, quia annunciaturus erat eum, qui vir, & Deus erat futurus.

Angelum, qui nuntius ad Virginem missus, Gabrielem vocatum ex Euangelio habemus. Sed quis illius nomen aperuit Euangelistæ? An ipsamet Beata Virgo, quæ statim ac illum vidit, illum ex nomine cognouit? Scitè Marcus Vigerius chorda 1. cap. 17. *Raphaelis, qui Tobiæ, in Rages ciuitatem Medorum ad Gabellum proficiscenti, se comitem dedit, nomen non haberemus, nisi idem Angelus Tobiæ palam fecisset in reditu. Angelum ad Virginem accedentem Gabrielem nominari, vnde habes ô Euangelista? Non solùm cognouit Maria Angelum, sed diuinitus inspirata*, NOMEN ANGELI, VT PRIMVM SIBI APPARVIT, INTELLEXIT. *Ita mihi Euangelium scribere volenti illa narrauit, & in huius legationis narratione ante omnia Angeli nomen Spiritus sanctus me scribere iussit, vt omnes intelligerent etiam ex nomine Angelum à principio fuisse Mariæ manifestum. Igitur quâ gratiæ beneficio Angeli naturam, & nomen, statim vt coram stetit, agnoscere potuit, illum esse Angelum per alas discere non debuit; neque enim alæ nominis indices esse vel boni Angeli naturam ostendere potuerunt, cùm & maligni dæmones se nedum possint alatos ostendere, sed in effigiem bonorū se trāsfigurare. Profectò si homines in scœnis personas, quas induunt, habitu, incessu, voce, corporis gestu, pro viribus imitantur, si pronunciatio est vocis, vultus ac gestus moderatio cum venustate, Ego non video cur Gabriel Angelus, qui in effigie hominis humana*

voce

voce virginem allocuturus aduenerat, habitum & incessum hominis non debuerit imitari. Pergit auctor, & explicat, quî & qualis ad Virginem sit Angelus ingressus. *Ingressus* inquit, *Angelus ad eam humano aspectu, & voce hominis verba facturus volucrem se ostendere non debuit, aut quod simplices volunt, per fenestras ingredi. Ingressus est ad eam per ostium habitaculi, quod etiamsi clausum inuenit, sua potuit virtute reserare sine clauibus, sicut potuit se sine alis in humana effigie exhibere præsentem. Hæc igitur fuit prima Angeli sapientia ingredi ad Virginem ea ratione, his munitum speciebus, quæ suæ orationi, & formæ, quam sumpserat essent accommodata. Neque credamus auro destinctis vestibus, gemmis radiantibus digitis collóve torque aurea circuncinctè ad Virginem fuisse Gabrielem ingressum, sciebat ille hæc esse vanitatis indicia, & leuitatis certissimas notas; sciebat Virginem, quam allocuturus accesserat, tales ornatus penitus aspernari; nouerat illam sobrietatis, & parsimoniæ in omnibus studiosam. Taliter se vestites volunt sapientes Oratores ostendere, qualiter libenter videre intelligunt ad quos accesserint oraturi, aut quales illos misteates, esse constituunt. Sciebat Gabriel placere Virgini modestissima venustum, non sumptuosum vestimentum, incessum grauem, modestum aspectum. Sic igitur instructum illum, pro sua sapientia credere debemus ingressum ad eam.*

In ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth.

NOn in agro concipi Deus voluit, sed in ciuitate, quæ hominum habitatio est; vt, vel à loco, disceremus lapsi hominis erigendi causâ aduenisse.

70. Non in quâcunqoe ciuitate concipitur, sed in ciuitate Nazareth, quæ erat Galileæ, cur ita? Vt non Iudæos tantum, sed & Gentiles saluos se facturum innueret; Galilæam quippè hi duo populi tunc incolebant.

Galileæ nomen mysterio non est viduum, à גלל aliqui deducunt, quod significat *voluere, rotare* vnde & גלגל est rota, & Galilæus erit *voluens*, seu *rotator*, & Galilæa reuolutio. Christus igitur factus est homo in Galileâ, vt vel à loci nomine colligeemus, eius aduentu mirabilem totius mundi reuolutionem & rotationem futuram; quum Iudæorum populus, qui in vertice erat, ad ima deprimendus esset, & Gentilis, qui in imo iacebat, in sublime esset erigendus.

Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.

71. DEsponsatam: Græcè, *μεμνηστευμένην*, *promissam.* Vis, & proprietas vocis non aliud significat; sed ab Euangelistâ hîc sumitur pro nuptâ vt patet ex cap. 2. vers. 5. vbi ita loquitur: *σὺν τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ οὔσῃ ἐγκύῳ*: id est, *Cum Mariâ desponsatâ sibi vxore prægnante.* Nuptias quippè, cùm partus instaret inierant. Sed cur desponsatam potiùs Mariam vocat, quàm nuptam? An hoc ad coniugum virginitatem facit? Facit: Ioseph quippè non secus à coniuge abstinuit, quàm si nondum eam duxisset in vxorem.

72. Quæri hîc potest; cur de muliere carnem sumere voluerit? poterat & de viro, sicut ex Adæ costâ Euæ corpus ædificauit, & construxit, sed iustis de causis carnem ex muliere accepit. *Primò*, vt vterque sexus honoraretur: virilis erigebatur, quia vir ipse erat; clarificanda ergo erat & fœmina, & ideo carnem ex fœminâ assumpsit. Secundò, vt ita clementiam suam, & ad miserendum pronitatem ostenderet; sexus enim fœmineus maximè ad compatiendum procliuis est: meritò ergo de fœminâ carnem assumpsit, qui ad miserendum veniebat. Denique ex fœminâ carnem accepit, vt, sicut ipse noster aduocatus, & protector erat futurus, sic & mater aduocata, & adiutrix nostra esset, & vterque sexus vtrumque sexum adiuuaret.

Cur de muliere nasci voluerit explicauimus; sed cur de Virgine? Poterat etiam de corrupta, sed noluit. Incepit peccatum à virgine muliere nondum enim à viro cognita Eua fuerat, cùm peccauit, congruè ergo & salus à muliere virgine incepit, vt morbo responderet medicina. Quid? Etiam primus Adam de terrâ virgine productus est; cur non & secundus Adam Christus de intactâ Virgine prodierit? Prodiit, vt, quantùm sibi virginitas, & castitas placeret, indicaret.

Ad Virginem desponsatam; ordo mysterio non est viduus; Virgo desponsatæ præmittitur; quia præferenda nuptiis virginitas est; *Non dicit*, inquit hîc Vgo Carensis, *ad desponsatam Virginem, sed ad Virginem desponsatam; vt ostendatur virginitas nuptiis præferenda.* 73.

De dome Dauid.

DE domo: Familia, *domus*, vocatur; quia ad modum domus ædificatur: hinc illud 2. Reg. 7. *Domum faciet tibi*, id est familiam multiplicabit: sicuti verò domûs structura, partium vnionem, ac compaginationem requirit, ita & familia animorum nexu, & vinculo assurgit, & stat.

De dome Dauid. Rex summus, Dauid fuerat; sed regium culmen in Ioseph pauperculum desinit: hic regnorum finis, & principatuum. Quid ergo superbiat Rex, quid timidè efferatur? paupertate ferè regia dignitas clauditur. Exemplum hîc habemus; reperiemus plura, si oculos retro flectamus. 74.

De domo Dauid; cur Dauidis hîc mentio facta, qui adulter fuit, & homicida? *vt ostendat*, inquit Vgo Carensis hîc, *quòd Dominus peccatores non respuit, sed recipit pœnitentes*; omnem peccati notam aboleuerat verus pœnitens, vt eius nomen inseri sacris litteris potuerit.

SECTIO VIII.

Vxores *viris* honorem *deferre vt debeant Virginis exemplo.* 75

Summâ cum reuerentiâ ante Virginem se sistit Angelus *in hominum exemplum.* 76

Ingessus Angeli *ad Virginem expenditur.* 77

Nomen *suum cur* Gabriel *Virgini non explicuerit.* 78

Quàm purus esse debeat, Virginem salutaturus. 78

Mariæ nomen *quantâ reuerentiâ pronunciari oporteat.* 79

Nomen Mariæ *monti erigenda epporeuuum.* 79

Angelum moribus referat, qui Mariam *Virginem* laudat. 80

Singulare Mariæ *priuilegium quod ab Angelo* salutetur. 80

Vbi Dei gratia est, ibi verum Dei gaudium *reperitur.* 80

Gratiâ plena, cur dicta Maria. 81

Maria *suâ gratiâ gratiam aliis obtinuit.* 82

Terrena

Terrena *nihili facienda, si iustè pendantur.* 83
Benedictio, *de donorum collatione.* 84
In Diuinis litteris, benedicere, *generationem sonat.* 85
Maria *omnium Mater facta per vnicum Filium.* 85
Verus humilis *tunc timet, quum laudatur.* 86
Mariæ *humilitas quàm insignis.* 87
Cur non statim salutanti Angelo responderit Maria. 88
Cur salutantem *Angelum non resalutauerit* Virgo. 89
Gratia *apud Deum quærenda, non apud homines.* 90

Et nomen Virginis Maria.

75. PRiùs Iosephi nomen ponitur, deinde Mariæ. Hunc ordinem à Mariæ humilitate, quæ id Euangelistæ suggessit, emanauit; nam etiam ipsa hunc eundem seruauit cap. 2. cùm filium alloquens diceret: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Discant vxores, quàm viris honorem deferre debeant, cùm illa, quæ sanctior, sublimiorque viro erat, vbique deferat.

Et ingressus Angelus ad eam dixit.

76. ET *ingressus Angelus*; ingreditur legationis conficiendæ gratiâ: non apparuit ex improuiso, vt supra Zachariæ, sed vsus motu corporali ingressus est in Virginis cubiculum. Sed cur & virgini ex improuiso non apparuit Angelus? An ne virgo visu terreretur? Fors & ob virginis reuerentiam id factum est, ac si Angelus ad virginem accedere reuereretur, se indignum reputans, qui in eius conspectum se daret. Ante virginem se sistere Angelus cum magnâ reuerentiâ studet, & nos sine vllo timore, ac reuerentiâ ante eam nos sistemus?

77. Virgini Angelus apparet, dum in cubiculo sola maneret, & precibus, rerumque diuinarum meditatione vacaret: nimirum, qui hominum consortia vitat, solitudinem amat, ab Angelis visitatur.

Ingreditur Angelus; nulli quippe parietes superis spiritibus obsistunt. Ad terrestrem paradisum positus est Cherubin, qui aditum custodiret, nec sineret Adamum ingredi: ad Virgineum hunc paradisum ingreditur Angelus, non vt ab eo homines arceret, sed potiùs vt alliceret; nam Angeli ministerio Maria Dei mater simul effecta est, & hominum aduocata, & adiutrix.

Dixit; ipsissima verba, quæ à Deo Angelo fuere præscripta, Angelus profert; nihil de suo promit, nihil adiicit, nihil adimit: quod horum verborum sanctitatem, ac diuinitatem probat, & cummendat.

78. Ingreditur Gabriel Virginis cubiculum, Virginem alloquitur; non lego, suum nomen explicuisse, quod fecit, Zachariam alloquuturus; *Ego*, inquit, *sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te*; cur non idem Virgini dixit? An quia id notum Virgini erat, quum aliàs etiam non rarò ad eam ventitasset?

Angelus ad eam ingreditur, & vbi esset ingressus salutauit. Nimirum Angelicam referre puritatem debet, qui Virginem salutat; Benè Vgo Catensis hic: *Solus Angelus dicitur ingressus ad Virginem, & hoc semel; in quo innuitur, quod qui non fuerit angelicæ conuersationis, frustra, vel temerè præsumit ad eam ingredi salutandam vel videndam.*

Aue gratiâ plena.

CVr proprium Virginis nomen hanc salutationem non ornat, non perficit? cur Angelus non dixit *Aue Maria*, sed oudè dixit *Aue*? An, quia vel Angelus indignum se existimabat, qui nomen adeò sanctum statim exprimeret? Quid hîc illi, qui sine vllâ reuerentiâ illud pronuntiant, & sine vllâ consideratione otiosis atque etiam malis orrationibus interserunt, numen sacrosanctum polluentes, quod vel Angelus proferre reueretur? 79.

Hîc aliquis reponat; idem Angelus paulò post hoc nomen in medium protulit, cum dixit: *ne timeas Maria.* Verum istuc; sed erigendæ Virginis causâ, quæ timore correpta erat, id fecit; nimirum nihil sic erigere pressam mentem potest, quàm suauissimum Mariæ nomen. Vbi istuc auribus insonuerit, timor omnis, omnis turbatio abit, nec secus ac nubilum, & tenebræ Solis exortu.

Primus, qui in Euangelio legatur Virginem laudasse, Angelus fuit; vt disceremus, eum, qui Virginem laudare vult, sanctitate, ac puritate Angelum quendam esse debere. 80.

Aue gratia plena: Magnum Mariæ priuilegium, quod ab Angelo salutetur cùm non legamus id obsequij honorisque in alias fæminas Angelos exercuisse; ex quo Mariæ puritas, & ab originali peccato eius immunitas non alienè colligi potest. Hinc Salmeron tom. 3. tract. 5. *Aue gratia plena: Mulierem vllam nusquam legitur Angelus salutasse, etiamsi illi apparuerit, vt Saræ, & Agar, & Manuë vxori. Hanc autem salutat, & verbis honorificis alloquitur, vt minimè per peccatum excommunicatam. Omnes enim aliæ quotquot sunt, fuerunt atque futuræ sunt fæminæ, antiquo Adæ peccato excommunicatæ sunt. Salutat etiam quam non solùm amat, sed etiam admiratur quasi præuisam ab æterno Dei matrem, tabernaculúmque Dei sanctissimum; quam sibi quoque immensis gratiæ donis anteferendam cognoscebat, quamque post Deum Reginam, & Dominam orbis totius venerandam esse, atque inuocandam non ignorabat.*

Aue, Græcè χαῖρε *gaude, salue*, vt sit vel precantis, vel gratulantis salutem. Syriacè: *Selom lechi. Pax tibi*: quæ salutandi formula Hebræis familiaris erat. Gaudere iubetur virgo, & simul gratia plena pronuntiatur; optimus, nexus, optimè hæc duo cohærent, vbi enim Dei gratia est, verum, plenumque gaudium reperitur; alioquin, si Dei gratia absit, falsum, & ementitum gaudium est, & fatua lætitia.

Gratiâ plena, Græcè κεχαριτωμένη, verti poterat, *gratificata*; sed, quia vox ista insolens est, commodiùs in eundem sensum, imo & in pleniorem vertit: *gratiâ plena*. Plena gratiâ exstitit Maria, quæ Deo in nullo displicuit, immunis ab omni macula etiam originali. Præterea erat plena gratiâ; quia omnis eius actio laudabilis erat, & Deo gratissima. 81.

Posset hæc eadem vox κεχαριτωμένη, sic etiam verti, *gratiosa*; sicuti etiam aliqui transtulerunt: sed quæri potest cui gratiosa dicitur Virgo? An placere hominibus quærebat? Minimè. Deo placere volebat; id non exprimit Angelus, sed absolutè loquitur, indignum ratus de Virgine explicandum, alij, quàm Deo placere, studuisse. Qui Deum amat, Deo placere studet, non sibi, non hominibus. 82.

Aue gratiâ plena, χαῖρε κεχαριτωμένη Virginis nomen non interposuit tanquam κεχαριτωμένη, proprium ipsius Virginis esset nomeo, quæ loquendi

quendi phrasis significat: Virginem omni genere gratiâ ita excelluisse, vt nullus, infra Christum, ipsi compatari possit.

Aue: Græcè χαῖρε, *gaude*. Gaudere Mariam iubet Angelus, qui gaudio ob Mariam afficiebatur; nam ipsa fuit, *qua gaudium præstitit Angelis*, ait Beatus Laurentius Iustinianus.

Aue gratiâ plena: Gratia plena erat, non diuitiarum amore, non terrenarum rerum affectu: gratia in Virgine erat; nihil præterea, quod gratiam impediret: proh quàm magna fuit hæc gratia! *Magna profectò, & exuberans gratia*, inquit idem B. Laurentius Iustinianus, *quæ cœlis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit angelis, seculoque pacem refudit: fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit, atque spiritualem edidit moribus disciplinam*; scilicet suâ gratiâ gratiam omnibus obtinuit.

Dominus tecum.

83. PRiùs virgo dicitur *gratiâ plena*, deinde additur, *Dominus tecum*; non satis quippe est Dei gratiâ cumulari, nisi Deus nobiscum sit, qui eam conseruet.

Dominus tecum: non ait tecum *opes*, tecum *thesauri*, tecum *honores*; nihil, & similia hæc sunt, si iustè pendantur. Omnia dixit, cum ait *Dominus tecum*; satis istuc, nec aliud quæri debet.

Dominus tecum, subauditur *est*, non *sit*; vt gratulari potius Angelus virgini videatur præsens bonum, quàm imprecari futurum.

Benedicta tu in mulieribus.

84. BEnedicta: idest benedictionibus, ac beneficiis cumulata. Frequens in sacris litteris est, vt benedictio, & benedicere de donorum collatione dicatur. 4. Reg. 5. *Obsecro, vt accipias benedictionem à seruo tuo*. & 1. Reg. 25. *Suscipe benedictionem hanc: quam attulit tibi ancilla tua*; idest hoc munus, hanc oblationem. Apud Deum benedictio non in labiis, & ore dumtaxat sita est, sed in muneribus; phrasis hæc mundo haud familiaris est; apud quem homines sæpè verborum, ac laudum benedictione diuites sunt, rebus omnino vidui.

85. Præterea *benedicere* in sacris litteris est generationem dare. Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Sequitur statim: *Ecce sic benedicetur homo*: vbi vides filiis augeri Dauidis esse *benedici*. Igitur, cùm filiorum fœcunditas benedictio sit, non est quod patres, ac matres iracundè filios suos maledicant; quod sæpè videmus fieri: Quid parentes in filios maledictionem euomant, cum filiorum numerus *benedictio* quædam sit? non benè maledictio benedictioni respondet.

Benedicta tu; Benedictio in sacris litteris fœcunditatem, & multiplicationem includit; sed cùm virgo vnicum filium tantùm habuerit, quomodo benedicta inter omnes mulieres dicitur? An, quia hic vnus tantus est, vt omnibus filiis, hominibusque præesset? An, quia per illum facta est omnium credentium mater?

Quæ, cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.

QVæ cum audisset, Græcè ἡ δὲ ἰδοῦσα, *quæ, cùm vidisset* ita & Syrus habet; quin & plures codices Latini, cui lectioni suffragatur etiam sanctus Ambrosius lib. 1. Off. c. 18. Propter sensus excellentiam frequenter in sacris litteris, quæ audiuntur, & tanguntur, dicuntur videri, generalis quippè quodammodò sensus visus est. Hinc illud Exod. 20. *Populus videbat voces*; idest audiebat, auribus excipiebat. 86.

Ex sermone turbatur, non ex visu, frequenter quippè Angelos viderat, sed audiens se ab Angelo laudari, turbata est, laudes suas audire non ferens. Si exprobrantem, & corripientem Angelum audisset, turbata minimè fuisset; turbatur quia laudibus extollitur; hæc veræ humilitatis, veræ magnitudinis nota est.

Turbata est: Græcè διεταράχθη *perturbata est*, virgineo pudore, virgineâ verecundiâ correpta; non tanta tamen perturbatio fuit, quæ iudicium ac rationis vsum quidpiam impediret. 87.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio; hoc est quàm magnifica, quàm sublimis, quàm singularis, quàm esset laudibus plena, commendatione referta; quâ cùm non putaret se dignam, vt erat summâ animi modestiâ prædita, summâ humilitate ornata, prudenter secum expendebat, & veluti ratiocinabatur, quorsum salutatio hæc tenderet.

Cogitat virgo, nec respondet: cur ita? An, ne laudes illas arrogantior in se agnoscere videretur? an, quia silentij amica silentium soluere, & abrumpere nolebat? An, quia cautior Eua Euæ loquendi, & respondendi impudentiam delere suâ cunctatione volebat? 88.

Nihil Virgo respondet; sed, quod minùs est, salutantem Angelum non resalutat. Cur abstinuit, quæ tam humilis, tam vrbana? quia licèt esset humilis præ verecundia tamen non resalutauit, nec vllum responsum dedit. Nollem mulierem, & præsertim virginem, adeò vrbanam, non cum Angelis, sed cum hominibus esse: nollem nimis comem, blandam, nec nimium moribus excultam, nec nimis aulicam verbis, ac blandimentis; ne alienum calorem prouocet, & ipsa etiam ardere incipiat.

Et ait Angelus ei; ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

NOn offensus Angelus est, quod resalutationem à Mariæ ore non exceperit; sciebat quippe non à contemptu hoc natum, sed à virginali verecundiâ, & à prudentiâ, quâ ornata virgo erat? expendere quippè Angeli verba voluit, antequam responderet, ne quid inconsultum ex eius ore prodiret. 89.

Inuenisti gratiam, non opes, non perituros thesauros; hæc non quærebat Virgo, & ideo non inuenit; gratiam quærebat; gratiam postulabat, hanc inuenit.

Inuenisti, Græcè εὗρες quod verbum adhibetur, cùm aliquid nihil tale cogitanti, aut speranti contingit; quo significatur gratiæ magnitudo, & singularitas, quam Beata Virgo nacta est, vt mater Dei efficeretur? quod nec sperabat, nec cogitabat. 90.

Apud



Apud Deum; prius gratiâ plena virginem Angelus dixerat, nunc eandem gratiam astruit, sed pleniùs explicat, vberiúsque, signatè addit, *apud Deum*; nec enim gratiam apud homines reperire gratum Virgini, aut magnum.

Inuenisti enim gratiam; inuenisti, quod quærebas, quæ solius gratiæ amore capiebaris; *Inuenisti gratiam*, inquit Albertus Magnus, *non creasti; vt Deus; non rapuisti vt Angelus; non perdidisti, vt Adam; non abscondisti, vt Simon Magus*; Tenuit quam quærebat gratiam, non amisit, non contempsit.

SECTIO IX.

Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.

91. SVam emphasim habet illud, *ecce*; rem quippè admirabilem, ac nouam se nuntiare Angelus significat, quæ omnium hominum admirationem in stuporem vertat.

Ecce, Græcè ϗ ἰδοὺ *& ecce*, Syrus *Heger ecce enim*, rectè, & cohærenter; euidens quippe signum fuit, quod summoperè Deo Virgo placuerit, quod præ aliis virginibus ad concipiendum Dei filium electa sit.

92. *Vocabis nomen eius Iesum.* Virgini cura datur nominis imponendi, quia ipsa futura erat mater, nullo patre. Nomen filij prodit Angelus, nominis rationem non explicat; quod fecerat, cùm Iosephum alloqueretur Matth. 1. dum ait: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; hoc postremum subticuit hîc Angelus, propter Virginis excellens ingenium, cùm ipsa omnia mysteria calleret, vt nulla indigeret explicatione. Erudire Angelum Virgo poterat, edoceri non opus habebat, quæ cuncta sciebat.

Prætereà nominis explicationem Angelus minimè adiecit, ne peccatum coram Virgine illâ nominaret, quæ ab omni peccato, ac culpâ, etiam originariâ immunis erat. Quàm abeunt ab Angeli exemplo illi, qui libros voluunt, & omnem lapidem mouent, vt Virginem culpæ originariæ subiiciant.

Filij Dei matrem futuram Virginem Angelus nuntiat; nihil Virgini edisserit de cruce, deque 93.
tormentis, quæ passurus erat filius: nihil de dolore, qui matris cor inuasurus erat, quod fecit postea Simeon. Nimirum plura Angelus dicere non debuit, quàm in mandatis haberet; quod si de cruce, de morte aliquid dixisset Angelus, non proptereà talis filij matrem esse renuisset virgo; nam & ipsa ex scripturis nouerat Messiæ crucem, ac mortem.

Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.

HIc erit magnus: Magnus Deus semper fuit, semper est, erit etiam magnus homo, homo factus: non explicat magnitudinis genus vt omnibus modis, ac generibus magnum futurum colligeremus. *Erit magnus*, de Ioanne dictum est: *Erit magnus coram Domino*: Christus non coram Domino magnus erit, sed magnus ipse Dominus.

Sedem Dauid: Græcè, τὸν θρόνον Δαβὶδ, *thronum* 94.
Dauid. Thronum pro regno, regiáque potestate, & sede posuit. Sed quî Dauidis regnum, quod iam perierat, tenet Christus? Et non latiùs terminos Christi regnum porrexit, quàm Dauidis, vt non solùm maius, sed etiam aliud vtriusque regnum censeri possit? An Christi regnum, regnum Dauidis dicitur, quia Dauidi in filio promissum? Nimirum, quod possessurus erat filius, pater ipse possidere videbatur. Disce: Christi magnitudo, atque sublimitas nostra censeri debet.

Præterea regnum Christi vocatur regnum Dauid; quia Christus eidem populo Rex datus est, cui Dauid: Christi quippè regnum, licèt in omnes gentes propagatum sit, ab ouibus tamen domûs Israël incepit. Scilicet in regni appellatione non opum, non thesaurorum habetur ratio, habetur animarum; quod principum terrenorum auaritiam, & inexplebilem habendi sitim notat, & arguit, qui plerunque illud illius regis inuertunt, *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. 21. abeunt Gen. 14. 21.
à verâ regis notâ, licèt Reges fictitio nomine dicantur, qui hanc mentem circumferunt.

Dabit illi Dominus Deus. Signatè dixit, *dabit*, non, inuadet, non, irruet in regnum. Proh quàm fortunatiora imperia essent, feliciora regna, si offerrentur, non quærerentur.

Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Su- 95.
periùs, cùm Iesus diceretur, salutem hominibus se daturum vel nomine significans, *Filius Altissimi* dictus est: hîc, regnum accepturus, Dauid filius vocatur; quia scilicet nihil ità proprium Diuinæ bonitatis est, quàm beneficentiam in homines ostendere: hominis est accipere, Dei dare. *Dabit illi Dominus Deus*, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *sedem Dauid patris sui: vides, quia quando accipit, Dauid Filius dicitur; quando dat, Dei Filius nuncupatur.*

* * *

Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

96. IN *domo Iacob*: Græcè, ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ, *super domum Iacob*; cur non dixit *super sedem*, aut *super thronum*, sicut superius dixit, *dabit illi Dominus Deus sedem*, seu *thronum Dauid*? An, quia Iacob non fuerat rex, sicut Dauid, idcirco *in domo*, ait, non in *sede*, aut *throno*?

Cùm regnaturus in æternum Christus sit, cur adiicit, & regni eius non erit finis? quod enim æternum est, constat finem nullum habiturum. An posteriora verba exponunt priora? sæpe in sacris litteris *æternum* non temporis, ac durationis perpetuitatem notat, sed diuturnitatem duntaxat. Ne igitur quis crederet, æternum hîc, vbi de Christo agitur tali pacto sumi, consultò Angelus addidit, *& regni eius non erit finis.* Adeò infirmâ, & parum duratura regna terrena sunt, vt Angelus, Christi regnum ab aliis discriminans, hac perpetuitate vsus sit; nihil de huius regni excellentia, ac magnitudine nobis edixit, diuturnitatem tantùm explicauit: vt vel hac solà à cæteris regnis penitus distare colligeremus.

Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

97. NOuit virgo angelum esse, qui cum eâ loquebatur; prudentiam, & modestiam suam prodit, dum Angeli sermonem non interrupit, sed attentè audiuit, donec loquendi finem fecisset; quod eas mulieres arguit, quæ, antequam sermo perfectè absoluatur, respondent, imprudentiæ, impudentiæque notam subeuntes.

98. Admonita Virgo ab Angelo timorem statim posuit, & attento animo eius excepit verba; quibus, paucîs verbis (silentij quippe custos fidissima erat) respondit: nimirum, quò sanctior virgo quælibet, puriorque, eò contractiori vti sermone debet, præsertim si cum viro loqui eam contingat. Cum Angelo paucis vtitur verbis Maria; & multorum verborum fusu vtetur mulier cum homine loquens?

Quomodo fiet istud: Græcè, πῶς ἔσται τοῦτο *quomodo erit istud*? non dubitat de promissione, sed interrogat de modo. Zacharias signum requirebat dicens, *vnde hoc sciam*? sed, *quomodo fiet?* ordinem scilicet quærit obsequij, non signum, cui credat, flagitat: Porrò hæc inquisitio non à curiositate est, sed a parendi promptitudine, & alacritate; nec tantum, quod Deus volebat, exequi desiderabat, sed eo modo, ac ratione, quo volebat; quæ perfectæ obedientiæ nota est.

99. *Quomodo fiet istud?* Non quærit signum vt incredula; sed modum, vt obsequi parata. Pende: prima verba, quæ Angelo perhibetur locuta Maria, puritatem redolent, virginitatem sonant: non in postremis habere hanc virtutem potuit, quæ prima ab eâ verba exculpit.

Quoniam virum non cognosco. Virginitatis votum in his verbis apparet, de quo seruando tam solicita virgo fuit, vt oblatum Dei maternitatis honorem, ac dignitatem lubens reiiciat, vt virginitatis votum seruaret, puritatem coleret. Prima omnium Maria virginitatem perpetuam Deo vouit, quam innumeræ virgines posteà, eius exemplo excitatæ, secutæ sunt. Vide quantùm ad bonum bonum exemplum possit, & quàm magnâ laude digni sint, qui aliis in virtutum exercitio præeunt.

Non cognosco; sæpè in sacris litteris, *cognoscere*, honestè viri cum muliere consuetudinem significat, vt virum non cognoscere sit cum viro rem non habere; quâ verbi notione notatur, mulierem, quæ castitatem suam tueri, ac conseruare desiderat; ab omni viri aspectu, & cognitione abesse debere, ne à cognitione præsertim si nimis familiaris, ad congressum eatur.

100. *Quoniam virum non cognosco.* Sanctus Ambrosius *lib. 2. de Abraham cap.* 8 legit, *quoniam virum non cognoui*, adeò firma in virginitatis voto seruando erat Virgo, adeò stabilis, vt, sicut certum erat non cognouisse, sic nec cognituram apud se stabilierat, vt præteriti ac futuri eadem esset ratio.

Quomodo fiet istud? Interrogat modum; quia humilis erat, erudiri ab Angelo quærit, quæ erudire Angelum poterat; nolebat suam sapientiam prodere, tutius illi erat, rem ab Angelo scire, quàm à se ipsâ.

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

101. VIrginis quæstionem statim Angelus soluit; qui sine virginitatis iactura partura sit exponit, *Spiritus*, inquit, *sanctus superueniet in te*; ne immundum aliquid, & corporeum cogites; spiritus ille corporis expers, & ab omni impuritate alienus fœcundam te reddet; tam aberit, vt virginitatem hoc conceptu amittas vt sacret potiùs, ac firmet Spiritus Dei.

Virtus: Græcè δύναμις, *Vis, efficacia.* Spiritus sanctus virtus in sacris litteris dicitur, infra cap. 24. v. 49. *Quoadusque induamini virtute ex alto.* Induuntur supero Spiritu Apostoli orbis prædicatores futuri, eodem induitur, ac veluti operitur etiam Dei mater futura, ac si consimili gressu pergere prædicatores deberent, ac pergit Maria, & eâdem, similique veste ornati.

102. *Obumbrabit.* Solemus quandoque montium, & rerum inaccessibilium magnitudinem vmbrâ, quæ illis cadit metiri. Vis Virginis magnitudinem coniicere, vmbram cogita, quam superus spiritus super eam, & ex eâ facit.

Obumbrabit tibi, Syrus, *proteget super te.* Græcè, ἐπισκιάσει, *inumbrabit*; ac si apertiùs diceret, cooperiet, ac teget te; te complectetur, vtrique partes aget, tectè igitur matrimonialis actus circumscribitur; quod fusè quarto sacrorum electorum libro, cui titulus, *Vmbra Virginea*, à nobis probatur, & illustratur.

Quid sub hac vmbrâ non magnum, quid non eximium, ac singulare. Petrus omnes quotquot obumbrabat sanitati restituebat *Act. 5. vers. 15* vbi idem verbum ἐπισκιάζειν *adhibetur* ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν, *vt saltem vmbra ipsius obumbraret quemquam illorum*; ex quibus verbis colligitur, omnes infirmos sanitati restitutos, si vel vnum duntaxat Petri vmbra contegisset: quid non à Diuinâ hac vmbrâ sperandum? Vna obumbratur Virgo, vt mortales & sanitati, & sanctitati restituantur.

Et, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

103. Q*Vod naſcetur*, Græcè, τὸ γεννώμενον, *quod naſcitur*; præſens pro futuro ponitur; nimirum, quod Deus promittit, licet futurum ſit, pro præſenti haberi poteſt, vt, beneficium ſe accipere puter, accepturus. Alitèr, cum mundus, cum homines ſpondent, cenſendum; fallit ille, fallunt iſti, nudis plerunque verbis diuites, effectu, réque vidui.

Quod naſcetur; neutro vtitur genere Angelus; tanquam proprium ei nomen non ſuppeteret, quo rem explicaret, & quia non habuit, quid propriè, dignéve nominaret.

Sanctum, nihil aliud adiecit: *Si diceret*, inquit Vgo, *ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans, quicquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur: poſuit ergo indefinitè ſanctum; quia quicquid illud ſit, quod Virgo genuit, ſanctum proculdubio, ac ſingulariter ſanctum fuit.* Sanctum fuit ſanctitate, quam habuit, & ſanctitate, quam exhibiturum aliis erat.

SECTIO X.

Recentia exempla *magis mouent, quàm antiqua.* 104

Iuſti *aliis quoque communicari Dei* dona *cupiunt: inuidi cæteros excludi vellent.* 104

Dei beneficia *in hominum notitiam ire* Angeli *amant.* 104

Diuinorum beneficiorum *magnitudo expendenda.* 105

Maria *quæ Deo plena, extimè vrgeri ad* charitatis *opus non indiguit.* 105

Cùm Deus *aliquid iubet, impedimenta minimè obiicienda.* 106

Laus *iuſtis graue pondus.* 106

Ancillæ *ſe nomine indignam putabat* Virgo. 107

Ancillam *Domini cur ſe dixerit* Maria, *& non Dei.* 108

Humilitati & modeſtia, vt litauerit Maria, *Angelo reſpondens.* 108

In ſublimitate inferiores *minimè ſpernendi.* 109

Amoris *incitamenta* Deus *quærit, non aufert.* 109

Humilior factu eſt Virgo, *vbi à Deo cognouit ſe electam in Matrem.* 110

Humilitas *ſumma in* Mariæ *verbis elucet dum Angelo reſpondet.* 111

Angelus Virgini *laudandæ impar poſt Filij conceptionem.* 112

Angeli *diſceſſus* à Virgine *expenditur.* 113

Diu loquutus Angelus *cum* Maria, *Chriſti vitam moreſque ei expoſuit.* 113

Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.

104. CVr antiquarum fœminarum, quæ, cum ſteriles eſſent, diuinitùs conceperunt, exemplum in medium Angelus non adducit? Saræ, Annæ, aliarum? Conſultò hoc fecit; nupera quippè exempla, atque recentia magis mouent, quàm quæ præceſſerunt.

Domeſticum, ac familiare adducit Angelus exemplum; vt, dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumularetur; audiens Maria Deum tam ſingulare beneficium cognatæ contuliſſe ingenti cumulata gaudio eſt. Hæc iuſtorum nota, nolunt ſoli cœleſtes gratias accipere, aliis etiam communicari cupiunt; inuidi contrà; cæteros excludi vellent, ſoli in beneficentiæ ſinu excipi optarent.

Recenſet Angelus collatum ſterili Eliſabeth fœcunditatis beneficium; amant quippè cæleſtes ſpiritus Dei beneficia in hominum notitiam peruenire, vt laudetur Deus, & gratiæ illi habeantur.

Et ipſa concepit filium. Quid prolis in vtero geſtaret Eliſabeth nouerat Angelus, filium ſcilicet; 105.
vt miraculi magnitudo appareat, & beneficij; maius quippè eſt filium generare, quàm filiam, & maius beneficium; quâ re docemur beneficiorum diuinorum magnitudinem expendere.

Et hic menſis eſt ſextus illi. Tempus explicauit, vt audiens Virgo proximè cognatam parituram ad illam properaret, cogitaret de obſequio, & ſui officij primitias exhiberet. Non iter iniungit Angelus, non obſequium imperat; ſatis fuit ſcire cognatam citò parituram: nimirum, quæ Deo plena, extimè vrgeri ad charitatis opus, non indiget; vrgebat filius, qui, cum Deus ſit, charitas ipſiſſima eſt.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

ANgeli verba, ſupero illuſtrata lumine, virgo 106.
percepit: nil vltrà interrogat, ſtatim fide plena cæleſtis nuntij verbis acquieſcit, nec nouas quæſtiones mouet: totam ſe Deo dicat, & offert: digna res, quæ in exemplum eat adeò, vt à virgine diſcamus, ſtatim Dei verbis acquieſcere, nec impedimenta obiicere. Poterat Virgo Angelo dicere: quid vir meus Ioſeph dicet, cùm me grauidam viderit? quid parentes? in quot diſcrimina me Angele coniicis? Totam ſe Deo committit; ancillam ſe offert.

Ecce ancilla Domini: Ancillam ſe dixit, quæ in Dei matrem electa erat. Vera hæc humilitatis nota. Humiles quò magis laudibus extolluntur, eò de ſe demiſſius ſentiunt. Laus iuſtis graue pondus eſt, quo preſſi magis inclinantur. Non mediocris reuera humilitatis inſigne fuit, oblatâ tantâ gloriâ, humilitatis non obliuiſci.

Suam vim habet illud aduerbium, *ecce*; tan- 107.
quam rem grandem, & omni admiratione dignam oſtenderet; *ecce*, inquit, *ancilla Domini*; nimirum ingenti virginis humilitati, vel ancillæ nomen, grande, ac ſingulare videbatur.

Ecce, Syrus addit, *ego: ecce ego*, quæ ſolemnis formula ſe promptè plenéque offerentis eſt; offert ſe virgo promptam, paratam in quodcumque Dei obſequium.

Ecce ancilla Domini; non diù hæſit; non diù diſtulit; ſtatim reſpondet, promptéque in Dei obſequium offert. Torporem noſtrum, noſtram duritiam arguit, qui Dei verbis reſpondere non differimus tantùm, ſed negligimus; moras nectimus, quas vix, aut ne vix quidem, abrumpimus.

Ancilla Domini. Cur *Domini* dixit potiùs, 108.
quàm Dei? An, vt in verborum proprietate ſiſteret? ancillæ nomen Dominum propriè reſpicit? Non aulica, vrbanaque hæc oblatio eſt, ſed ab animo, intimoque affectu profecta.

Fiat: hoc eodem verbo ex nihilo omnia facta ſunt, fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria;

tia; iure hoc vsurpat Virgo, vt innueret, se nihilum esse, & ex suâ nihilitate Deum producere posse quicquid vellet. Proh quàm magna in tanta Virgine humilitas!

Fiat mihi secundum verbum tuum. Breuissimo sermone vtitur, quæ silentij semper amica. Non repetit ipsam Angeli promissionem, vt humilitati, modestiæque consuleret; non ait, *fiam Dei mater, sicut tu dixisti*; non ausa est se Dei matrem vocare; tantæ dignitatis titulum prætermisit, ne gloriari de eo arrogantiùs videretur.

109. *Secundum verbum tuum*; Angelum, qui nunciauerat, his verbis honorat virgo, ac si diceret; operetur in me, Angele, Deus, quæ tu operaturum annuncias; Angelorum regina dum fit, Angelum non spernit. Vera hæc animi magnitudo in sublimitate inferiores minimè contemnere.

Virginis consensus his verbis exprimitur, quem per Angelum Deus requirebat. Sed cur, insciâ virgine, in vtero virginis carnem non induit Dei filius? numquid non poterat operari in eâ, quid vellet eâ inscia, imò & inuitâ? Poterat, sed noluit, vt à matre amaretur; quis enim amor matris erga prolem incognitam, & incertam? Amoris incitamenta Deus quærit, non aufert.

110. Signatè ait, *secundum verbum tuum*; non enim auderet hoc Virgo petere, hoc desiderare, vt fieret Dei mater; quin nec vnquam, opinor, hoc illi in mentem venit.

Ecce ancilla Domini; ac si diceret, inquit Titus; *en tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea; scribat in me scriba ille, quodcumque visum fuerit*; Faciat de me vniuersorum Dominus, quiquid libuerit; nihil repugnabo.

Ecce ancilla Domini; Mariæ humilitas cum eius dignitate contendit, ad extremum ancillarum locum se demittit, quæ ad supremum matris euehitur. Nimirum, *humilior facta est vbi se à Deo cognouit electam*, ait sanctus Ambrosius; apud Deum, hominésque meritis crescebat; decrescebat humilitate apud seipsam.

111. *Fiat mihi*, in vtilitatem meam, in honorem meum, sed nunquid aliorum oblita Virgo? Minimè; quod in vtilitatem suam erat, nouerat, & volebat in nostram quoque resilire.

Secundum verbum tuum; elucet hîc Insignis eius prudentia, tantum optat, quantum sibi nunciatum ab Angelo fuerat; nihil maius, nihil minus.

Secundum verbum tuum: Humilitatem hæc quoque verba sonant: *Non dixit*, inquit Sanctus Thomas, *secundum desiderium meum; non enim auderet hac Virgo petere, vt fieret mater Dei*, sed, vt ita dicam, desiderium Dei auxit, vt eam suam matrem faceret; quia ipsa ausa non est desiderare, vt fieret.

Et discessit ab illa Angelus.

112. RE iam confectâ, cuius causâ venerat, discedit Angelus. Cùm esset fidelis Dei minister, non abiit, nisi legatione completâ. Qui Deo seruiunt, & obsequuntur, perfectè id præstent, re iam consummatâ, & absolutâ, quam in Dei obsequium inchoauerant.

Discessit: Græcè, ἀπῆλθεν, *abiit*. In accessu honorificentissime Virginem salutauit, magnificis vsus titulis; abiens nullis vsus legitur: cur ita? An, quia eò dignitatis prouectam videbat Virginem quum Dei mater esset effecta, vt aptis, & conuenientibus titulis eam honorare non posset. Vel Angelus ipse Virgini laudandæ, post filij Dei conceptionem, impar est.

Nisi dicamus, in discessu maioribus reuerentiæ signis, honorisque titulis vsum fuisse Angelum, sed id in Virginis gratiam suppressum silentio, ob eximiam eius humilitatem.

Et discessit ab illâ Angelus: Abiit expletâ feliciter legatione Angelus, impetratoque Virginis consensu; non tamen ante discessit, quàm omnes Angeli è cælo ad Christum adorandum descendissent iuxta illud: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Adorauit & ipse Gabriel cum illis, ipsa quoque Maria Verbum in se incarnatum adorauit. 113. Hebr. 1.

Diu loquutum cum Virgine Gabrielem bonorum auctorum censio est; Diuinitus edocta B. Veronica ab Angelo didicit, Mariæ ab Angelo Christi vitam, mores, mortemque reuelata; Isidorus de Isolanis lib. 4. cap. 1. in eius vita hæc habet: *Scito, ait Angelus Veronicæ: Gabrielem* OMNIA MYSTERIA *passionis & gaudij: omniumque Saluatoris* VITAM, *&* MORES EXPOSVISSE *Virgini beatissimæ, antequam Christum conciperet: quæ nunc Dei Euangelistæ conticuerunt.*

SECTIO XI.

Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda.

MAria vix mater Dei effectâ est, cum longum, ac laboriosum iter arripit, cognatam Elisabeth inuisens; vt nimirum ei de Ioannis conceptione gratularetur. Iustus ob alienam potius felicitatem gaudet, quàm suam iactet. 114.

Exurgens, Græcè, ἀναςᾶσα, *resurgens, reuiniscens*; ac si antea non viueret Virgo tota in Deum rapta. *Exurgens*, Virginis quies hîc insinuatur, quæ solita erat intra domus suæ parietes se continere; nunc autem Spiritus sancti impulsu, non curiositate mota, surgit, & in montana egreditur. Mulierum, & maximè virginum est, domi

parietes custodire. *In diebus illis*; non statim profecta est post Angeli discessum, sed vno, aut altero die domi se continuit (quæ auctorum censio est) in diuinarum rerum meditatione, coniunctâ cum gratiarum actione, se exercens. Post accepta beneficia nihil potiùs iusti cogitant, quàm vt conferenti gratias agant.

115. *Cum festinatione*, Græcè *μετὰ σπουδῆς*, *cum studio*, seu *diligentiâ*. Syrus vtitur aduerbio *betilon*, *sedulò, diligenter*. Festinatio diligentiæ, ac sedulitatis indicium fuit: qui in Dei obsequio cunctabundus incedit, graduque testudineo, diligens audire non debet, sedulusque.

Abiit Virgo in montana, sed non sola; comitati sunt eam Angeli, comitatus est fòrs & Ioseph: quod si quis obiiciat, eum non interfuisse mutuæ inter Mariam, & Elisabeth salutationi; responderi potest, potuisse illum vnâ operâ Ierosolymam ascendere ad diem solemnem, prout fieri consueuerat, cum instaret Pascha, permissa vxore vlteriùs abire ad inuisendam, iuuandámque cognatam. Disce, nihil à Dei cultu iustos auocat; nunquam obsequij, quod Deo exhibendum, obliuiscuntur.

116. Censent aliqui, & vero simile est, Virginem transeuntem per Ierusalem, Dei templum visitasse, causâ gratiarum actionis, ob accepta diuina beneficia; quod vtinam in exemplum abiret nec tam facile, & quâcumque occasione accepta Dei dona altâ obliuione sepelirentur.

Iuit in montana Virgo, Dei Mater facta: ad Elisabeth perrexit, difficile, ac longum instituens iter. Nullum hic vestium apparatum lego, nullum curruum, equorúmve: nullum famulorum, ornamentorum nullum: humilitas, charitas, verecundia, prudentia, sedulitas, cæteræque virtutes comites Virginis fuêre, fuêre in ornatum.

117. Ibat cum festinatione Maria, quis eam vrgebat? ille, quem suis clausum tenebat visceribus; *Instigante*, ait sanctus Epiphanius, *Christo, perrexit Virgo cum festinatione, qui rapido cursu eam in montana ducebat*. Moras Christus amolitur, vbi est; nescit in bono cunctari, qui cunctorum Dominum habet ducem.

Instigabat Virginem Christus, quia foras prodeundum; adeo quippe silentij & solitudinis amica Maria erat, vt claustra egressura vrgenda esset; non facile in publicum itura nisi à Christo instigaretur; aliæ mulieres vrgeri debent, vt domi contineantur; Dei Mater vrgetur, vt foras prodeat, & in hominum conspectum se det.

118. Statim, ac Dei Mater facta Virgo est, se contulit ad Elisabeth, vt scilicet congratularetur cognatæ, quòd, præter expectationem, in senectute tanti filij mater effecta esset. Ab omni inuidiâ immunis Virgo erat: non sola Dei donis cumulari volebat: lætabatur, & aliis communicari.

Ad cognatam perrexit, vt Ioannes Spiritu sancto repleretur, repleretur & Mater: postquam enim Virgo, Iesu Mater effecta est, cœpit ardentiùs quærere non quæ sua erant, sed, quæ ad nostram salutem spectabant.

Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.

119. IN Zachariæ domum se Virgo contulit, qui mutus redditus fuerat, & adhuc erat; scilicet illi præcipuè Virginis præsentiâ, ac patrocinio fruuntur, quos pœna aliqua, aliqua tribulatio premit; eadem domus & Virginem inquilinam habet, & tribulationem.

In domum Zachariæ, à viro nominatur domus, non ab vxore, licet hæc, non ille quæreretur; quia sic in more positum est; cum vir Dominus dicatur, & denominatio à nobiliori fieri debeat, Domus viri dicitur, quia possidetur ab ipso; mulieris dici posset; quia perpetua debet esse domus inquilina.

Salutauit Elisabeth; quin prior salutauit; decet enim Beati Ambrosij verba sunt *vt quantò castior virgo, tantò humilior sit*: Virginis magnitudo, & excellentia in hoc maximè sita est; si quæ gradu cæteris sublimior est, se omnibus humilitate subiiciat? Virgo non meretur audire quæ non nubit humilitati.

Salutauit, Syrus, *precata est pacem*; fors com- 120.
muni illa salutationis formula vsa est, *Pax tibi*. Vxorem Zachariæ salutauit Maria, cur non Zachariam? Fors quia aberat, vel quia ad rem non pertinebat id dicere; vel denique non salutauit, quia cum surdus esset, audire salutationis verba non poterat.

Virgo salutauit Elisabeth, sed vbi? numquid extra domum vagantem? minimè. Ingressa eius domum, in domo eam salutauit: Indigna Elisabeth Virginis salutatione fuisset, si ipsam Virgo extra domesticos domûs parietes otiosè palantem, & cursitantem inuenisset. Disce publicum vitare, amare secretum.

Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth.

AD Christi, eiusque matris aduentum & Eli- 121.
sabeth, & Ioannes exultant, nemo vero gaudio exilire potest, nisi Christi præsentiâ. Risus, & exultatio sine Christo, sine Virgine, mera insania est.

Exultauit infans. Peritè de hac infantis in matris vtero exultatione philosophatur Franco Abbas tom. 7. de gratia Dei: *Agnoscit seruus Dominum, miles Regem, proco Iudicem, & quâ potest voce, exultatione scilicet gaudij, mundo inclamat aduentum Iudicis sui. O nouitas? ô miraculum! ô pulcherrimum & theatro mundi incognitum spectaculum! Paruuli in vtero sibi inuicem alludunt, sed non sicut Ismael cum Isaac alter alteri illudit. Ecce paruuli nostri, sicut illi in vtero Rebeccæ contendunt, non tamen vt alter alterum supplantet, sed vt alter alterum mundo commendet.*

Tantum nuda salutatio Virginis profuit! mox vt Mariæ vox matris auribus insonuit, affecit filium vtero clausum, eius cor ita penetrauit, & tanto cumulauit gaudio, vt præ lætitiâ subsiliret: quanta à Virginis intercessione bona speranda sunt?

Exultauit, Græcè, *ἐσκίρτησε, saltauit, subsiliit*: non mysterio viduus hic motus hæc exultatio fuit. Putant aliqui, infantem in vtero matris se conuertisse, ne humeros Christo obuerteret, & post tergum eum haberet, vt vel habitu corporis Christum ob oculos habendum doceret, & eius præsentiam commendaret.

Exultat in vtero infans: nullam infantiam no- 122.
uit infantia ipsa, vbi adest Maria. Tantæ Virginis præsentia (addo) & memoria vrgere omnes debet, vt citissimè omni torpore excusso munera obeant sua.

ſua.Præiuit Ioannes,qui præſente Mariâ exultat in matris vtero, vt ſtatim Præcurſoris officium exerceret,Domini ſui aduentum prænuncians.Præclarè Beda. *Intrante Mariâ, in vtero genitricis exultauit, & precurſionis ſuæ cognoſcens officium , Domini, quantùm adhuc potuit Euangelizauit aduentum.* Verus Virginis cultor cunctari neſcit in munere ſuo obeundo.

Quid longas trahat Ioannes moras ; officium ſuum impleturus , cùm tam feſtina fuerit ad eum inuiſendum,quæ aderat Virgo? Abeſſe torpor omnis debet,vbi adeſt ille, qui in aliorum exemplum celer eſt.

123. Sed vnde tanta Virgineæ voci virtus , & efficacia ? Verborum eius virtus à Verbo , quo fœta erat,profluxit. Plerunque valde exigua concionatorum verbis ineſt vis , ſi contingat eos Christi Spiritu non eſſe plenos ,ſed intùs nequitiâ madere , omnique iniquitatum genere ; quod à ſuis Chriſtus auertat.

Et repleta eſt Spiritu ſancto. Eliſabeth vocem Mariæ prior quidem audiuit , ſed Ioannes prior gratiam ſenſit ; priùs repletus filius , quàm mater; ſed repletur mater,quia repletur filius.

Et exclamauit voce magnâ , & dixit : Benedicta tu inter mulieres,& benedictus fructus ventris tui.

124. INgenti gaudio perfuſa Eliſabeth, non potuit, ſe continere,quin erumperet in clamorem. Vocem magnam emiſit , quam magnus ſpiritus feruor efformauit.

Benedicta tu inter mulieres : Iiſdem vtitur verbis Eliſabeth , quibus & Angelus ſalutans Virginem vſus fuerat ; tanquam conſcia eſſet ſermonis,quem Angelus ad virginem habuerat : hoc quippè reuelauit ei diuinus ſpiritus.

Et benedictus fructus ventris tui : Particula, *&*, non copulandi tantùm vim habet , ſed etiam cauſandi ; Maria quippè ſuper omnes mulieres pronuntiatur benedicta ; quia ſcilicet benedictus fructus ventris eius : à fructu benedictio reflectitur in arborem, & à Filio in Matrem. Sed obſeruandum eſt , Mariam inter omnes mulieres hîc dici benedictam ; Filius ſine vllâ comparatione ſimpliciter dicitur benedictus : ſine vllâ ſcilicet reſtrictione , quia benedictus eſt , & quà homo , & quà Deus , & idcirco in hominibus benedictus minimè ſalutatur.

SECTIO XII.

Et vnde hoc mihi , vt veniat Mater Domini mei ad me?

AC ſi diceret : qualis ego ſum ? quid boni feci? quid promerui ? vt Dei mater ad me veniret? Hic iuſtorum mos ; vt quò maioribus beneficiis, ac donis à Deo cumulantur , eò de ſe humiliùs ſentiant,eò magis ſe demittant. 125

Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ab eadem mente, ab eodem humilitatis ſenſu hæc verba pronuntiauit poſtea Ioannes Matth.3. verſ.14. *Ego à te debeo baptizari,& tu venis ad me?* Matth.3.14.
Matris mentem,& ferè verba in matris vtero Ioannes didicit ; vt colligeremus, ea verba,ea monita à matrum ore prodire debere , quæ alte filiorum mentibus inſideant adeò, vt infantes, vbi adoleuerint , eadem efferant ; mores quippè cum lacte bibunt.

Eliſabeth , quæ tantum filium , qualis Ioannes 126.
erat, conceperat, quæ tot diuinis beneficiis cumulata fuerat , indignam ſe putat , quam Virgo Dei mater inuiſeret. Quid nos dicere debemus, qui ab Eliſabeth ſanctitate adeò diſtamus, cùm Virgo ſuâ ope,ſuo auxilio viſitat, & tot muneribus cumulat?

Vnde hoc mihi. Hoc matri infans ipſe ſuggerere potuit : conſonat quippe cum illis verbis , quæ poſteà Ioannes dixit Chriſto,dum hic vellet ab eo baptizari : *Ego à Te debeo baptizari , & Tu venis ad me ?* Matth.3. Huc nos vocat ducitque Sanctus Matth. 3.
Chryſoſtomus orat. in Sancta Theophania,vbi ſic loquentem Ioannem facit : *Ego à Te debeo baptizari & Tu venis ad me ? Quis ſis, enim ſcio. Tu Te mihi notum eſſe noluiſti. Quid me celas, qui Te noui? vel etiam tum , cùm matris vtero continebar , fallens naturæ leges : & quia nondum maturum erat,exitum è ventre non inueniens , intuebar tantummodò Te, quem Mater vtero ſanctiſſima geſtabat. Noui enim ego tunc Te : cumque fandi impos eſſem , parentis os mea mutuans ,* IPSE PER EAM CLAMAVI , *ſcilicet: vnde mihi, vt ad me veniat Mater Domini ? Nihil illic cùm feſellerim , hîc celauero ? Ego debeo à Te baptizari , & Tu venis ad me !*

Vnde hoc mihi : Non ex matris tantùm mente 127.
hæc verba ab ore matris exiere , ſed etiam ex filij. Ioannes ita in matre clamabat;cùm ex ſe non poſſet : &,qui in ventre matris didicerat,ſe demittere, demiſit ſe etiam extra,cùm diceret : *Ego à te debeo* Matth.3.14.
baptizari,& tu venis ad me ? Ac ſi illud idem diceret , quod ad eius mentem dixit mater ; vnde hoc mihi , vt veniat Dominus meus ad me ? Maturè ſe demittere didicerat Ioannes : demiſit ſe,antequam è matris ventre emitteretur.

Ecce enim , vt facta eſt vox ſalutationis tuæ, in auribus meis,exultauit in gaudio infans in vtero meo.

VIx Virginis vox Eliſabeth auribus excepta 128.
eſt, cùm ſtatim infans Ioannes , matris vtero clauſus,exiliuit.Hunc autem motum non dolentis, ſed gaudentis fuiſſe, ex eo mater ſenſit , quod ſine læſione matris acciderit,ac ſine vllo dolore.Etiam Spiritu ſancto reuelante ſcire hoc potuit.

Exultauit in gaudio, Græcè *ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, subsiliit in exultatione*; vel vt vertit interpres Origenis, *exultauit in exultatione*, Syrus; *exultauit in gaudio magno*. Exultat adhuc in matris vtero existens Ioannes; vt innueret, quid officij postea esset præstaturus Christo, præconis nimirum, ac præcursoris; postea voce facturus, quod adhuc vtero clausus faciebat gestu: nimirum in Dei obsequio mora omnis amolienda est; tempus, & ætatem anteuertere quisque debet; quod Ioannes exemplo docet. Præstandum aliquid in Dei cultum, & gloriam? quid moraris? quid expectas? Ioannes in vtero matris incipit officium suum obire: plerique tandiu differunt, donec terræ vtero excipiendi sint.

129. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quæ anteà erubescebat, vt se priùs absconderit & occultauerit mensibus quinque, nunc se prodit, apertè fatetur se grauidam. Nimirum (Bedæ verba sunt ad hæc verba.) *Qua occultabat se, quia conceperat filium; iactare se cœpit*, QVIA GENERABAT PROPHETAM: *&, qua antea erubescebat, benedicit; &, quæ dubitabat antè, firmatur.* Nulla erat pudoris causa, occasio nulla, vbi nasciturus erat Dei propheta præcursor Domini. Pudorem omnem posuit Elisabeth, infantis exemplum sequuta: in Dei statim laudem exiliuit, vbi exultantem in suo vtero infantem sensit.

Adhuc in vtero, prædicatoris munus exercere Ioannes videtur: & à peccato liber factus ad eum, qui peccata solus dimittit, omnes inuitate: illius fors huc spectauit saltus. *Nondum natus Ioannes*, inquit Sanctus Leo serm. 5. in Epiphaniâ, *prophetica exultatione commotus est, & quasi etiam intra matris viscera iam clamaret: Ecce agnus Dei: ecce*, QVI TOLLIT PECCATA MVNDI. Ostendere conatur medicum, vt ad eum ægri omnes accurrant.

130. Vox erat Ioannes: vocis exercet munus, antequam possit loqui. *Antè enim Dei loquitur* (inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 87.) *quam perueniat ad vocis officium.* Toto corpore loquitur, quia solâ linguâ non potest. Nimirum, moræ sunt omnes amoliendæ, cùm in Dei gloriam resilit, quod præstandum.

Exultauit in gaudio infans in vtero; cur exultauit antequam nasceretur? *Exultat Ioannes in vtero*, ait Sanctus Ambrosius, *antequam nascitur; vt, priusquam oculis mundi habitum recognoscat, spiritu mundi Dominum recognosceret.*

Et beata, quæ credidisti; quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

131. Virginem laudat Elisabeth; beatam, ac felicem vocat, non ob diuitiarum terrenarum copiam, non ob mundanam prosperitatem, bonaque peritura, sed quia Deo suo credidit: scilicet extima bona ad veram felicitatem, ac beatitudinem nihil faciunt; impediunt eam potiùs, aut inficiunt. Fatuus iure audiat, qui se felicem rerum periturarum copiâ putat, aut alios censet.

Beata, quæ credidisti. Cognouit Elisabeth ea omnia, quæ dicta erant ab Angelo Mariæ; cognouit quoque Spiritu Dei reuelante, quod Virgo crediderat. Sed cur reuelauit, cùm posset ipsamet Virgo omnia per se ipsam exponere cognatæ? An Virginis humilitati, ac verecundiæ consultum est? vix enim Virgo adduci poterat, vt ea narraret, quæ in suam gloriam, ac excellentiam vertebantur.

132. Vix reperias Mariam, aut ne vix quidem, de Christi sui miraculis aliquid dixisse. Non de illis tantùm tacuit, sed & in illis; ne se videretur efferre, si Filium commendaret. Audiendus hîc Sanctus Bernardus serm. de Beatâ Mariâ: *Toties Maria Filium audiuit, non modò turbis loquentem in parabolis, sed discipulis seorsum Regni Dei mysteria reuelantem: vidit* MIRACVLA *facientem: vidit deinde in Cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem. Sed in his omnibus, quotiens verecundissimæ* VIRGINIS, *quotiens pudicissimæ turturis* VOX MEMORATVR AVDITA?

Quoniam perficientur in te: Et non iam perfecta erant, quæ dicta ei fuerant per Angelum? Mater Dei iam effecta erat; Dei Filium in vtero conceperat; quid adhuc reliquum erat, quod perficeretur? conceperat, & Dei Mater erat; sed adhuc non parturierat, adhuc Filio nomen non imposuerat, adhuc per miracula magnum, & Altissimi Filium se non ostenderat; & idcirco dictum est *perficientur in te* Iustorum hæc consuetudo, vt ad ea, quæ futura, respiciant; eorum, quæ perfecta in illis sunt, ferè obliuiscuntur; ad anteriora se extendunt, posteriorum obliti, vt de se dicebat Apostolus. 133.

Quoniam perficientur in te. Non ait, *quoniam tu perficies:* hic iustorum mos, vt Diuinæ virtuti omnia tribuant, nihil humanæ fragilitati. *Perficientur:* sed à quo? à Domino: alterius cuiuslibet virtus impar est rebus istis perficiendis, quæ à Deo per Angelum dicta sunt.

A Domino: Non ait ab Angelo: Angeli quippe verba Domini fuerunt, cui ea singula præscripsit Deus: vnde illa excepit Virgo, non tanquam ministri, sed tanquam Dei.

SECTIO XIII.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.

ET *ait Maria.* Non altâ voce, vt Elisabeth, exclamat, ne tunc primum, cum canticum proferebat, Spiritu sancto repletam fuisse crederemus: antequam sacra huius Cantici verba promeret, repleta erat, Elisabeth repleta est canticum suum prolatura. 134.

Exclamauit Elisabeth, Maria non exclamat; quia illa noua, & magna mysteria intelligebat, quæ illi tunc primùm reuelabantur: Maria mysteriorum non ignara, nudè ait, *magnificat anima mea Dominum.*

Et ait Maria. Pagninus; *Tum ait Maria*; scilicet, cùm eam Elisabeth laudaret. Pende, di- 135.

rectè

rectè Virginem cognatæ verbis non respondere; nimirum cognoscens Maria Elisabeth verba à Deo dictata, & inspirata, in Deum mentem, animumque conuertit, & in illius laudem prorumpit. Hic sanctorum mos, vt quàcunque occasione data in Deum, Deique laudem rapiantur.

Et ait Maria; non expectauit, omnia, quæ in eius laudem erant, Elisabeth proferre; ferre vix potuit prima laudis verba, quum laudem in Deum flectit, vt vel sic à sui laudatione cognatam auerteret. Magnorum est, laudes etiam magnas vitare, & eas omni arte ab se repellere.

136. Statim in Dei laudem, ac gratiarum actionem erumpit Virgo; statim silentium rumpit, quæ adeò silentij amica, ne ad Dei dona ingrata putaretur.

Magnâ, & eximiâ laude ab Elisabeth Virgo cumulata, totam laudem in Deum coniicit, nihil in se esse nouit dignum, quod commendaretur: tanta Virgini humilitas inerat.

Laudata ab Elisabeth virgo statim in Diuinas laudes erupit; quo exemplo monemur, quicquid, in nobis laude, & commendatione dignum est, in Deum bonorum omnium auctorem referendum; magni nimirum refert in Deum magna quæque referri, ne, si in nobis sistantur, pereant.

137. Maria alibi in loquendo parcior, hîc in Dei laudibus effusior est: quo virgines de silentij custodiâ monentur: in diuinis verò laudibus concinendis, orationibusque fundendis, vberiori, prolixiorique sermone vti posse docentur.

Magnificat; non ait: magnificabit; diù differri non debet: quod in Dei obsequium, laudemque præstare statim possumus.

Maria soror Mosis, antequam Canticum Deo caneret, excitauit se prius dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Exod. 15. Dauid sæpè hoc idem præstat. Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum.* Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Virgo non dixit *lauda*; *magnifica anima mea Dominum*; sed *magnificat*; quia semper prompta, semper in Dei laudem parata erat; quin eodem tempore, quo Elisabeth eam laudabat, Dominum tacitè benedicebat, magnificabat.

Exod. 15.

138. *Anima mea*: non dixit *labia mea magnificant*, Deus quippè potiùs mente, ac animo, quàm nudâ voce magnificandus: facile laus erescit, quæ non ex corde, sed ex labiorum extimâ superficie prodit.

Dominum: Dixisset filium, dixisset sponsum, aut patrem. Poterat hæc omnia dicere, sed abstinuit; ne laudem sibi aliquam adscriberet; nam sponsi, filij, aut patris laus in filiam, matrem, sponsamque resilit. Laudem omnem in Deum virgo coniecit; idcircò nudè *Dominum* dixit, nec *suum* addidit.

139. *Anima mea*; verè sua; ne putes summum gaudium, & supera Dei dona, matrisque Dei dignitatem, aut quælibet aduersa virginem ab animæ suæ possessione aliquando deturbasse, ac deiecisse; quod sæpè in nobis fit; rebus enim secundis, nimis extollimur; aduersis nimis premimur, vt animam possidere non videamur, ac si nostra non esset, esset affectuum, qui nos corripiunt; scriptum est: *in patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras*; possedit virgo, quæ patiens in aduersis fuit in prosperis humilis; vt iure diceret; magnificat anima mea Dominum.

Sua erat anima, sua, non diuitiarum, non humanæ gloriæ, non rerum periturarum; qui huiusmodi est, laudare Deum potest, & magnificare, ineptus diuinis laudibus concinendis qui terrenis nimium adhæret, vt eius anima non tam sua sit, quàm rerum suarum.

Dominum: Probabile aliquibus est, Hebraicè יהוה *iehouah*. Dominum efferr Maria, non sua, non seipsam. Deum non magnificat, qui se magnum facit, dicit, sentit; sed qui se nihil. 140.

Et exultauit spiritus meus in Deo, salutari meo.

INgenti gaudio Virgo perfusa est; sed signatè addidit, *in Deo*, veri quippè gaudij, & exultationis materia solus Deus est; extra ipsum nec gaudium verum, veramque lætitiam reperire est.

Exultauit spiritus meus; præteritum pro præsenti *exultat*, sicut & supra dixerat, *magnificat*. Exultare corporis est; hîc spiritui tribuitur; quia spiritali quodam mentis tripudio Virgo agebatur, gaudio subsiliebat, gaudio quodammodo extra se rapta.

Exultauit spiritus meus: Aliter eius parens Dauid. *Cor*, inquit, *meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Maria animo exultabat, non corpore: quòd caro iam sic in spiritum, (ita dicam) immigrarat, vt caro spiritualis quodammodo facta videretur. 141.

In Deo: Græcè ἐπὶ τῷ θεῷ *super Deo, de Deo*: non exultat in se, sed in Deo. Deus solus gaudij, & exultationis materia est, & obiectum.

Salutari meo, τῷ σωτῆρί μου, *Saluatori meo.* Syrus vocabulo vtitur à vitâ deducto, *mahioni, viuificatore meo*; vitæ quippè expers est, qui Saluatoris auxilia non sentit: mortuus, & conclamatus est, qui sine Christo est. 142.

Sed cur Saluatorem, seu salutare suum Deum vocat, qui communis totius humani generis Saluator est? Peculiariter vocat suum Maria, ingentis amoris causâ, & summæ gratitudinis vehementiâ: tota nimirum virginis mens in diuinarum gratiarum consideratione æstuabat. Quid, si dicamus, *Saluatorem suum*, Deum a Virgine appellatum; quia nimirum ex eo, quòd Virginis futurus, totiùs quoque esset humani generis saluator, tanquam si nostrum omnium salus per Virginem ad nos transmitteretur, transfunderetur.

SECTIO XIV.

Mariæ *humilitas expenditur.* 143
Respicere *in Diuinis misericordiam vt notes.* 144
Filij laus *in matrem resilit.* 145
Verus humilis *Diuinorum donorum magnitudinem respicit, non suam.* 145
Dona Virgini *collata inexplicabilia:* 146
Potentiæ *nexus & sanctitatis expenditur.* 146
Iusti aliena beneficia *respiciunt vt sua.* 147
Deus *efferendus etiam cùm alios donis suis cumulat.* 147
Tunc maxima Dei *iustitia animis voluenda, cùm eius* beneficiis *ditamur.* 148
Dignitates *& culmina honorari debent etiamsi indigni; qui ad illas accurrunt.* 149
Superbi *à sedibus auelli vix ferunt.* 149
Non implent, quæ vera bona *non sunt.* 150
Maria *humilitatis magistra cauit ne de se aliquid sublime diceret.* 150. & 151

Quò quisque amplius à Deo *effertur eò cautiùs se vbique demittit.* 152

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Ecce enim ex hoc beatam omnes generationes:

143. R*Espexit:* Respicere plus est, quàm videre. Virginis humilitatem respexit Deus, tanquam rem, quâ maximè delectabatur, respexit & alia sed præ aliis humilitatem.

Non dixit, *respexit ancillam suam*, sed *humilitatem*, Græcè ταπείνωσιν, *exiguitatem ancillæ suæ.* Humilitas nouum se demittendi modum docuit; non ancillam tantùm se dicit, sed ancillam vilem, & vel ancillæ nomine indignam. Non gloriatur, quòd humilitatis virtute prædita sit, sed conditione humilem, vilemque se fatetur.

144. *Quia respexit.* Respicere in diuinis litteris misericordiam, & beneficentiam notat, hinc illud:
Psal. 24. 16. *Respice in me, & miserere mei.* Psal. 24. 16. vt posterius sit prioris exegeticum. Sed quæri potest cur quo beneficio à Deo affecta sit virgo non exprimat? An omisit, quia Elisabeth id probè nouerat? An tacuit præ humilitatis studio, tanquam mallet singulare Dei beneficium animo voluere, & apud se expendere, quàm verbis prodere, linguâ explicare? quod eos notat, qui facilè bona quæque iactant, nec supprimere sciunt.

Beatam me dicent omnes generationes: Cur de futuro pronuntiat, se beatam dictam iri à venturis generationibus, cùm etiam ante multi tum prophetæ, tum sybillæ, tum Angeli beatam prædicauerint: Quia, post completum incarnationis mysterium, & toti mundo per Apostolos promulgatum, expressiùs pleniùs omnis natio, populus, sexus, conditio magnis laudibus Virginem erant prosecuturæ; vt posteriores laudes priores cumulent, superentque. Præterea, cùm hic prophetico spiritu loquatur, ad futurum potiùs, quàm ad præteritum respexit; hoc enim, etiam sine prophetiâ, sciri poterat.

145. *Omnes generationes*; quî scire virgo potuit, se omnium gentium, ac generationum laudibus celebrandam? An, quia sciebat, omnes gentes commendaturas esse Christum? Filij autem laudem omnem, & in matrem refundendam; nam filij gloria etiam matris est; Præterea hoc ex filio, quem vtero gestabat scire potuit, & à Spiritu, quo obumbrabatur discere.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.

P*Oterat ita loqui: quia fecit me magnam, qui potens est*; poterat, sed noluit: volebat quippè diuinorum donorum potiùs magnitudinem cognosci, quàm suam. Humilis magnis se muneribus donari cognoscit, & fatetur; magnum se fieri prorsùs ignorat.

146. *Fecit mihi magna*; non explicat quæ fuerint, Dei quippè dona Virgini collata explicari nequeunt, & ipsamet quæ dona excepit donis explicandis vix par esse videtur, aut ne vix quidem. Tacuit ne illius ore vilescerent, si ad eius mentem loquamur.

Magna, Græcè μεγαλεῖα, *magnalia, magnifica*; quia sigillatim explicari nequeunt ea, quæ à Deo accepit dona, vno nomine cuncta comprehendit: silentio quippè plura explicat, quàm loquendo.

Deum efferens Virgo, eius potentiam, ac nominis sanctitatem inter se copulauit dicens; *qui potens est*, & statim, *& sanctum nomen eius.* Rectus iste nexus potentiæ, ac sanctitatis; Vt discant reges, principesque viri, sanctitatem potentiæ copulandam. Nudum imperium sanctitate viduum, monstrum quoddam est, ac quoddam spectrum. Impotens potentia illa est, quæ vidua sanctitate.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

V*Ix diuina in se collata beneficia Virgo, nar-* 147.
rando, tetigerat, cùm & in aliena mentem dirigit, linguam flectit, tanquam de alieno bono non minùs, quàm de suo gauderet, & pro vtroque gratias Deo ageret. Nimirum virgo nobis collata beneficia censet sua, & gratias, sicut pro suis fecit, pro nostris agit. Hæc iusti nota est, & ab omni inuidiâ prorsus alieni.

Et misericordia eius, à progenie in progenies timentibus eum. Non sua duntaxat beneficia effert, sed etiam ea, quæ aliis conferuntur. *Non ergo, inquit* (Bedæ venerabilis sunt verba) *soli mihi fecit magna, qui potens est; sed & in* OMNI GENTE *& progenie, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Gaudet nimirum Virgo etiam in alios Diuinæ beneficentiæ munera spargi; Deumque laudat, quòd alios donis suis cumulet, bonis suis beet.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

D*Ei misericordiam priùs extulerat; hîc à iu-* 148.
stitia Deum laudat: nimirum tunc maximè Dei iustitia animo voluenda, cùm eius beneficiis cumulamur; quod Virgo hîc in omnium exemplum præstitit.

Potentiam, Græcè, κράτος, *robur*, seu, vt aliqui vertunt, *victoriam.* Humilis Virgo, & humilitatis amica Dei fortitudinem explicat, quâ superbos deiicit, ac dissipat.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

N*On dixit: deposuit potentium sedes, sed, depo-* 149.
suit potentes de sede, quia dignitates, & culmina non merentur vituperium; merentur illi, qui superbiâ, & fastu pleni ad dignitates adcurrunt, in culmine sedent.

Deposuit, Græcè καθεῖλε *detruxit*; inuitos scilicet, & repugnantes. Superbi siquidem adeò sedibus adhærent, vt ægrè, deponi, detrahique se sinant; exerit suam potentiam, ac fortitudinem Deus, vt eos à sedibus, sceptrisque auellat, & abstrahat.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

E*Surientes: πεινῶντας famelicos, id est, pauperes,* 150.
& egenes: opponit quippè diuites esurientibus. *Impleuit bonis*; non explicat quibus vt omnibus, & veris impletos intelligeremus; non implent, quæ verè bona non sunt.

Suscepit

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

ITà incarnationis myſterium circumſcribit. Poterat apertè dicere, ego ſum Mater Dei: electa ego ſum, quæ Dei filium in mundi ſalutem parerem. Abſtinuit ab his verbis humilitatis magiſtra, ne quicquam de ſe ſublime diceret.

151. *Suſcepit*: Syrus, *auxiliandi*, verbo vtitur, *Gadar* quippe auxiliari ſignificat. Græcè eſt, *ἀντελάβετο ἰσραὴλ*. Verbum, *ἀντιλαμβάνεσθαι*, eſt ſuccurrentis proſtrato, iacenti, afflicto, morboque correpto: ſic Act. 20. dicitur, *ὅτι οὕτως δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων*, id eſt, *Quoniam ita oportet ſuſcipere infirmos*. Factus ergo homo, Dei filius, Iſraëlem ſuſcepit, tanquam infirmum, vt eum ſanitati reſtitueret.

Suſcepit Iſraël: Per ſuſceptionem hîc Incarnationis opus intelligitur, in quo Deus ſemen Abrahæ apprehendit; vt rectè Virgo loquatur de eo, quem ipſa in vtero habebat: vbi vides quantam humilitatem Virgo exhibeat. Cùm enim dicere poſſet: Suſcepit Iſraël puerum ſuum: hominem induit, cuius ego electa mater, vt orbi illum parerem: nihil tale dixit, ab omni inanis gloriæ notâ prorſus aliena.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſecula.

152. NE quis putaret, hæc caſu; ac fortuitò geri; conſultò ait Virgo, hæc omnia antiquis patribus eſſe prædicta. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros.* Humilitatis magiſtra vbique humilitatis exempla affert; reuelata hæc diuini conſilij arcana antiquis patribus aſſerit; vt oſtenderet non ſibi ſoli communicata; quin loquutum Deum eſſe patribus dixit, non dixit loquutum ſibi; quod tamen modo magis ſingulari cum Virgine fecit, quàm fecerit cum prophetis nimirum, *quò quis ampliùs à Deo effertur, eò cautiùs ſe vbique demittit.*

SECTIO XV.

Manſit autem Maria cum illâ quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

BOnorum conſortium facilè deſerendum non eſt, nec citò iuſtorum domicilium relinquendum. Hoc docuit Maria, quæ vel tribus menſibus in Zachariæ domo commorata eſt. 153.

Menſibus tribus, μῆνας τρεῖς menſes tres, continuos, non interruptos, neque aliò diuertit, aliò excurrit Maria; vbi ingreſſa eſt domum Zachariæ, ſecreti quippè amica, publicum vitauit; Mariæ exemplo diſcant mulieres, vbi ſe in quampiam domum receperint huc, illuc non curſitare.

Quaſi menſibus tribus: Adfuiſſe Virginem cùm natus eſt Ioannes aliquorum cenſio eſt; adiiciunt alij Mariam de terrâ Ioannem leuauiſſe; Sancto id Petro Damiano reuelatum non alienè nonnullis viſum; ex his ſancti huius Patris verbis ſerm. 23. *Ex hinc Virgo feſtinat ad Eliſabeth, & tribus menſibus præſentia ſuæ cognata dignatur hoſpitium, donec noni menſis fine concluſo, natiuitas imminet Patriarchæ. Alij, qui librum iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quod* IPSA DEI GENITRIX FELICEM PVERVM PRIMVM DE TERRA LEVARIT, *& cognata partum omni proſecuta ſit ſeruitute.*

Ferè tres menſes apud Eliſabeth manſit Maria, 154.
non ſolâ familiaritatis causâ, ſed ob filij, matriſque profectum; nam, ſi primo ingreſſu tantus extitit profectus; vt filius in matris vtero, ſupero Spiritu repletus, exultarit, mater eodem Spiritu plena prophetauerit, quantùm putamus, vſu tanti temporis, Mariæ Virginis præſentiam præſtitiſſe? ſi nuda ſalutatio tantum profuit, quantum profuiſſe credenda eſt continuata conuerſatio? Diſce aliorum profectum quærere, & vel proprio commodo præferre.

Domi ſuæ manere, & rebus diuinis vacare gratius Virgini fuiſſet; guſtum tamen alieno profectui poſtpoſuit.

Tandiu apud Eliſabeth manſit, donec tempus 155.
partûs adueniret; cui vt pleriſque placet, etiam interfuit; ſed cur ita? vt infantem videret, manibus contrectaret, exoſcularetur, & ſinu exciperet, futurum filij ſui præcurſorem? Proh quàm ſingularis Ioannis dignitas, quàm magna ſanctitas, quàm eximium priuilegium, vt eum contrectare, & complecti Maria voluerit! Nihil gratius Sanctis eſt, quàm Sanctos venerari, ac illis ſeruire; nimirum? quò quiſque ſanctior, eò in iuſtorum obſequio feruentior eſt.

In matris vtero Ioannes Virginem ſalutauerat; non ergo putandum eſt, eius Virginis aſpectu natum fuiſſe priuatum; conceſſum ergo illi eſt oculis corporis Dei matrem cernere, quo nil gratius, nil iucundius accidere illi poterat. Solent infantes, vbi in lucem prodierint lachrymas fundere, ſiſtere omnes lachrymas potuit Virginis aſpectus.

***

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium: & audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illâ, & congratulabantur ei.

156. NImirum post sterilitatis opprobriũ misericordiæ suæ lucem apparere Deus facit. Elisabeth partus misericordiæ opus appellatur; ingens quippè misericordiæ diuinæ signum, & indicium est, cum Deus iustorum aduentu mundum exornat.

Vicini, & cognati; cur prius vicinorum mentio, quàm cognatorum? An quia ad illos priùs fama peruenit, quàm ad istos? Vtrique ab inuidiæ liuore erant immunes, cum de aliorum bono lætarentur.

157. *Cognati*, Syrus *filij cognationis*. Illud *eius*, ambiguum est, & tum ad Elisabeth, tum ad Zachariam referri potest; sed Græcus fons ambiguitatem aufert, Græcè enim est αὐτῆς, vt ad Elisabeth referatur, non ad Zachariam, quamuis vtriusque intelligantur cognati.

Magnificauit Dominus misericordiam suam cum illâ, cur non *cum illo?* nam beneficium etiam Zachariæ commune erat? Erat, sed sola Elisabeth sterilitatis opprobrium patiebatur, ob idque dictum est prius, Dominum magnificasse misericordiam suam cum illa.

Congratulabantur ei, Græcè, συνέχαιρον αὐτῇ, *congaudebant ei*, scilicet Elisabeth. Neminem legimus congratulatum Zachariæ, sed multos Elisabeth, cur ita? An quia, cum mutus, & surdus esset Zacharias, ineptus erat, qui congratulationes reciperet, & conglatulantibus responderet?

158. *Elisabeth impletum est tempus pariendi*; meritò dicitur impleri tempus, cum iustus nasci dicitur: nimirum, Origenis verba sunt, *vbicunque iustus nascitur ibi complentur dies; ortus iusti plenitudinem habent; peccatoris natiuitas vacuitatem, atque inanitatem.*

Filiô optimô optimi parentes cumulantur; sed vnicè vnus Ioannes, multis filiis præferendus erat: hoc quoque in eius laudem resilit. *Procuratum est*, inquit Carensis Vgo, *à Domine, vt Ioannes esset Vnigenitus, & primogenitus, sicut Christus; vt nuncius similis sit Domino.*

Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum.

159. NOn adeò lætitiâ absorbentur iusti hi coniuges, vt Dei mandatorum obliuiscerentur; aucti filio, quem tam auidè cupierant, eum octauo die circumcidunt, nec tam ingens gaudium à Dei mandatis adimplendis eos auocauit; quod in exemplum abire debet.

Die octauo. Cur octauo die infantis circumcisio fit? An, quia infantium masculorum vita ante octauum diem inclusiuè in magno discrimine versatur; ne igitur periculum periculo adderetur, ante octauum diem circumcisionem fieri noluit Deus: cum mortis periculum infans euasit, tunc circumciditur. Etiam apud Romanos nono die nomen masculis imponebatur; quia septimus anceps erat, octauus fæminis adscriptus, vt obseruauit Plutarchus *in lib. quæst. centurias*. Hoc ad spiritalem circuncisionem, & mortificationem carnis transferri potest; ita corpora nostra mortificemus, vt mortis periculum non incurramus: quò aliqui indiscretè feruntur, sui carnifices facti.

Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

FRequens, præsertim prisco æuo, erat, vt filiis parentum nomen imponerent; vt eorum referrent mores, quorum nomine insignirentur. Quàm decet sanctos, & innocentes esse parentes, quos filij tenentur exprimere re, nomineque referre! 160.

Hinc colligitur nomen non priùs infantibus impositum, quàm perfecta & absoluta esset circumcisio; & falluntur, qui putant ante ipsam: post circumcisionis mentionem, impositionis nominis mentio fit, quæ illam consequebatur, vt monuit etiam Theophylactus. Transferre ad spiritalem circumcisionem hoc possumus. Tale quisque nomen sortitur, qualem eius mortificatio indicat: à mortificatione & sensuum, & passionum accipere quisque nomen debet; vt sanctus, ac perfectus dicatur, qui perfectè mortificationem subit.

Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes, est nomen eius.

CVm cognati vellent filium de patris nomine Zachariam vocare, respondit mater; *nequaquam, sed vocabitur Ioannes*: hoc ipsum non linguâ, sed scripto Zacharias testatus est: quod vxor sentit, sentit & vir; nesciunt sensu discrepare, quos concordia iunxit, amor copulauit. Exemplum coniuges habent, vt idem sentiant, nec verbis, & opinionibus digladientur. 161.

Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

REstitutus est Zachariæ vocis, & linguæ vsus; incredulitas loquelam abstulit; fides reddidit; obstructum ei os fuerat; quia Angeli verbis minimè crediderat: nunc quia credit, & obedit, mandatque litteris nomen, quod ab Angelo audierat, os aperitur, vt loqui possit. 162.

Apertum est; sed à quo? haud dubiè, quin à Deo; rem produnt verba, quæ sequuntur, *& loquebatur benedicens Deum*; à Domino ei fuerat os apertum, cùm statim in Dei laudes prorumperet. Dæmon linguam solui studet, non in Dei laudem sed offensam.

Quæri hîc potest, quare non in natiuitate Ioannis, sed in eius circumcisione os Zachariæ apertum fuerit; An, vt noua nominis impositio nouo miraculo confirmaretur, ob idque apertum est os eius, non in circumcisione ipsâ, sed dum, absolutâ circumcisione, nomen imponitur infanti? Præterea miraculum hôc temporê factum est, ne Ioannis nascentis virtuti redditæ loquelæ miraculum tribueretur, sed illi, quem Zacharias aduenisse significauit, nimirum in Deum referri omnia debent, & diuinæ beneficentiæ accepta beneficia tribui. Præterea circumcisionis tempore loquela Zachariæ redditur, fors vt à nexu disceremus, sermoni mortificationem iungi debere. 163.

Et loquebatur benedicens Deum. Bene didicerat loqui, qui diu siluerat: vtile silentium fuit, quod linguam ad Dei laudem parauit. Optimum silentium est, quod Dei laudem concipit, ac parturit. 164.

Loquebatur benedicens Deum. Quàm vtilis tribulatio est! quàm vtilis inflictio pœnæ! Ab hac

Zacharias

Zacharias didicit Deum benedicere, ac celebrare: nullas querelas euomit, totus in Dei laudibus occupatus.

Benedicens Deum. Prima verba, quæ natus infans à patre audiuit in Dei laudem fuerunt. Abeunt ab hac notâ patres, qui inutilia, & imputa effundunt verba, quæ filij vna cum lacte ebibunt, tanquam prima doctrinæ rudimenta. Quidni alieni ab omni sanctitate adolescant?

Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens.

165. PEnde quàm diues in misericordiâ Deus sit. Zacharias ob infidelitatem loquelam perdidit; modò non loquendi tantùm facultate Dei bonitate donatur, sed insuper prophetiâ, quam ante non habuerat. Tanta Dei clementia est, tantumque patientia in rebus aduersis prodest. Quàm bonus est Dominus, & quàm facilis indulgere peccatis! Non solùm ablata restituit, sed & insperata concedit: loquelam diffidenti abstulerat, credenti cum loquela spiritum concedit prophetiæ.

166. *Et prophetauit dicens.* Prophetat Zacharias, & prophetat vera Elizabeth; sed paucis verbis ista, pluribus ille; vt vel in prophetiæ vsu verborum paucitas mulieribus commendaretur, mulierisque esse potius discere, quàm docere, rectè indicaretur. Huc quoque spectauit sanctus Ambrosius ad hæc verba: *Simul illud aduerte, quàm PAVCIS Elizabeth, quàm multis Zacharias prophetet: & vterque sancto repletus Spiritu loquebatur. Sed disciplina seruatur, vt MVLIER DISCERE MAGIS, quæ Diuina sunt studeat, quàm docere.* Extra suum sexum ne feratur vxor, offerens ea viris, quæ accipere à viris debet.

Et prophetauit dicens. Non vocem dumtaxat Zachariæ Deus restituit, sed addidit & prophetiam: adeò salutaris pœna illata fuit, vt ad dona maiora, quàm amiserat, eum parauerit. Nimirum, suos Deus dum affligit, cumulare eos donis potioribus quærit.

Diffidentia vocem abstulerat; fides & vocem reddit, & prophetiæ donum obtinuit. Pulchrè hic Venerabilis Beda: *Quanta superni muneris est largitas, si prompta ad accipiendum nostra fidei sit pietas. Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetia est restituta credenti.* Magna fidei est vis, quæ tam grandia illis obtinet, in quibus continetur.

Benedictus Dominus Deus Israel; quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

167. IVsti suis aliena anteponunt; hîc Zacharias beneficia populo collata priuatis præfert. *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel*, sed cur? An, quia concessit tibi filium, loquelam restituit, sterilitatis opprobrium abstulit? nihil horum recenset, sed tantum, *quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*: nimitum, tanquam vetus sacerdos, populi magis sollicitus est, quàm sui, & omnium salutem suis commodis præfert. Exemplum, quod præsules imitentur, nè posthabitâ suorum curâ, sua tantùm quærant.

Et erexit nobis cornu salutis in domo Dauid pueri sui.

EReXit, Græcè ἤγειρε excitauit. Addit, *cornu salutis*, id est cornu salutiferum, seu salutare, Hebraicâ phrasi. Per cornu regnum intelligitur: cornu sine carne est, & regnum vt stabile sit nihil carnale sapere debet. Rem de Christi regno explicat Beda dum ait: *Cornu salutis regnum Saluatoris Christi vocatur; ossa siquidem omnia carne inuoluta sunt; cornu excedit carnem; & ideo cornu salutis regnum Christi vocatur, QVO MVNDVS, ET CARNIS GAVDIA SVPERANTVR; in cuius figuram Dauid, & Salomon cornu olei sunt in regni gloriam consecrati*; Vix regni nomen cæterorum regum regna merentur, in quibus nudam ferè carnem omnia referunt, carnalémque sapientiam omnia sapiunt. 168.

Sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius.

PEr os, dixit; cur non *per ora*, cum dixerit prophetarum? vt statim intelligeremus, quod licèt vario, ac diuerso tempore prophetæ locuti sint, adeò concordi sensu omnes prophetauerunt, vt os vnum fuisse videantur.

SECTIO XVI.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

EX *inimicis nostris*; ex quibus inimicis, ex quibus hostibus liberaturus erat populum? De inimicis inuisibilibus loquitur, qui animorum saluti nocent, & animæ exitium quærunt: hi sunt peccatum, satan, mundus: cæteri, præ istis, inimici, & hostes esse non videntur; mitis omnis alia 169.

alia hostilitas est, si peccati, satanæque hostilitati comparetur.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.

NOn agit de propria patrum salute, sed de eâ misericordiâ, quam in posteros, filij aduentu, Deus exercuerat: sed cur de antiquis patribus ita loquitur, tanquam si præsens beneficium ipsis collatum esset? An, quia Patrum bonitas, & in filios pietas hoc fecit, vt, filiorum beneficium, suum putarent? Filios suos, quum vident patres, veris frui bonis, gaudent, & participes sunt lætitiæ, ac si patribus ipsis collata essent. Hæc verorum parentum nota est; alioquin abeunt à vero patris affectu adeò, vt nec patris nomen mereantur.

Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

170. ET si Dei promissio per se firma sit, nec Deus, quemquam decipere, possit; adhibet tamen iuramentum humano more, vt imbecillitati nostræ consuleret, consuleret infirmitati.

Ad Abraham; delectatus Abrahæ obedientiâ in filij immolatione pactum cum eo iniit, quod iuramento firmauit. Tantum prompta, cæcaque obedientia Deo placet.

Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

SIne timore: scilicet seruili, timisque soliciti; hic enim impedire Dei seruitium solet, non fouere: alioquin filialis amor in laude ponendus est.

In sanctitate, & iustitiâ coram ipso omnibus diebus nostris.

171. DE verâ, solidâque sanctitate loquitur, veràque iustitia, & ideò rectè additur *coram ipso*; vbi quis cogitauerit, se coram Deo esse, iustitiæ, ac sanctitati litabit, non fictitiæ, & simulatæ; sed veræ, solidæque.

Omnibus diebus nostris; non semel, nec paucis diebus, sed omnibus sancta ducenda nobis vita est. His verbis perseuerantia in bono commendatur,

Diebus nostris; nostri illi dies sunt, quibus Deo viuimus, & in Dei obsequio laboramus, pro *nostris*, Græcus legit τᾶς ζωῆς ἡμῶν *vitæ nostræ*.

Et tu puer propheta altissimi vocaberis.

172. CVr puerulum alloquitur, qui octo tantùm erat dierum? An præ affectus vehementiâ id fecit? An, quia puer omnia intelligebat, cum & in matris vtero præ gaudio exultauerit? Potuit vocē patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audiuit. Vbi Virginis ope boni aliquid perfecerimus, perficere alia poterimus, & semper proficere ab ea adiuti.

Præterea infantem alloquitur Zacharias, non pueri tantùm causâ, sed, vt eos, qui aderant, instrueret. Non suis tantum consulunt iusti viri, sed omnibus promiscuè; prodesse omnibus student, student omnes iuuare.

Et tu puer. Ad puerum sua verba conuertit. *Ne, cùm publicè*, inquit hic sanctus Ambrosius, *enumeraret sua beneficia*, QVASI INGRATVS TACVISSE VIDERETVR, *quæ agnoscebat in filio.* In patrem resilit, quicquid filio conceditur, sicut & in filium aliquo pacto deriuatur, quod datur patri. Hæc iustorum nota est, vt ad se quoque beneficia aliena coërceant, ne coërceant gratiarum actionem.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.

SCientiam salutis; id est scientiam salutarem; qualis non est illa, quæ inflat, & in superbiam erigit; Syrus legit, *scientiam vitæ*, scientiam scilicet viuificam. Vitalis, ac vitæ scientia non est, quæ in sanctitatem arietat, bonitatis nouerca, curiositatis mater à curiositate nata. 173.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.

NOn est contentus dicere *per misericordiam*, sed *per viscera misericordiæ*, significans intimum comiserantis affectum, quo ita Deus condoleat hominum miseriis, vt eos ipse sentire videatur.

Oriens; non participium, sed nomen est, nam Græcè est, ἀνατολὴ; Christi nomen est, qui oriens à prophetis dicitur Zach. 6. 12. *Ecce vir oriens nomen eius*; quod Chaldæus ita vertit. *Christus nomen eius qui reuelandus est.* Sed cur oriens dicitur? *quia in diebus eius orta est iustitia*, ait sanctus Hieronymus *in cap. 6. Zachariæ.* Præterea rectè *oriens* vocatur; quia veræ lucis ortum nobis aperuit, & filios noctis; ac tenebratum, lucis effecit filios. 174. Zach. 6. 12.

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

PEr tenebras, mortisque vmbras errores, & iniquitates intelligit; *sedent*, Græcè καθημένοις, *sedentibus*; vt seipsum Zacharias comprehendat, vt constat etiam ex verbis subsequentibus; licèt esset è tenebris ereptus Zacharias, de se tamen ita loquitur, ac si sederet in tenebris; quia scilicet erat vnus, ex illo populo, qui tenebris obuoluebatur. Hoc lumine sanctorum mens perfunditur, vt quò magis supero illustrantur lumine, eò de se demissiùs sentiant, & se ipsos aliis pares faciant, atque adeò postponant. 175.

Sed aliquis hic reponat, quî totus ille populus tenebris obuoluebatur quum plures adessent legisperiti, ac doctores, seniores plures, doctinæ luce, ignorantiæ tenebras discutientes? Doctrina magistrorum frigida erat, ac ieiuna, formans externos mores, neglectis interim animis; seniorum vitia grauissima erant; idcirco in ignorantiæ tenebris esse dicuntur: nimirum doctrinæ lux, quæ viræ sanctimoniæ iuncta non est, mera nox esse videtur: & eruditio, legisque peritia, quæ externum cultum respicit, interiori animi curâ neglectâ, meta imperitia est, & ignorantia.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; iam re ipsâ ambulabat Zacharias cum vxore; de illis quippe dictum superius est: *erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini*; cur igitur nunc se cæteris annumerat petens, vt Deus eius pedes in viam pacis, 176.

pacis,ac salutis dirigeret? An, quia hic iustorum virorum mos, vt cum perfectionis viam inierint,& per eam incedant, præ humilitate tamen se non incedere existiment? An, quia perfecti viri est præteritorum obliuisci, & in anteriora se extendere, & tam celeriter in Dei viâ progredi, ac si nihil itineris fecerint,nihilque in bono profecerint.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu,& erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ.

177. CRescebat corpore Ioannes, & confortabatur spiritu: continuos in sapientiâ, virtute, & gratiâ progressus faciebat. Semper ad maiora, ac meliora tendendum est. Nunquam in profectu sistit,qui Deum amat.

Confortabatur spiritu: Potior illi de spiritu cura, quàm de carne. *Multi confortantur carne*, ait sanctus Thomas hîc: *athleta autem Dei, spiritu roborandus est, vt sapientiam carnis elidat.* Carnis robur imbecillitas est: imbecillitas verò robur.

Et erat in desertis: Cùm octo plùs, minûsve mensium esset, desertum incipit inhabitare Ioannes, vt hominum consortia,quæ fere mentem maculant, vitaret,& ab Herodis manu se subduceret, qui ad necem eum quærebat. Homines vitauit Ioannes: sed pro hominibus, socios Angelos habuit; maiorque quodammodo homine factus est, qui homines vitauit,hominumque vitia.

178. *Et erat in desertis:* In desertum se contulit, licet puer; cur à multitudine se segregat, eremo delectatur Ioannes? cur non diutiùs expectat? *Ne populi*, inquit Simeon, *erga eum reuerentia euanescat, consuetudine conuersationis obfuscata*, semper minor hominibus videtur, qui videtur inter homines; qui sapit, hominum consortia vitabit, vt vberiorem postea fructum ex suâ prædicatione colligat.

179. In desertum se contulit Ioannes, in deserto vitam traduxit, ne scilicet testimonium quod de Christo daturus erat amicitiæ tribueretur; quæ plerumque extra veritatis limites amicos trahit, vt quò maiori affectu feruntur in amicos eò minori ferantur in veritatem. Præclarè istuc tetigit sanctus Chrysostomus hom. 25. de baptismo Christi, vbi ait: *Quando cognatæ matres erant* scilicet matter IESV & Ioannis Baptistæ *liquet & paruulos cognatos fuisse. Quoniam igitur cognati erant ne cognationis gratia testimonium dicere Christo videretur, ita disposuit Spiritus gratia, vt omnem ætatem Ioannes ageret in deserto: ne* AMICITIÆ CAVSA AVT EX COMPOSITO *talive quoddam artificio perhibere testimonium videretur: sed tanquam à Deo admonitus eum nunciaret.*

Et erat in desertis. In desertis erat, sed non desertum erat. Degebat puer in desertis, vt Dei sui 180.
semper cultior fieret paradisus. Nimirum, PRÆDICATOR POENITENTIÆ FVTVRVS (Bedæ verba sunt) *opportunum iustumque est, vt solitudinis aspera sequatur; & quò liberiùs iuuenis auditores suos à Mundi illecebris erudiendo sustollat, ipse etiam primæuam squalidus* IN DESERTIS *vitam transigat.* Vix, aut ne vix quidem liberè potest alios ad dura vocare, auocare à mollibus, qui ab istorum amore non est liber, & illorum amore non est captus.

Similis Eliæ Ioannes fuit, ambo deserta incoluerunt, summam victûs frugalitatem ambo secuti, vestitûsque neglectum. Elias iturus in cælum Iordanem diuisit: quid agit Ioannes? Ad lauacrum homines vocauit. Præclarè Beda: *Ille Iordanem cælum petiturus diuisit. Hic ad lauacrum salutare, quo* CÆLVM PETATVR, *homines conuertit.* Nimirum homines à vitiis abducere non minus est, quàm diducere Iordanem.

In desertum se confert Ioannes: mundumque 181.
fugit,vix mundum ingressus; vt nimirum mundi, & rerum mundanarum fuga, *perpetuum cum diuinitate stabiliret* CONSORTIVM, ait sanctus Petrus Damianus; serm. 23. Quod casso labore conatur stabilire,qui sequitur instabilia.

Lares suos deserit Ioannes, desertum incolit: cur domi manens patri non quæsiuit in sacerdotali dignitate succedere? Non tam dignus honore filius euasisset, si ad dignitates cogitasset; nec tam magnus fuisset,si ambiisset illam, quæ apud illum populum erat summa. *Decreuit*, inquit Sanctus Petrus Damianus serm. 25. *solitarius habitare*, nec dignatus est patri in sacerdotali dignitate *succedere, vt verum, summumque omnium sacerdotem* LIBERA POSSET VOCE PRÆDICARE. Plerumque dignitates, & culmina, vincula quædam sunt, quibus præsulum lingua ligatur, ne liberè illud proferant, quod debent.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT II. LVCÆ.

Vers. 1.

FACTVM est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.

Factum est a. *Arab. Et cùm factum esset. Tig. Factum autem.*
Exiit. *Syr. Vt exiret.*
Edictum. *Theoph. Decretum.*
Describeretur. *Tig. Censeretur. S. Ambr. Censum profiterentur. Ar.M. Describi.*
Vniuersus orbis. *Syr. Vniuersus populus possessionis eius. Pagn. Totus orbis. Ar.M. Omnem habitatam.*

Vers. 2.

Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino.

A præside. *Syr. Sub præfecturâ. Arab. Tempore Dominij. Pagn. Præside. Cniet. Agente præsidem.*
Syriæ. *Syr. In Syriâ. Arab. Super Syriam.*
Cyrino. *Theoph. Cyrenio.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 3.

Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem.

Ibant o. *Syr. Proficiſcebatur vnuſquiſque.*
Profiterentur. *Syr. Deſcriberentur. Menoch. Nomina darent.*
Singuli. *Arab. Vnuſquiſque ex eis. Euth. Quiſque.*
Suam. *Ar. M. Propriam.*

Verſ. 4.

Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eò quòd eſſet de domo, & familia Dauid.

Et Ioſeph. *Syr. Et ipſe Ioſeph. Arab. Ioſeph quoque.*
A Galilæâ de c. N. *Syr. A Nazareth Galilee.*
Ciuitatem. *Theoph. In ciuitatem.*
Eo quod eſſet d. d. *Syr. Quandoquidem erat ex domo.*
De domo. *Vat. E domo.*
Et familia D. *Syr. Et ex proſapiâ ipſius Dauid.*

Verſ. 5.

Vt profiteretur cum Mariâ deſponſatâ ſibi vxore prægnante.

Profiteretur. *Syr. Deſcriberetur illic. Vat. Cenſeretur.*
Deſponſata ſibi. *Arab. Sponsâ ſuâ. Tig. Deſponsâ ſibi.*
Vxore prægnante. *Syr. Vterum ferente. Arab. Et ipſa erat prægnans. Ar. M. Vxore exiſtente prægnante. Tig. Quæ erat prægnans.*

Verſ. 6.

Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret.

Factum eſt. *Arab.* omittit. *Vat. Euenit. Pagn. Accidit.*
Cùm eſſent ibi. *Arab. Et dum ipſi eſſent ibi.*
Impleti ſunt. *Arab. Cùm impleti eſſent. Theoph. Completi ſunt.*
Dies. *Arab. Dies partus eius.*
Vt pareret. *Syr. Quibus ipſa pareret. Vat. Partus ipſius.*

Verſ. 7.

Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.

Pannis eum i. *Arab. Eum inuoluit. Æthiop. Ligauit pollices eius. Euth. Faſciis eum inuoluit. Mald. Eum faſciauit. Corn. Ex Græco. Infaſciauit eum.*
Reclinauit. *Interpr. S. Chryſ. Inclinauit. S. Proſp. Poſuit.*
In diuerſorio. *Syr. Vbi habitarent. Arab. In quo diuerſarentur.*

Verſ. 8.

Et paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.

Paſtores. *Arab. Paſtores, qui paſcebant in agro.*
Vigilantes. *Syr. Qui degebant illic. Arab. Et vigilabant. Euth. In agro degentes. Tig. Excubantes in agro. Ar. M. In agro agentes. Mald. Sub dio cubantes. Pagn. Agentes.*
Cuſtodientes. *Tig. Agentes.*
Vigilias. *Arab. Iuxta vigilias. Theoph. Excubias. Tig. Cuſtodias.*
Noctis. *Arab Noctem. Tig. Nocte.*
Super gregem ſ. *Syr. Super greges ſuos. Tig. Ad gregem ſuum.*

Verſ. 9.

Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno.

Domini. *Syr. Dei.*
Stetit iuxta i. *Syr. Venit ad eos, vel apud eos. Corn. Stetit ſuper illos. Euth. Aſtitit illis. Monoch. Superſtitit illis. Mald. Superaſtitit illis. S. Ambr. Stetit ante illos.*
Claritas D. *Euth. Claritas Domini. Mald. Gloria Domini.*
Circumfulſit. *Syr. Illuxit eis. Arab. Orta eſt ſuper illos.*
Timuerunt. *Vat. Correpti ſunt.*

Verſ. 10.

Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium

Nolite t. *Euth. Ne timueritis. Ar. M. Ne pauete. Pagn. Ne timeatis.*
Ecce enim. *Euth. Ecce.*
Euangelizo. *Theoph. Annuncio. S. Cæſar. Euangelizamus.*

magnum

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

magnum, quod erit omni populo:

Quod. *Arab. Hoc.*
Erit. *Theoph. Venturum est. Vat. Obtinget.*
Omni populo. *Theoph. Toti mundo. Vat. Vniuerso populo.*

Vers. 11.

Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.

Saluator. *Syr. Redemptor. Pagn. Seruator.*

Vers. 12.

Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.

Signum. *Arab. Erit signum.*
Inuenietis. *Arab. Quia inuenietis.*
Pannis inuolutum. *Arab. Inuolutum. S. Prosp. Pannis obuolutum. Euth. Fasciis inuolutum. Ar. M. Fasciatum. Caiet. Infasciatum.*
Positum. *Euth. Iacentem.*

Vers. 13.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium:

Subitò. *Syr. De repente. Arab. Subitò statim.*
Facta est. *Syr. Apparuerunt. Arab. Apparuit. Tig. Adiunxit se.*
Cum Angelo. *Tig. Angelo.*
Multitudo m. *Syr. Multi exercitus. Arab. Exercitus multus. Vat. Multitudo exercitus.*
Cælestis. *Syr. Cælestes. Arab. Cælestium.*
Laudantium. *Syr. Glorificantes.*
Dicentium. *Syr. Dicentes.*

Vers. 14.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

In altissimis. *S. Sophr. In excelsis. Ar. M. Et altissimis.*
In terrâ. *Orig. Super terram.*
Hominibus b. v. *Syr. Et voluntas bona hominibus. Arab. Et in hominibus hilaritas. S. Epiph. In hominibus benigna voluntas. Euth. Hominibus beneplacitum. Orig. In hominibus bona voluntas.*

Vers. 15.

Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

Et factum est, v. d. *Syr. Et factum est, cùm discederent. Arab. Cùm autem ascendissent.*
In cælum. *Syr. In Cælos.*
Pastores. *Arab. Viri pastores. Vat. Homines illi pastores.*
Loquebantur. *Syr. Vt locuti sint. Euth. Dixerunt. Vat. Alloquebantur.*
Ad inuicem. *Syr. Vnus ad alterum dixerintque. Arab. Alter ex eis ad alterum. Euth. Inter se inuicem. Theoph. Inter sese. Vat. Se inuicem.*
Transeamus. *Syr. Proficiscamur. Vat. Pergamus iam.*
Vsque. *Theoph. Iam vsque.*
Hoc verbum. *Syr. Sermonem istum. Euth. Hanc rem. Al. Hoc.*
Quod factum e. *Syr. Qui factus est. Arab.* omittit. *Euth. Quæ accidit. Al. Quod audiuimus accidisse.*
Quod. *Syr. Quam. Euth. Quam.*
Ostendit. *Syr. Patefecit. Arab. Docuit. Euth. Notam fecit. Beda. Fecit & ostendit. Theoph. Aperuit. Corn. Reuelauit. Gagn. Notificauit. Auth. Indicauit.*
Nobis. *Arab. Nos.*

Vers. 16.

Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.

Et. *Syr. Itaque.*
Festinantes. *Syr. Festinanter. Vat. Festinato.*
Et infantem. *Vat. Vnà cum infante.*
Positum. *Vat. Iacente. Ar. M. Iacentem.*

Vers. 17.

Videntes autem cognouerunt de ver-

Videntes a. *Arab. Cùm autem vidissent eum.*
Cognouerunt. *Syr. Notum fecerunt. Vat. Famam diuulgauerunt. Pagn. Notificauerunt. Gagn. Diuulgauerunt.*

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

bo, quod dictum erat illis de puero hoc.

De verbo. *Syr. Sermonem. Arab. De sermone. Vat. De re.*
Quod dictum e. *Syr. Qui dictus fuerat. Vat. Qua dicta fuerat.*
De puero hoc. *Syr. Super illo puerulo. Vat. De puello hoc.*

Verſ. 18.

Et omnes qui audierunt mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.

Et de his. *Syr. Super iis. Arab. De eo. Vat. De his.*
Quæ dicta e. *Arab. Quod locuti ſunt.*
A paſtoribus. *Arab. Paſtores.*
Ad ipſos. *Arab. Cum eis. Vat. Ipſis.*

Verſ. 19.

Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.

Omnia v. h. *Syr. Hos omnes ſermones. Arab. Hunc ſermonem totum.*
Conferens. *Syr. Et voluebat. Arab. Et conferebat.*

Verſ. 20.

Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

Paſtores. *Syr. Paſtores illi.*
In omnibus. *Pagn. Super omnibus.*
Sicut dictum eſt ad illos. *Theoph. Ita vt dictum fuerat ipſis. Vat. Quemadmodum dictum fuerat ipſis.*

Verſ. 21.

Et poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circuncideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur.

Conſummati ſunt. *Euth. Completi. Ar. M. Impleti.*
Vt circuncideretur. *Arab. Circunciſus eſt.*
Puer. *Syr. Puerulus. Euth. Ipſe puer. Vat. Puellus.*
Vocatum eſt. *Arab. Et vocauerunt.*

Verſ. 22.

Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.

Et poſtquam. *S. Greg. Nyſſ. Et factum eſt cum.*
Impleti. *Hildeb. Cum impleti eſſent. Theoph. Completi ſunt.*
Purgationis. *S. Greg. Nyſſ. Purificationis.*
Eius. *S. Greg. Nyſſ. Eorum.*
Tulerunt illum. *S Greg Nyſſ. Adduxerunt parentes puellum Ieſum. Hildeb. Obtulerunt.*
In Ieruſalem. *Syr. Ad Ieruſalem. Vat. Hieroſolymam.*
Vt ſiſterent. *S. Greg. Nyſſ. Vt ſiſterent & exhiberent.*
Domino. *Syr. Coram Domino.*

Verſ. 23.

Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur.

Quia omne m. *Syr. Omnis maſculus.*
Adaperiens v. *Arab. Aperiens vuluam matris ſuæ.*
Sanctum Domino. *Arab. Sanctus Domini. Vat. Sacroſanctum Domino. Caiet. Conſecratum, Dedicatum Domino.*

Verſ. 24.

Et vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Darent. *Orig. Offerrent pro eo.*
Hoſtiam. *Syr. Sacrificium.*
Dictum eſt. *Orig. Scriptum eſt. Pagn. Eſt.*
Columbarum. *Syr. Columbæ.*

Verſ. 25.

Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.

Et ecce homo. *Syr. Vir autem quidam.*
In Ieruſalem. *Vat. Hieroſolymis.*
Homo iſte. *Arab. Erat vir.*
Iuſtus. *Syr. Rectus.*
Timoratus. *Syr. Iuſtus. S. Greg. Nyſſ. Religioſus. Theoph. Pius.*
Expectans. *Syr. Ac præſtolabatur. Arab. Qui expectabat.*
Spiritus ſanctus. *Syr. Spiritus ſanctitatis.*
In eo. *Syr. Super eo. Caiet. Super eum.*

Verſ. 26.

Et reſponſum acceperat à Spiritu ſan-

Reſponſum a. *Syr. Dictum ei fuerat. Arab. Reuelatum ei fuerat. S. Greg. Nyſſ. Oraculum ei reddiderat. Ar. M. Erat ei reſponſum. Tig. Erat ei oraculum editum. S. Greg. Nyſſen. Spiritus ſanctus.*

cto.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

ꝺo, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.

A Spiritu sancto. *Syr. A Spiritu sanctitatis.*
Nisi priùs. *Syr. Vsque dum. Arab. Vsque quo. Euth. Priusquàm.*
Christum D. *S. Greg. Nyss. In carne Christum Domini.*

Vers. 27.

Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo:

Et venit. *Syr. Hic ipse venerat. Arab. Et iuit.*
In spiritu. *Theoph. Per spiritum. Vat. Instinctu spiritus.*
Et eùm i. *Syr. Quumque introducerent. Arab. Eo temporis, quo induceretur. Ar. M. In inferre.*
Puerum. *Arab. Infans. Pagn. Puerulum. Vat. Puellum.*
Iesum. *Arab. Iesus.*
Parentes e. *Arab. A parentibus suis. Pagn. Parentes.*
Facerent. *Syr. Agerent. Euth. Ipsi facerent.*
Secundùm e. l. *Syr. Sicuti preceptum fuerat in lege. Arab. Sicut conueniebat in lege. Ar. M. Secundùm consuetudinem legis.*
Pro eo. *Ar. M. Circa eum.*

Vers. 28.

Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit.

Et ipse. *Pagn. Ipse quoque.*
Accepit. *Syr. Suscepit.*
Benedixit. *Vat. Laudauit.*
Deum. *Pagn. Deo.*

Vers. 29.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.

Nunc dimittis. *S. Ambr. Nunc dimitte. S. Aug. Iam dimittis. Theoph. Nunc absolues.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Verbum tuum. *Arab. Sermonem tuum. Caiet. Promissionem tuam.*
In pace. *Vat. Cum pace.*

Vers. 30.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quia. *Syr. Ecce enim.*
Salutare tuum. *Syr. Illum tuum misericordem.*

Vers. 31.

Quod parasti ante faciem omnium populorum:

Quod parasti. *Syr. Quem praeparasti.*
Ante faciem. *Syr. In conspectu.*

Vers. 32.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Ad reuelationem. *Arab. Quod apparuit. Vat. Ad illustrationem.*
Gentium. *Arab. Gentibus.*
Plebis suæ. *Syr. Populo tuo. Arab. Plebi tua. Vat. Populi tui.*

Vers. 33.

Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Erant mirantes. *Syr. Mirabantur. Tig. Tenebantur admiratione. Euth. Admirantes.*
Pater eius. *Theoph. Pater. Pagn. Ioseph.*
Mater. *Theoph. Mater eius.*
Super his, q. d. *Arab. De eo, quod dicebatur. Ar. M. Super dictis.*

Vers. 34.

Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum, cui contradicetur.

Ad Mariam m. *Vat. Maria Matri.*
Positus est. *Euth. Situs est. Orig. Natus est. Ar. M. Iacet. Vat. Constitutus est.*
In ruinam. *Corn. In casum. Orig. Ad ruinam.*
Resurrectionem. *Euth. Erectionem. Tert. Suscitationem.*
Cui contradicetur. *Arab. Contradictionis. Ar. M. Contradictum. Adam. C. Quo contradicetur. Caiet. Cui contradicitur.*

Vers. 35.

Et tuam ipsius animam pertransibit

Et. *Syr. Caeterum. Ar. M. Et verò. Pagn. Quin &.*
Tuam ipsius. *Syr. Tui ipsius. Arab. Tu.*
Pertransibit. *Syr. Traiciet. S. Epiph. Peruadet. Caiet. Penetrabit.*

Vulgata Editio.

gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Lectionum Varietas.

Gladius. *Syr. Lancea. Arab. Lancea scandali. Corn. Iaculum.*
Vt reueletur. *Arab. Vt manifestentur. S.Epiph. Vt retegantur. S.Ambr. Ad reuelaada.*
Ex multis c. *Arab. In multis cordibus. S.Hil. Multorum cordium. S.Epiph. Ex multorum cordibus. S.Ambr. Cordis.*
Cogitationes. *S. Ambr. Occulta. Ar. M. Ratiocinationes.*

Vers. 36.

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuël, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ.

Et erat. *Syr. Porrò.*
De tribu. *Vat. Tribulis.*
Hæc processerat. *Syr. Et ipsa erat. Arab. Iam peruenerat. S.Greg.Nyss. Prouecta erat. Ar.M. Hæc progressa.*
In diebus m. *Syr. Decrepitata diebus. Arab. Ad dies suos. S. Greg. Nyss. Multùm ætate. Theoph. In multam ætatem. Vat. Multùm iam ætate.*
Vixerat. *Ar.M. Viuens.*
Viro suo. *Syr. Marito suo. Euth. Virò.*
Annis. *Ar.M. Annos.*
A virginitate suâ. *Arab. Post virginitatem suam.*

Vers. 37.

Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor; quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.

Et hæc. *Syr. Et hæc erat. Arab. Quæ eadem.*
Vidua. *Arab. Vidua facta est.*
Vsque. *S.Greg.Nyss. Circiter. Pagn. Fermè. Ar.M. Quasi.*
Ad annos. *S. Greg.Nyss. Annos nata. Ar.M. Annorum.*
Non discedebat d. t. *Arab. Absque discessu à templo.*
Ieiuniis. *Syr. Sed ieiunio.*
Obsecrationibus. *Syr. Oratione. S.Greg.Nyss. Deprecationibus. Euth. Orationibus. Tig. Precationibus.*
Seruiens. *Syr. Colebat. S.Greg.Nyss. Deum colens. Tig. Religioni dans operam.*
Nocte ac d. *S.Greg.Nyss. Noctes atque dies.*

Vers. 38.

Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.

Et hæc. *Syr. Quin etiam ipsa. Vat. Hæc quoque.*
Ipsâ horâ. *Syr. Eâ ipsâ horâ. Arab. In illâ horâ. S. Greg. Nyss. In ipsâ horâ atque articulo temporis. Theoph. Eadem horâ.*
Superueniens. *Syr. Surrexit. Arab. Venit ante eum. Vat. Cùm superuenisset. Caiet. Assistens.*
Confitebatur. *Syr. Et gratias egit. Arab. Confitens. S.Greg.Nyss. Coram confitebatur, gratiásque Deo agebat. Theoph. Vicissim confitebatur. Vat. Palam confitebatur.*
Omnibus. *Syr. Cum quolibet. Arab. Apud quemcumque.*
Qui expectabant. *Syr. Præstolante. Arab. Qui sperabat.*
Israël. *Syr. Ipsius Ierusalem. Goth. Ierusalem. Vat. Hierosolymis. Mald. In Ierusalem.*

Vers. 39.

Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.

Omnia. *Euth. Omnia, quæ erant.*
Suam. *Arab. Eorum.*

Vers. 40.

Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo.

Puer. *Pagn. Paruulus. Vat. Puellus.*
Crescebat. *Theoph. Succrescebat.*
Confortabatur. *Euth. Corroborabatur spiritu.*
Plenus. *Syr. ac replebatur. Arab. Et reimplebatur. S.Ambr. Implebatur.*
Erat in illo. *S. Ambr. Erat cum illo. Tig. Fouebat ipsum. Caiet. Erat super eum.*

Vers. 41.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 41.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem in die ſolemni Paſchæ.

Ibant. *Syr. Adibant. S. Aug. Perrexerunt. Vat. Proficiſcebantur.*
Parentes. *Syr. Homines.*
Per omnes a. *Arab. Singulis annis. Theoph. Quotannis. Caiet. Annuè.*
In die ſolemni. *Syr. In feſto. Pagn. In die feſto Paſcha. Vat. Die feſto. Ar. M. Feſto.*

Verſ. 42.

Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam, ſecundùm conſuetudinem diei feſti.

Cùm factus e. *Syr. Cùm eſſet filius. Arab. Cùm perfecti eſſent ei. Vat. Cum iam eſſet.*
Annorum d. *Arab. Duodecim anni.*
Aſcendentibus illis I. *Syr. Aſcenderunt. Arab. Abierunt in Ieruſalem. Vat. Aſcendiſſentque ipſi Hieroſolymam.*
Secundum conſuetudinem. *Syr. Prout conſueuerant.*
Diei feſti. *Arab. In feſto. Ar. M. Feſti.*

Verſ. 43.

Conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius.

Conſummatiſque d. *Syr. Et quum impleti fuiſſent dies. Ar. M. Et conſummantibus dies. Mald. Cùm peregiſſent dies.*
Cùm redirent. *Syr. Illi reuerſi ſunt. Arab. Vt redirent. S. Aug. Remeantibus illis. Pagn. Cum redirent illi.*
Remanſit. *Syr. Remanſit verò. Arab. Remanſit ab eis.*
Non cognouerunt. *Syr. Neſcientibus. Arab. Non ſciuit. Euth. Non cognouit. Vat. Nec aduerterunt.*
Parentes eius. *Syr. Ioſeph & matre eius. Euth. Ioſeph & mater eius.*

Verſ. 44.

Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

Exiſtimantes a. *Syr. Putabant enim. Arab. Quin ipſi exiſtimabant. Theoph. Caeterùm rati.*
In comitatu. *Syr. Cum filiis ſocietatis ipſorum. Arab. Cum euntibus in viâ.*
Venerunt. *Arab. Cùm ambulaſſent. Vat. Proceſſerunt.*
Iter diei. *Syr. Iter diei vnius. Arab. Veluti diem vnum. Euth. Itinere diei.*
Requirebant. *Syr. Quæſierunt.*
Inter cognatos. *Syr. Apud ſuos homines. Arab. Apud cognatos ſuos. Ar. M. In cognatis.*
Et notos. *Syr. Apud vnumquemque notum ſuum. Arab. Notos ſuos. Ar. M. In notis.*

Verſ. 45.

Et non inuenientes regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum.

Et non inuenientes. *Syr. Nec inuenerunt eum.*
Regreſſi ſunt. *Syr. Reuerſi ſunt rurſus.*
Requirentes. *Syr. Ac requirebant. Theoph. Quærentes.*

Verſ. 46.

Et factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

Factum eſt. *Arab. Euenit. Pagn. Accidit.*
Poſt triduum. *Syr. Tribus poſt diebus.*
Inuenerunt. *Vat. Vt inuenirent.*
Illos. *Syr. Ab eis.*

Verſ. 47.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis eius.

Stupebant autem o. *Syr. Et mirabantur ij omnes.*
Super prudentia. *Syr. Ob ſapientiam. Arab. De ſcientiâ. Euth. Super intelligentiâ.*
Reſponſis eius. *Syr. Reſponſa ipſius. Arab. Reſponſis eius ad eos.*

Verſ. 48.

Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis

Et videntes. *Syr. Vtque viderunt eum. Tig. Et eo viſo.*
Admirati ſunt. *Syr. Mirati ſunt. Euth. Obſtupuerunt. Tig. Perculſi ſunt. Caiet. Attoniti facti ſunt.*
Fili. *Syr. Fili mi.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.	Quid fecisti. *Arab. Quid est hoc, quod fecisti. Pagn. Cur fecisti. Vat. Cur egisti.* Nobis. *Vat. Nobiscum.* Ecce pater tuus e. e. *Syr. Quoniam ecce ego, & pater tuus.* Dolentes. *Syr. Cum multâ anxietate. Arab. Cum labore dolentes. Adam. C. Valdè dolentes.*
Vers. 49. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis: nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?	Quid est quod. *Syr. Cur. Arab. Quare. Vat. Quid tum quod.* Quærebatis. *Arab. Quæritis.* Nesciebatis. *Syr. Nescitis. Tert. Non scitis. Pagn. An nesciebatis.* Quia in his q. P. m. s. *Syr. Quòd in domo Patris mei. Tert. Quòd in Patris mei. S. Ambr. Quia in propria Patris mei.* Esse. *S. August. Operari.*
Vers. 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.	Verbum. *Arab. Sermonem.* Quod locutus e. ad. e. *Arab. Quem dixit eis. Vat. Quem locutus erat ipsis.*
Vers. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.	Subditus. *Tig. Subiectus.* Et mater eius. *Syr. Mater verò ipsius.* Conseruabat. *S. Epiph. Conferebat.* Omnia verba h. *Syr. Hos omnes sermones. S. Epiph. Omnia.*
Vers. 52. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.	Et Iesus. *Syr. Porrò Iesus. S. Epiph. Iesus autem.* Proficiebat. *S. Epiph. Crescebat*, vel: *Procedebat.* Sapientiâ & ætate. *Syr. Staturâ & sapientiâ suâ. Arab. In statura suâ, & sapientiâ. S. Epiph. Ætate & sapientiâ.*

CAPVT II.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Ferè, qui victoriam *consequuntur*, affectibus *suis subiiciuntur.* 182
Vniuersus orbis *cur ante Christi natiuitatem* describi *iussus.* 182
Nasci *se* Christus *significauit, vt suos adscriberet in æternitate.* 183
Christus *vt* sanctificare *homines studuerit.* 183
Verus obediens *sine discussione paret.* 184
Nulla dignitas humiles à superiorum obedientiâ *auocat.* 184
Per Christum *omnia leuia redduntur.* 184
Cur noctu *nasci voluerit* Christus. 185
Ea loca *fugienda, quæ locum* diuitiis *& luxibus dant.* 185
Peperit filium Maria, *absente Ioseph.* 185
Primogenitus *cur dictus* Christus. 185
Præsepe *in cælum conuersum, dum iacuit in illo, qui cælum condidit.* 186
Virginis *reuerentia in Filium.* 187
Eucharistia *vt sumenda.* 187
Seruorum *superfluum numerum vt damnauerit, quæ omnium Domina.* 187
Virginis *excellentia vt collecta.* 188
Christi præsepium *vt sanctitatem omnibus inhalauerit.* 188
Christi infantia *quid significauerit: quid panni, quid præsepe.* 189
Christi paupertas, *nostrum patrimonium.* 189
An natus Christus *loquutus fuerit.* 189
Æterna Christi natiuitas, *& temporalis inter se conferuntur.* 189
In propriæ notitiæ *stabulo debet quilibet spiritualiter* renasci. 190
Dominica natiuitatis *tempus expenditur.* 190
Pannis *cur* Christus *inuolutus.* 191
Christo *nascente* solem *maiori splendore fulsisse aliquorum censio.* 191

Factum est autem in diebus illis: exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.

DEVICTIS hostibus Romani Imperij, cum 182
rerum summâ potiretur Cæsar Augustus, & totus orbis altissimâ pace frueretur, iussit totius imperij recensionem fieri, & vectigal singulis imperauit. Iactantia primùm huc duxit Augustum, vt gloriabundus sciret fortunarum, capitumque summam, quæ sub eius imperio; deinde, vt ærarium, bellis exhaustum, ingenti pecuniarum coaceruatione repleret. Nimirum, *tunc ferè magis affectibus suis principes victi subiiciuntur cum victoriam de suis hostibus reportarunt; cùmque vincantur externi hostes, interni victorem vincunt.*

Vt describeretur vniuersus orbis; quia nimirum totus orbis cognitus subiectis Romanis fascibus erat; quod diuino consilio factum est, vt scilicet Iesu

Iesu Christi fides se faciliùs in omnes insinuaret, & velut pet vnum corpus se se diffunderet, id quod tetigit sanctus Eucherius Lugdunensis epist. ad Valerianum vbi ait: *Illa externa omnia, id est, nationes & regna putásne ob aliud in ditionem, ac ius cessisse Romanum, nisi vt faciliùs tanquam medicamentum per vnum corpus, ita per vnam gentem fides infusa penetraret.*

Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.

183. QVi foris habitabant in propriam ciuitatem, eam scilicet, quæ eorum familiæ erat caput, proficiscebantur. *Vt profiterentur*, Græcè ἀπογράφεσθαι *describi*, vel, *vt describerentur*; sic enim in hoc sensu hoc verbum etiam superiùs positum est; *vt describeretur vniuersus orbis*, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην; nomina quippè dabant, quæ publicè in acta referebantur, & censores, ac commentarienses in singulis ciuitatibus assignati propria accedentium nomina describebant; singulorum familias, censumque solutum libetis mandabant. Descriptionis huius tempore nasci voluit temporum factor Christus, vt vel sic innueret, se nasci, vt suos adscriberet in æternitate.

Multorum censio est, ante absolutam descriptionem natum fuisse Christum, atque circumcisum, eumque in totius orbis professione fuisse descriptum. Cur ita? Vt cum omnibus scriptus omnes sanctificaret; & cum orbe relatus in censum communionem sui præberet orbi, liberans eum à Diaboli, ac peccati seruitute.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæâ de Ciuitate Nazareth in Iudæam.

184. A*Scendit*: Quia scilicet Iudææ situs altior quàm Galilææ. *Ioseph*: Vir iustus semper promptus, ac paratus ad obsequendum præceptis maiorum. Non se ab hoc labore, onereque subduxit: libens paruit, & quò sanctior, iustiorque erat, eò promptior ad parendum fuit. Aut ob fastum, aut ob auaritiam imperata descriptio ista fuerat; sed hoc non discutit Iosephus sine discussione paret, vt disceremus, superiorum mandata implenda & exequenda, non expendenda esse.

Vt profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi vxore prægnante.

AScendit cum Mariâ Ioseph, vt cum Maria profiteretur; nam antiquo Romanorum iure etiam fœminæ censebantur, quin & infantes. Maria verò, eò magis censenda erat, quod vnigenita filia esset, agrique paterni hæres. Paruit Virgo, nec, quòd, matrem Dei se esse, nosset, hoc seruituris obsequium vitauit. Nulla honoris, & dignitatis prærogatiua humiles à superiorum obedientiâ eximit.

Cum Mariâ prægnante: signatè hoc addidit, vt partûs historiam aptiùs astruat. Grauida, partuique vicina erat Maria; non tamen excusauit se, nec ab itineris labore subtraxit; vterus nullo illi modo grauis, ac molestus; onus leue portabat, quin illum, à quo portabatur, portabat: quem sine corruptione concepit, sine grauamine tulit; nimirum, *non onus tantùm Iesu leue est, est leuis & Iesus*; & cur non esset, qui grauia quæque leuia reddit?

Et peperit Filium suum primogenitum; & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio; quia non erat ei locus in diuersorio.

P*Eperit*: haud dubiè quin nocte. Dum nocte intempestâ vacaret Virgo altissimæ contemplationi, cœlesti consolatione, & inexplicabili gaudio perfusa sine vllo virginitatis detrimento enixa Filium est. Nocte Christus nascitur: tunc nimirum hominum salutem nascendo quærit, cùm homines, sui obliti, se, & sua nil cogitant. Hoc tempus Christus elegit, ne eius natiuitas vllo pacto humanæ industriæ tribueretur, sed tantum Diuinæ misericordiæ. 185.

Peperit Filium suum Maria in antro: cur non vrbem aliquam suo partu nobilitauit? *Secedit* (vt bonus ille author ait) *in antrum paritura virgo cum sanctissimo coniuge Iosepho: nondum enim* VRBES VIRGINITAS *& sanctitas incolebant.* Lubens ea loca subit Virgo, quæ locum deliciis luxibusque non facile exhibent.

Peperit in stabulo Maria, absente Iosepho, qui nempe abierat vt auxiliatrices mulieres aduocaret, rem his verbis refert Isidorus de Isolanis lib. 4. cap. 2. vitæ B. Veronicæ, quæ id diuinitùs didicit: *Dixit Maria in proximo est tempus pariendi. Cui Ioseph: Ibo: & auxiliatrices tibi fœminas perquiram. Subrisit Virgo. Ait verò Ioseph: Ne rideas: nam talibus indigebis: abitque intempesta noctis silentio. Tum Veronica ad sensus regrediens proximum tempus ad nocturnas horas persoluendas adesse cognouit. Perseuerauit autem orationi & meditationi incumbens adusque matutinas inchoatas. Cumque sensibus exiliisset: Virginem beatissimam eo in diuersorio inuenit, vbi eandem reliquerat. Conspexit verò Iesum mundi redemptorem natum ex Virgine infantem paruulum: quem altera manu tenens Virgo & mater: altera fœnum colligebat, quo lectulum infanti sterneret: Deinde velum è capite accipiens dimidium corpusculum infantuli texit: eiúsve alteri lateri fœno hærente. Aderat minimè Ioseph cum Virgo peperit: qui citò reuersus cum tribus fœminis locum eximio splendore illustratum reperit. Ea luce mulieres veluti territæ ingredi nequibant: at Ioseph introiens natum infantem adorauit. Ioseph duæ mulieres audentius sequutæ idipsum egere: tertia pro foribus procumbens clamabat: quem audio non credam nisi videro. Ingressa tandem: Virginique beatissima proximior effecta manum extendit: quâ subito arescente indoluit vehementissimè. At ei clamant: pro dolore mulierem, infantemque continge & liberaberis. Mandata perfecit mulier: & fide non vacua sospes euasit.*

Primogenitum: Ante quem nullus, nec post quem alius. Nisi velimus dicere: nullum, præter Christum, habitum à Virgine filium naturalem; nam adoptiuos multos habitura erat, habuitque. Primogenitus Virginis filius, dicitur Christus; quia cum ipso & iusti omnes nati, quæ Mariæ filij appellari possunt, eique tanquam matri, debent, quod iusti euaserint.

Et pannis eum inuoluit: Græcè, ἐσπαργάνωσε, *fasciis inuoluit.* Ipsa nempè Virgo, non obstetrix aliqua, non adiutrix: nulla ibi muliercularum sedulitas intercessit: mater ipsa inuoluit infantem: per aliam non præstat, quod ipsa per se ipsam potest. Scilicet in Dei obsequio nostræ, non alienæ vires, exerendæ. 186.

Pannis

Pannis eum inuoluit, vilitatem suam viles exuerunt panni, vbi eos induit Dei filius; *Qui totum mundum*, inquit hic Beda *vario vestis ornatu pannis vilibus inuoluitur, vt nos stolam primam recipere valeamus*. Addit: *Cui cælum sedes est duri præsepis angustia continetur*. Licet præsepe in cælum sit quodammodo conuersum, dum ille in præsepio iacet qui cælum condidit.

Pannis eum inuoluit: Apud plerosque in vsu erat, vt infantes è regiâ stirpe purpurâ exciperentur. Hic panniculi pro purpurâ sunt, & pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur: nihil hic superbum, nihil vanum: paupertatem in suo corpore Christus sacrat, damnat luxum.

Pannis inuolutus hîc iacuit Christus, qui postea nudus in cruce pependit: fasciis inuoluitur, non laceris tritis, aut immundis, sed mundis, & honestis licèt exigui, vilisque pretij. Paupertas nimirum probanda est: Sordes Christo nec in pannis placent, quantò minùs in animabus.

187. Filium natum Virgo in genua prouoluta adorauit, manibus excepit, exosculata est. Aliquorum Auctorum censio est, Virginem non ausam Filium, quem ediderat, contrectare, manibusque excipere. Adorauit priùs, tunc vnus Angelorum Virgineis manibus infantem imposuit: ita tradidit Geometra. Digna res, quæ omnium mentibus insideat. Hoc si cogitaremus, non adeò imparatè, & irreuerenter ad sacram Eucharistiam accederemus. Non audet Mater purissima Filium suum contrectare; & nos impuri, & peccatorum labe infecti passim accedimus, sinéque vllâ reuerentiâ, ac timore, non corporis, sed cordis sinu illum in Eucharistiæ sacramento excipimus?

Reclinauit eum: Non decubuit infirma, nec viribus exhausta: statim à partu fortis surrexit, incessit, nec alieno eguit ministerio, non minùs expedita, quàm ante partum. Humilis Virgo, quæ per se ipsam potest in Filij obsequium per alienas manus non præstat; hæc, Dei Mater electa, cœli, terræque regina, copiosum famulitium quærit, damnans illorum superbiam, qui ad fastum potiùs, quàm ob necessitatem ingenti famulorum, ac famularum copiâ stipantur; hôc ipso magis serui, & minùs, (vt ita dicam) Domini, quò magis seruis sepiuntur minimè necessariis.

188. *In præsepio*: In stabulo peperit: &, eùm alienæ cunæ non adessent, in præsepio Iesus collocatur; non aptior quippe locus inuentus in stabulo est. Inter fœnum, paleasque Dei Filius ponitur; &, qui in virili ætate crucem non abhorruit, nascens præsepe, in quo collocaretur, elegit.

In præsepio. In cœlum mutari visum est præsepium, dum visus in eo Dei Filius humanâ carne vestitus. *Stabulum*, inquit sanctus Epiphanius Orat. de Deip. *Visum est* ESSE CÆLVM *in terrâ*. Si stabulum, cælum fit; quia in illo est Iesus: quid fuisse dicemus Virginem ipsam, quæ eundem suis clausit visceribus, cùm cælo ipso illustrior esset, antequàm eum in suo haberet ventre?

Explicari non potest, quantas iacentis in præsepio infantuli vox vires habeat, licèt non loquatur ore, cùm loquatur exemplo. Obseruo omnes, quos Scriptura memorat cultûs & adorationis causâ præsepium subiisse, insigni sanctitatis gratiâ insignitos fuisse. Sancti fuere Magi, sancti quoque pastores; nam de illis Lucius Dexter in Chron. hæc habet: TRIBVS PASTORIBVS, *qui fuerunt sancti, primùm ostenditur*. A præsepio sanctiorem, quàm intrauerat, exiisse Iosephum, exiisse Mariam nullatenus dubito. Neminem itaque legimus, cui præsepium, Iesusque in eo iacens aut sanctitatem simpliciter non inhalauerit, aut aliquem sanctitatis gradum.

Quid significauerit Christi infantia, quid panni; quid innuerit præsepium, in quo Christum Virgo parturiuit, indicat sanctus Ambrosius hîc, vbi ait: *Ille paruulus, ille infantulus fuit, vt tu vir possis esse perfectus. Ille inuolutus pannis, vt tu mortis laqueis sis absolutus. Ille in præsepibus, vt tu in altaribus*. 189.

Sacrauit Christus paupertatem, dum exercuit. Suscepit paupertatem, vt diuites nos constitueret, vt iure Christi paupertas, *patrimonium* hominum sit dicta. Pulchrè hîc sanctus Ambrosius: *Ille locum* IN DIVERSORIO *non habebat, vt tu plures haberes* IN CÆLESTIBVS MANSIONES: *qui, cùm diues esset, propter vos pauper factus est, vt illius inopiâ vos ditaremini*. Claudit: *Meum ergo paupertas illius patrimonium est; & infirmitas Domini, mea est virtus*.

Natum legimus ex Virgine infantem, non legimus loquutum; satis exertè loquitur Verbum, dum talia pro nobis patitur; loquutum tamen indicat Beata Veronica, cui hoc mysterium, vt ex vero accidit, ostensum diuinitus est; auctor eius vitæ lib. 4. cap. 2. *Infantem, inquit, illico natum* LOQVENTEM AVDIVIT, *singula infantis verba intelligens*.

Christi temporalem natiuitatem ex matre cum eiusdem æternâ natiuitate ex Patre ita conferebat sanctus Augustinus: *Natus est nobis hodie Saluator. Natus est de patre semper, de matre semel. De patre sine sexu, de Matre sine vsu. Prima natiuitas ex Patre naturam seruauit: secunda natiuitas ex Matre, gratiam seminauit: Illa tenuit maiestatem diuinæ substantiæ: ista suscepit societatem mortalitatis humanæ. In hac autem ideo venire dignatus est, vt fieret obediens vsque ad mortem, & moriendo vinceret mortem*.

Nascitur in stabulo Dei verbum, vt rectè moneamur, in propriæ vilitatis notitiâ permanentes nos posse spiritaliter nasci; Diuinitus docta sancta Catharina Senensis ab æterno æterni Patris verbo hæc se accepisse scripsit: *Tu vides hoc amabile Verbum in stabulo nasci, vt ostenderet quia quotidie debetis*, IN STABVLO PROPRIÆ NOTITIÆ *vestra permanere, ibique renasci*. 190.

Dominicæ natiuitatis tempus, locusque ita extendebat Richardus Pampolitanus: *Natus est Christus tempore hyemis, ad ostendendum, quod veniebat calefacere frigidos vt amore æternitatis ardeant, & ipsum solum pro eis natum totâ cordis dilectione iugiter concupiscant. Natus est nocte ad ostendendum quod venit tenebras effugere, & lumine sui amoris mentes nostras clarificare: vnde Psalmista: exortum est in tenebris lumen rectis. Natus est die Dominicâ (vt dicunt Sancti) qua die Deus fecit cœlum, & terram ac lucem, & qua pluit manna filiis Israël in deserto*.

Et pannis eum inuoluit: Cadunt hîc optimè verba sancti Augustini ad hæc verba. *Pannis obuoluitur (Christus) vt scissam humani generis vnitatem suo redintegraret in corpore, totumque immortalitatis vestimentum, purpureo sanguinis colore fulgens, in cœlestia Regna deferret*.

Pannis eum inuoluit: Maiestatis potentia, pannorum vilium squalore contegitur, durissimique suffert præsepis angustias, cui angustus totus orbis est; vagit in spelunca infans Iesus; *O gratissimi*, exclamat sanctus Augustinus, *delectabilesque* VAGITVS, 191.

TVS, per quos strideres dentium, æternosque ploratus euasimus? ô felices PANNI, *quibus peccatorum sordes extersimus.*

Solem Christo nascente maiori splendore fulsisse, quàm soleret, censet sanctus Ambrosius sermone 10. *Oriente*, inquit, *Saluatore, non solùm humani generis salus, sed etiam* SOLIS IPSIVS *claritas innouatur; si enim sol obscuratur, cùm Christus patitur; necesse est, illum splendidiùs solito lucere, cùm nascitur.*

In præsepio Filium reclinauit Mater, qui vt ait sanctus Gregorius Thaumaturgus, *in præsepio vt super Cherubim requiescebat*; loci vilitas nullum Christi nobilitati præiudicium faciebat, qui suâ præsentiâ nobilem reddit omnem locum, in quo se videndum exhibet.

SECTIO II.

In præsepio *cur locari voluerit Christus.* 192.
Præsepis *paupertas effertur.* 192
Christus *in suo corpore consecrare* paupertatem *voluit.* 193
In hominum animis difficilè Christus hospitium *habet.* 193
Qui Christo *grauidus est* pati *ob Christum debet.* 193
Cur primo se pastoribus Christus *manifestauerit.* 194. & 195
Iuxta Christum *vigilare pastores debent.* 194
Indignus Dei donis, *qui aliquid sibi* tribuit. 195
Illis se præcipuè Christus *negat, qui eius* Matrem *non venerantur.* 196
Superiorum vigilantia, *vt* Christus *spiritualiter in suis nascatur.* 196
Super gregem suum vigilare Episcopi *debent.* 196
Superiorum exemplum *quantas habeat vires.* 197
Nihil vile putandum, quod Deus *iubet.* 197
Humilitas & paupertas *cultores suos efferunt.* 198
Christi natiuitate *nox in diem nobis versa.* 198
Inuidi *cœlestibus donis iure priuantur.* 198
Quicquid in nobis gloriæ & splendoris, Deo tribuendum. 199
Angeli *cum luce apparent post Christi aduentum: quod non facilè factum ante illum.* 159
Humiles *eò magis* timent, *quò maiori beneficio cumulantur.* 200
Iusti non amant soli gaudere. 200
Christi *aduentu qui non gaudet, vix homo videtur esse.* 201
Peccatum *omnium malorum fons.* 202
Ad Christum *ire celeriter præsules debent, etiamsi minimè vrgeantur.* 202
Nihil rerum terrenarum *à Christi nos obsequio debet auocare.* 203
Pastorum, *qui Christum in præsepio adorarunt, numerus & sanctitas.* 203
Paupertas *summo honore habenda.* 204
Humilitate *maximè humanum genus indiget.* 204
Dei obsequium *sine timore & spontaneum sit.* 205
Ad Christum *innocentia & humilitas ducit.* 205
Eis, qui suis inuigilant *cælestia manifestantur.* 205

Et reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.

CVr in præsepio locari voluerit egregiè explicat Albertus Magnus in hæc verba. *Voluit etiam reponi* IN PRÆSEPIO, *vt per hoc innueret, quod ipse esset panis peregrinantium, qui non solum à diuitibus inueniretur in palatio; sed etiam à pauperibus inueniri posset in præsepio. Mirum est de diuitibus, & pauperibus, quod tam raro visitant Christi Iesu præsepium, cùm tamen sæpe visitant præsepia equorum, vel iumentorum suorum.* 192.

Hanc præsepis paupertatem, & pauperem apparatum sic efferebat, sic commendabat Beatus Laurentius Iustinianus. *Hanc* (paupertatem) *ostendit Dominus nascendo, viuendo, & moriendo: In* STABVLO *namque Dominus Iesus nascitur, & à Mariâ vili fasciâ cingitur, & in præsepio inclinatur. Non erat ibi cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareret omnium Creatorem, & hominum poneret Redemptorem; sed velut exul, & peregrina in alienâ domo peperit Dominum; &, tanquam fœmina pauper, non sericis, sed pannis vilibus inuoluit, & in præsepio collocauit, quem, vt peperit, statim, vt Deum, adorauit. O stabulum felix, ô præsepe beatum, in quo nascitur Christus, & reclinatur omnium Deus. Ibi fuerunt obstetrices angelicæ potestates, & solatium Angelorum; ibi erant millia millium exultantium; ibi vagiebat Christus in stabulo, & fiebat lætitia magna in cælo.*

Non erat ei locus in diuersorio; huc paupertatis amor euasit, quam consecrare in suo corpore per omnia Christus voluit in hunc mundum veniens; 193.
excipi paupertatis sinu quæsiuit Christus, ne quis deinceps paupertatem, à se, suæque mentis sinu abiiceret; diuitem paupertatis cultorem Christum sic alloquitur, idem Laurentius Iustinianus: *Vt ait scriptura tibi quum nascereris,* NON ERAT LOCVS IN DIVERSORIO, *nec cunabula, quæ teneritudinem tuam acciperent, habuisti, sed in vili præsepio sordentis stabuli tu, qui terram palmo concludis, inuolutus panniculis reclinatus es, & hoc ipsum à brutis animalibus mater tua mutuò accepit. Consolamini igitur, consolamini qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum est Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubilis, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Quid ergo gloriaris ô diues reus lutea in volutabro lecti picti, & delicati, quum Rex regum suo recubitu stramenta pauperum honestare maluerit? Quid dura strata detestaris, quum tener infantulus, in cuius manu sunt omnia regna, tuis sericis, & plumeis lectis duras iumentorum stipulas prælegerit? Damnauit nempe in stabulo pauperrimo huius mundi honores, pompas & vanitates. Insuper delicias, mollities, & carnis delectationes, similiter diuitias, abundantiam temporalium, & superfluitates.*

Non erat ei locus in diuersorio; qui omnem locum præsentiâ suâ (ab eâ parte, quâ Deus) beat, dum implet: *Mirandum tam non est* (vt ille ait) *quòd locus ei non fuerit in* DIVERSORIO, *qui neque in hominum animis haberet* HOSPITIVM. Grauius Christo à cordium hospitio reiici, quàm in diuersorio non admitti. Vis Iesum excipere? à corde exclude, quicquid Iesu displicet.

Quia non erat ei locus in diuersorio; cur potiùs dictum *ei*, quàm *eis*? Græca lectio *eis* habet, sed Latina *ei*, & grande mysterium claudit; quod in hunc modum explicauit Salmeron tom. 3. tract. 33. *Etsi Græca littera habeat, eis; mihi tamen*

Latina

Latina lectio, quæ legit in singulari, ei, magis placet. Christus enim, quo grauida erat B. Virgo, impedimentum præbuit, quò minus in diuersorio locum haberent; itaque ab eo tempore cœperunt tam B. Virgo, quam Ioseph, pati propter Christum: & omnes qui grauidi sunt Christo, IN MVNDO HOC LOCVM PARTVS NON HABENT, *& pati propter Christum debent.*

Non erat ei locus in diuersorio, Magnum admirationi locum præbet hæc loci carentia in diuersorio; proh mirum locum non habet, qui omnium locus, & quies est; *Nascens Christus*, inquit Sanctus Augustinus serm. 24. de tempore, *non inuenit locum in diuersorio, per quem omnis creatus est locus. Et velut peregrinus nascitur, qui totius orbis est Dominus, vt nos cælestis Patriæ faceret esse municipes.*

Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

194. ET pastores: solet quæri, quot fuerint isti pastores: communis censio est tres numero fuisse. Hi in regione Bethlehemiticâ in pascuis, seu campis suburbanis, non longè ab vrbe, die greges pascebant, nocte excubabant, noctis vigilias obseruabant, ne greges damni aliquid à luporum incursu paterentur.

In regione eadem; Boni pastores, qui in ea regione, in qua Christus nascitur vigilant; alioquin satius esset si dormirent, si non iuxta Christum vigilaturi sunt; id quod petitè explicat Salmeron in hæc verba tom. 3. tract. 34. *Hi pastores typus sunt pastorum spiritualium, Prophetarum, videlicet, Apostolorum, atque Euangelistarum; per quos lumen Christi venit notitiáque ad alios inferiores. Debent tamen tales esse pastores, qui* IN EADEM REGIONE SINT, *id est, non procul à Bethlehem: & qui vigilent proxime Christum. Multi enim vigilant, quos præstaret altiùs dormire: nam vigilant lusores, ebriosi, fornicatores: vigilant fures, & latrones: sed in regione cacodæmonis vigilant, non vbi nascitur Christus. Horum vigilia in scripturis, dormitio, somnúsque vocatur: quoniam his sceleribus vacantes non agnoscunt infernalem lupum suis ipsorum animabus insidiantem.*

Et custodientes vigilias noctis: Græcè καὶ φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς τῆς νυκτός, *custodientes custodias*, seu *excubantes excubias noctis*. Vigiliæ Græcè dicuntur custodiæ, in quas diuisa erat olim nox: hoc ex militari disciplinâ sumptum est. Quod ergo in exercitu milites aduersus hostes, id pastores in agris aduersus lupos, & fures agebant, vt excubias suo ordine agerent, partito in plures onere, ac labore.

Sed cur primò se pastoribus Christus manifestat? Cur non diuitibus, cur non vrbis primoribus? An, quia isti altè stertebant profundo somno correpti; pastores autem vigilabant? Amat vigilantiam Christus, & vigilantes præcipuis donis prosequitur, quibus dormientes destituuntur.

195. Præterea, pastoribus primùm manifestatur; quia pauperes, humilesque. Si diuitibus primò ostensus fuisset, superbiâ tumidi, mysterium habuissent ludibrio, vel suæ adscripsissent conditioni, quòd illis Christus esset reuelatus. Neglexit ergo superbos Iesus, humiles elegit, qui suis meritis nil tribuerent. Nimium indignus Dei donis est, qui aliquid sibi tribuit, nec totum Diuinæ misericordiæ, ac bonitati adscribit.

Sed poterat primò se Magis, qui docti, ac sapientes erant, reuelare, postea idiotis pastoribus: poterat, sed noluit, ne, si à philosophis cœpisset, huic honorem scientiæ tribueremus.

196. *Et pastores erant*; cur ad scribas, & pharisæos non se contulit Angelus eis natum Christum annunciaturus? An ne peiores fierent, & tam sanctam natiuitatem calumniarentur? *Non requisiuit scribas, & pharisæos*, inquit Sanctus Chrysostomus, *corrupti enim erant, &* FORTE DETERIORES FIERINT, *ac in matrem machinarentur, & in Christum mortem, fingerentque quod detraherent veritati, & matris sanctitati*, nimirum se illis præcipuè negat Christus, qui eius matrem non venerantur, sed non ferenda impietate eius sanctitatem ore blasphemo delibant, nec minus in Christum sæuit, qui eius quærit mortem, quàm qui Mariæ innocentiæ, ac puritati detrahit.

Pastores erant in regione eadem vigilantes. Non caret mysterio quòd ibi nascatur Christus, vbi pastores vigilant, vt idem in spiritali natiuitate accidere colligeremus; spiritaliter in eorum animis Christus nascitur, vbi superiores vigilant & subditorum inuigilant saluti; vbi pastores dormiunt & torpent ibi Christus velut moritur.

Pastoribus statim nâtus Christus innotuit, cur non priùs Pharisæis? cur non Herodi: quia pastores simplices, creduli que, increduli pharisæi, vafri; impius Herodes. Pastoribus se primùm Christus manifestat, vt agnum se proderet, qui veniat, vt pro mundi salute mactaretur; nimirum statim ac natus ad mortem cogitat, ad crucem se paratum ostendit.

Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, primus pastor vigilabat, quidni & pastores cæteri vigilent: *Benè pastores vigilant*, ait Sanctus Ambrosius, *quos bonus pastor informat*. Docemur superioris exemplum suas in inferiores vires exerere, vt ad paria vrgeantur subditi, si imperantem præire viderint.

Super gregem suum; Nam alienum est pastores super gregem alienum vigilare, quod in hunc modum explicat Salmeron tom. 3. tract. 34. *Debent vigilare super gregem suum, non super gregem alienum. Videas enim plerosque Episcopos in aulis Principum, in conuiuiis, ludisque publicis otiantes, & aliena negotia, suo ouili neglecto, pertractantes: atque hoc etiam dormire est, non vigilare. Iubemur omnes in scripturis vigilare: Vigilate, Christus inquit, quia nescitis diem, neque horam: ac rursus Petrus: sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Vigila ergo si pastor es, vel Princeps super gregem tuum: vigila super familiam, & filios tuos: vigila saltem super animam tuam, si nihil aliud tuæ fidei est commissum.*

Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos.

197. APparet pastoribus Angelus, haud dubiè, quin humanâ specie, sensili corpore indutus. Nil mirum; nam & Angelorum Dominus, qui corporis expers erat, per carnem assumptam mortalium generi conspicuum se reddidit. Multum in subditorum animis superioris exemplum potest, & facilè imitantur serui, quod in Domino suo vident. Humanâ formâ Angelus apparet: quidni, cùm videat Dei Filium hominem factum? Non negligit Angelus,

gelus, quem tanti Angelorum Dominus facit; quin singularis honoris loco cælestis spiritus habuit, hominis formam præseferre, quam Dei filius induit.

Sed quisnam fuit Angelus iste, qui pastoribus apparuit? Communis sententia est, fuisse Gabrielem. Angelus Mariam, Angelus Ioseph, Angelus pastores instruit. Tota huius mysterij cura eidem Angelo demandatur. Qui ad Virginem missus fuerat, ad viles pastores postea mitti non renuit: ad omnes libens, & citus aduolat: satis illi Deo paruisse. Nihil tanquam vile, & abiectum est, quod Deus iubet: prompta nimirum obedientia, officiorum discrimina non nouit: ad omnia æquè parata est.

198. *Ecce Angelus Domini*: In præsepio Christus iacebat: abiectus videbatur: sed ab Angelo annuntiatur; Dei quippe, & Angelorum æstimatione abiectus minime erat. Humilitas, & paupertas excellentiam non minuit, sed commendat.

Stetit iuxta illos: Syrus, *venit apud eos*. Quidam vertunt, *superuenit illis*: scilicet ex improuiso, quum nihil minùs exspectarent. Alij legunt, *superastitit illis*: alij, *imminuit illis*: verticibus scilicet illorum insidens, eo situ declarans, se è cælo delapsum.

Pastoribus vigilias noctis custodientibus Angelus apparens ait: *Natus est vobis hodie saluator*; cur *hodie* dixit potius, quàm *hac nocte*? An quia Christi natiuitate nobis nox in diem versa est? *Nox*, ait Sanctus Bernardus, *sicut dies illuminata, imo in diem mutata est; dicente Angelo, quia natus est vobis hodie saluator, hodie vtique non in hac nocte, quia nox praecessit, dies autem appropinquauit*; quando ille prodiit, quia nostras denoctauit tenebras, noctem vertit in diem.

Ad pastores Angelus aduolat; *non iuit Ierosolymam, non requisiuit scribas, & Pharisaeos*, inquit Sanctus Thomas hic, *erant enim corrupti, & prae inuidia cruciabantur*, contemnuntur qui erant contempturi; ægrè infantem in præsepio positum coluissent, qui viro miracula faciente adeo infensi fuêre.

Et claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

199. **E**T claritas Dei: Græcè, *καὶ δόξα κυρίου*, *& gloria Domini*; diuinus splendor, fulgorque cælestis, quo Angelus fulgebat: nimirum splendor, quo irradiabat Angelus, Domini dicitur; quia quicquid luminis, quicquid gloriæ in nobis est, Deo velut auctori tribuendum est; nostræ tenebræ sunt, lumen à Deo est.

Timuerunt. Ad Angeli apparitionem pastores timent. Sed cur omnes? An, quia vel omnes vigilabant, cum Angelus apparuit; vel vnus, suo ordine vigilans, cæteros perterritus excitauit.

Et claritas Dei circumfulsit illos; cum lumine apparent Angeli, quod non facilè in veteri testamento legimus factum, vt vel hinc colligeretur illum nasci, qui superà esset luce suos perfusurus; *Nusquam*, inquit B. Beda, *in tota veteris testamenti serie reperimus Angelos, qui tam sedulo apparuere patribus, cum luce apparuisse, sed hoc priuilegium rectè huic tempori est seruatum, quando exortum est in tenebris lumen rectis corde.*

Et claritas Dei circumfulsit illos; verè se Angelum lucis ostendit, cum luce apparens; *Olim quidem*, inquit Salmeron tom. 3. tract. 34. SINE LVCE *apparebant Angeli*; CVM LVCE *in nouo testamento, ob lucem nouæ legis significandam. Et vide quid rei agatur; Christus est in obscuro, & nuncius eius in lumine ipsius, ac si ipse velit beneficio affici à suis, vt copiosius sua bona possit refundere. Sic & opera humilitatis nostræ qua apud nos contemptibilia, & nullius pretij videntur, pretiosa sunt & illustria in conspectu Dei nostri, & Angelorum, atque amicorum eius, qui versantur in lumine.*

Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

AVfert bonus Angelus timorem, quem suâ præsentiâ pastoribus incusserat, quò tranquillo ac sedato animo audiretur. *Nolite*, inquit, *timere*: Græcè, *μὴ φοβεῖσθε*, *ne timeatis*. Iusti, tanquam humilitatis cultores, infirmitatem suam spectant, & tantum abest, quòd tam singulari dignatione animis erigantur, & intumescant, vt timeant potiùs, de se humiliùs sentientes, quò digniori beneficio cumulantur, maiori gratiâ. 200.

Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum. Ac si diceret: non sum missus rem nuntiare, quæ timorem incutiat, sed, quæ gaudium afferat, idque magnum, & inexplicabile. *Quod erit omni populo*: Iustis gaudij materia eò magis augetur, quò magis in eo secum, & alij participant. Non amant soli gaudere: beneficium, quod accipiunt, magis est singulare, cùm vniuersale esse audiunt. Nimirum ab inuidiæ liuore immunes, gratiæ augmentum putant, si donum omnibus sit commune; vt iure ad gaudij cumulum Angelus adiiciat, *quod erit omni populo*.

Sed aliquis hîc obiiciat: non omnes Christi aduentum cum gaudio exceperunt, quin plerique inuidiâ contabuerunt, ac hostili eum odio prosecuti pertinacissimè reiecerunt: non ergo omni populo gaudium attulit. Sed responderi potest: omni populo gratum, lætumque Christi aduentum fuisse, licet non singulis è populo. Deinde omnibus, & singulis aut gaudium Christus attulit, aut gaudij materiam præbuit; quamuis inuidiâ obcæcati gaudere plerique noluerint. 201.

Omni populo: Populus esse non videtur, nec hominis meretur nomen, qui Christi aduentu, ut præsentiâ gaudio non perfunditur: Syrus *pro populo*, vertit, *holmo*, id est, *mundo, seculo*: fuit quippe hoc gaudium commune totius mundi populo, tam Gentili, quàm Israëlitico.

Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in Ciuitate Dauid.

NVllum hôc lætius nuntium afferri poterat; nullum audiri. *Natus est*, inquit, *vobis hodie saluator*. Christus *saluator* dicitur; quia saluum populum suum facturus erat. Non additur, ab his, aut illis malis populum saluaturum; sed indifferenter dixit, *saluator*; quia nempè ab omnibus tùm corporis, tùm animi malis omnes liberaturus erat. 202.

Saluator: Fors respicit Angelus ad futurum ipsius nomen Iesu: sed cùm in eius nominis interpretatione adiiciatur, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Matth. 1. 21. Cur hîc quoque dùm saluator dicitur, non additur, nos à peccatis saluaturum? An, quia saluator esse non posset,

poſſet, niſi à peccatis ſaluatet? hæc quippè omnium malorum fons & cauſa.

Monet Angelus, Chriſtum natum eſſe, non tamen paſtotes ad Chriſtum vrget; non iuſſit, vt Bethlehem itent, Regem ſuum, Deumque veneraturi. Cur ita? An, quia non eguerunt imperio, aut monitu, qui ſtatim ſe in viam dederunt? Hi paſtores præſules ſignificant: hi autem currere ad Chriſtum debent, & aduolare, etiamſi nullus moneat, nullus vrgeat: vrget gradus, quem ſuper alios tenent, vrget dignitas: Abeunt à paſtoris munere, qui etiam poſt monita pergere ad Chriſtum nolunt, aut diù differunt.

203. Pergunt ad Chriſtum paſtores, licèt expreſsè id non iuſſerit Angelus: non oues, quarum tam ſedulam curam agebant, eos ab itinere auocarunt. Qui Chriſtum amat, nullo rerum terrenarum affectu ab eius cultu, & obſequio retineri poteſt. Deſerunt paſtores ouem, vt Agnum iam natum viderent.

Paſtoribus primum conſpiciendum ſe Chriſtus exhibuit, quos per Angelum inuitauit ad præſepe. Quales fuerint hi paſtores, & quot, aliquis non alienè ſciſcitabitur; cenſeo ſanctiſſimos euaſiſſe, & tres tantummodo fuiſſe; vtrumque diſco ex Lucio Dextro qui licèt antiquus, & ſancto Hieronymo ſynchtonos nunc tantùm lucem videt, hic igitur 1. Anno Chriſti ait: *Chriſtus tribus paſtoribus qui fuerunt ſancti primum oſtenditur*; idem colligitur ex B. Beda qui lib. de locis ſanctis, cap. 8. ita ſcribit, & de numero paſtorum, & de illorum ſanctitate: *Ad orientem in turre Ader, id eſt, gregis, mille paſſus a ciuitate Bethlehem ſegregata eſt Eccleſia trium paſtorum diuinæ natiuitatis conſciorum monumenta continens.*

Et hoc vobis ſignum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio

204. CVr non puduit Angelum, eiuſmodi ſignum proponere, quod non niſi ſummam paupertatem, & humilitatem præſeferret? Cur pudeat Angelum, ſignum proponere, quod Angelorum Dominus elegit in ſignum? Iam ſummo decori habenda paupertas erat, quam ſuo Chriſtus corpore conſecrauerat: Non ignominiæ loco cenſenda rerum terrenarum indigentia eſt, ſed gloriæ, ſed decoris. Paupertas ſumma in ſignum Chriſti ponitur; vt ſtatim diſceremus, regnum Chriſti non in faſtu conſiſtere, ac diuitiarum iactantiâ, ſed in mundi contemptu, & terrenorum neglectu.

205. Præcipuè hîc ab Angelo commendari humilitatem, quia hac maximè humanum genus indigebat, notat Sanctus Bernardus ſerm. 4. in Natali Domini: *Inuenietis inquit* (Angelus) *infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Quid eſt, quòd ſola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen ſola à paſtoribus inueniri? Fortè* SPECIALIVS COMMENDAT ANGELVS HVMILITATEM; *quia, ruentibus cæteris per ſuperbiam, ipſe in humilitate ſteiiſſet. Aut propterea certè cælitùs annunciatur humilitas, quòd hæc quaſi propria virtus, Diuinæ exhibenda ſit Maieſtati. Sola tamen non potuit inueniri; quia ſemper gratia datur humilibus. Inuenerunt ergo Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Sicut enim Saluatoris infantia manifeſtam prætendit humilitatem; ſic per Virginem continentia, iuſtitia per Ioſeph virum iuſtum, cuius laus eſt in Euangelio, non incongruè deſignatur.*

Inuenietis infantem: Supponit iam ituros, qui inuenturos dicit. Paſtorum pietas aliud perſuadere non poterat. Sed cur ipſemet Angelus non ſe paſtoribus comitem præbet? Cur non dixit? mecum venite: ducam vos ad eum, qui quamuis Dei Filius ſit, homo pro vobis factus, natus eſt. Ire paſtores ſinit, vt ampliùs mererentur, nec irio timori potiùs, & iubentis imperio tribueretur, quàm adorantium deuotioni, ac pietati. Nimirum, quod à libertatis ſinu magis dependet gratius Deo eſt.

Poſitum in præſepio: ſed in quo? Id Angelus non explicat: vel, quia quærendum in ſtabulo diuerſorij publici, vbi credendum in paruo oppidulo pauca fuiſſe, & inuentu facilia: vel indefinitè loquitur Angelus, vt paſtorum diligentiæ aliquid relinqueret, & maiori gaudio, imò & merito, inuenirent, quod aliquo labore quæſiuiſſent.

Elucet hîc Angeli ſapientia, qui ne infantis paupertas repentè, & præter opinionem à paſtoribus viſa tanti myſterij fidem impediret, in ſignum, & argumentum eam ptoponit adeò, vt non ſolùm viſa fidem minuat, ſed firmet potiùs, & augeat. Nimirum fouere fidem cognita Chriſti paupertas debet, non infirmare.

Inuenietis infantem: Dignus eſt, qui hunc infantem inueniat, qui innocentiâ, & humilitate infans inuenitur. Peritè Guerricus Abbas: *O ſacra, & dulcis* INFANTIA, *quæ veram humanis cordibus innocentiam infudiſti, per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non puſillitate membrorum, ſed humilitate ſenſus, & pietate morum! Prorſus vos, filij Adæ, qui nimis grandes eſtis in oculis veſtris, & in giganteam enormitatem per ſuperbiam excreuiſtis, niſi conuerſi fueritis & effecti, ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum.*

Ab Angelo ad videndum in præſepe Saluatorem inuitantur paſtores, quia nimirum vigilabant ſuper gregem ſuum; vt ita innueretur, eis qui ratione præditis ouibus inuigilant, cæleſtia ac diuina manifeſtari; Pulchrè Hildebertus epiſt. 37. *Hinc eſt etiam*, inquit, *quòd nato Domino paſtores ſuper gregem vigilantes, Angelos adſpiciunt; quia his, qui piè, ac ſollicitè conſeruandis gregibus* INVIGILANT, *ſublimia, ac diuina innoteſcunt.*

SECTIO III.

Rerum potiùs, quàm verborum *ratio apud* Deum *habetur.* 206
Dux exercitùs vt fuerit Chriſtus *in* præſepio. 206
Maior exempli *vis, quàm vocis.* 207
Pax *quid ſignificet & quænam ſit vera.* 207
Voluntatem Deus *coronat, vbi facultas deeſt.* 208
Pax *cum* diuitibus *ægrè pacem habet.* 209
Fruſtrà pacem *ſperet, qui gloriam Deo debitam non exhibet Deo.* 209
Pacem *cur hominibus bonæ voluntatis* Angeli *annuncient.* 210
Iuſtorum *nota eſt bonorum exemplo ad bonum excitari.* 211
Verbi *nomine cur vſi paſtores.* 212
In cælum reſpicientes paſtores *ad* Chriſtum *ſe conferunt.* 213
Nemo cum deſidiâ Chriſtum *requirit.* 213
Præſules *non facilè ſuas oues deſerant.* 214
Pecora ipſos paſtores *ſequebantur.* 214
Quam liberalis in ſuos ſit Deus. 215
Vigiliæ Chriſto *placent.* 215
Bonum aliis non inuidendum. 216
Exquiſitus ornatus ſermonem *eneruat.* 216

Et

Et subito facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitûs laudantium Deum, & dicentium.

206. Simul ac Angelus verba finiuit, mox adfuerunt illi multorum Angelorum copiæ, qui ex alto aduolarunt, vel certè ex improuiso visibiles se præbuerunt, cùm ibi adessent. Quæ dixerit Angelus, hîc narratur: quæ responderint pastores non exprimuntur; quin nec scitur, an quicquam responderint. Fors simplices isti viri, vt ferè accidit, prompti factis, & operibus fuerunt, licèt vel nihil dixerint, vel pauca, quæ nec recensentur. Gratum illorum obsequium Christo extitit, licèt verborum copiâ fuerit destitutum; rerum quippe, non verborum ratio apud Deum habetur. Verba illa sunt, quæ, nisi operibus innitantur, in vagum aërem disperguntur, & in nihilum abeunt.

Laudantium Deum: Modulatione quâdam cælesti Diuinas Angeli canunt laudes: quo exemplo docent, quid nos facere oporteat, cùm nobis datus, natus sit Dei filius.

Cùm Christus infans in præsepio iaceret, & taceret, eū efferunt Angeli, multitudo cælestis exercitus extollit, vt & tacendo clamaret; *laudet te os alienum, sileat tuum*; vberem laudis materiam exhibet, cum qui maximè laudandus maximè tacet.

Multitudo militia calestis exercitus, sed quis huius exercitus est dux? ille qui iacebat in præsepio, qui quò nudior, & imbecillior aptior, fortiorque, *ad debellandas aëreas potestates apparuit*, vt ait Beda.

Gloria in altißimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

207. Volebant Angeli, Deum ab hominibus, vt par erat, laudibus celebrari; quid efficiunt? laudant ipsi priùs, vt suo exemplo ad Dei laudem, honoremque allicerent, nimirum, magna exempli vis est, ac multò maior quàm vocis, quàm imperij; altiùs in subditorum animos descendit, quod superior non verbis, sed factis monet.

Gloria in altissimis Deo. Angelorum opus, & officium est, Deum incessanter laudare. *In altissimis*, Syrus, *in excelsis*, scilicet in cælis. Vbique laudandus Deus est, sed maximè in cælis, vbi bonitatis suæ fontes pleniùs, vberiùsque in beatos deriuat.

Et in terrâ pax. Pacis nomine salus intelligitur, quam Christus mundo inuexit; scilicet gaudent Angeli de nostro, non secus ac de suo bono, nobis salutem nostram gratulantur; gratulantur pacem ab omni inuidiæ liuore penitus alieni.

Hominibus, Græcè *ἐν ἀνθρώποις in hominibus*; ac si vera non esset pax, quæ in hominibus non esset; nimirum pax non à visibilibus tantum hostibus habenda, quæ extima est; sed à passionibus, à peccatis, quæ animam inuadunt, in animam arietant.

208. *Bonæ voluntatis*, Græcè in recto casu, *εὐδοκία, bona voluntas*, Syrus *sabro tobro euangelium*, seu *nuncium bonum.* Sed Latinus interpres in secundo casu *εὐδοκίας*, legisse videtur, cum vertat *bonæ voluntatis*; quam lectionem sequuntur antiqui Patres Latini, & nonnulli ex Græcis, vt Origenes, ac B. Chrysostomus. Porrò hunc genitiuum iungunt aliqui cum hominibus, & intelligunt homines bonæ voluntatis eos, quos Deus præcipuo fauore, ac gratiâ dignatur; sed alij illud *bonæ voluntatis* iungunt cum nominatiuo *pax*, *pax bonæ voluntatis*, sicut dicitur Psal. 5. vers. 13. *Scuto bonæ voluntatis*; est autem pax bonæ voluntatis salus profecta à bonâ Dei voluntate, non ex hominum meritis.

Bonæ voluntatis; commendatur voluntas, quæ apud Deum operis vicem subit, cùm facultas deest; scitè Sanctus Augustinus serm. 220. de tempore: *Scriptum est*, inquit; *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis, Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. Scit quia voluisti, & non potuisti: sic te annotat quasi feceris quod voluisti.*

209. Bonæ voluntatis hominibus pacem Angelus annuntiat; non magnarum opum vitis aut insignis eruditionis, primæque nobilitatis; nihil hæc omnia sunt, & ægrè cum pace pacem habēt, multis perturbationibus obnoxia: *Audistis* inquit Sanctus Petrus Damianus serm. 61. *enim quia hodie nato Domino Sancti Angeli cantauerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hodie quippè pax Deo cum hominibus facta est, sed non cum hominibus multarum diuitiarum, vel terrenæ sapientiæ, aut generosæ nobilitatis; sed cum hominibus bonæ voluntatis.*

210. Gloria Deo ab hominibus est danda, vt pax hominibus à Deo detur, & ideo dictum est prius ab Angelis, *Gloria in altissimis Deo*, & deinde, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; frustra pacem speret, qui gloriam Deo non exhibet, aut Deo debitam iniustè sibi tribuit. Det igitur gloriam Deo, qui pacem amat; alioquin pace carebit, qui gloriam, quæ Deo debetur, vsurpat sibi. Peritè sanctus Bernardus epist. 126. *Displicet mortalibus Angelica illa partitio, quâ gloria Deo, pax hominibus nunciatur; &, dum gloriam vsurpant, turbant pacem, pace destituti & gloriâ.*

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; hæc verba ita explicabat Beatus Laurentius Iustinianus: *Angelorum innumerabilium exercitus psallentium, dicentiumque auditus est, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloria quippe Deo, qui gratis ingratis se præbuit visibilem, pax autem hominibus pro quibus reconciliandis homo, & mediator fieri voluit.*

Pax hominibus bonæ voluntatis; Pax hominibus annuntiatur ab Angelis; de diuitibus nulla facta est mentio, ab iis quippè pax exulat si exulat ab illis diuitiarum distributio; *nunquid dixerunt*, verba sunt sancti Augustini ad verba producta, *Angeli, pax diuitibus hominibus in terra? Sed, pax hominibus in terra bonæ voluntatis.* Frustra sibi pacem diuites polliceantur, qui diuites bona voluntate non fiunt.

Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem.

211. Vt visibili formâ apparuerunt Angeli, itâ visibili modo in cœlum abeunt; vt vel motu testarentur se bonos Angelos esse, quorum domicilium cœlum sit, seque ad Deum peracta legatione redire, à quo missi. Student nimirum Angeli, se ab omni suspitione subducere, ne seductores putentur, cùm adiutores sint.

Loquebantur ad inuicem; se mutuò excitabant pastores, mutuò incitabant. Audierant, Angelos mutuò se ad Dei laudes concinendas prouocantes, quidni & ipsi eorum exemplo moniti excitent se se mutuò, vt ad Christum venerandum pergerent? excitant se, ne ingrati viderentur.

212. *Et videamus hoc verbum, quod factum est:* Verbum

bum vocant pastores, quem appellauerat Angelus infantem; *inuenietis*, inquiens, *infantem positum in præsepio.* Vnde verbi nomen pastoribus venit in mentem? An ex summâ Christi humilitate, ac paupertate, quam Angelus descripserat; *videamus verbum, quod factum erat*; ait sanctus Hieronymus, *vt iam tunc Euangelista Ioannis principium dedicarent*; licet simplicius, & litteræ cohærentius, verbum hic pro re sumatur Hæbraica phrasi.

Videamus hoc Verbum, quod factum est: Lubet hic exclamare cum sancto Augustino: *O Verbum ante tempora per quod facta sunt tempora? natum est in tempore; cum sit vita æterna, vocans temporales faciens æternos.*

Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.

ET *venerunt festinantes.* Verus Dei cultus, verum Dei obsequium moras omnes amolitur, odit cunctationes; festinantes ad Saluatorem ibant pastores, vt tamen oculos in cælum figerent, terræ terrenorumque obliti. Diuinitùs edocta B. Veronica hæc habet apud Isidorum de Isolanis lib. 4. eius vitæ cap. 2. *Venerunt festinantes*, IN CÆLVM SEMPER ASPICIENTES *præ stupore, & admiratione eorum, quæ viderant, & audierant.* In cælum rapiebantur euntes ad illum, qui è cælo in terram se demiserat.

213. Moras omnes rumpunt: videndæ tantæ rei desiderio in viam se dant: festinant ad Christum; reipsâ, & exemplo docentes non cum desidiâ quærendum esse Christum, sed summâ solicitudine, diligentiâ summâ, summâque celeritate. *Venerunt festinantes*, inquit hic sanctus Ambrosius, *nemo enim cum desidiâ Christum requirit.* Præterea festinatione istâ pastorum docemur, vt, quæ Diuinis inspirationibus Angelorum ministerio accepimus, sedulò opere compleamus, nec moras in salute nostrâ procurandâ nectamus. *Festinantes*: Meruerunt inuenire, quem quærebant; quia festinantes venerant, nec testudineo incedebant gradu, fors non inuenturi si diù tardassent, & tardo incessissent gradu. Scilicet Christum inuenire non merentur, qui, omnibus relictis, non festinant.

214. Ouium amor, & cura pastores ab inquisitione non auocauit, celeres potiùs eos fecit; festinant quippè, vt quàm ocyssimè redirent ad gregem, quem non sine periculo deseruerant. Arguunt multorum præsulum negligentiam, qui diù à suis ouibus absunt & absentia suâ damna multa subditis inferri contemnunt, pastoris nomine prorsùs indigni, licèt pastores dicantur. Itane, vt Christum quærant, isti pastores celeri incedunt gressu, ne diù ab ouibus abesse contingat; & præsules à suis aberunt, non quærentes Christum, sed desertes? deliciis, commodisque suis incumbentes, omnium vtilitatem negligentes, non cogitantes?

Ad præsepe se pastores conferunt; *sequebantur & illos* PECORA ET GREGES, verba sunt B. Veronicæ, quæ istuc è cælo didicit; *clamantes ac si noua isthæc admirarentur.* Torporem nostrum non pastores tantùm, sed & animalia bruta accusant, & damnant.

215. *Inuenerunt Mariam, & Ioseph*: Inuenerunt facilè: facilis illis fuit accessus, pastores præsertim cùm essent: celeritas, & festinatio hoc meruit, vt diù, quod volebant, non quærerent. Inueniunt, quem quærebant, nec aberrant à viâ. Nimirum, qui Diuinis inspirationibus statim respondent, & duci se sinunt, facilè Christum inueniunt.

Mariam, & Ioseph: Ampliùs inueniunt, quàm quærerent: non Filium tantùm inuenire eis concedit, sed & Matrem, & putatiuum Patrem: Liberalis in suos Dominus est; nec exæquat tantùm suorum vota, sed superat etiam: Nimirum sedulitas, & festinatio adeò Deo placet, vt etiam non speratis bonis cumulet, & non quæsitis.

Mariam, & Ioseph: Soli nempè ad præsepe vigilantes, & pernoctantes in oratione Dei: nullus hic dormit, nullus lecto iacet, omnes vigilant: quis sopor irruere in homines posset, Dei Filium super fœnum videntes? Vigiliæ Christo placent, placent vigiles talesque vult esse præsepis custodes, & natiuitatis suæ veneratores.

Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

COgnouerunt: Græcè, ἐγνώρισαν, *pernouerunt*, Euthymius, *certiores facti sunt*: alij pro *cognouerunt*, vertunt, *notum fecerunt*, aut, *diuulgarunt*: sicut & interpres suprà vers. 15. ἐγνώρισε, vertit, *ostendit.* Vtraque notio hic optimè cohæret: primùm quidem ipsi pastores agnouerunt; deinde verò notum fecerunt Mariæ, & Iosepho, quid ab Angelo de hoc puero intellexissent; tandem aliis quibusuis obuiis omnia manifestarunt. Tantum bonum aliis non inuident, amant ab omnibus sciri, ab omnibus quæri. Vbi inuidia abest, felicitatem omnem omnibus communem fieri quæritur, &, vt fit, gaudium augetur. 216.

Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

PAstorum sermoni gratiam Dominus addidit, ne sperneretur, sed cum profectu magno exciperetur: fucus omnis ab eorum sermone aberat, omnis elegantia, & tamen tantum in audientium mentibus potuit. Eneruat exquisitus ornatus sermonem, non robur, & virtutem ei adiicit.

SECTIO IV.

Vera

Vera consolatio *extra* Christum *non est quærenda.* 225
Consolatio *& peccatum non coalescunt.* 225
Respondete, *quid in Litteris Diuinis.* 226

Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

217. CÆteri ob rerum nouitatem admirabantur: Mariæ hæc minimè noua, minimè insolita; & ideò non mirabatur, sed ea diligenter animo versabat. Non declarauit ipsa pastoribus, quæ ab Angelo exceperat, quòd de Spiritu sancto concepisset, quòd Virgo peperisset absque vllo doloris sensu, quòd eius Filius futurus esset magnus, & similia, quæ rerum nouitatem, & magnitudinem augere poterant: tacuit omnia, omnia silentio suppressit: cur ita? An, quia testimonium in ore ipsius quodammodo sorduisset? An nihil horum protulit, ne suam felicitatem iactare videretur, & ea narrare, quæ ad eius laudem faciebant? Nimirum, quò quisque maior, eò cautiùs ea supprimit, quæ eius magnitudinem sapiunt, & ostendunt. Mariam imitabitur, qui Mariæ virtutes amat.

Conferens in corde suo: Quicquid ei dixerat Angelus, quicquid à pastoribus audierat: cuncta congerebat in mente; &, ad inuicem comparans, summam inter omnia concordiam cognoscebat. Omnia expendebat, omnia considerabat: non facilis effundit, quæ sciebat; sed deuota excipit, quæ minimè ignorabat. Habes hîc singulare virgineæ taciturnitatis, ac modestiæ exemplum: secum, quæ audierat, conferebat, non cum aliis.

218. Conseruabat verba, quæ Verbum in suo ventre conseruauit humanâ vestitum carne. Aliorum conseruabat verba, non facilè effundebat sua. Vix reperias, illam de Diuinæ incarnationis mysterio loquutam; ne se efferret, ne sua iactare videretur. Peritè sanctus Bernardus serm. de Beatâ Mariâ: *Magi, si recolis, non sine Mariâ Matre eius puerum inuenerunt: & inducens in templum Domini, templi Dominum, multa quidem à Simeone audiuit tam de eo, quàm de seipsâ, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo: sed in his omnibus neque de ipso incarnationis Dominicæ sacramento quodcunque verbum fecisse reperies. Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus: væ, qui totum proferimus spiritum, qui (iuxta illud Comici) pleni rimarum effluimus vndique.*

Conseruabat omnia verba hæc: Quænam verba: Angelorum, an verò pastorum? Omnia cõseruabat, quæ ab illis dicta, & quæ dicta istis, scitè Titus Bostrenus: *Ecquænam erant illa, quæ sacrosancta Deipara conseruabat? omnia simpliciter tam ea quæ acceperat ab Angelo, quàm ea etiam, quæ didicerat à pastoribus*, sic vertit interpres, sed postrema hæc verba aliter ego verterim; scilicet: quæ dixerant pastores.

Conseruabat omnia verba hæc: A Verbo, quod in visceribus humana carne indutum Maria conseruauerat, didicit verba conseruare, quæ de Verbo erant: *Sicut ipsum Verbum*, inquit Sanctus Thomas, *prius in visceribus ita nunc eiusdem modum, & dicta concipiebat, & in corde suo quodammodo fiebat* Verba, quæ ad Verbum spectant religiosissimè versat, auidissimè excipit, & seriò contemplatur, qui Verbum ipsum amat; alioquin qui Verbi verba negligit, Verbum se negligere indicat.

Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

REuersi sunt: Voti compotes facti, & superâ dulcedine perfusi redeunt pastores haud dubiè, quin ad gregem suum: in tantâ felicitate nec ouium obliuiscuntur, nec muneris sui. Habent præsules, quod in spiritualium ouium curâ ex pastorum solicitudine discant. Nimirum nullum gaudium, felicitas nulla, nullæ res secundæ ita occupare superioris mentem debent, vt subditarum ouium obliuiscantur. 219.

Ad gregem, quem reliquerant, se conferunt pastores; nihilque detrimenti in grege passi sunt, quem, vt Christum quærerent, tantisper deseruerunt: nullus lupus oues inuasit, nullus fur: Dei prouidentiæ commendatæ, oues non periere. Disce: nullum detrimentum vereare, nullum damnum ex tempore in Dei cultum, & obsequium impenso: frustrà omnino est, qui aliter censet.

Et reuersi sunt pastores. Haud dubiè ad gregem suum, vt notauit etiam Euthymius. Tanto honore sublimes facti, vt Dei Filium hominem factum viderint, sui officij vilitatem non deserunt. Non se iactant, non efferunt se; sed maiori potiùs humilitate humile munus exercent, quod priùs exercebant. Nimirum, quò quis maioribus beneficiis cumulatur, eò profundiùs se demittere debet.

Reuersi sunt pastores: quò reuersi sunt? haud dubiè quin ad gregem suum: non contulerunt se Ierusalem, vt tanto fauore dignati & ab hominibus honorarentur, non vile pastoralis curæ munus contempserunt, quin humiliores tanto beneficio facti solicitiores euaserunt; nimirum iusti diuinis fauoribus, non intumescunt, intumescunt peccatores, superbiæ mancipia.

Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.

POstquam transacti erant septem integri à natiuitate dies, cum octauus adhuc laberetur circumciditur puer. Quamuis legi circumcisionis non esset subiectus, subiici tamen voluit, & legi parere, vt opportuno tempore suos à legis iugo redimeret; & vt statim se filium Abrahæ probaret, qui circumcisionis legem, & pro suo semine acceperat. *Gen.17.v.10.* 220.

Circumciditur, vt præludium quoddam futuræ passionis præmitteret. Sed, vbi circumciditur, & à quo? Communis censio est, in eâdem illâ speluncâ stabulari, in quâ natus, à Iosepho nutritio, aut alio viro fuisse circumcisum: quid si à Matre? Non suppetit vehemens contrà sentiendi argumentum.

De circumcisione, quæ die octauo fiebat ita philosophatur sanctus Bernardus: *Quod hæc circumcisio octauo die fiebat spem commendabat regni cælestis.* Die octauo circumciditur puer, vt rectè doceremur, dominicam resurrectionem totius mundi esse circumcisionem; rem ita versat sanctus Chrysostomus: *Postquam*, igitur, *consummati sunt dies octo: lex enim octaua die circumcisionem fieri iubet, cumque octaua dies venerit, procedit in medium*

medium medicus, & artem suam exercet, cessatque Sabbatum propter circumcisionem. Interrogemus ergo Iudaeos: Sabbatum requies est, vacatio perfecta est dies: qua de causa septimam expellit octaua? Verum Iudaei quidem res Iudaicas minimè norunt: at Ecclesia Christum nouit, & Iudaica documenta. Circumciditur enim puer octo die: quia Dominica resurrectio die octauo futura erat totius mundi circuncisio.

Porrò an cultro lapideo circuncisus fuerit Christus verti in dubium solet; ego in affirmatiuam partem inclino; in eam impellit auctoritas B. Veronicæ, quæ id è cælo didicit. Eam hæc referentem refert Isidorus de Isolanis lib. 4. cap. 3. *Senex infantem fascia nudauit, acceptoque* CVLTRO LAPIDEO *pelliculam circuncidens pauxillum carnis exemit.*

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.

221. PAruit Christus legi, cum legi nil deberet: paret nunc & Mater exemplo Filij, tanquam egeret purgatione, quæ puritissima erat, ab sorde, ab omni maculâ semper aliena. Quamuis lege non comprehenderetur Maria, legem tamen seruauit, ne alios scandalizaret, quibus ignota eius exemptio, vt humilitatis, & obedientiæ præberet exemplum.

Tulerunt: Maria scilicet, & Ioseph. *In Ierusalem:* Ibi quippè Dei templum erat. *Vt sisterent eum Domino:* Deo exhibent, offeruntque tam gratam hostiam. Sed quæri potest, cur oblatum Domino puerum in templo Maria non reliquerit, quod olim fecit Anna, Samuelem tabernaculo commodans. 1. *Reg.* 1. *v.* 28. Iudæorum templo Iesum non reliquit Maria; quia nolebat, eum proprium synagogæ esse: volebat esse totius mundi Saluatorem. Vide, quàm nostræ salutis studiosa Virgo sit.

Vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

222. DArent: Græcè, *τ͂ δοῦναι, ad dandum*, vt offerrent: hostia pro solâ Mariâ offerebatur; res tamen etiam ad Iosephum refertur eò, quòd socius adfuerit in comparandâ, adferendâ, atque adeò offerendâ hostiâ. Iustus vir non seruat tantùm legem, sed seruari etiam à coniuge studet. Felix coniugium, quum coniugum voluntates in Dei lege seruandâ conueniunt, & tantùm abest, vt alter alteri sit impedimento, vt iuuet potiùs, excitet, vegeatque.

Par turturum, aut duos pullos columbarum: Maria, etsi pietatis affectu diues, pauper tamen, si terrenas diuitias spectemus, erat: atque adeò pauperem se gessit, hostiam offerens. Poterat etiam agnum offerre, quæ quinque siclis Filium redemit; sed abstinuit, tum quia verum agnum Christum Deo Patri offerebat, tùm nè plus offerret, quàm conditio sua ferebat, aliena prorsus à fastu modestiæ cultrix.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israël.

ET ecce: Attentionis, & admirationis nota iurè præmittitur: nimirum iustum quempiam, Deumque timentem in Ierusalem, quæ impiis hominibus plena erat, tanquam singulare, & insolitum in admirationem rapere omnes poterat, & attentionem in omnibus excitare. Bonitas inter malos vix locum inuenit. 223.

Iustus, & timoratus: Laudes Simeonis recenset Euangelista, quia scilicet erat Christi laudes dicturus. Scilicet, qui Deum dignè laudare vult, sit ipse dignus laudibus: impiorum laus sordescit, nec Deo placet. Præterea laudatur Simeon, quia suis manibus contrectaturus erat Christum: quàm deceret, nos laudabiles esse, cùm eundem Christum non extimè manibus excipiamus, sed intùs corde, quod in sacrâ eius Corporis communione fit? *Iustus, & timoratus:* Iustus aliis hominibus, timoratus erga Deum: vtrumque necessarium est.

Iustus, & timoratus: Beatus nexus iustitiæ, ac timoris: iustitia sine timore non custoditur. *Timoratus:* Græcè, *εὐλαβὴς, religiosus*; *εὐλάβεια*, significat non quemlibet timorem, sed illum, qui cum reuerentia coniunctus sit, & Latinè *religio* dicitur. Timor iste non est seruilis, sed filialis, quo quis timet, ne Deum offendat. 224.

Expectans consolationem Israël: Verè iustus, verè sanctus, qui, sui oblitus, non suam, sed populi consolationem expectabat; imo suam, quia populi: nam, cùm sacerdos esset, populi salutem, & consolationem, suam putabat. Publicæ salutis auidus, populi magis bonum, quàm suum requirebat. Digna res, in quam coniiciant oculos præsules, aliorumque rectores.

Consolationem: sed quam? proculdubio eam, quam Christus aduentu suo erat allaturus. Sed cur non aliam? An, quia alia quælibet consolatio extrà Christum, mera desolatio est, vt nec consolationis nomen mereatur? Fallitur, qui, extra Christum, aliam consolationem nouit, aliam quærit. 225.

Non explicat, qualis hæc consolatio futura sit. An, quia tam magna, vt explicari nequeat? Ita est, & experiuntur, qui Deum quærunt, qui Deum amant.

Vera fuit consolatio, quam Christus, aduentu suô, mundo inuexit; quidni? cùm peccata veniens statim ab hominum cordibus eliminauerit? Nimirum, vbi peccatum à mente exulat, verâ consolatione perfunditur, quam frustra quis quærat, sceleribus madidus.

Et Spiritus sanctus erat in eo.

ILlud, *&*, plerisque significat, *nam*; adeò vt sciuerit Simeon, Christum, Israëlis consolationem, vicinum esse, & breui adfuturum, quia in eo erat Spiritus sanctus donis suis, sed præsertim prophetiæ. *In eo* Græcè, *ἐπ᾽ αὐτὸν, super eum.* Spiritus sanctus in eum delapsus, eius fouebat animum, eius regebat mentem. 226.

Et responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

REsponsum acceperat; ex Græco ad verbum; *fuerat illi oraculo promissum.* Syrus: *dictum ei fuerat.*

fuerat. Sæpè respondendi verbum sumitur pro dicere, licèt interrogatio nulla, nulla sciscitatio præcesserit. Licèt iustus Simeon quærere videretur, dum ardenter desideraret.

SECTIO V.

Et venit in spiritu in templum.

227. NOn fortuitò, nec solâ consuetudine ad templum pergit iustus Simeon, sed motus à Spiritu sancto. Sanctiores à templo abiremus, si nos quoque superi Spiritus instinctu iremus, templa frequentaremus. Venit spiritu in templum, qui spirituale Dei templum euaserat. Ritè ad templum venit, qui ad hoc peruenit; vt Dei templum esse videatur. Venit in templum, qui in templum priùs venerat, quàm veniret. Cùm domi esset, templum mente cogitabat: ad templum mente ierat, à quo nec discedebat, cùm discedere cogebatur.

Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit.

NOn contentus vidisse, excipit in vlnas inexplicabili gaudio perfusus; ingenti amoris affectu complectitur, & osculatur. Eius contactu indignum se putabat Simeon, sed amor audentem fecit, & in amplexus induxit.

Accepit eum in vlnas suas. Vides quàm diues in suos Deus sit; plura suis diuina bonitas concedit, quàm pollicita sit: Visio Simeoni promissa fuerat, *responsum*, quippè, *accepit*; *non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini*. Nunc non tantum videt, sed & tangit, & amplexatur. Nescit à iustorum votis Dei pietas vinci.

228. *Accepit*; sed à quo? haud dubiè quin à Virgine matre: obtulit infantem mater Simeoni, tanquam sacerdoti, qui eum Deo patri offerret. Amat Virgo à sacerdotibus Christum contrectari, sed, qui iustitiâ, ac sanctitate Simeonem referant. Vix alibi reperias Virginem filium obtulisse, quam huic sacerdoti sancto, & Dei spiritu pleno. Esto Simeon, vt merearis tu quoque, Christum manibus, & à Virgineâ manu virgineum purumque munus accipere.

In vlnas suas. Quàm felix, quàm fortunatus iste senex, qui tantum pignus vlnis excepit! quanto gaudio perfusus fuerit non explicat Euangelista; nil mirum, cum explicari dignè non possit. Delicias, quibus iusti mens in Dei sui præsentiâ perfunditur, sentire potest, explicare nequit.

Benedixit Deum. Laudauit statim Deum Simeon, statim gratias egit, quod promissa sibi facta sortita esse et efficaciæ veritatem. Non distulit gratias agere, statim egit, suo nos exemplo docens in Dei beneficiis accipiendis ingratitudinis notam vitandam esse.

Nec gaudium Simeonis explicat Euangelista, nec fructum, quem ex Christi præsentiâ, atque contactu produxit; vtrumque coniicere possumus: Quæ fimbriam vestimenti tetigerat sanitati restituta est. *Matth. 9. 22.* quid non gratiæ, ac virtutis consecutus sit Simeon, qui non fimbriam tangit; sed Christum ipsum manibus contrectat, vlnis excipit? 229.

In vlnas suas excepit Simeon Christum, deinde lætus cantauit, lætus abiturus. *Manus, atque vlna symbolum sunt operationis*: igitur per operationem excipit Christum, *qui rectè factis præparat se ipsum ad occurrendum venturo in hunc mundum iudicare viuos, & mortuos: hic occursum Domini celebrat, factus spiritualis Simeon*, ait Sanctus Athanasius.

Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

VT vidit, vt excepit, quod quærebat, solui statim quærit, & à caducâ hac, mortalique vitâ dimitti; indicans, se ad hoc solùm vixisse, vt Christum suis oculis videret, suis manibus contrectaret. Nimirum vita, quæ ad Christum non dirigitur, verè vita non est; & vita, quæ sine Christo, non tam vita, quàm carcer, & vinculum censenda. Id si dicere potuit iustus Simeon, quàm iustiùs illi dicant, qui multorum peccatorum vinculis constringuntur? 230.

Dimittis: Græcè ἀπολύεις, *absoluis*, ac si quibusdam vinculis in hâc vitâ retineretur. Est autem præsens, *dimittis*, loco futuri iam iam instantis, & imminentis. Adeò breue erat futurum vitæ præsentis tempus, vt præsens videretur.

Nunc dimittis, lætus abiit, quia Christum vidit, cæteros patres, qui in limbo degebãt, eadem lætitia curat beari, ire ad illos nuntius quærit; Beatus Thomas hunc senem ita loquentem facit: *Nunc dimitte Domine seruum tuum in pace: in abyssum descendere non formido, quia viderunt oculi mei salutare tuum, à quo citiùs inde me liberandum spero. Vadam igitur legatus ad inferos, & nuntiabo patribus nostris, magnum lætitiæ nuncium, vt gaudeant ipsi, sicut & ego gauisus sum.* Plena gaudentis lætitia esse non videtur, nisi cæteri cum ipso gaudeant, & si fieri potest, etiam per ipsum.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

IAm explicat, cur libens abeat ab hac vitâ; quòd scilicet suis oculis Christum salutis auctorem conspexerit. Signatè ait, *oculi mei*, carnis scilicet; 231.

nam fidei, ac mentis oculis iam anteà videtat. *Salutare tuum.* Vides, non ob nudum conspectum sibi gratulari Simeonem, sed ob salutis effectum, quem toti mundo communem futurum putat.

Porrò, si tantum nudus Christi, adhuc infantis, conspectus Simeoni profuit, vt mortem lubens, lætusque adiret, & vitam istam negligeret, quantò vberior nobis pacis, ac tranquillitatis materia suppetit, quibus contigit perfectæ salutis consummationem in Christo videre, quin & consequi?

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

PRophetam agit hîc Simeon; non tantùm præsentem Christum agnoscit, sed & in populi salutem aduenisse intelligit. *Omnium populorum*, non solius Israëlitici populi, sed totius mundi populorum: non gentiles Simeon præterit; quin ab inuidiâ immunis, gaudet extra Iudeæ fines salutem porrigi, omnes saluari.

232. *Ante faciem omnium populorum:* Salutare parauit Deus non vni Hæbraico populo, sed omnibus. Hic aliquis reponat: cur de eodem Simeone superiùs dicitur, quòd ipse expectabat consolationem Israël? Ita ne omnium euaserat, qui tanquam soliùs Israëlis expectabatur? Nimirùm, quò præsentior Christus est, eò pleniùs videtur, quàm effusa eius misericordia sit, eius in mortales amor. Antequam veniret, tanquam Israëlis consolatio expectari poterat: vbi conspicitur aduenisse, non vnius esse solamen probatur, sed cunctorum. Semper aliquid maius reipsâ affert Christi præsentia, quàm absens putabatur.

Præterea perfectum gaudium vni contingere populo Christi aduentu vix potuit, quin ad omnes emanaret. *Quomodo superiùs*, inquit sanctus Gregorius Nyssenus, *testatum est, illum expectare consolationem Israel, nunc autem conspicitur dicere, Dei salutare in conspectu omnium populorum. Quoniam tunc futuram Israelis consolationem nouit spiritu, quando omnibus quoque populis fuit paratum salutare.* Effusa in omnes Dei benignitas non impedit vnius consolationem, sed implet, perficitque.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

233. IN gentium lucem paratus Christus est; vt gentibus densis ignorantiæ tenebris obsessis lumen inueheat. *Ad reuelationem.* Reuelatio visus restitu-

Psal. 118. 18. tio dicitur; sic & Psalm. 118. 18. *Reuela oculos meos*, id est illumina. *Gentium.* Priùs Gentilium meminit, quàm Iudæorum; ne ex suæ gentis affectu loqui crederetur.

Et erat: Aliqui habent; *erant*; sic enim latinus sermo fert, sed res in idem recidit: de duobus loquitur, ac si vnus esset; vnum quippe affectu, & voluntate erant sanctissimi isti coniuges. *Erat*, affectus vnitatem respicit: *mirantes*, personarum pluralitatem.

Mirantes: Erant mirantes, id est admirabantur: originem à nouitate admiratio trahit: cur igitur Maria, & Ioseph in admirationem rapiuntur, cùm illis hæc minimè noua, minimè inaudita, aut insolita? An, quia, licèt hæc omnia Virgo nosset, nosset & Ioseph, adhuc tamen aderat admirationis causa, quum viderent scilicet pluribus à Spiritu sancto hæc mysteria reuelata, & præter expectationem audirent Simeonem de puero ea loquentem, quæ iis, quæ didicerant, erant conuenientia? Nimirum, tanquam iusti, admirantur, & gaudentes stupent, mysteria hæc aliis etiam aperiti, nec sibi solis reserari.

Tandem mirantur audientes, etsi ea, quæ dicebantur probè nossent; quia res Diuinæ humanum captum, & intelligentiam excedentes, quoties in memoriam reuocantur, toties nouam admirationem excitant, nouum gaudium. Scilicet transcendentium rerum notitia, quotiescunque in memoriam venerit, semper renouat in mente miraculum. Abeunt ab hac mente illi, qui mysteria negligunt, quia sciunt, & audiunt rursus, quæ nouerunt. 234.

Et benedixit illis Simeon.

BEnedixit prius Deum Simeon; posteà illis benedixit: sed quibus? Mariæ, & Ioseph. Puero benedixisse, quem confessus fuerat salutis, & benedictionis auctorem, non facilè crediderim. Verisimile est, consueuisse sacerdotes parentibus benedicere, & illis fausta omnia precari, post primogenitorum oblationem.

Et dixit ad Mariam Matrem eius: ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.

MAriam alloquitur Simeon, non Iosephum; fors, quia tunc non esset victurus, cùm hæc, quæ prædicuntur, adimplenda essent: *Positus est*, inquit, *hic in ruinam, & in resurrectionem*, positus dicitur, nec dicitur à quo sit positus; in resurrectionem ponitur à se, à suâ bonitate; in ruinam verò malorum, à malorum malitiâ. 235.

In ruinam & resurrectionem sibi Christum fieri optabat Sanctus Paulinus, & optare sibi quisque vtiliter potest, si eiusdem Patris sensu fetatur. Sic ille scribit epist. 8. ad Seuerum *Vtinam compleatur in me verbum illud Euangelici Simeonis, vt fiat mihi Christus in ruinam & resurrectionem. Ruina exteriori meo, & interiori resurrectio; vt cadat in me peccatum, quod, animâ cadente, consistit; & exurgat ille immortalis, qui cecidit, exurgente peccato. Exterioris enim status, interioris casus est: & ideo, quando infirmatur exterior, qui intùs est, renouatur de die in diem.*

In ruinam: Et non etiam antequam Christus veniret peribant multi? peribant. Cur igitur in ruinam multorum positus dicitur? an quia peccatores, *non puniendi æqualiter ante incarnationis mysterium*, ait Sanctus Gregorius Nyssenus, *vt post datam dispensationem, & prædicationem*; grauiori enim pœna punientur qui post Christi aduentum peccauerint, quàm qui antea deliquissent. 236.

In Israel; cur Israëlis tantùm mentio fit, an non etiam in ruinam aliorum, resurrectionemque positus est Christus? Signatè Iudæorum meminit, *quos necesse erat*, inquit Sanctus Thomas, POENAS LVERE GRAVIORES, *quàm omnes aliæ gentes, & quod dudum prophetatum in eis, & adoratum, & ex eis productum minimè susceperunt*; nimirum eò quisque grauius est puniendus, quo plura, quo maiora accepit, per quæ consequi poterat, ne puniretur, sed præmio afficeretur.

* * *

SECTIO

SECTIO VI.

In signum, cui contradicetur.

237. IN illum impij collineabunt, vt solent sagittarij in scopum. Grandis sceleris genus! neque enim casu, aut aliud agentes ei contradicent: sed consultò, volentes, & hoc præcipuè meditantes. Huc impiorum hominum malitia euadit, vt non fragilitate, aut inaduertentiâ ducti Christum offendant, sed meditatè, & consideratè: quod fecerunt Iudæi, cùm in illum passionis tempore sæuirent.

Cui contradicetur: Græcè, ἀντιλεγόμενον, *cui contradicitur.* Præsens positum est pro futuro: quod Latinus interpres probè nouit. Nisi dicere velimus, participio præsentis temporis indicari futuram contradictionem, futura opprobria adeò Christi memoriæ altè insedisse, vt præsentia viderentur, & viuâ meditatione, ac repræsentatione inciperet perpeti, quæ re ipsâ in vitæ extremo erat passurus.

238. *In signum cui contradicetur:* Syrus, *Veletho derieno, & in signum contradictionis,* seu *contentionis:* contradictioni scilicet, & contentioni obnoxium: vt colligeremus, non semel impios in Christum sæuituros, eique contradicturos, sed frequenter, continuè, adeò, vt contradictionis signum dici possit.

Solent sagittarij in scopum sagittas iacere, & præmium, laudemque sperant, si collineent. Hùc & peccatorum euadit amentia: suis sceleribus in Christum, velut in signum, sagittas emittunt, emittunt impia verba, tanquam spicula, gloriæque, ac laudi sibi ducunt, si Christum figant. Fecerunt hoc Iudæi: similis impietas vtinam ad alios non esset transmissa, nec reperirentur peccatores, qui gloriarentur, cùm malefecerint.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

PRædicit Simeon Virgini, quæ passura in Filij sui passione, & cruce, vt inuicto animi robore aduersus omnes insultus se muniret. Gladij nomine, animi afflictionem, quam Virgo, dum cruci assisteret, pertulit, interpretes intelligunt: licèt per gladium intelligi etiam possit contradictio, & conuitia, quæ à linguæ gladio fuerunt. 239.

Nulla hîc tribulationum, nulla pressurarum, & iniuriarum mentio fit, quas ipsamet Virgo passa est, sed tantùm earum, quas Filius pertulit, & Mater ipsa in Filio: vt disceremus, suas iniurias nihili duxisse Virginem, sua opprobria nihili fecisse: patiebatur in Filio; quia magis amabat Filium, quàm se ipsam. Nimirum vix pressuras suas, & suas tribulationes cogitat, aut sentit, qui Christi sui passionem, crucem, & opprobria seriò meditatur, & expendit.

Quî & quando Mariæ animam gladius pertransierit, explicat sanctus Bernardus serm. de Beatâ Mariâ: *Positus est hic (ait sanctus senex de paruulo Iesu) in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransiuit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filij tui penetraret. Et quidem postea quam emisit spiritum suum ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus; sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat; sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris; vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in quâ nimirum corporea sensum passionis excesserit compassionis affectus.* 240.

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser.

POst viri testimonium, etiam mulieris adducitur; sexus omnis Deo famulatur. Anna prophetissa: videtur hoc nomen publicè obtinuisse. Putant aliqui non fuisse dictam prophetissam, quia futurarum rerum prædictione celebris esset, huiusmodi enim prophetis, & prophetissis carebant illo tempore Iudæi; sed, quia in Scripturis docta, & exercitata, munus obibat, iuuenculas docendi Dei legem, ac mandata, & pietatem eas instituendi: Vides, & quantæ dignitatis, & meriti sit iuuenculas erudire, & informare, vt hæc anus, quæ hoc præstabat, & prophetissa dicatur, & in testem promissi Christi adducatur, relictis interim superbis doctoribus, qui pharisaico tumebant supercilio.

Quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.

FRequens in templo erat, ac penè assidua. Illud non *discedebat* commodè intelligi debet: nam ob cibum, & potum, & alia huiusmodi relinquebat aliquando templum; dicitur autem non reliquisse, quia nisi vrgente necessitate à templo non aberat. Nisi velimus dicere, quòd licèt corpore aliquando discederet, nunquam tamen animo discedebat, tota in Dei cultum, & obsequium occupata. Sic è conuerso plerique semper in templo corporaliter 241.

corporaliter habitant, qui reuerâ in templo esse non videntur, cùm mente foras euagentur, vicos, & plateas animo circumeant.

Non discedebat de templo. Non vidua religione, ac pietate hæc vidua fuit, quam non legi vel anilibus fabulis addictam, sed orationi, vt Euangelistæ quoque titulum meruisse eam dixerit Sanctus Petrus Damianus lib. 8. epist. 14. Sic eam nobis depingit, & viduis in exemplum offert: *Euangelica illa Anna vestræ viduitati proponatur exemplum. Quæ nimirum, Scriptura teste, septenni coniugio fruita; iam vsque ad octoginta quatuor annos in viduitate processerat: verumtamen quæ tam prolixum, tam annosum viuendi tempus accepit, numquid vel vacando fabulis, vel delitiosè viuendo, curmatricas anilis æui molestias temperauit? Sed continentia longanitate præmissa, protinus Euangelista subiungit: Quia non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens, nocte, ac die. Quid, quæso, hæc mulier faceret, si adhortationes Apostolicas legeret: Orate sine intermissione: præsertim si ipsum dominum prouocantem nos ad studium continuæ orationis audiret? Porrò, quia antequam Euangelium discere potuisset, impleuit, prophetica Dominum inspiratione cognoscere, atque, vt ita fatear, Euangelista facta, eius meruit præsentiam nunciare. Sicut legitur. Quia hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino & loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem. Hanc itaque egregiam viduam quasi signaculum quoddam vobismetipsis sollerter imprimite, vt veræ viduitatis mereamini præmium reportare.*

Seruiens. Sed cui? haud dubiè quin Deo, vnde aliqui Græcum verbum λατρεύων, vertunt, *seruiens Deo*; verbum quippè λατρεύειν, ex sacrarum Scripturarum vsu de seruitute, & cultu vni Deo debito, dicitur.

Et hac, ipsâ horâ superueniens confitebatur Domino.

242. LAudes huius mulieris ideò præmittuntur, & moribus talis inducitur, vt digna planè fuisse credatur, quæ, omnium Redemptorem venisse, prophetico spiritu plena nunciaret. Cùm igitur & puer Domino sisteretur, & de illo Simeon propheta retaret, aduenit Anna. *Superueniens*: Græcè, *ἐπιστᾶσα*, *adstans, assistens.* Syrus, *surrexit*: Placet, quod aliis placuisse video, surrexisse Annam non ex loco habitationis suæ, sed ex loco orationis in templo; orabat quippè, dum hæc agerentur.

Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo.

CRescebat mole corporis puer, crescebat & membrorum robore. Sed aliquis hîc quærat; cur ex matris vtero perfectus vir non est egressus, firmus, & robustus? Poterat, si volebat, talis egredi; sed noluit, ne scilicet phantasma putaretur: nimirum aduentus sui, & incarnationis veritatem probare potiùs voluit, quàm imbecillitati, ac infirmitati suæ consulere; maior quippè vtilitatis nostræ ratio habita, quàm sui commodi.

* * *

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni pascha.

QVotannis pij parentes Ierusalem, vt in templo Deum venerarentur, proficiscebantur. 243.
Vnicum templum erat apud Iudæorum gentem, ne scilicet pro templorum numero Deos sibi, Gentium more, multiplicarent: suorum potiùs saluti consuluit Deus, quàm sui cultûs amplitudini. Nimirum, superioris est subditorum lapsus anteuertere, & omnibus à peccatis suos auocare.

Ibant parentes eius: Fæminas, tanquam molles, & infirmas, præceptum adeundi templi non tangebat, tangebat tantùm viros; sed Maria pro suâ in Deum pietate comitem se viro adiunxit, & legem cum marito seruauit. Dedecet, in Dei lege adimplendâ, limites coërcere: extendendi sunt. Prodebat scilicet, se non præcepto ad Dei cultum vrgeri: vrgebatur religione, & ei placendi studio.

Parentes eius: Assumpserunt secum & Filium, 244.
exemplum parentibus relinquentes, vt teneram filiorum ætatem piis exercitiis sacrent, & religionis operibus filios, adhuc infantes, assuefaciant.

In Ierusalem: Non timuerunt sibi ab Archelao Herodis filio, iam regnante; quia nimirum timorem hominum, Dei timori, postponebant; exemplo suo docentes, omnibus idem præstandum: alioquin fatuus audiat, qui ab hominibus sibi cauet, non timet Deum.

In die solemni pascha: Ter in anno per legem templum visitabant; festis videlicet diebus paschæ, pentecostes, tabernaculorum. Deut. 16. vers. 16. Hoc præceptum Ioseph, tanquam iustus, proculdubio obseruauit. Sed cur festi tantum paschæ hîc mentio fit? An quia festo paschæ accidit id, quod narrare nunc incipit Sanctus Lucas? Hinc colligimus, iustos plura in Dei cultum præstare, quàm dicant ipsi, quàm dicantur ab aliis.

Remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

REmansit puer, non inobedientiâ, aut errore, 245.
sed Diuino consilio diuinâ prouidentiâ. Se à parentibus subduxit, non in eorum contemptum, sed in Patris gloriam, in parentum profectum. Sed quî, eximere se ab illis, potuit, à quibus tantâ solicitudine, ac diligentiâ obseruabatur? Potuit, quia voluit, & occasionem cognatorum multitudo præbuit; nam, qui subsequebantur putabant, abiisse cum iis, qui iam præcesserant. In viâ Iesus amittitur, non in templo; & plerunque ita accidit, vt in viâ, & in hominum frequentiâ Christum amittamus.

Iesum non amittunt pij isti parentes, cùm in Ægyptum fugerent, ab Herodis sæuitiâ se subducentes: amittunt in die festo, cùm tot laudum præconia de ipso audiuissent, cùm ingenti gaudio perfunderentur: nimirum ostendere Deus voluit, in tribulationibus Christum inueniri, in prosperis, & felicibus sæpè, nostrâ culpâ, à nostris oculis se subducere.

Requirebant eum inter cognatos, & notos, & non inuenientes regressi sunt in Ierusalem.

NOn inter cognatos, & carnis propinquos in- 246.
uenitur Iesus; quin frequenter inuentus, inter cognatorum

cognatorum affectus amittitur, & disparet: Quod si inter suos cognatos Christus non inuenitur,
243 quis speret inter proprios inuenire? Abducunt nos à Christo parentes, non ducunt ad illum.

Amissum filium Virgo quæsiuit, quæsiuit & cum eâ Elisabeth, imò & Anna Mariæ mater. B. Veronica rem ita refert, vt accepit è cælo lib. 4. cap. 7. *Domum Elisabeta Zachariæ primùm adiit Virgo: quam dolens Elisabeth interrogat, an fortè Filium amisisset? Qua respondente sic. Elisabeth Virgini dolenti sociam se præstitit. Iêre autem vnà Domum Annæ matris Beatissimæ Virginis: quæ pariter* FILIÆ COMITEM *se exhibuit. Dolentes itaque requirebant eum inter cognatos & notos.*

Requirebant anxiè, animo vehementer afflicto. Sed quare? num suspicabantur viam aberrasse? Minimè; sciebant quippè, eum irâ puerum esse, vt simul etiam esset Dei Filius, Dei sapientia.
244 Quærebant igitur eum, nè quo pacto ab iis abiisset, ne fortè eos aliquâ illorum culpâ reliquisset. Hic iustorum mos est, vt diuinæ dulcedinis subtractionem non tam diuinæ dispositioni tribuant, quàm suæ culpæ. Vel fortè putabant, posse aberrare à viâ, quam nullâ experientiâ didicerat, & multa alia mala pateretur, sicut & aliis pueris solet accidere.

Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo.

247. NOluit statim Iesus inueniri, vt dulciùs inueniretur: diutiùs quæsitus suorum gaudium cumulati studet Christus, etiam per ea, quæ tristitiam quandam præseferunt. In templo Christus inuenitur, non in theatro, in ludentium puerorum choro: ægrè hic inuenitur Christus, facilè perditur. In templo orationi, ac doctrinæ deputato reperitur.

Summo mane, vt opinor, Christi Iesu parentes templum adeunt, persuasi si puer Ierosolymis remanserit, in templo potiùs esse, quàm alibi, ob singularem eius erga Deum pietatem.

245. Triduo abfuit à parentibus Christus; sed vbinam iacuit, apud quem hospitatus, à quo refectus? An à notis, & amicis, cognatisque? An Angeli ministrabant ei? An denique totis illis tribus diebus impransus, & incœnatus fuit, sic aliqui censuerunt, & ardens diuinæ legis studium, de qua disputauerat ita eius mentem satiauerat, vt corporalis cibi oblitus ab omni cibo abstinuerit.

Inuentus Iesus medius inter Mariam & Elisabeth incedebat. B. Veronica rem ita refert. lib. 4. cap. 7. *Tum mater apprehensa dextera Filium deducebat: sinistram tenente Elisabeth domum gaudens repetebat: exultante pariter omni turba, quæ Matrem comitabatur.*

Sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

248. SEdet, vt rebus sacris audiendis esset paratus: non sedet cum doctoribus, occupans magistrorum locum, sed inter doctores, in subsellio, aut potiùs humi in pauimento, cum doctores sederent in cathedris.

Audientem illos: res sacras docentes, & explicantes. Inuenitur in medio magistrorum non eos docens, sed audiens; vt nos doceret, quid pueris,
246. quamuis sapientes, & eruditi sint, conueniret; vt scilicet audiant potius magistros, quàm docere desiderent, & se, vanâ scientiæ ostentatione, non iactent.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant; & cur non stupor omnes corriperet, cùm à puero, quem Deum non putabant, tam sublimia, tam apta responsa proditent? *Nullum miraculum*, Inquit Sanctus Chrysostomus, *egit Dominus in pueritia, hoc tamen vnum prodit Lucas, per quod mirabilis videbatur;* lingua diuinam prodebat sapientiam, ætas infirmitatem prætendebat humanam.

SECTIO VII.

Et videntes admirati sunt, & dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?

INuento inter doctores Iesu, mirantur parentes, 249.
& gaudent. Statim eum Mater alloquitur, tacet Ioseph, sibi ipsi conscius, nihil sibi iuris, tanquam in filium, competere: Mater loquitur, non tam pro imperio, & iure, quàm pro affectu, & amore. Nimirùm, quò quis magis Iesum amat, eò vehementiùs amissum dolet.

Quid fecisti nobis sic? Interrogatio potiùs est admirantis, quàm arguentis. Signatè ait, *fecisti*, vt innueret consultò id factum à Filio, non casu, aut ex accidenti. *Quid fecisti nobis sic?* Ac si diceret: quid peccauimus, quid deliquimus, vt te nobis eximeres, & à nostro conspectu, nobis insciis, abires? scilicet potiùs sibi tribuebant, quòd Christus se subduxerit, quàm de eius pietate, & reuerentiâ conquererentur.

Ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.

PRiùs Iosephum nominat in mariti honorem, 250.
& reuerentiam; quod vxores notent, quæ viros vilipendunt. *Dolentes*, tristes, anxiique: quò maior possessi amor erat, eò vehementior erat amissi afflictio: *Quærebamus.* Felix coniugium eum vtrique coniuges vnanimi sensu Iesum quærunt. Plerunque accidit, vt alter coniux Christum studiosè quærat, alter in eum sæuiat, eum persequatur.

Dolentes quærebamus te; non quod putarent à via errasse, qui æternis erat via, nec quod perditum crederent, quem Deum credebant; *Quærebant Iesum,*

Iesum, inquit S. Thomas, *ne fortè relinquens eos reuersus esset i n cælum, & cum illi placuisset iterum descensurus*; Poterat in cælum ire, sed noluit, ne terram, ne homines deserere videretur homo factus; hinc quoque est, vt nullibi legamus in cælum illum ascendisse, nisi postquam resurrexit finisque se per quadraginta dies variè ostendit, & illis videntibus in cælum est eleuatus.

Et ait ad illos, quid est, quod me quærebatis?

251. VTrumque parentem Christus alloquitur; quia mater vtrumque nominauerat, & causa vtrique communis erat; communis amissi filij iactura, communis dolor. Porrò in his, quæ pater iniunxerat, insciis parentibus adeò sanctis, Christus versatur, vt nobis exhiberet exemplum, in iis, quæ spiritualia sunt, & spiritum tangunt, non esse facilè carnales parentes consulendos; nec parentum esse, ab iis, quæ spiritus, filios auocare.

Nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

OMnia verba suum pondus habent, præcipuè quæ à Verbo; *in iis*, inquit *quæ Patris mei sunt*; in omnibus, quæ Dei gloriam tangunt, Dei cultum spectant, *oportet me esse*; cur non dixit, *oportet me ea præstare, operari ea, quæ Patris mei sunt?* maius aliquid dixit, cum dixit; *oportet me esse*; vt summum eius studium in iis perficiendis, quæ erant Patris, ab hâc phrasi colligeremus; In iis, quæ Dei sunt, illi non sunt, qui extra illa animo feruntur, extrà vagantur.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

252. QVamuis non intelligerent parentes Iesu Iesu sermonem, non tamen rogarunt, vt eum explicaret, apertiùs loqueretur; nimirum tantâ eum reuerentiâ prosequebantur, vt eius sermonem etiam non intellectum reueterentur. Deinde, quid quærant sibi verbum explicari, Verbo inuento Iesu, quem iam perdiderant, præsentia tantâ eos lætitiâ affecit, vt nihil aliud quærerent à Iesu.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth; & erat subditus illis.

POstquam in medio doctorum fuerat, & singularis sapientiæ specimen dederat, statim parentibus subditus Christus dicitur; ne putaremus, scientiam, aut sapientum consuetudinem, quod fieri sæpe solet, superbiæ spiritum ei affricuisse. Sic ferè fit, vt tumidiores à sublimium rerum disputatione plerique abeant, cùm aliter Christi exemplo deberent: ergo, vt quis, inter doctores se fuisse, & sapienter disputasse, probet, humilior discedat, etiam inferioribus se subiiciat: quod fecit Christus.

Erat subditus: Græcè, ὑποτασσόμενος, *subiectus, obediens, obsecundans.* Licèt ad horam se Christus à parentum imperio, res cælestis Patris tractans, exemerit; statim tamen reuersus est ad solitam subiectionem. Ne quis putaret, se parentum imperio deinceps non subdidisse, & plerique parentibus non obtemperandi occasionem arriperent, consultò additum est: *& erat subditus illis*: vt hunc aditum his verbis præcluderet, & omnibus filiis exemplum tribueretur, vt parentibus se subiicerent. 253.

Erat subditus illis; In sua pueritia nullum miraculum edidisse Christum legimus; hoc noluit Euangelista prætermittere, subditum illum matri, patrique fuisse; rectè insinuans, prompta hac, humilique obedientia, miraculis, magnisque facinoribus, quæ poterat edere, respondisse; nimirum, *qui grandia præstare non potest, obedientiæ virtute sit insignis*, & grandia præstabit, etiam si alioquin non præstet.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.

OMnia excipiebat mater, omnia conseruabat, nihil negligebat, quod à Iesu ore manaret à Iesu fieret; conseruabat, tanquam thesaurum, vt diligentiùs scrutaretur, & vt ea suo tempore, suo loco aliis etiam explicaret, aliis promeret in communem piorum vsum; nam & Euangelista hæc omnia à Virgine accepit. Vides quàm sedulam aliorum curam habeat Virgo.

Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.

SApientiâ apud Deum, & homines Christus proficiebat, non quòd augmentum aliquod acciperet, cùm ab initio gratiâ, & sapientiâ plenus esset; sed quòd hæc hominibus magis, magisque in dies apparerent. Proficiebat exteriùs, non interiùs. *Ætate:* Græcè, ἡλικία, *staturâ*, sic & Syrus: Græca vox vtrunque significat & ætatem, & staturam. 254

Apud Deum, & homines: Rectus ordo, nec mysterio viduus: primùm apud Deum crescere debemus, posteà & apud homines: primùm enim oportet Deo placere, deinde & hominibus.

Vulgata

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

253 # CAPVT III. LVCÆ.

Verſ. 1.

ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha.

Anno. *Ar.M. In anno.*
Imperij. *Fr.Luc. Summi imperij.*
Procurante Pontio P. I. *Syr. Sub præfecturâ Pontij Pilati in Iudæâ. Arab. In dominio Pilati Pontij ſuper Iudæam. Ar. M. Præſidente Pontio Pilato Iudæa. Pagn. Pontio Pilato præſide Iudæa. Caiet. Pontio Pilato præſidentem agente Iudæa.*
Tetrarcha autem G. H. *Syr. Dum eſſet tetrarcha Herodes in Galilæa. Arab Et Herodis principis ſuper quartam Galilææ.*
Philippo autem fratre e. t. I. *Syr. Et Philippus frater eius tetrarcha in Ituræâ. Arab. Et Philippi fratris ſui principis ſuper quartam Iudææ.*
Lyſania Abilinæ t. *Arab. Lyſania principis ſuper quartam Abilina.*

Verſ. 2.

Sub principibus ſacerdotum Anna, & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto.

Sub principibus ſ. *Syr. In principatu ſacerdotij. Arab. Et principum ſacerdotum. Euth. Sub Pontificibus.*
Anna, & C. *Arab. Anna, & Caipha.*
Factum eſt v. D. *Syr. Factus eſt ſermo Dei. Arab. Permanſit verbum Dei.*
Super Ioannem. *Vat. Ad Ioannem.*

Verſ. 3.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

Et venit. *Caiet. Vt veniret.*
In omnem r. *Syr. In vniuerſam regionem. Arab. In omnes regiones. Orig. In omnem regionem finitimam.*
Iordanis. *Arab. Circundatus Iordane. Fr. Luc. Circumiacentem Iordani. Tig. Finitimam Iordani.*

Verſ. 4.

254 Sicut ſcriptum eſt in Libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius.

Prophetæ. *Pagn. Propheta dicentis.*
Clamantis. *Arab. Clamans.*
In deſerto. *Tert. In Eremo.*
Rectas facite. *Syr. Dirigite in planiciem.*
Eius. *Syr. Dei noſtri.*

Verſ. 5.

Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.

Omnis vallis. *Syr. Omnes valles.*
Implebitur. *Syr. Implebuntur. Fr. Luc. Impletur.*
Omnis mons, & c. *Syr. Omnes montes & colles.*
Humiliabitur. *Syr. Deprimentur. Vat. Reddetur humilis. Fr. Luc. Humiliatur.*
Erunt. *Syr. Fiet. Arab. Fient. Orig. Vertentur. Fr. Luc. Sint, Fiant.*
Praua in d. *Syr. Tumulus humilis. Arab. Ardua facilia. Orig. Diſtorta in viam rectam. Ar. M. Praua in directam. Vat. Obliqua in rectum. Pagn. Quæ obliqua ſunt, recta. Caiet. Obliqua in directam viam. Fr. Luc. Diſtorta*, ſeu *curua, via recta.*
Aſpera in v. p. *Syr. Aſpera regio plana. Arab. Supera in viam planam. Euth. Aſpera fient via plana. Orig. Aſpera via in planas. Caiet. Aſpera in vias lenes. Fr. Luc. Senticoſa*, aut, *Petricoſa, fiant via lenes, faciles.*

Verſ. 6.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei.

Salutare. *Syr. Salutem.*

Verſ. 7.

Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt

Ad turbas. *Syr. Turbis illis. Euth. Populis.*
Quæ exibant. *Syr. Qui ad ipſum veniebant. Arab.*

Vulgata Editio. / *Lectionum Varietas.*

baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ ira?

Quæ veniebant ad eum. Euth. Qui egrediebantur.
Vt baptizarentur ab i. *Syr. Vt baptizarentur. Arab. Et baptizabantur ab eo.*
Genimina. *S. Ambr. Generatio. Pagn. Progenies.*
Ostendit. *Syr. Indicauit. Theoph. Submonstrauit. Vat. Docuit. S. Fulg. Demonstrauit.*
Vobis. *Vat. Vos.*
Fugere. *Euth. Vt fugeretis.*
A venturâ. *S. Fulg. A futurâ.*

Verf. 8.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Facite. *Syr. Edite.*
Dignos. *Arab. Qui sint digni.*
Pœnitentiæ. *Euth. Pœnitentiâ.*
Et ne cœperitis. *Syr. Nec incipiatis.*
Dicere. *Syr. Dicere apud vosmetipsos. Arab. Dicere inter vosmetipsos. Caiet. Dicere in vobis ipsis. Fr. Luc. Dicere intra vos ipsos. S. Ambr. Dicere in vobis ipsis.*
Patrem habemus. *Syr. Est nobis pater. Arab. Quia pater noster est. S. Ambr. Pater noster est.*
Quia potens e. D. *Syr. Posse Deum, Orig. Nam potest.*
De istis. *S. Hil. De lapidibus. Euth. Ex his lapidibus.*
Suscitare. *S. Hil. Excitare.*
Filios. *Vat. Liberos. Orig. Semen.*
Abrahæ. *Theoph. Ipsi Abraha.*

Verf. 9.

Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Iam enim. *Syr. Ecce autem. Arab. Ecce. Theoph. Iam verò &c.*
Securis. *Vat. Et securis.*
Ad radicem. *S. Ambr. Ad radices.*
Arborum. *Caiet. Arboris.*
Non faciens fructum. *Syr. Non edens fructus. Arab. Quæ non fructificat fructum. Vat. Non gignens fructum.*
Bonum. *Syr. Bonos. Ar. M. Pulchrum.*
Excidetur. *Euth. Exciditur.*
Mittetur. *Syr. Abiicitur. Euth. Mittitur. Vat. Conicitur.*

Verf. 10.

Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

Interrogabant. *Syr. Interrogauerunt.*
Quid ergo. *Arab. Quid. Euth. Quid igitur.*

Verf. 11.

Respondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Det. *Ar. M. Tradat. Tig. Impertiat. Caiet. Imparciatur.*
Habet escas. *Syr. Non habet cibum.*
Similiter. *Syr. Itidem.*

Verf. 12.

Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus?

Venerunt autem. *Syr. Quin etiam venerunt.*
Ad illum. *Vat. Illi.*
Magister. *Syr. Doctor. Euth. Præceptor.*

Verf. 13.

At ille dixit ad eos? Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.

Nihil amplius f. *Ne exegeritis plusquam. Arab. Ne faciatis plus eo. Euth. Nihil amplius exigite.*
Quàm constitutum e. v. *Syr. Constitutum est vobis exigendum. Ar. M. Præter constitutum vobis.*

Verf. 14.

Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.

Milites. *Syr. Cultores militia.*
Nemini. *Arab, Ne quemquam. Pagn. Ne quem.*
Concutiatis. *S. Aug. Concusseritis.*
Neque calumniam f. *Arab. Neque iniustè agatis cum aliquo. S. Aug. Nulli calumniam feceritis. Theoph. Ne quem calumniemini.*
Contenti e. *S. Aug. Sufficiat vobis.*
Stipendiis v. *S. Aug. Stipendium vestrum. Theoph. Obsoniis vestris.*

Verf. 15.

Vulgata Editio.

Verſ. 15.

Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus:

Verſ. 16.

Reſpondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni:

Verſ. 17.

Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Verſ. 18.

Multa quidem & alia exhortans Euangelizabat populo,

Verſ. 19.

Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes.

Verſ. 20.

Adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere.

Verſ. 21.

Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cælum:

Verſ. 22.

Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: Et vox de

Lectionum Varietas.

Exiſtimante a. p. *Syr. Quum autem expectaret populus. Arab. Omnes populi exiſtimauerunt. Caiet. Sperante autem populo. Tig. Expectante autem populo.*
Cogitantibus o. *S. Ambr. Cogitante. Ar. M. Ratiocinantibus.*
Cordibus ſuis. *Theoph. Corde ſuo.*
Ne fortè ipſe eſſet. *Syr. Quòd forſan eſſet. Euth. Num ipſe eſſet. Vat. An ipſe eſſet.*
Chriſtus. *Pagn. Ille Chriſtus. Fr. Luc. Chriſtus ille promiſſus.*

Omnibus. *Theoph. Vniuerſis.*
Ego quidem. *Syr. Ecce ego.*
Veniet. *Ar. M. Venit.*
Fortior. *Euth. Is, qui eſt fortior. Vat. Potentior.*
Dignus. *Pagn. Idoneus.*
Calceamentorum e. *Vat. Calceamentorum.*
In Spiritu ſ. *Syr. In Spiritu ſanctitatis. Pagn. Spiritu ſancto.*

Cuius ventilabrum. *Syr. Ipſe tenet cribrum. Arab. Qui habens ventilabrum.*
In manu eius. *Syr. Manu ſuâ. Arab. In manu.*
Purgabit. *Syr. Repurgat. S. Hil. Mundabit. Ar. M. Perpurgabit. Fr. Luc. Permundabit.*
Congregabit. *Syr. Colligit. S. Aug. Recondet.*
Triticum. *S. Hil. Triticum ſuum. S. Aug. Frumenta. Euth. Frumentum.*
In horreum ſ. *Syr. In horrea ſua. S. Hil. In horreum. S. Aug. In horreis ſuis.*
Paleas. *Caiet. Paleam.*
Inextinguibili. *Arab. Qui non extinguetur.*

Multa quidem. *Syr. Quin etiam multa. Theoph. Multa autem. Ar. M. Multa quidem igitur.*
Exhortans. *Syr. Docebat. Arab. Monebat populum.*
Euangelizabat p. *Syr. Annunciabat populo. Arab. Euangelizabat eis. Ar. M. Euangelizabat populum.*

Cum corriperetur a. i. *Syr. Propterea quòd argueretur à Ioanne.*
Fratris. *Arab. Philippi fratris.*
Omnibus malis. *Syr. Omnibus flagitiis. Arab. Malis.*
Fecit Herodes. *Syr. Patrarat. Theoph. Faciebat Herodes.*

Adiecit. *Euth. Addidit.*
Et hoc ſuper o. *Arab. Super hæc omnia.*
Et incluſit. *Arab. Quia incluſerat. Euth. Et recluſit.*
In carcere. *Syr. In domo vinctorum. Euth. In cuſtodiâ. Ar. M. In carcerem.*

Ieſu baptizato. *Syr. Ieſus baptizaretur. Arab. Baptizatus eſt Ieſus.*
Orante. *Arab. Dum ipſe oraret.*
Apertum eſt. *Euth. Aperiretur.*

Deſcendit. *Euth. Deſcenderet.*
Spiritus ſanctus. *Syr. Spiritus ſanctitatis.*
Corporali ſpecie ſ. c. *Syr. Specie corporeâ columbinâ. Arab. In ſimilitudinem corporis columbæ. Euth. Corporali ſpecie quaſi columbæ.*
In ipſum. *Vat. Super ipſum.*

Vulgata Editio.	*Lectionum varietas.*
cælo facta est. Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.	Cælo. *Syr. Calis.* Facta est. *Syr. Ederetur dicens. Euth. Fieret dicens, Theoph. Facta est, qua diceret.* Filius. *Syr. Ille filius.* In te. *Arab. In quo.* Complacui mihi. *Theoph. Complacitum est mihi. Vat. Mihi benè complacitum est. Pagn. Complacui.*
Vers. 23. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthath,	Erat incipiens q. *Syr. Erat quasi filius. Arab. Cœpit fieri. Euth. Erat incipiens fermè. Tig. Incipiebat.* Annorum triginta. *Vat. Agere annum circiter trigesimum.* Vt putabatur. *Syr. Et existimabatur. Arab. Et putabatur. Ar.M. Existens vt existimabatur.* Filius. *Arab. Quòd ipse esset filius.*
Vers. 24. Qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph,	
Vers. 25. Qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,	
Vers. 26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda,	Qui fuit. *Arab. Filij.* Mahath. *Vat. Naat.* Ioseph. *Vat. Iosech.*
Vers. 27. Qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,	Resa. *Vat. Rhesa.*
Vers. 28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,	Qui fuit Her. *Arab. Filij. Hel.*
Vers. 29. Qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui,	Iesu. *Vat. Ieso.* Iorim. *Vat. Ioram.* Matthat. *Vat. Mattha.*
Vers. 30. Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliacim,	Iona. *Vat. Ionam.* Eliacim. *Arab. Eliachim.*
Vers. 31. Qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid,	Melcha. *Arab. Malia.* Menna. *Vat. Mennam. Fr.Luc. Mainam.*
Vers. 32. Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,	Naasson. *Arab. Nason.*
Vers. 33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,	Aram, qui fuit Esron. *Arab. Filij Iuram, filij Esron.*
Vers. 34. Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,	
Vers. 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,	Sarug. *Vat. Saruch.*
Vers. 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,	

Vers. 37.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 37.

Qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,

Malaleel. *Arab. Mahlaly.*

Verſ. 38.

Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Fuit Dei. *Arab. Fuit à Deo.*

CAPVT III.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode.

255. PRINCIPES, qui hic recenſentur impiiſſimi fuerunt, ſed ſub his vixit Sanctiſſimus Ioannes; nimirum & ſub malo principe optimus quis eſſe poteſt; quin ſuperioris malitia exercere iuſti bonitatem poteſt, atque adeo probare. Licèt ergo impius ſit ille, qui imperat, nemo tamen deſperet; quio ſtudeat Ioanoes audire ſub Pilato, ſub Herode.

Anno autem quintodecimo; cùm mali principes, peſſimi ſacerdotes iuſtitiam iniuſtè adminiſtrarent; eum omnia in peius laberentur, tunc aduenit Dei filius. Nunquam ità Dei aduentus neceſſarius, quàm cùm peſſimi ſunt, qui imperant, & iniquitatem ſuam in ſubditos tranſmittunt.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.

256. MAtthæus, & Marcus Ioannis abſtinentiam, vitæque aſperitatem expoſuêre; Lucas compendio vtitur, *& vnum dicens*, inquit Sanctus Thomas, *omnia declarauit*; Verbis exprimi vix poteſt illius ſanctitas, qui dignè Dei verbum excipit.

Cùm ageret Ioannes ætatis annum triceſimum primum, locutus eſt ad eum Dominus; hoc enim ſignificat phraſis illa, *factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Ergo non ſponte proſilit Ioannes, ſed miſſus, iuſſuſque à Deo. Opportunè à ſolitudine, à quiete ſuâ ad aliorum ſalutem procurandam prodit, qui vocatur à Deo, nec ſe ingerit, nec iniuſſus obtrudit.

Loquutus eſt autem Dominus ad Ioannem non tàm externâ voce, quàm internâ inſpiratione. Sed quænam loquutus eſt? ea, quæ ab eo agi, doceri, ac monſtrari vellet, & præſertim ea, quæ ſtatim ſubiiciuntur.

Super Ioannem. Rectè *ſuper*; vt ſtatim colligeremus, verbum Domini cælitùs delapſum Ioannis menti velut inſediſſe, eius animum non ſecus, ac imbrem, terram perpluiſſe, ac fœcundaſſe.

In deſerto. Aberat ab hominum conſortio, ab hominum oculis ſe ſubduxerat Ioannes, cæleſtem vitam agens, atque adeò idoneus factus eſt, cum quo Deus familiariter loqueretur. Diù in deſerto vixit, *ne vlla ſuſpicio hominibus innaſceretur*, ait Sanctus Thomas, *quòd gratia affinitatis ad Chriſtum, vel conuerſationis à teneris annis tam magna de ipſo teſtaretur*; corpore à Chriſto abſuit, non abfuit corde; mente pergebat ad Chriſtum, cum Chriſto viuebat mente, à quo aberat corpore. Hoc eſt, quod dici ſolet; Deum relinquere propter Deum, ne Deum derelinquamus. 257.

Factum eſt verbum Domini; non dixit: *dictum eſt verbum*, ſed *factum*; vt innueret Dei verba in opera vertenda eſſe, vt non tam dicta eſſe, quàm facta videantur.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.

EDeſerto exeundum Ioanni dixit Dominus: Ioannes ſtatim paret, ſolitudinem deſerit, in qua Angelorum conſuetudine fruebatur, ſuperis deliciis paſcebatur. Non ſe excuſat, non moratur, promptè exit, eo ſe priuans, quo adeò delectabatur, vt Deo obſequeretur, & proximi ſalutem quæreret. Nimirum vera charitas hoc ſuadet, vt communem vtilitatem proprio comodo; ac guſtui præferamus. 258.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ: Non prædicabat tantùm; ſed adminiſtrabat quoque: hoc autem ſubticetur; qoia nimirum iuſti plura re ipsâ præſtant, quàm de illis dicantur.

Prædicat, & miniſtrat baptiſmum, non miniſterio aliorum vtitur; non eſt per aliud præſtandum, quòd in Dei obſequium efficere nos ipſi poſſumus.

Et venit; nexum pende; vix dixerat: *& factum eſt* 259.

eſt verbum Domini ſuper Ioannem; cùm addit, *& venit*: nimirum, vix Dei verbum Ioannes audierat, cùm ſtatim illud opere compleuit, nec noxiâ cunctatiooe parentiam temerauit.

Vox clamantis in deſerto; parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.

IOannem circumſeribit Iſaias his verbis: *Vox clamantis in deſerto*: & non clamabat etiam extra deſertum? quin deſertum deſetens inuitabat homines ad pœnitentiam; cur ergo hîc ab Euangeliſtâ ex Iſaiæ prophetæ teſtimonio ſignatè in deſerto clamaſſe dicitur? An, quia & verè in deſerto etiam clamauit? nam & regionem circa Iordanem circuibat, qua parte fluuius vicinus deſerto, ac Ierichunti eſt. Niſi adiiciamus, præcipuè in deſerto clamaſſe Ioannem; quia in illo pœnitentia, vitæ aſperitate, vitâque ab omni deliciarum terrenarum guſtu alienâ ad pœnitentiam quaſi ſtenroreá quâdam voce, etſi taceret, clamabat; extra deſertum clamabat voce; quia verò maior operis, quàm oris vox eſt; ideo vox clamantis in deſerto Ioannes dicitur.

Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.

260. P*Raua*, σκόλια, *diſtorta, obliqua, indirecta*, Græcè, εἰς εὐθεῖαν *in rectam*, ſubintelligitur *viam*. Senſus eſt: mores praui in rectos, & rectæ rationi conſentaneos mutabuntur. *Et aſpera*, Græcè καὶ αἱ τραχεῖαι *aſpera*, ſcilicet, *via* ſenticoſæ, & difficiles; *in vias planas*, leues, facileſque. Igitur viæ Domini, quæ videntur difficiles, & ſenticoſæ, faciles, & planæ ſunt; viæ per quas mundus ſuos ducit, cum planæ, facileſque videantur, ſenticoſæ ſunt, ac difficiles.

Hæc dicturum Ioannem prædicit Iſaias; quæ tamen omnia ille his duobus verbis comprehendit, *pœnitentiam agite*: hanc quippe ſi verè ineamus, praua directa fient, aſpera fient leuia, dura reddentur mollia. Falſus ergo eſt, qui pœnitentiæ viam aſperam, & difficilem putat, cum ipsâ aſperitudo omnis, omnis ſenticoſitas, & difficultas auferatur.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei.

261. E*T videbit*: his verbis ſuperiorum redditur ratio, & particula, *&*, prò, *nam*, vt alij etiam adnotarunt, ſumenda eſt: nimirum ſolus Chriſti conſpectus difficilia quæque, & dura, in mollia, & facilia vertit, & nudâ Chriſti præſentiâ amata ſuauitatem induunt, & planitiem, quæ ſenticoſa.

Vel ita nectî poſſunt: idcirco eſt paranda via, & omnis ſcabrities, & aſperitas tollenda, vt eum fructu videre Chriſtum quiſque poſſit quòd, ſi tanta præparatio requiritur ad videndum, quid requiretur ad recipiendum, ad guſtandum, vt in auguſtiſſimâ Euchariſtiâ fit?

262. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*; hæc Iſaiæ prophetæ verba (quem citat Euangeliſta) illis verbis, quæ Ioannes ad populum habuit, *appropinquauit enim regnum cælorum*, reſpondent; quod alij etiam notauerunt; ac ſi videre Chriſtum, & appropinquare regnum cælorum in idem recidant: nimirum Chriſti præſentia, atque conſpectus adeò facilem regni cælorum acquiſitionem facit, vt non tam ad illud nos accedamus, quàm illud ad nos appropinquet. Licèt per *regnum cælorum* Chriſtus ipſe Rex, auctorque regni cælorum intelligi poſſit.

Omnis caro; carnem pro homine poſuit: omnis ſalutare Dei videbit, vt caro carnem ſapere deſinat, cùm inceperit illum videre, qui fert ſalutem. Videbit caro, vix caro futura, cùm viderit; caro ipſa in ſpiritum quodammodo immigrabit, ſpiritui ſubiecta.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, vt baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum.

MAtthæus non turbas alloquutum Ioannem, 263.
ſed Phariſæos, & Sadducæos indicat: *Videns*, inquit, *multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum dixit eis: progenies viperarum*. Cur ergo hîc Lucas turbas increpaſſe ſignificat? Turbas alloquitur, ſed præcipuè notat Phariſæos, & Sadducæos turbis admixtos.

Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt; ad pœnitentiam auditores ſuos vocabat Ioannes. Sed cur ſecuris iam imminentis, & ad radicem arborum poſitæ meminit? ne pœnitentiam in aliud tempus reiicerent, effugium eorum anteuertit Ioannes. Dicere poterant; volumus pœnitentiam agere, & dignos pœnitentiæ fructus ferre cogitamus; ſed adhuc tempus ſupereſt; poſtea id præſtabimus. Aufert cunctationem dum ait: *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*. Amoliendæ ſunt moræ, alioquin pœnitentia, dum differtur, ſæpè omittitur.

Locum ipſum hac donat explicatione Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. XXXIX. in ſancta Lumina, hæc eius verba ad verba producta: *Iam quid ventilabrum ſignificat? purgationem. Quid ignis? Leuitatis conſumptionem, & ſpiritus feruorem. Quid ſecuris? Inſanabilis animi etiam poſt adhibitum fimum exciſionem. Quid gladius? Verbi Diuini ſectionem, bonum à malo diuidentem, atque fidelem ab infideli ſecantem, nouáque & recentia aduerſus priſca, & vmbratica Iam quid calceamenti corrigia ſignificat? An fortaſsè peregrinationis, & carnis Chriſti rationem, cuius ne extrema quidem facilè ſolui, atque explicari poſſunt.*

SECTIO II.

Simpliciores ſalutis viam faciliùs ineunt: ſcientiâ inflati difficiliùs. 264
Veſtium ſuperfluitas improbata. 265
Ferè conclamata eorum ſalus, qui vitiis repleti ſanos ſe putant. 266
Quò quis ſanctior *eò magis peccatoribus ſe demittit.* 266
Præceptorum *multitudine non obruendi, qui ad Deum* conuertuntur. 266
Aliorum conuerſione *quilibet conuerti ad Deum debet.* 267
Stipendij *&* obſonij *nexus expenditur.* 267
Militibus *quæ præcipienda.* 268
Ægrè ſupprimi poteſt, quod multi ſciunt. 269
Laudem *meretur qui laudem fortiter reiicit.* 270
Iuſti *hoc ipſo maiores, quò viliores ſibi.* 270
Doctores *liberè peccatores* arguant. 271
Peccatum *ad peccatum trahit.* 272
Ingentis malitiæ *medicum ſpiritualem reiicere.* 272

Baptiſmum *cur ad trigeſimum annum* Chriſtus *produxerit.* 272. 274
Oratio, *Cæli clauis.* 273
Baptizatis *non* otioſè *viuendum.* 273
Baptiſmalis *innocentia ad* orationem, *ſi fieri poſſet, deferenda.* 273

Et interrogabant eum turbæ dicentes; quid faciemus?

264. CVm in turbâ præcipuè Phariſæos, & Sadducæos increpaſſet Ioannes; cur ſolæ turbæ reſpondent? An, quia rude, ſimplexque vulgus magis eius verbis commotum erat? Sic ferè accidit, vt ſimpliciores, ac Idiotæ concionatorum verbis facilius percellantur, & prædicatione ſalutis viam requirant. Phariſæi, ac Sadducæi tanquam doctiores, cùm per ſe ſapere ſibi viderentur, Dei verba, Dei conſilium contempſerunt: nimirum inflante ſcientiâ imbuti ægrè ſalutis ineunt viam.

Quid faciemus? non dicunt, quid dicemus: operum fructus requiritur, non verborum folia; promptos ſe exhibent ad exequendum quicquid illis iniunctum fuerit.

Qui habet duas tunicas, det non habenti.

265. QVid hîc, qui plures habent, nec indigenti pauperi dant, ſed potiùs comedentibus tineis? Sanctus Iſidorus Peluſiota, hæc verba verſans, ait: *Quod ſi propter redundantem copiam hæc ſententia immutanda eſt: Qui duodecim tunicas habet, ei, qui ne vnam quidem habet, impertiat.*

Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter quid faciemus?

ADuenerant turbæ, acceſſerunt & publicani, qui tanquam infames, vel à turbis, ſecernebantur. Sed cur non accedunt & Phariſæi? quia nihil ſibi de vitæ integritate deeſſe putabant. Ferè conclamata eorum ſalus eſt, qui cum malè ſe habeant, & vitiis repleti ſint, ſanos ſe putant, & innocentes.

At ille dixit ad eos: nihil ampliùs quàm, quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.

266. NOn eos Ioannes tanquam infames repellit; non à facie ſuâ ſubmouet phariſaico ſupercilio: publicanos admittit, eoſque vir ſanctiſſimus alloquitur, vt erudiat: ſcilicet, quò quis ſanctior, eò magis peccatoribus ſe demittit, eò benigniùs eos excipit, ardentiùs promptiuſque informat.

Prohibet à publicanis, ne aliquid plus iuſto in vectigalibus exigerent; non auocat eos ab officio, tanquam illicito, nec ait: *nihil exigatis.* Iuſtum quippè eſt legitimo principi vectigal ſoluere, quod iuſtum.

Faciatis: Græcè, *πράσσετε*, *exigite*, verbum Græcum, & facere ſignificat, & exigere: poſterior nomo huic loco optimè conuenit. Non ſatis quidem erat, vt ab iniquâ exactione abſtinerent; alia requirebantur, vt venturam iram fugerent: hoc ſolum tamen illis primò præſcripſit Ioannes, ne plura requirens, nil obtineret; ratus, ſi id ab illis conſequeretur, futurum eſſe; vt ab aliis paulatim ſceleribus ſe emendarent; nimirum, qui malæ vitæ conſuetudine infecti ſunt, ſtatim præceptorum multitudine obruendi non ſunt, ſed paulatim à vitiis auocandi.

Interrogabant autem eum & milites dicentes, quid faciemus & nos?

ETiam bello addicti pœnitentiam inire volunt, & ſuam ſalutem quærere incipiunt; tàm durum hominum genus cur ita flectitur, ita molleſcit? Publicanorum exemplo. Nullus adeò licentiâ ferox, nullus ita chalybeus, qui conuerti aliorum conuerſione, aliorum exemplo non queat. Bonus miles, qui bellum vitiis indicit, ſub virtutum vexillo militaturus. 267.

Contenti eſtote ſtipendiis veſtris.

AVocat à rapinâ, familiari militibus vitio; *ſtipendiis* Græcè, *ὀψωνίοις obſoniis*; nomen, quod ad cibos pertinet, ad militum mercedem, pretiumque transfertur; quia olim militibus non pecunia tantùm, verùm etiam cibaria pro militiæ pretio exhibebantur, præſertim ſi milites in caſtris agerent. Præterea ſtipendij, & obſonij notio in vnâ voce reperitur; vt hoc nexu colligeremus, ſtipendium militiæ, militibuſque veluti condimentum quoddam eſſe.

Suadet militibus Ioannes, vt ſuo ſtipendio contenti ſint, nec aliena inuadant; non auocat eos à militiâ, militare non prohibet; in iuſto quippè bello militare iuſtè quis poteſt. 268.

Plura poterant militibus præcipi, ſed ne ſtatim præceptis oneraret, hæc pauca eis iniungit; ne aliquem concutiant; ne alicui calumniam inferant; ſuiſque ſtipendiis ſint contenti, his quippe maximè vitiis obnoxij milites ſunt; hoc ſi ab ipſis impetremus facilè & alia impetrabimus, quæ illis neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.

EX rebus quas viderat, aut audierant de Ioanne, ipſum Meſſiam eſſe exiſtimabant. Ieſum vel nondum nouerant, vel, licèt noſſent, tanti, quanti Ioannem, non faciebant. Huc hominum cæcitas euaſit, vt id de Ioanne ſponte ſibi perſuaderent; de Chriſto, qui verus Meſſias erat, virtutibus, & ſignis, ipſoque Ioanne atteſtante, credere noluerunt. 269.

Reſpondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo vos: venit autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.

QVod in populi corde latebat Ioannem non latuit: qui? vel à Spiritu ſancto id didicit, vel ab aliquo ſuorum diſcipulorum, nec enim ſic rem in corde populus verſabat, vt non aliquando id proderet: nimirùm ægrè ſupprimi poteſt, quod multi ſciunt, aut cogitant.

Non eſt gloriatus Ioannes, de eâ, quam apud homines ſanctitatis, & excellentiæ, opinione, habebat; quin eam auferre ſtatim ſtuduit eâ diligentiâ, quâ ſuperbus aliquis eam venatus eſſet: non appetiuit 270.

appetiuit honorem, qui sibi non debebatur, statim expulit. Magna sancti viri modestia, qui tantam laudem fortiter reiecit; &, quod magis est, quò sublimiùs eum populus extulit, eò demissiùs de se, humiliusque sensit.

Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: Hæc sanctorum nota; magnitudinem suam ignorant; excellentiæ suæ obliuiscuntur: magnus coram Deo Ioannes erat, sibi minimus erat, sibi vilis: non cogitauit, se in vtero sanctificatum, superisque cumulatum donis, hoc ipso maior erat, quò sibi magnus non videbatur.

Herodes autem tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes.

271. INsigne hîc habes fortitudinis exemplum, habent quod imitentur Doctores; ne scilicet magnorum, ac potentium vitia aut dissimulent, aut palpent: arguant potiùs, si res ita ferat, nec quicquam vereantur.

Et de omnibus malis, quæ fecit Herodes. Sanctus Marcus, & Sanctus Matthæus non meminerunt, nisi de adulterio; sed, vt luxuria plura alia scelera secum trahit, sic de his increpauit eum Ioannes; non it sine multorum vitiorum agmine libido: huic qui se subiecerit, aliis quoque sceleribus seruire consequens est.

Adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere.

272. SCeleribus plenus etiam istuc adiecit; scilicet ad crimen via aliud crimen est, & scelus ad immane scelus suo pondere trahit. Hoc accidit Herodi; cùm esset adulter sæuit in sanctissimum hunc virum. Immane scelus, quo, præter iniuriam sancto illatam, prædicationis illius cursum impedit.

Inclusit in carcere, cum venerari, vt prædicatorem, deberet: nimirum tunc desperata ferè salus est, & malitia ad cumulum venit, cum remediis irascitur peccator, & medicum reiicit, medicinam repudiat, sæuitque in monitorem, tantùm abest, vt honoret.

Cùm baptizaretur: cur hucusque baptismum distulit Christus? *Trigesimo anno*, ait Seuerus, *ad baptismum accedit, vt ostendat, spiritalem regenerationem perfectes ætate viros procreare.* Prætereà legem soluturus in hanc vsque ætatem rem distulit, *quæ omnium peccatorum capax est*, inquit Sanctus Chrysostomus, *ne quis diceret, eum ideircò legem soluisse, eò quod nequiuisset illam adimplere.*

Iesu baptizato, & orante apertum est cælum.

ORanti cælum aperitur. Syrus hunc locum ita 273.
vertit: *Et dum oraret apertum est cælum*; iure oratio *cæli clauis* dicta à Beato Augustino. Hîc oratio dum funditur cælum aperitur, ac si clauis officio functa sit.

Baptizato, & orante: Baptizatus Iesus orauit, in fluminis scilicet ripâ, sublatis in cælum oculis, ac manibus; vt ostenderet baptizatis non otiosè viuendum, sed instandum orationi esse; alioquin, etiamsi in baptismo nostra peccata deleantur, non tamen carnis infirmitas adeò solidata est, quin in immania scelera labi possimus.

Rectus ordo baptismi ad orationem; vt colligeremus, baptismalem innocentiam, si fieri posset ad orationem deferendam esse, Abit, qui sceleribus madidus orationem sternit, quæ Deo grata esse non potest.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum tri- 274.
ginta; cur ad hanc ætatem, ad hos annos Baptismum suum distulit? An, vt tempore proderet, se Adami sordes abluere, instituto baptismo, vellet? vt dicere potuerit: *Sum ipse Adam secundus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *delictorum illius primi portans sordes; ac, nisi baptizer ipse, ille qui mundabitur? Præterea enim triginta baptizor annos natus, & illius ætatem, quâ creatus est, successor excipio, res vt illius comprobentur mea, & meo baptismo omnes Adami maculas abstergam.*



Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*

CAPVT IV. LVCÆ.

Vers. 1.

IEsvs autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur à spiritu in desertum

Plenus. *Syr. Quum esset plenus. S. Epiph. Repletus.*
Spiritu sancto. *Syr. Spiritu sanctitatis.*
Regressus est. *S. Epiph. Reuersus est.*
Agebatur. *Syr. Duxit eum. Arab. Agebat eum. Theoph. Actus est. Pagn. Ductus est.*
A spiritu. *Syr. Spiritus. Arab.* omittit. *Ar. M. In spiritu. Pag. Per spiritum.*

Vers. 2.

Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus

Diebus. *Vat. Ac diebus.*
Et tentabatur. *Syr. Vt tentaretur. Vat. Temtabatur. Ar. M. Tentatus.*
A diabolo. *Syr. A criminatore.*
Et nihil. *Syr. Neque quicquam.*
Manducauit. *Theoph. Comedit.*
Consummatis illis. *Syr. Cum exacti essent. Euth. Completis illis. Fr. Luc. Finitis.*

illis:

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
illis: & consummatis illis esuriit.	Esuriit. *Syr. Tam demùm esuriit. Arab. Vltimò esuriit. Pagn. Postremò esuriit. Tig. Tandem esuriit. Ar.M. Postea esuriit. Al. Deinde esuriit.*
Vers. 3. Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat.	Diabolus. *Syr. Criminator.* Vt fiat. *Arab. Fiat.*
Vers. 4. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.	Quia non in s. p. *Syr. Non pane tantummodo. Pagn. Non solo pane.* Viuit. *Caiet. Viuet.* Homo. *Syr. Filius hominis.* In omni. *Vat. Omni.*
Vers. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,	Duxit. *Arab. Assumpsit. Theoph. Subduxit. Ar.M. Subducens.* Diabolus. *Syr. Satanas.* Excelsum. *S.Hil. Altissimum.* Orbis terræ. *Syr. Terra. Arab. Orbis Terrarum. Euth. Mundi. Ar.M. Habitata.* In momento t. *Syr. Modico tempore. Caiet. In puncto temporis.*
Vers. 6. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; & cui volo, do illa.	Ait. *Syr. Ait Criminator. S. Hil. Ait diabolus. Euth. Dixit diabolus.* Illi. *S.Hil. Ad illam. Vat. Illi diabolus.* Potestatem. *Syr. Auctoritatem.* Vniuersam. *Arab. Omnem. S.Hil.* omittit. Illorum. *Syr. Eius. Vat. Istorum.* Sunt. *Euth. Est.* Cui volo. *Syr. Cuicunque voluero. Vat. Cuicunque voluerim.* Do illa. *Arab. Ego do eam. Pagn. Do illam.*
Vers. 7. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.	Adoraueris. *Theoph. Prouolutus adoraueris S.Amb. Si procidens adoraueris.* Erunt tua o. *Arab. Erit tua omnis.*
Vers. 8. Et respondens Iesus dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.	Dixit ei. *Arab. Dixit ei. Recede à me Satan. Euth. Dixit ei. Abi post me, Satana.* Scriptum est. *Euth. Scriptum est enim.* Illi soli. *Syr. Ei tantùm. Pagn. Illum solum.* Seruies. *Pagn. Coles.*
Vers. 9. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.	Duxit. *Syr. Adduxit.* Pinnam. *Fr.Luc. Pinnaculum.* Si. *Arab. Si tu.* Mitte. *Syr. Deiice. Arab. Proiice. Ar. M. Iace.* Te. *Euth. Te ipsum.*
Vers. 10. Scriptum est enim quòd Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te.	Mandauit. *Syr. Præcipiet. Vat. Mandata dabit. Caiet. Mandabit.* Conseruent. *Euth. Seruent. Pagn. Custodiant.*
Vers. 11. Et quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem tuum.	Et quia in m. *Syr. Et in vlnis suis. Arab. Et super manus suas. Vat. Et in manibus.* Tollent. *Arab. Portent. Euth. Portabunt. Vat. Ferant.* Ne fortè. *Syr. Ne. Caiet. Nequando.* Ad lapidem. *Syr. Lapide.*
Vers. 12. Et respondens Iesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.	Et respondens. *Syr.* Subdit, *autem.*
Vers. 13. Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.	Consummata omni t. *Syr. Quum absoluisset criminator has omnes tentationes suas. Euth. Quum explenisset omnem tentationem. Orig. Cum consummasset tentationem.* Diabolus recessit. *Syr. Secessit. Arab. Abiit. Caiet. Discessit.*

Vers. 14.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 14.

Et regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuerſam regionem de illo.

Regreſſus. *Orig. Reuerſus.*
In virtute. *Syr. Cum virtute. Pagn. Virtute.*
Fama de illo. *Arab. Fama eius.*
Per vniuerſam. *Syr. In vniuerſam circuniacentem. Arab. In omnem. Euth. Per vniuerſam viciniam. Ar. M. Per vniuerſam circa. Caiet. Per vniuerſam finitimam.*

Verſ. 15.

Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

Magnificabatur. *Syr. Celebrabatur. Arab. Glorificabat eum. Orig. Glorificabatur. Ar. M. Glorificatus.*
Ab omnibus. *Arab. Vnuſquiſque.*

Verſ. 16.

Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbathi in ſynagoga, & ſurrexit legere.

Nutritus. *Arab. Educatus.*
Intrauit. *Euth. Ingreſſus eſt.*
Die ſabbathi. *Euth.* omittit. *Fr. Luc. In die Sabbathorum. Al. Suâ die Sabbathorum.*
Legere. *Caiet. Vt legeret.*

Verſ. 17.

Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat:

Traditus. *Syr. Datus.*
Liber. *Paga. Libellus.*
Vt reuoluit. *Arab. Cùm aperuiſſet. Caiet. Explicauit.*
Librum. *Pagn. Libellum.*

Verſ. 18.

Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,

Propter quod. *Ar. M. Cuius gratiâ.*
Euangelizare. *Syr. Vt Euangelizem. Tert. Ad nunciare. Vat. Ad enunciandum Euangelium.*
Sanare. *Syr. Vt ſanitati reſtituam.*
Corde. *Arab. Cordibus.*

Verſ. 19.

Prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

Prædicare. *Syr. Et prædicem.*
Remiſſionem. *Arab. Solutionem. Vat. Dimiſſionem.*
Viſum. *Ar. M. Reſtitutionem viſus.*
Dimittere. *Syr. Ac dimittam. Arab. Et mitterem. Paga. Vt emittam. Ar. M. Legare.*
Confractos. *Arab. Vinctos.*
In remiſſionem. *Syr. In libertatem. S. Hil. In requiem. Caiet. In remiſſione. Theoph. Per remiſſionem. Vat. Dimiſſione.*
Prædicare. *Syr. Deinque vt prædicem.*
Domini. *Arab. Domino.*
Et diem retributionis. *Syr. & alij quamplures* omittunt.

Verſ. 20.

Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

Cùm plicuiſſet. *Euth. Cùm clauſum. Pagn. Complicato.*
Librum. *Vat. Libello.*
Reddidit. *Syr. Tradidit. Euth. Reddidiſſet.*
Sedit. *Syr. Seſſum abiit. Pag. Reſedit.*
In ſynagogâ. *Syr. Qui erant in Synagoga.*
Erant intendentes i. e. *Syr. Conſpiciebantur in eum. Arab. Intenti erant in eum. Theoph. Erant defixi in eum. Ar. M. Erant intendentes ei.*

Verſ. 21.

Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

Quia hodie i. *Euth. Hodie completa.*
In auribus v. *Syr. Quæ eſt in auribus veſtris. Vat. Audientibus vobis.*

Verſ. 22.

Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ proce-

Omnes. *Syr. Cuncti.*
Teſtimonium dabant. *Syr. Perhibebant teſtimonium. Arab. Exhibebant teſtimonium. Ar. M. Teſtificabantur.*
Mirabantur. *Euth. Admirabantur.*
In verbis g. *Syr. Ob ſermones gratiæ. Syr. Super ſermonibus gratiæ. Vat. Super gratiâ ſermonum.*
Quæ procedebant. *Syr. Qui prodibant. Arab. Quæ*

debant

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

debant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?

exibant. Vat. Qui proferebantur. Fr. Luc. Qui egrediebantur.
De ore. *Pagn. Ex ore. Vat. Ore.*
Est. *Syr. Fuit.*

Vers. 23.

Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.

Vtique. *Syr. Iam. Arab. Forsan. Theoph. Omnino.*
Dicetis. *Arab. Dicitis.*
Similitudinem. *Euth. Parabolam.*
Medice. *Arab. O medice.*
Quanta. *Arab. Et quod. Pagn. Quacunque. Caiet. Quæ.*
Facta. *Syr. Te exequutum fuisse. S. Epiph. Signa facta.*
Fac. *Syr. Exequere.*
Et hîc. *Arab. Illud hîc etiam.*
Patria. *Syr. Ciuitate.*

Vers. 24.

Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.

Quia nemo p. *Syr. Nullum esse prophetam. Arab. Quia propheta non. Vat. Nemo propheta.*
Acceptus est. *Syr. Qui recipiatur. Arab. Recipitur.*
Patriâ. *Syr. Prouinciâ. Arab. Ciuitate.* Orig. *Patriâ & in domo suâ.*

Vers. 25.

In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terrâ.

In veritate. *Syr. Veritatem etenim. Arab. Amen. Pagn. Sed in veritate.*
Multæ viduæ e. *Syr. Multas viduas extitisse.*
Eliæ in Israël. *Syr. Elia propheta in domo Israël.*
Clausum est c. *Syr. Clausi sunt cæli.*
Annis tribus, & m. s. *Syr. Ad annos sex, & menses sex.*
Cum facta esset. *Euth. Sic, vt facta sit. Vat. Quum orta esset.*
In omni t. *Arab. In vniuersâ terrâ. Euth. Super vniuersam terram. Theoph. Per omnem terram.*

Vers. 26.

Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptâ Sidoniæ, ad mulierem viduam.

Et. *Syr. Sed.*
In Sarepta. *Syr. Ad Sarepta.*
Sidoniæ. *Caiet. Sidonis.*

Vers. 27.

Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

Multi. *Syr. Plurimi.*
Sub. *Syr. Diebus. S. Ambros. Tempore. Vat. Ætate.*
Elisæo propheta. *Syr. Elisai vatis. S. Ambr. Elisai prophetæ.*
Nemo eorum. *Syr. Ne vnus quidem eorum. Arab. Non fuit aliquis ex eis.*
Mundatus. *Syr. Purgatus. Euth. Curatus.*
Naaman. *Syr. Naaman ille.*

Vers. 28.

Et repleti sunt omnes in synagoga irâ hæc audientes.

Omnes. *Syr. Cuncti. Arab. Omnes illi.*
Hæc. *Arab. Hoc.*
Ira. *Syr. Furore.*

Vers. 29.

Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

Surrexerunt. *Ar. M. Surgentes. Pagn. Insurrexerunt.*
Extra ciuitatem. *Vat. E ciuitate.*
Supercilium. *Arab. Summitatem. Euth. Verticem.*
Erat. *Pagn. Fuerat.*
Ædificata. *Syr. Extructa.*
Præcipitarent. *Syr. Deiicerent de rupe. Arab. Præcipitarent deorsum.*

Vers. 30.

Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

Transiens. *Arab. Transiit.*
Ibat. *Arab. Et abiit. Ar. M. Profectus est.*

Vers. 31.

Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbathis.

Docebat. *Ar. M. Erat docens.*
Sabbathis. *Syr. In sabbathis.*

Vers. 32.

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

Verſ. 32.

Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

Stupebant in doctrina. *Syr. Mirabuntur ob doctrinam. Arab. Stupuerunt de doctrinâ. Ar.M. Percellebuntur in doctrinâ. Franc.Luc. Stupebant ſuper doctrinâ.*

Quia in poteſtate e. ſ. i. *Syr. Quippe cuius ſermo auctoritate pollebat. Euth. Quia per auctoritatem erat ſermo illius. Orig. Quia cum poteſtate coniunctus erat ſermo ipſius. Vat. Quia cum auctoritate (coniunctus) erat ſermo ipſius. Corn. Quia in libertate erat ſermo ipſius. Auth. Quia in authoritate erat ſermo ipſius.*

Verſ. 33.

Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magnâ,

Et erat. *Syr. Erat autem.*

Homo. *Arab. Vir.*

Dæmonium i. *Caiet. Spiritum dæmonis immundi.*

Magnâ. *Syr. Altâ.*

Verſ. 34.

Dicens: Sine, quid nobis: & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis, Sanctus Dei.

Sine. *Syr. Omitte me. Theoph. Eia.*

Quid nobis e. t. *Theoph. Quid tibi nobiſcum eſt. Orig. Quid tibi nobiſcum. Vat. Quid tibi nobiſcum rei eſt.*

Perdere. *Arab. Vt perderes.*

Scio te. *Arab. Equidem ſcio. Euth. Noui. Orig. Scimus te.*

Qui ſis. *Syr. Qui es.*

Sanctus Dei. *Syr. Sanctus ille Dei. Arab. Tu ſancte Dei. Euth. Nempe ille Sanctus Dei. Orig. Tu es Filius Dei viui.*

Verſ. 35.

Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Et cùm proieciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

Increpauit. *Syr. Obiurgauit.*

Obmuteſce. *Arab. Claude os tuum.*

Et cùm proieciſſet. *Syr. Itaque abiecit. Arab. Et proiecit.*

Illum nocuit. *Syr. In eum peruersè agens. Pagn. Illi nocuit. Ar.M. Nocens ei.*

Verſ. 36.

Et factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt.

Factus eſt p. *Syr. Inuaſit torpor. Arab. Timuerunt. Vat. Ingruit pauor.*

In omnibus. *Syr. Omnes. Arab. Omnes illi. Ar.M. In omnes. Caiet. Super omnes.*

Et colloquebantur. *Syr. Itaue colloquerentur. Arab. Et loquebatur.*

Ad inuicem. *Arab. Alter ex eis cum altero. Theoph. Inter ſeſe.*

Quod eſt hoc v. *Syr. Quiſnam eſt ſermo iſte. Vat. Quis ſermo hic eſt.*

In poteſtate. *Syr. Cum imperio. Theoph. Cum auctoritate. Pagn. Cum poteſtate. Fr. Luc. In auctoritate.*

Virtute. *Euth. Poteſtate. Ar.M. Efficaciâ. Fr.Luc. Potentiâ.*

Imperat. *Syr. Præcipiat. Arab. Imperat exire.*

Exeunt. *Syr. Exeant.*

Verſ. 37.

Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

Diuulgabatur. *Syr. Peruaſit. Euth. Egrediebatur. Ar.M. Exiit. Fr.Luc. Euulgabatur.*

Fama. *Euth. Sonus. Ar.M. Reſonantia.*

De illo. *Arab. Eius.*

Omnem locum r. *Syr. Totam regionem circumiacentem. Arab. Omnem locum in regione. Pagn. Omnem locum vndique finitimæ regionis. Vat. Omnem locum circumiectæ regionis.*

Verſ. 38.

Surgens autem Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem

Surgens. *Syr. Quum egreſſus fuiſſet. Pagn. Cum ſurrexiſſet.*

De ſynagoga. *Vat. E ſynagogâ.*

Introiuit. *Euth. Ingreſſus eſt.*

Socrus autem S. *Syr. Socrus autem ipſius Simonis.*

Simonis

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea.

S. Greg. Nyss. Nam, cùm Socrus Simonis.
Tenebatur. *Syr. Premebatur. Arab. Erat. S. Greg. Nyss. Vrgetur. Ar. M. Erat detenta.*
Magnis febribus. *Syr. Febre maximâ. Arab. Cum febre magnâ. S. Greg. Nyss. Vehementi febre. Caiet. Febre magnâ.*
Pro eâ. *Syr. In gratiam illius. Ar. M. De eâ.*

Vers. 39.

Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis.

Et stans. *Syr. Adstans itaque. Theoph. Et astans.*
Imperauit febri. *Syr. Obiurgauit febrem. Euth. Præcepit febri. Caiet. Increpauit febrem.*
Dimisit. *Vat. Febris dimisit.*
Et continuò. *Arab. Et. Ar. M. Continuò autem.*
Surgens ministrabat. *Arab. Surrexit ministrans.*

Vers. 40.

Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Cùm sol o. *Euth. Cùm sol esset in occasu. Pagn. Cùm sol occideret. Fr. Luc. Occidente sole.*
Omnes qui h. *Arab. Omnes, apud quos erant. Ar. M. Omnes quotquot habebant.*
Infirmos. *Arab. Infirmi. Vat. Laborantes. Fr. Luc. Ægrotantes.*
Languoribus. *Syr. Affectos morbis. Euth. Ægritudinibus. Fr. Luc. Morbis.*
Ducebant. *Syr. Adducebant.*
Singulis. *Syr. Vnicuique eorum. Euth. Singulis eorum. Ar. M. Vni singulo ipsorum.*
Manus imponens. *Arab. Manum suam imponebat: Euth. Manibus impositis.*
Curabat. *Syr. Sanitati restituebat. Theoph. Sanabat.*

Vers. 41.

Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Exibant autem. *Syr. Quin etiam exibant.*
Dæmonia. *Arab. Dæmones. Vat. Et dæmonia:*
A multis. *Syr. A quàm plurimis.*
Clamantia. *Syr. Vociferantia.*
Quia tu es F. *Syr. Tu es Christus ille Filius. Caiet. Quòd tu es Christus Filius.*
Increpans. *Syr. Prohibebat eis. Arab. Increpabat eos. Euth. Obturato illis ore. Fr. Luc. Obiurgans. Durè alloquens.*
Ea loqui. *Arab. Eos loqui.*
Quia sciebant. *Euth. Quòd nossent. Pagn. Quòd scirent.*

Vers. 42.

Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis.

Facta autem d. *Syr. Sub diluculo autem diei. Vat. Quum autem illuxisset dies.*
Egressus. *Arab. Exiit.*
Ibat. *Arab. Et abiit.*
Requirebant. *Fr. Luc. Quærebant.*
Venerunt. *Vat. Peruenerunt.*
Vsque ad ipsum. *Arab. Ad eum.*
Retinebant. *Syr. Tenebant.*
Ne discederet. *Ar. M. Non proficisci.*

Vers. 43.

Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei: quia ideò missus sum.

Aliis ciuitatibus. *Arab. In ciuitatibus aliis.*
Euangelizare. *Arab. Prædicare. Euth. Annunciare.*
Regnum. *Vat. Euangelium regni.*
Quia ideo. *Syr. Quia ad hoc. Arab. Quia propter hoc. Pagn. Nam ad hoc.*
Missus sum. *Arab. Missus fui.*

Vers. 44.

Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

Erat prædicans. *Vat. Concionabatur. Pagn. Prædicabat.*

CAPVT IV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in desertum.

275. PLENVS *Spiritu sancto.* Semper plenus extitit, signatè tamen post baptismum, ac Spiritus sancti, in specie columbæ, appositionem plenus dicitur, ratione nostri, quos gratiâ suâ sanctificare volebat: nimirum tanta est Christi in nos liberalitas, vt gratiâ plenus tunc dicatur, cùm gratiam suam communicare hominibus incipit; ac si plenus esse non videretur, nisi in nos gratiâ redundaret.

Visio illa columbæ disparuerat; vix Patris vox, quæ in Christi laudem intonuerat, cessauit, cum Iordanem reliquit, & in desertum se confert vt ibi fortitudinem suam in nostri exemplum exerceret. Habent hoc Spiritus sancti dona, vt mentem, cui insident, in omnibus reddant facilè mobilem, facilè obsequentem.

276. *Agebatur a spiritu:* Græcè, ἐν τῷ πνεύματι, *in spiritu:* vt spiritu, quo plenus erat, in desertum actum esse sciremus: Syrus ita vertit: *& duxit eum spiritus in desertum.* A spiritu in desertum ductus dicitur; non casu, aut temere iuit, sed consilio, ac proposito, animoque nostræ salutis auidissimo.

Agebatur: hoc verbum, non solùm motum in desertum significat, sed etiam ductum Spiritus sancti, quo toto illo tempore ducebatur, quod in deserto insumpsit, orando, ieiunando, & alia pietatis opera exercendo, hæc quippe omnia Spiritu sancto duce, continuoque operabatur; ideoque positũ est verbum imperfecti temporis. Spiritu in desertum ducitur, vt nobis significaretur, nos tẽtationes vincere minimè posse, nisi Spiritus sancti virtute.

In desertum se contulit, quod præstitit, vt par est credere cum Mariæ consensu, sed cur hoc tacuêre Euangelistæ? An ne in huiusmodi rebus quis disceret parentes consulere, qui ab asperioris vitæ genere suos auocant? Benè Salmeron tom. 4. tract. 8 *Secessit*, inquit, *in desertum, vt rationi ac pietati est consonum cogitare, non sine consensu Matris suæ sanctissimæ: quod suppressum est, ne nos in huiusmodi carnem & sanguinem consulamus.*

A spiritu. Haud dubiè à Spiritu sancto in desertum ductus est Christus, quod non casu factum, sed diuino consilio. *Rectè hæc dictio, spiritus*, inquit, idem Salmeron tom. 4. tract. 8. *præmittitur, ne quisquam quadraginta dierum ieiunium & noctium sine ratione aut discretione factum interpretetur, aut profectionem, vel deserti habitationem cum bestiis, vbi se aduersario tentandum obiecit: vel, ne imperfecti solitudinem arrogare sibi audeant, quæ periculosa est iis, qui Spiritu sancto duce eam non capessunt: quæ suaptè naturâ tristitiam inducit; &, Væ soli, ait Salomon; quia, cùm ceciderit, non habet subleuantem se.*

In desertum Christus se confert; in desertum se 277.
confert & diabolus Christum tentaturus; aptus tentationis locus desertum est; in deserto artes suas satanas non deserit, eóque acriùs homines impugnat, quo aliorum consortio videt eos carere: *Deserto diabolus delectatur*, inquit Sanctus Thomas hîc, *non patitur esse in Vrbibus; contristat ipsum concordia ciuium*; concordiam cum concordia nequit habere; concordes fugit. *Exularet ab Vrbibus dæmon, si ab Vrbibus discordia exularet.*

Agebatur à spiritu in desertum; vt scilicet tentaretur à diabolo, quod habet Matthæus *cap. 4.* Mirum, cùm laudatus esset à Ioanne, tunc passus est se tentari, vt tentationis timeat vim, qui laudibus effertur. Benè productus Salmeron tom. 4. part. 1. tract. 8. *Post baptismum aquæ, & Ioannis laudes, & præconia ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur docens nos suo exemplo cum laudamur, proximos esse tentationibus, vt Iob cùm primùm voce Domini commendatus fuit, quòd non esset ei similis super terram, in grauem & terribilem incidit diaboli tentationem. Cum etiam laudamur, instruimur secedere, atque ipsi Deo, bonorum omnium atque virtutum nostrorum largitori, laudes adscribere.*

Diebus quadraginta.

DEgit in deserto diebus quadraginta Christus, 278.
quos ieiunio sacrauit: totidem & Moyses, dum stetit in monte legem accepturus, ieiunauit: ergo, qui quadragesimæ ieiunium seruat, simul & legis Diuinæ recordetur, eam seruet, eam custodiat; cohærent lex, atque ieiunium.

Olim luctaturi cum hoste vngebant se, ne capi aut teneri facilè possent: *Ieiunium*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, *erat vnctio ad luctandum cum inimico.* Nobis præiuit in exemplum, vt luctaturi hoc eodem oleo inungeremur.

Dixit autem illi diabolus: si filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat.

EX fame, quam Christus patiebatur, tentandi 279.
arripit occasionem diabolus. *Dic*, inquit, *lapidi* Matth. 4. 3.
huic;

hunc; fors manu lapidem Christo porrexit. Sanctus Matthæus plurali numero vsus, ait: Dic, vt lapides isti panes fiant; fieri potest, vt diabolus manibus vnum lapidem exhibuerit, alios humi iacentes monstrauerit duntaxat. Aut certè Lucas singulari numero vsus est pro plurali, vel contrà Matthæus plurali pro singulari.

Quæri hîc potest; cur omnes Euangelistæ tentationum Christi meminerint, solus Ioannes eas præterit. Puto id factum, quia præcipuè Christi diuinitatem docuit, & ab ea exorsus est; cæteri verò Euangelistæ ab humanitate; tentatus est autem Christus vt homo, non vt Deus; nam diuinitas tentationi non subiacet.

280. *Vt panis fiat*; si nudum hominem Christum deprehendisset satan, volebat à ieiunij proposito, iniectâ cibi memoriâ, auocare, neque enim purus homo conuertere in panem lapidem poterat. Vritur hoc autem artificio frequenter dæmon, vt, quos reipsâ ad malum trahere non potest, & auocare à bono, affectu ab isto auocet, affectu, & voto ad illum trahat.

Studuit hîc diabolus, vt Christus cibum nec opportuno tempore, nec modo conuenienti appeteret: hoc quippè intemperantiæ quoddam genus est; nimirum extra consuetam, statamque comedendi horam, & modo inconuenienti aliquid sumere; nisi aliunde res probetur, damnanda est, tanquam à diaboli schola sit.

281. Absoluto quadraginta dierum ieiunio in Christum diabolus sæuiit; aut quia ieiunij vi territus accedere non est ausus, nec ieiunij armis armatum impugnare, velut hinc etiam moneamur; in fine maximè dæmonem in hominem sæuire; *quando scilicet*, inquit hîc Vgo Catensis, *homo credit esse securus*; adeò, vt tunc magis timendæ dæmonis insidiæ sint, cum magis, ab illius insidiis tutos nos esse, credimus.

Respondit ad illum Iesus, scriptum est, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.

FRandolento tentatori respondere non dedignatur Christus; non cum à conspectu suo arcet, non ab oculis suis submouet; tanta inerat Christo humilitas, tam longè à fastu aberat, ac à pharisaico supercilio, vt nec dæmonem reiecerit, quin patienter eius tentationem audierit.

282. *Viuit*: Græcè, ζήσεται, *viuet*, futurum pro præsenti; nisi quod, futurum indicat, continuam diuinæ prouidentiæ curam, quâ suos necessariâ ciborum alimoniâ sustentat, nec deficere sinit.

In omni verbo Dei. Dei verbum appellat rem, quæ à Deo in cibum destinatur; vt non solum panis intelligatur, sed quæcumque alia, quæ in cibum hominum condita sunt; ita explicant probæ vitæ scriptores, & melior explicatio hæc censetur: nimirum tam facilè Deo est nobis subuenire, quàm loqui.

Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi regna orbis terræ in momento temporis.

283. OStendit regna terræ, vt obiecti præsentiâ appetitum excitaret; sic fallit homines, & ad mortem, rerum periturarum obiectu, satan trahit. Expende diaboli fraudem; ostendit regna, & gloriam eorum; cur & non difficultates, & afflictiones? cur non labores? cur non pericula, quæ in regnis ipsis regnant? quæque in eis acquirendis, & conseruandis homines sentiunt? satanæ scilicet hîc dolus apparet; proponit quod placet; occultat quod displicet.

Benè autem in momento temporis regna terræ ostensa dicuntur; quia tam breui tempore durant, & celeriter abeunt, vt ostensa potiùs videantur, quàm data: nemo diuturna regna hæc futura speret: in momento disparent, nec diu firma consistere queunt.

Omnia regna orbis terræ. Cur postremum istuc adiecit? Vt cæleste regnum excluderet, cuius vel memoriam à nobis auferre, studet satanas, terrenarum rerum oblatione. 284.

In momento temporis. Regna, regnorum pulchritudinem, diuitias, voluptates, omnem eorum gloriam in temporis momento vafer inimicus repræsentauit: cur non singillatim & per partes; atque adeò maioris temporis spatio omnia ostendit? etiam in modo dolus eius apparet; simul omnia ostendit, vt vehementiùs Christi appetitum prouocaret: totum quippè magis mouet, quam singulæ per se partes.

In momento temporis: Res visa tempori respondet, quo ostenditur videnda. *Per momentaneam visionem*, inquit Vgo, *ostenditur momentanea potestas mundialium*; magni res est momenti; momentanea putantur, quæ tanti apud homines fiunt; vix momentum durant, quæ nobis felicem surripiunt æternitatem.

Et ait illi, tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum.

FAlsa omnino ista promissio est; regna, quæ pollicebatur diabolus, dare non poterat, imo nec intendebat; trahere dumtaxat ad malum volebat, quem tentabat. Pende hîc quoque satanæ fraudem: futurum promittit, præsens quærit. *Tibi*, inquit, *dabo*; dixisset *tibi do*, adorari vult de præsenti, in futurum tempus differebat, quæ dare non poterat, vt sic falleret, ac confunderet, quem tentabat. *Tibi dabo*: præsens tempus, quod est certum, dari sibi vult diabolus; futurum, quod incertum, ipse promittit; vt eius fallacia in futurum protracta non appareat, nisi postquam hominem ad malum traxerit. Ne fide, si sapis, satanæ sponsioni. Fallit, dum futurum spondet: in futurum, quod spondet, remittit; vt scilicet hoc medio tempore mors minùs cogitata obueniat, & spe suâ frustratus peccator abeat. 285.

SECTIO II.

Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.

286. CVr tantum scelus, idololatriam scilicet Christo persuadere satanas his verbis conatur? An, quia ambitio hominum animos, vt vehementer attrahit, sic & ad immania scelera ducit. Nouit satanas, homines terreni principatus oblatione maximè permoueri, idèitco dignitatis, & honoris pollicitatione summum scelus nunc expostular à Christo. Ergo, qui grandia culmina quærit, grandia crimina timeat.

Sed cum Christum aliquâ cupiditate teneri non cognouerit, quare eum inuasit ambitione? An, quia sciebat illum esse virum insignem, & singularis sanctitatis, quod ex signis, & ex Ioannis testimonio didicerat; ex aliâ parte experientiâ nouerat, huiusmodi homines, qui se tot meritis vident cumulatos, facilè acquiescere, cum ab aliis eleuantur, & euehuntur? solent hæc præstigia viris magnis offerri, qui, cum ab aliis digni honoribus iudicantur, tam proprio, quàm alieno fascinati iudicio consentiunt, & à rectitudine corruunt, de sanctitatis suggestu infeliciter cadentes.

Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.

287. DIscessit ab eo satanas, sed iterum eum tentaturus; vt idcircò addiderit: *vsque ad tempus.* Nimirum, qui per se ipsum illum tentauit & per suos: scribis, & Pharisæis, malisque hominibus est vsus, vt in Christum, in quem iam sæuierat, sæuiret. Sanctus Chrysostomus his verbis, *discessit ab eo vsque ad tempus*, subdit: *ostendens, quòd posteà per sua aduersus illum instrumenta pugnauerit.* Tanto nexu cum sectatoribus suis hæret dæmon, vt, quod sui præstant, præstare ipse dicatur, cùm eius veluti membra sint, & eius desideria eo perfectiùs perficiant, quò sunt imperfectiores.

288. *Vsque ad tempus:* Aliud tempus, magis idoneum ad victoriam, expectandum sibi ratus, resilit dæmon; sed quodnam restaurandis certaminibus aptum dæmoni tempus visum? mortis tempus; *recessit*, inquit Sanctus Athanasius, *obseruandum sibi persuadebat tempus mortis; certus omninò, posse se per mortem, qua omnes in seruitutem redegerat, etiam hunc tentationibus subigere*; Maximum imminet omnibus mortis tempore periculum in quo suas omnes vires dæmon coaceruat, vt hominem deiiciat.

Recessit ab illo: Cedere solidæ virtuti virtutis hostis solet; *& si inuadere non desinat*, inquit Sanctus Ambrosius, *tamen instare formidat; quia frequentiùs refugit triumphari*; discessit à Christo diabolus, non discessit à diabolo inuidia; diutiùs non tentauit, ne vberiorem triumphi materiam victori exhiberet.

Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam.

ET regressus est Iesus in virtute spiritus: In spiritu aggressus est pugnam: ad deserti horrorem pugnaturus se contulit: sic enim ait Sanctus Matthæus: *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Nunc in virtute spiritus à luctâ, ab stadio victor discedit. Scilicet, qui spiritu ad pugnam ducitur, eodem spiritu comite victor redit: tantum refert spiritu ad certamen agi. 289.

In virtute spiritus: qui in spiritu aggressus est pugnam, non simpliciter in spiritu, sed in virtute spiritus à luctâ discedit; vt colligeremus labores, & tentamenta vires pugnantibus nobis addere, robur, ac virtutem.

Intrauit secundùm consuetudinem suam die sabbati synagogam, & surrexit legere.

MOs Iudæorum eorum diebus sabbati in synagogis conuenire, & ad orandum, & ad diuinæ legis lectionem, & explicationem: quam consuetudinem seruat Christus, intrans synagogam, vt multos instrueret, & informaret. *Secundùm consuetudinem suam.* Cur non ait, secundùm consuetudinem illorum? An, quia, licèt se Iudæorum consuetudini Christus accommodaret, tamen secundùm suam propriam ingreditur synagogam, quia & ipse talem consuetudinem habebat vel à puero, vt aliqui voluêre, vel postquam se manifestare inceperat? Vtrouis modo intelligamus, colligitur, bonæ consuetudini seruiendum esse, nec facilè abolendam. 290.

Surrexit legere: Surgit non sedet: stans Scripturam legit non solum, vt vox eius meliùs exaudiretur, sed multò magis in reuerentiæ signum ergà Dei verba, quibus omnes debent assurgere, vt discant doctores, quàm modestè, ac reuerenter diuina scriptura tractanda sit.

Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ.

SIngulæ sacræ Scripturæ partes singulis olim voluminibus continebantur, non omnes vno volumine, sicuti apud nos in vsu: Liber igitur Isaiæ traditus est Christo legendus; sed, cum libro Christus non indigeret, cur accepit? Accepit, vt legendo nobis sacræ Scripturæ studium commendaret. 291.

Euangelizare pauperibus misit me.

PAuperibus, alij ex Hebræo vertunt, *mansuetis*: vt ab hoc versionum nexu colligamus, pauperes mansuetudine insignitos esse debere, vt idem censeri possit pauper, ac mansuetus.

Sanare contritos corde.

MIssus est Christus à spiritu non solùm ad euangelizandum pauperibus, sed etiam, vt contritos corde sanaret. Alij, *ad alliganda vulnera peccatorum.* Ita Symmachus, sumpta est metaphora à chirurgis, qui vulnera fasciis ligant, vt citiùs curentur. Hinc disce, aliorum peccata non esse aliis prodenda, & propalanda, sed secreti tegmine velanda, vt citiùs, tutiúsque curentur: alioquin proditor, 292.

ditor, non chirurgus audiet, qui ea omnibus exponit. Igitur idem est circumligare peccatorum vulnera, ac sanare; quia, qui benignè tegit, faciliùs sanat.

Prædicare captiuis remissionem, & cacis visum.

NOn prædicauit hæc tamen Christus, sed petfecit; cur igitur de nudâ prædicatione mentio fit? An prædicare dicitur, quia ad hanc temissionem, ad hoc lumen volentes trahit? An, vt intelligeremus plura præstari à Christo, quàm dicantur? An, quia prædicatio ab operatione seiuncta non fuit, vt est in nobis, qui plerumque ea prædicamus, quæ à nobis non fiunt? Christo hoc est prædicare, quod efficere; quia efficit quod prædicat,&c,quantùm in se est,implet,quod dicit.

Et,cum plicuisset librum, reddidit ministro.

293. LIbrum explicuerat,vt legeret; plicuit,cum legisset; sed quæri potest; cur hanc curam sibi assumpserit? poterat quippè ministro plicandum tradere. Plicuit ipse suis manibus in sacrorum verborum reuerentiam, & honorem. *Reddidit ministro*, à quo scilicet illum acceperat. Erant ministri synagogæ,sicut & præfecti.

Cœpit autem dicere ad illos; quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

INdicat, se eum esse, de quo loquutus fuerat propheta; ne, priuato consilio, aut proprij spiritus ductu,se hæc, quæ narrauit, præstitisse,aliquis putaret,sed Spiritus sancti motione.Imitemur,nullas functiones obeamus propriæ voluntatis motu, sed diuinæ dumtaxat.

Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: medice cura te ipsum;quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ.

294. MEdice cura te ipsum; prouerbium est in eos iactari solitum, qui alios curant, ipsi vlceribus pleni, & cùm alios iuuant, sui obliuiscuntur. Accommodant deinde prouerbium proposito dum addunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ.* Sed quæri potest, quî hic quadret hæc accommodatio; nam ipse Christus sanandus non erat, sanandi erant sui: sui ciues morbis premebantur & grauibus: dicere ergo debuerat, *medice cura tuos* potius, quàm *te ipsum*. An ita innuitur, doctorem,ac superiorem subditorum morbos,tanquam si essent sui,reputare debere?Nimirum superior infirmatur in suis, vnde & illæ voces Apostoli: *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* Hæc charitas,pietasque suadet.

295. *Medice cura te ipsum*; ac si dicerent, fratrum, parentum, cognatorum, familiarium, conciuium tuorum ne obliuiscaris; eorum quoque curam habe; conuenit, te in tuos esse beneficum, ac liberalem; quod enim tuis præstas, hoc tibi ipsi præstare videris. Tanti est beneficentiam colere, liberalis audire.

Cura te ipsum. Hi enim qui ad patriam pertinebant, ad Christum ipsum pertinere videbantur, atque vt,qui patriæ rationem non habet, nec sui ha-

bere dici possit: sic prouerbium rei propositæ appositè applicatur.

Sed cur miracula in patriâ suâ non fecit Christus, sicut in aliis ciuitatibus fecit? An, quia ciues miracula fieri apud se petebant,non propter fidem, sed propter ambitionem quandam; ac curiositatem: Abstinuit ergo à miraculis Christus,vt doceret ambitiones, & curiositatem minimè fouendas, ac nutriendas esse. 296.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Plura, & magna miracula in Capharnaum Christus edidit, & fors maiora, quàm alibi; ibi tamen magis offendebatur; impiissimi quippè erant Capharnaitæ. Hæ veræ beneficentiæ notæ, animique minimè angusti, sed magni; iis magis benefacere, à quibus maiores iniurias accipis, &, mente suprà omnem iniuriæ sensum positâ, munera cogitare in offensa,non vindictam.

SECTIO III.

Beneficium *est negare beneficium abusuris.* 297
Doctor in *suâ patriâ cur minimè acceptus.* 298
Iustus *diem facit iis,inter quos viuit.* 298
Ambitione *acti in præcipitia aguntur.* 299
Humana corpora intrare cur dæmon *affectet.* 300
Christi *in homines ardens* amor. 300
Nuda scientia *grata Deo non est.* 301
Hominum malitia *quàm magna.* 301
Satanica *eruditio quænam sit.* 302
Diabolus *semper cauendus.* 303
Peccati occasio *fugienda.* 303
Laudari *ab hominibus nemo quærat.* 304
Angelus *videtur, qui laudat.* 304
Christi *gloria*, hominum *salus.* 304
Tunc præcipuè peccatorum *memores esse debemus, quùm Dei magnalia videmus.* 305
Infirmos *visitare quàm Christo placeat.* 306
Verè affinitatis *nota quænam sit.* 306
Mercedis loco habendum pro Christo pati *& infirmitatibus affligi.* 307
Superior *sua commoda non quærat, vt subditis consulat.* 307
Sanitatis *beneficium vt à Deo expetendum.* 308

Ait autem: Amen dico vobis; quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.

PRouerbio, quod iactum in illum fuerat, alio prouerbio respondet: *nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.* Sed obiici hîc potest; si Christus idcircò in patriâ suâ non edidit,quia acceptus non erat; ergo Christus miracula edebat, vt gratus, & acceptus esset, quod ambitionis, & inanis gloriæ esse videtur. Absit, vt hoc de Christo cogitemus. Edebat miracula, vt homines crederent, eum esse filium Dei,verumque Messiam in lege promissum, hoc autem non ambitionis, & vanæ gloriæ erat, sed summæ religionis, & amoris, & erga patrem, cuius honorem, gloriamque quærebat, & erga homines, quorum salutem operabatur. 297.

Hic rursùs aliquis reponat. Fecit miracula apud alios, licèt essent increduli; cur & non apud suos; licèt minimè crederent?An minus suos ciues dilexit,quàm alios? si miracula nô credituris concessit Capharnaitis; cur negauit infidelibus Nazaræis? An plus dilexit suos, quia beneficia, & miracula negauit? quando Dei beneficiis quis abusurus est, maius beneficium accipit, si illa non accipiat;

magis quippè reus fit, magiſque inexcuſabilis, & maioris ingratitudinis notam ſubit, maiori pœnà plectendus.

298. Sed cur propheta, & doctor in ſua patriâ acceptus non eſt? quia qui eiuſdem ſunt patriæ æqualitatem quamdam videntur habere, vt ob vnius felicitatem, ac ſublimitatem cæteri ciues inuideant; videntur enim inferiores fieri, quod non accidit inter eos, qui eiuſdem patriæ minimè ſunt. Hoc igitur prouerbio ſuos ciues inuidiæ Chriſtus notauit: quæ inuidia adeò eorum oculos obcæcauit, vt eum de montis ſupercilio vellent præcipitare.

In diebus Eliæ: Erat ne ſol Elias, qui diem faceret, & illius dies eſſent non aliorum? Magnam cum ſole cognationem Elias habet, ſol Græcè, ἥλιος, dicitur; & quidem Elias, ait Sanctus Ambroſius, *dies faciebat illis, qui conuertebantur ad Dominum*; iuſtorum vita aliorum lux, & dies eſt.

Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eum.

299. IAm in perfidiæ malitiæque abyſſum præcipites ruerant, qui eò deuenerant, vt præcipitare Chriſtum vellent. Duxerunt in ſupercilium. Nulli ferè faciliùs, nulli maiori cæcitate, præcipitem agere Chriſtum, ſtudent, ſi poſſent, quàm, qui in montis ſupercilio ſunt, ad dignitatum culmina, ambitione acti, iuerunt: Benè Vgo hic: *Quàm multi præcipitant Ieſum de ſupercilio montis! omnes ſcilicet, qui, in ſublimitatibus dignitatum poſiti, ſalutem perdunt*; præcipitem ſi non Ieſum, quia non poſſunt, præcipites Dei leges agunt.

Quid nobis & tibi, Ieſu Nazarene?

300. IN corpore, quod obſidebat, manere dæmon volebat, nolebat excludi. *Quid nobis:* vnus pro omnibus, & cauſam communem facit, vt faciliùs omnibus impetret, quod ſoli faciliùs negaretur. Sed aliquis hic quærat; cur dæmon adeò affectet humana corpora intrare, & vbi intrauerit manere. An, in odium carnis quam aſſumpſiſſe Dei filium, nouit? Præterea, vt poteſtatem, quæ ei propter peccatum permiſſa in homines eſt, oſtendat; cùm enim poteſtas, quam in animas habet, non appareat, quia inuiſibilis hæc ſeruitus eſt, in corporibus, quæ ſub conſpectum cadunt, eam oſtendit. Nos à miſero hoc dominatu conijcere poſſumus, quàm miſerior, & infelicior ille ſit, quem in animas per peccatum dæmon exercet.

Quid nobis & tibi? ac ſi diceret; nullam cauſam habes nos inſequendi, & à principatu noſtro nos detrudendi; in nullo te læſimus; nullam tibi intulimus iniuriam; nihil tibi rapuimus: cur ergo in nos ſæuis? Mentitur dæmon, vt ſolet: Chriſtu iniuriam inferebat, quam homini inferebat; tam ardenti quippè amore homines Chriſtus complectitur, vt iniuriam illis illatam ſuam putet. Vexabat dæmon homines? Chriſti, qui venerat, vt eos liberaret, iniuria videbatur.

Scio te, qui ſis, Sanctus Dei.

301. ALiam cauſam adiungit dæmon, cur ſibi parci cupiat; ea autem eſt; quia præclaram de Chriſto opinionem haberet. *Scio*, inquit, *te qui ſis Sanctus Dei*; ac ſi diceret; ſcio, te eſſe illum Sanctum Dei, Meſſiam ſcilicet in lege, & in prophetis prænuntiatum: ſed hîc fruſtra fuit dæmon; nuda quippè ſcientia grata Deo non eſt, nec eum flectit, ſi charitate vidua ſit. *Scio te:* Verba dæmonis ſunt: non ſatis eſt ſcire: coli, ac venerari, vt verus Meſſias debet. Imitantur dæmones plerique qui ſcientiæ innituntur, & fidei, nec amare Ieſum quærunt, quem verum Dei Filium nouerunt, & fatentur.

Scio te, qui ſcis Sanctus Dei: Peior magiſtro diſcipulorum hæreditas; peiores quandoque diabolo homines ſunt; *populus negat, quem dæmones confitentur*, ait Sanctus Ambroſius; huc hominum malitia euadit, vt dæmonem, à quo docentur malum, in malo ſuperent.

Et increpauit illum Ieſus, dicens.

REprehendit Chriſtus dæmonem, & ob malam voluntatem, & quia notitiâ, quam de Chriſto habebat, abutebatur; per eam enim, permitti ſibi, vt homini noceret, conabatur impetrare: Diſce; ſatanica quodammodo ſcientia eſt, ſatanica eruditio, quâ quis, ſibi etiam iniuſta, & illicita permitti, deſiderat. Abeat hæc ſcientia, quæ ſatanæ pares homines efficit. 302.

Et increpauit illum Ieſus: Prohibuit; quia adulatoria hæc diaboli verba Chriſto diſplicuêre; Apoſtolorum munus erat Chriſtum prædicare; hoc ergo & ſibi vſurpat ſatanas, volens Apoſtolorum rapere dignitatem.

Obmuteſce.

QVæri hîc poteſt; cur ſilentium dæmoni Chriſtus indixerit eum annuncianti, ac vt verum Meſſiam confitenti? An prohibuit, vt ſemper diabolus, etiamſi vera dicat, ſuſpectus habeatur? Etiam hæreticus, licèt verba à ſacris literis mutuetur, pro ſuſpecto ſemper haberi debet; vt potè cuius intentio corrupta ſit, & deprauata. 303.

Præterea audire noluit dæmonem, quia initium peccati fuit eum audiuiſſe: Hanc cautionem ſi adhiberemus, rarò in ſcelera rueremus. Cadere Chriſtus non potuit, nos poſſumus; & ad noſtri informationem nos exemplo ſuo docuit ea vitare, quæ lapſus occaſionem aliquando præbuerunt.

Dæmonum voce non vult Chriſtus agnoſci; vt operibus potius crederemus, quàm ſermonibus; 304. Pulchrè hominum faſtum reprimebat Sanctus Ambroſius, dum huc ſpectans ait: *Confitentibus Dei filium imperabat tacere, vt operibus magis, quàm ſermonibus Deus agnoſceretur; & tu nobilem te dicis, qui es factus è terrâ?* &, laudibus efferri, quæris, tantùm abeſt vt laudantes coërceas?

Chriſtum efferens ſatanas, ſatanas Chriſto erat, nec laudans eſſe deſinebat, quod erat; pleriſque contrà Angelus videtur, qui laudat, licèt alioquin dæmon ſit; dæmon verò videtur, ſi reprehendat, & vitia coarguat, licèt moribus Angelus quidam ſit.

Obmuteſce: Laudare Chriſtum adulando voluerat dibolus, ſed aberrauerat dicens: *Veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis Sanctus Dei.* Laus hæc videatur, ſed non eſt. *Quaſi hæc eſſet*, inquit Tertullianus, SVMMA GLORIA CHRISTI, SI AD PERDITIONEM DÆMONVM VENISSET, ET NON POTIVS AD HOMINVM SALVTEM. Extuliſſet, ſi veniſſe diceret, vt homines ſaluaret, non vt dæmones perderet.

Et

Et factus est pauor in omnibus.

305. OMnes timor inuasit, omnes stupor, & pauor. Sed cur timent, cum timoris nulla appareat causa? Apparet, expauerunt enim, quia in miraculo, quod fecit, maiestas, ac potentia elucet, quæ homines & in admirationem, & in pauorem quemdam rapere potuit eò maximè, quòd sibi suorum peccatorum conscij erant, quorum memoria tunc maximè excitata est, quum ingens illud hominis à dæmone liberati miraculum viderunt. Nimirum tunc præcipuè peccatorum nostrorum memores esse debemus, atque adeò timore corripi, quùm Dei magnalia videmus.

Surgens autem Iesus de synagogâ intrauit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

306. NOn in cuiusquam diuitis, aut potentis se domum recipit Christus, cuius gratiam inivet; adit pauperis, adit iacentis domum; plus scilicet pauperes, ac languentes amat Christus, quàm diuites, & luxibus vacantes. Hoc exemplo nos docuit, vt infirmos, lectovè decumbentes visitemus, cùm ipse præstiterit, & infirmi domum, felicium, & ab omni morbo immunium domibus prætulerit.

In domum Simonis. Et non domum reliquerat Simon, qui reliquerat omnia? cur ergo dicitur *domus Simonis?* An dicitur, quoad habitationem dumtaxat? nec enim Simonis propriè hæc domus fuit, sed vt plerique censent, socrus Simonis; nam in Bethsaidâ domum habebat Simon, si tamen habebat. Socrus Simonis ita Simonem, ac fratrem Andræam in suam domum recipiebat, quoties in Capharnaum diuertebant, vt propria eorum domus videretur. Hæc veræ affinitatis nota est, vt omnia communia sint, nihil tanquam proprium possideatur.

307. Morbo laborabat hæc mulier, lecto febribus correpta decumbebat; & tamen Dei seruos recipiebat hospitio, non tanquam hospites suæ domus, sed tanquam Dominos; nil mirum: ingentis mercedis loco haberi debet pro Christo pati, & infirmitatibus affligi.

Introiuit in domum Simonis; Iacebat in eâ domo Petri Socrus febribus correpta, nec tamen magistrum suum aduocauit Petrus, nec eius aduentum accelerauit. *Summam hic in Christum Petri reuerentiam considera*, inquit Sanctus Chrysostomus, *non traxit eum in domum, sed expectauit* QVOVSQVE PRÆDICATIONEM *solueret, cæterosque homines, qui ad Dominum confugerant, curasset; sic etiam statim ab ipsis initiis aliorum commoda suis vt praeponeret, institutus est.* Hanc eamdem mentem ebiberent omnes Præsules; quàm melius subditorum bono consuleretur!

Et rogauerunt illum pro eâ.

308. NOn ex dilectione tantum, sed ex necessitate quadam hæ preces emanarunt; cum non haberent, qui mensæ ministrarent, rogauerunt pro illâ, vt à morbo liberata Christo ministrare posset; nimirum ob hoc præcipuè sanitas quæri potest, vt in Dei obsequio sacretur. Sanitatis beneficium expetendum à Deo est, vt, sanitati restituti, eius præceptis obtemperemus.

SECTIO IV.

Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam.

IMperat; non vtitur precibus, vt purus homo 309.
putetur, qui etiam Deus erat. *Imperauit*, Græcè, *ἐπετίμησε*, eodem verbo vsus est idem Euangelista cum Christus dæmonem increparet, & interpres transtulit: *Increpauit illum Iesus* Et quidem Græcum verbum *ἐπιτιμᾶν* plus significat, quàm præcipere, & imperare, vt minas, & comminationem claudat, & sit cum reprehensione aliquid dicere, ac iubere. Sed cur increpatio, & comminatio fieri dicitur febri sensus incapaci? An, vt iubentis virtus, & potentia appareret? An febrim increpat Christus, vt hominibus significaret, huiusmodi mala, ac infirmitates hominis culpâ emanasse? homo quippe antequam peccaret, ab infirmitatibus omnibus erat immunis.

Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum.

POst Solis occasum multi infirmi ducuntur ad 310.
Christum; sed cur non antequàm occumberet? Quia Iudæis persuasum erat sabbatis curare fas non esse, at, post solis occasum, opus quodlibet exercere illis licebat; sabbati ergo finem exspectarunt, & variis morbis sanandos obtulerunt. Sed aliquis hic quæret; cur discipuli ante solis occasum sanitatem petierunt pro Socru Simonis? quia perfectiores erant, & à iudaicis obseruationibus magis soluti. Id, si ad animæ sanitatem referatur, vtile monitum exhibebit; animæ scilicet salutem ante Solis, vitæque occasum quærendam, procurandam; &, apostolici spiritus esse, citò sanitatem quærere; iudaici, superstitiosè differre.

At ille singulis manus imponens curabat eos.

POterat sola voluntate, poterat solo verbo cu- 311.
rare; manus impositione vtitur, vt distinctiùs, atque signatiùs omnes medicum cognoscerent, à quo sanabantur, nec alij, quàm illi, sanitatem deberent, eique gratias agerent, quem nouerant sanitatem exhibuisse.

 Obserua-

Obserua non simnl omnes vno verbo sanasse, sed, singulis manu impositâ, sanitati restituisse; vt singularem singulorum curam se habere ostenderet, vtque significaret, ita, acceptâ sanitare, vnumquemque ei gratum esse debere, ac si solus ipse beneficium recepisset. Solent bomines minus obligatos se agnoscere beneficiis, quæ eadem operâ mulris exhibentur, ac si maior benefactoris liberalitas minùs recipientes obliget.

312. *Manus imponens.* Olim serno manus imponebatur, quem Dominus liberum emittere volebat, vnde & manumissio dicta. Probè igitut manus peccatoribus imponit Christus, vt significaret, se ita eos à malis absoluere, vt etiam à diaboli seruiture eximeret, & liberaret. Apud nostros manus hostiæ offerendæ imponebatut Leuit.1.3. Ergo, qui sanitati restituitur, cogitet, se deinceps victimam esse debere Deo sacram.

Exibant autem à multis dæmonia clamantia & dicentia: quia Tu es Filius Dei.

313. TImor has voces à dæmonibus extorsit; timebant, ne grauiori pœna à Christo afficerentur. Extorsit & superbia. Quî, inquies, confessio ista è superbiæ sinu erumpit? Fatentes Christum, à quo è corporibus exturbabantur, Dei Filium esse, tegebant infirmitatem, & imbecillitatem suam: minoris autem fieri ab hominibus sibi videbantur, si ab eo, qui Deus minimè esset, eiicerentur inuiti. Maluut veritatem apertè fateri, quàm excellentiæ suæ opinioonem apud homines minui.

Tu es Filius Dei. Non fide, & intentiooe rectâ hoc fatentur, sed peruersâ, vt prædicationis eius veritatem diminuerent, quasi à fallacibus dæmonibus annuntiatam.

Laudat Christum diabolus, sed fraus sub laude latet. Imitantur, qui tunc laudibus aliquem cumulaut, cum exsculpere ab eo aliquid student, quod in eorum commodum vertatur; aliàs non laudant, sed calumniis onerant; satanicus laudandi modus hic est.

314. *Tu es Filius Dei.* Paria dixit & Petrus, & laudatus est, beatusque vocatus; non laudes dæmones meruerunt; tantum refert, quo fine quid dicatur, non quid dicatur tantum. Præclarè Sanctus Augustinus: *Laudatus est Petrus: vnde dictus est beatus? recolite mecum. Quia dixit, Tu es Christus filius Dei viui? Ille non sonum verborum, sed affectum cordis intendit, qui beatum pronuntiauit. Nam, vultis nosse beatitudinem Petri non in illis verbis fuisse? Hæc dixerunt & dæmones. Scimus qui sis; Tu es Filius* Luc. 4. *Dei. Filium Dei confessus est Petrus: Filium Dei confessi sunt dæmones. Distingue Domine, distingue. Distinguo planè*; PETRVS DIXIT IN AMORE, DÆMONES A TIMORE. *Denique ille dicit. Tecum sum vsque ad mortem. Illi dicunt, quid nobis, & tibi?*

Et increpans non sinebat ea loqui.

315. DÆmonum superbiam, ac malitiam Christus optimè nouerat, & idcircò silentium illis imposuit. Nolebat virtutem, ac poteotiam suam dæmoniorum voce prodi, sed operibus: quo exemplo docuit, nullam fidem dæmonibus esse adhibendam, cùm fallere semper studeant, etiam, cùm vera dicunt.

Non sinebat ea loqui: Cur non sinit Christus dæmonia eius diuinitatem confiteri? scilicet magis manifestabatur Christi diuinitas, & potentia refrænando liognas dæmonum, quàm si filius Dei ab ipsis proderetur; adeò inuidorum, ac iniquorum linguas compescere magnum est.

Non sinebat ea loqui: Laudari à dæmonibus oon vult, qui laudes eius lioguâ dumtaxat referebant, non vitâ, non moribus. *Illius erat, praconium*, ait Tertullianus, *immundi spiritus respuere, cui sancti abundabant.* Nimirum Doctoris probitate, ac sanctitare laudari quærit Deus, non verbis tantùm. Referre dæmonem videtur, qui linguâ Deum laudat, moribus offendit. 316.

Præconium dæmonum respuit, vt homines sanctos in sui laudem prouocaret; ionueos, se malorum laudibus non gaudere, sed bonorum, qui laudem vitâ non maculent, nec præconia malis moribus collutulent.

Turba requirebant eum.

TOt beneficiis affectæ Christum turbæ quærunt; trahunt homines beneficia, & mentes ad recipiendam veritatem beneficâ largitate disponuntur; sæpè efficiunt munera, quæ minæ oequiuerunt. 317.

Requirebant eum. Cur requirebant? Requirunt non solùm sanitaris amore, sed etiam imò præcipuè audiendi sermonis studio, & doctrinæ ipsius excipiendæ desiderio; quod apparet ex his quæ sequuotur; respondit enim Christus: *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare Regnum Dei.* Opportunè Christum quærit, qui, doctrinæ potiùs causâ, atque salutis, eum quærit, quàm liberationis à morbo, ac sanctitatis potiùs, quàm sanitatis.

Et venerunt vsque ad ipsum.

INueniunt, quem requirunt turbæ. Apparet hîc turbarum diligentia atque constantiâ, quæ Christum donec iouenirent quæsierunt; ab inquisitione minimè desistat, qui iouenire Christum quærit. 318.

Quibus ille ait: quia, & aliis ciuitatibus, oportet, me euangelizare regnum Dei.

MAgna hîc elucet Christi clementia, & pietas, qui, cùm turbarum precibus non obtemperet, excusationem exhibet, & iustam profectionis causam reddit; quia scilicet & aliis ciuitatibus esset prædicaturus; non excusauit se ob laborem; nam à benefaciendo, & docendo labor nullus, nulla difficultas auocat, nec auocare debet Christi cultorem, & euangelicæ doctrinæ præconem.

Oportet me euangelizare: Non dixit, in aliis ciuitatibus oportet me miracula facere, & gloriam meam aperire; sed, *oportet me euangelizare.* Hoc nobis magis necessarium, hoc præcipuè Christus intendebat. Docens; doctoris esse, auditoris vtilitati studere potiùs, quàm suæ gloriæ. 319.

Quia ideò missus sum.

MIssus Christus est, vt regoum Dei euangelixaret: & non ob alia opera, quæ præstitit? non vt miracula operaretur? etiam ob ista; sed omnia huc tendebant; vt regnum Dei prædicaret, & omnes ad illud alliceret, ac vocaret.

Ob prædicationis munus se missum affirmat Christus; & non prædicauit tantùm, etiam exemplo, ac operibus ad regnum inuitauit? cur igitur solius prædicationis meutio fit? An, quia plena, & perfecta 320.

perfecta prædicatio dici non debet, quæ operibus est destituta. Vix prædicator audire debet, qui nudis verbis loquitur, non moribus.

Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

E*Rat prædicans.* Hic loquendi modus frequentem, & ferè non intermissam eius prædicationem fuisse, indicat; quo exemplo argui possunt, qui à prædicationis munere, vel leui labore, auocantur. *Erat prædicans.* Seriò prædicationi incumbebat, totus huic officio deditus, animarum salutem spectans; quod prædicatoribus illis non conuenit, qui, dum prædicant, aliò videntur spectare, aliò trahi.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT V. LVCÆ.

Vers. 1.

FACTVM est autem, cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

Cum turbæ i. i. e. *Syr. Cùm coacta esset ad eum turba. Arab. Cùm congregata essent ad eum turba. Euth. Cùm turba immineret ei. Pagn. Cùm turba irrueret ei. Ar. M. In eo turbam superiacere ei. Fr. Luc. Cùm turba incumberet ei.*
Audirent verbum D. *Euth. Audiret sermonem eius.*
Stabat. *Ar. M. Erat stans.*
Secus stagnum. *Syr. Iuxta littus maris. Euth. Iuxta lacum.*

Vers. 2.

Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia.

Duas naues s. *Ar. M. Duo nauigia stantia.*
Secus stagnum. *Syr. Super crepidinem maris. Arab. secus littus stagni. Euth. Iuxta lacum. Vat. Ad stagnum.*
Descenderunt. *Arab. Ascenderunt. Fr. Luc. Descenderant ex iis.*
Et lauabant. *Syr. Et eluebant. Arab. Vt lauarent. Theoph. Et abluebant.*
Retia. *Arab. Retia sua.*

Vers. 3.

Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas.

Ascendentes autem in vnam n. q. e. S. *Syr. Vna autem earum erat. Simonis Petri, quumque descendisset Iesus sedit in eâ. Pagn. Ingressus autem in vnam è nauibus quæ erat Simonis.*
Rogauit e. *Syr. Dixit. Arab. Præcepit ei. Euth. Iussit ei.*
A terrâ reducere. *Syr. Vt prouehereni eam ab aridâ in aquas. Arab. Vt à littore reduceret. Vat. Vt à terrâ nauim ageret paululum. Fr. Luc. A terrâ abducere.*
Pusillum. *Fr. Luc. Paululùm.*
Sedens. *Fr. Luc. Cùm sedisset.*
De nauiculâ. *Euth. De naui. Ar. M. Ex nauigio. Vat. E naui.*
Turbas. *Syr. Turbam.*

Vers. 4.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.

Vt cessauit. *Arab. Cùm compleuisset.*
Loqui. *Arab. Sermonem suum.*
Ad Simonem. *Syr. Ipsi Simoni.*
Duc. *Syr. Ducite. Ar. M. Deduc. Fr. Luc. Prouehe. Vat. Age nauim.*
In altum. *Syr. In profundum.*
Laxate. *Syr. Proiicite. Fr. Luc. Expansa eiicite. Dimittite.*
In capturam. *Syr. Ad piscandum. Fr. Luc. Ad capiendum pisces.*

Vers. 5.

Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil

Præceptor. *Syr. Rabi. Arab. Magister. Caiet. Præfecte.*
Per totam n. *Euth. Totâ nocte.*
Laborantes. *Syr. Fatigati sumus. Arab. Iam laborauimus. Vat. Laborando.*
Nihil. *Arab. Non quicquam.*

cepimus

Vulgata Editio.

cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete.

Lectionum Varietas.

In verbo a. t. *Syr. Iuxta tamen sermonem tuum. Euth. Ad verbum tamen tuum. Tig. Tuo tamen iussu.*
Laxabo rete. *Syr. Proiicio rete. Arab. Nos laxabimus retia.*

Vers. 6.

Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

Cùm hoc fecissent. *Euth. Cùm hoc fecisset. Ar.M. Hoc facientes.*
Concluserunt. *Arab. Ceperunt.*
Piscium multitudinem c. *Syr. Multos admodum pisces. Arab. Multos pisces. Ar.M. Multitudinem piscium multam. Fr.Luc. Multitudinem piscium magnam.*
Rumpebatur a. *Syr. Ita vt disrumperetur. Arab. Et propè erat vt rumperetur. Vat. Disrumpebatur.*
Rete. *Arab. Retia.*

Vers. 7.

Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.

Annuerunt. *Vat. Innuerunt.*
Sociis. *Syr. Sociis suis.*
Aliâ. *Pagn. Alterâ.*
Naui. *Syr. Naniculâ. Ar.M. Nauigio.*
Adiuuarent eos. *Syr. Sibi opem laturi. Ar.M. Simul caperent ipsis. Fr.Luc. Opitularentur ipsis.*
Ambas nauiculas. *Ar.M. Ambo nauigia. Caiet. Ambas naues.*
Penè mergerentur. *Syr. Propè mergerentur. Arab. Inciperent mergi. Ar.M. Mergi ipsa. Vat. Mergerentur.*

Vers. 8.

Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

Procidit ad g. *Syr. Procidit ad pedes. Euth. Accidit ad genua. Ar.M. Accidit genibus.*
Iesu. *Syr. Ipsius Iesu.*
Exi. *Syr. Peto à te, Domine mi, vt discedas. Arab. Recede. Vat. Exi Domine. Theoph. Discede, Domine.*
Quia homo. *Syr. Quippè qui homo. Arab. Ego enim homo.*
Sum, Domine. *Syr. Sim. Vat. Sum.*

Vers. 9.

Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant.

Stupor enim. *Syr. Pauor inuaserat. Arab. Timor inuaserat. Vat. Stupor comprehenderat. Ar. M. Stupor occupauerat. Fr. Luc. Terror circumdederat.*
Erant. *Theoph. Fuerant.*
In captura. *Syr. Propter capturam illam. Arab. Ob capturam. Euth. Super capturâ. Theoph. Super captu. Pagn. Super capturam.*
Quam. *Arab. Quos. Theoph. Quem. Ar.M. Quam simul.*
Ceperant. *Euth. Comprehenderant.*

Vers. 10.

Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.

Similiter. *Syr. Itidem.*
Et ait ad S. *Syr. Dixit autem. Vat. Et ait Simoni.*
Noli timere. *Arab. Ne timeas. Pagn. Ne metuas.*
Et hoc iam. *Theoph. Posthac. Vat. Ab hinc. Fr. Luc. Ab hoc nunc.*
Eris capiens. *Syr. Piscaturus es ad vitam. Arab. Eris piscator qui piscaberis. Euth. Captabis. Pagn. Capies.*
Homines. *Caiet. Viros.*
Capiens. *S. Ambr. Viuificans.*

Vers. 11.

Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Subductis. *Syr. Impulerunt. Euth. Deducentes.*
Nauibus. *Syr. Naues. Euth. Nauigia.*
Ad terram. *Arab. Ad littus. Theoph. In terram. Ar. M. Super terram.*
Secuti sunt e. *Syr. Post eum abiêre.*

Vers. 12.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Vers. 12.

Et factum est, cùm esset in vnâ ciuitatum, & ecce vir plenus leprâ, & videns Iesum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

Factum est. *Vat. Accidit.*
Cùm esset. *Arab. Cùm intrasset. Eath. Dum ipse esset.*
Vnâ. *Arab. Vnam. Vat. Quadam.*
Ciuitatum. *Syr. Vrbium. Vat. Ciuitate. Pagn. E ciuitatibus.*
Plenus. *Syr. Plenus omninò.*
Videns. *Paga. Cùmque vidisset.*
Procidit. *Theoph. Prostratus.*
Faciem. *Arab. Faciem suam.*
Rogauit eum. *Syr. Efflagitabat ab eo. Eath. Deprecabatur eam.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Potes. *Arab. Tu potes.*

Vers. 13.

Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.

Extendens. *Euth. Extentâ. Vat. Protentâ.*
Manum. *Syr. Manum suam Iesus. Euth. Manu.*
Volo. *Syr. Volo ego.*
Mundare. *Paga. Mundus esto.*
Confestim. *Syr. Eo momento.*

Vers. 14.

Et ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.

Præcepit. *Fr Luc. Denuntiauit.*
Vt nemini. *Vat. Ne quid cuiquam.*
Vade. *Syr. Ito. Euth. Abi. Theoph. Vade (inquit.) Paga. Profectus Ar. M. Abiens.*
Te. *Tyr. Teto. Vat. Te ipsum.*
Sacerdoti. *Syr. Sacerdotibus.*
Offer. *Syr. Offer oblationem.*
Emundatione. *Syr. Purgatione. Arab. Mundatione.*
Tua. *Theoph. Tui.*
Præcepit. *Euth. Constituit.*
In testimonium illis. *Syr. Vt eis testimonio.*

Vers. 15.

Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis.

Perambulabat. *Syr. Exiit. Arab. Diuulgatus est Pagn. Peruagabatur. Vat. Dimanabat.*
Magis. *Arab. Et creuit.*
Sermo. *Vat. Fama. Euth. Rumor.*
De illo. *Vat. Illius.*
Et conueniebant. *Syr. Ita vt congregaretur.*
Turbæ multæ. *Syr Populus multus.*
Audirent. *Syr. Audiret ab eo.*
Curarentur. *Syr. Sanitati restitueretur. Euth. Sanarentur ab illo.*
Ab infirmitatibus. *Syr. A morbis. Eath. De infirmitatibus.*

Vers. 16.

Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

Secedebat. *Arab. Ibat. Eath. In secessu agebat.*
In desertum. *Pagn. In desertis. Caiet. In deserta.*
Orabat. *Arab. Orabat ibi.*

Vers. 17.

Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

Factum est. *Vat. Euenit.*
Vnâ dierum. *Theoph. Quodam die.*
Ipse sedebat d. *Syr. Quum doceret Iesus. Ar. M. Ipse erat docens, Vat. Vt ipse doceret.*
Erant. *Vat. Aderant.*
Venerant. *Ar. M. Erant venientes.*
Omni castello. *Syr. Omnibus pagis. Eath. Omni vico.*
Virtus. *Ar. M. Efficacia. Fr. Luc. Potentia. Gratia sanitatum.*
Erat. *Syr. Adesset ei. Vat. Aderat.*
Ad sanandum. *Ar. M. In sanare.*

Vers. 18.

Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant

Et ecce v. *Syr. Quidam viri. Arab. Et ecce homines.*
Portantes. *Arab. Duxerunt. Fr. Luc. Ferentes.*
Hominem. *Syr. Virum quendam.*
Quærebant. *Arab. Volebant.*

eum

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

eum inferre, & ponere ante eum.

Inferre. *Arab. Introducere.*
Ponere. *Syr. Siſtere.*
Ante eum. *Euth. Coram illo.*

Verſ. 19.

Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Ieſum.

Non inuenientes. *Arab. Non potuiſſent.*
Qua parte. *Syr. Quomodo. Arab.* omittit. *Euth. Quà.*
Illum inferrent. *Arab. Appropinquare ad eum.*
Præ turba. *Syr. Propter multitudinem populi. Arab. Præ multitudine turbæ.*
Aſcenderunt. *Euth. Conſcenſo.*
Super tectum. *Arab. In tectum. Euth. Tecto.*
Per tegulas. *Syr. E tabulato.*
Summiſerunt. *Caiet. Demiſerunt.*
Lecto. *Arab. Lecto ſuo. Fr. Luc. Lectulo.*
Ante Ieſum. *Syr. Coram ipſo Ieſu.*

Verſ. 20.

Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

Dixit. *Syr. Dixit paralytico illi.*
Homo. *Arab. O homo.*
Remittuntur. *Euth. Remiſſa ſunt. Pagn. Remittantur.*

Verſ. 21.

Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?

Cogitare. *Syr. Ratiocinari. Euth. Diſceptare.*
Blaſph. *Arab. Blaſphemiam.*
Dimittere. *Pagn. Remittere.*

Verſ. 22.

Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?

Vt cognouit. *Syr. Sciens. Arab. Cognouit. Euth. Cognita.*
Cogitationes. *Euth. Diſceptatione. Ar. M. Ratiocinationes.*
Reſpondens dixit a. i. *Syr. Ait illis.*
Cogitatis. *Euth. Diſceptatis. Ar. M. Ratiocinamini.*
Mala. *Vat.* omittit.

Verſ. 23.

Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: ſurge, & ambula?

Quid. *Theoph. Verum.*
Dimittuntur. *Arab. Remiſſa ſunt. S. Ambr. Dimiſſa ſunt. Vat. Remittantur.*
Peccata. *Euth. Peccata tua.*
Et ambula. *Syr. Ambula. Ar. M. Et deambula.*

Verſ. 24.

Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; (ait paralytico.) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

Sciatis. *Arab. Cognoſcatis.*
Poteſtatem. *Ar. M. Auctoritatem.*
In terrâ. *Arab. Super terram.*
Dimittendi. *Theoph. Remittendi.*
Tolle lectum t. *Fr. Luc. Sublato lectulo tuo.*
Vade in domum. *Vat. Abi domum.*

Verſ. 25.

Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat: Et abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

Et confeſtim. *Euth. Et repentè. Theoph. Iſque confeſtim.*
Conſurgens. *Arab. Surrexit. Ar. M. Reſurgens. Pagn. Cum ſurrexiſſet.*
Tulit lectum. *Vat. Sublato lectulo. Ar. M. Tollens. Fr. Luc. Sublato eo.*
Iacebat. *Pagn. Iacuerat.*
In domum. *Vat. Domum.*
Magnificans. *Caiet. Glorificans.*

Verſ. 26.

Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

Et ſtupor a. *Syr. Stupor autem inuaſit. Arab. Stupuerunt. Theoph. Stupor corripuit. Fr. Luc. Ecſtaſis. Admiratio ſumma cepit.*
Omnes. *Euth. Vniuerſos.*
Magnificabant. *Vat. Glorificabant.*
Repleti. *Euth. Impleti.*
Quia vidimus. *Syr. Sanè vidimus.*
Mirabilia. *Syr. Miranda. Euth. Admiranda. Ar. M. Inopinata. Pagn. Incredibilia. Caiet. Inopinabilia.*

Verſ. 27.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 27.

Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui, ſedentem ad Telonium, & ait illi: ſequere me.

Exiit. *Syr. Exiit Ieſus. Euth. Egreſſus eſt. Pagn. Abiit.*
Vidit. *Syr. Conſpicatus. Ar.M. Conſpexit. Fr.Luc. Spectauit.*
Ad Telonium. *Syr. Inter publicanos. Euth. In telonio.*
Sequere me. *Syr. Veni poſt me.*

Verſ. 28.

Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

Et. *Syr. Itaque. Theoph. Atque is.*
Surgens ſecutus eſt. *Syr. Et Surgens abiit. Arab. Et ſecutus eſt.*
Eum. *Syr. Poſt eum.*

Verſ. 29.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.

Conuiuium. *Syr. Epulum. Fr.Luc. Acceptionem.*
Magnum. *Syr. Opiparum.*
Turba. *Syr. Cœtus.*
Multa, *Syr. Multus. Arab. Magna.*
Erant diſcumbentes. *Euth. Accumbentium. Pagn. Accumbebant.*

Verſ. 30.

Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?

Phariſæi & S. *Vat. Scribæ, & Phariſæi.*
Ad diſcipulos. *Arab. Contra diſcipulos. Theoph. Aduerſus diſcipulos.*
Manducatis. *Euth. Editis.*

Verſ. 31.

Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.

Non egent qui ſ. ſ. m. *Syr. Non requiritur ſanis medicus. Euth. Non opus eſt ſanis medico. Ar. M. Vſum non habent ſani medico.*
Qui malè h. *Syr. Iis, qui malè affecti ſunt. Arab. Infirmi.*

Verſ. 32.

Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Vocare. *Arab. Vt vocarem. Euth. Vt vocem.*

Verſ. 33.

At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt.

Ioannis. *Syr. Ipſius Ioannis.*
Ieiunant f. *Syr. Ieiunant perſeueranter. Arab. Multiplicant ieiunium. Euth. Crebrò ieiunant.*
Obſecrationes f. *Syr. Orant. Arab. Obſecrationem. Vat. Precationes faciunt.*
Phariſæorum. *Arab. Diſcipuli Phariſæorum.*
Tui autem. *Pagn. Tui verò.*

Verſ. 34.

Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare?

Poteſtis facere. *Syr. Poteſtis efficere. Arab. Poſſunt.*
Filios. *Syr. Vt filij. Arab. Filij.*
Sponſi. *Theoph. Thalami. Caiet. Thalami nuptialis.*
Dum. *Euth. Quandiu. Ar.M. In quo.*
Eſt. *Arab. Permanet.*
Facere. *Vat. Adigere.*
Ieiunare. *Syr. Vt ieiunent. Vat. Ad ieiunia.*

Verſ. 35.

Venient autem dies: cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

Ablatus fuerit. *Syr. Attolletur.*

Verſ. 36.

Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non

Similitudinem. *Syr. Parabolam.*
Commiſſuram. *Syr. Abſcindit fruſtum. Arab. Accipit aſſumentum. Euth. Immiſſuram. Ar. M. Adiectionem. Vat. Inſuendum fruſtum.*
A nouo v. *Vat. Noui veſtimenti.*
Immittit. *Arab. Et mittit illud. Tert. Inicit. Ar. M. Adiicit.*
Veſtimentum v. *Syr. Veſtem vetuſtate attritam.*
Alioquin &. *Arab. Ne.*
Rumpit. *Arab. Scindatur. Vat. Lacerat. Caiet. Rumpet. Fr.Luc. Findit.*
Veteri. *Syr. Attritum.*
Non conuenit. *Syr. Non repleat. Fr.Luc. Non conſonat. Non conſentit.*
Commiſſura. *Syr. Fruſtum. Arab. Aſſumentum*

Vulgata Editio.

conuenit commissura à nouo.

Vers. 37.

Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt.

Vers. 38.

Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur.

Vers. 39.

Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim vetus melius est.

Lectionum varietas.

desumptum. Euth. Immissum. Vat. Quod immissum est. Fr. Luc. Id, quod acceptum fuerat.
A nouo. *Syr. E recenti. Fr. Luc. Ex nouo.*

Mittit. *Syr. Iniicit. Arab. Ponit. Tert. Committit. Ar. M. Conicit.*
Nouum. *Syr. Recens.*
Aloquin. *Arab. Ne.*
Rumpet. *Syr. Disrumpit. Arab. Rumpat. Euth. Rumpit.*
Nouum. *Syr. Recens,*
Ipsum. *Syr. Ipsum mustum.*
Effundetur. *Syr. Effunditur. Arab. Effundatur.*
Peribunt. *Syr. Pereunt. Arab. Pereant.*

Nouum. *Syr. Recens. Theoph. Mustum.*
Mittendum est. *Syr. Iniiciant. Arab. Ponitur.*
Vtraque. *Syr. Ambo. Arab. Simul.*

Bibens. *Pagn. Qui biberit.*
Vetus. *Syr. Vinum vetus.*
Vult. *Syr. Petit.*
Melius. *Ar. M. Vtilius. Caiet. Suauius. Fr. Luc. Blandius.*

CAPVT V.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Factum est autem, cùm turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secùs stagnum Genesareth.

321. EXHIBITA in turbas beneficia eas, ad Dei verba auidissimè excipienda, concitarunt. Nimirùm benefacientis verba libentiùs exaudiuntur, quàm benè dicentis dumtaxat. Prouocantur turbæ ad audiendum verbum Dei, vt magis in Christum irruerent, quàm ad ipsum irent.

Ascendens autem in vnam nauem, quæ erat Simonis rogauit eum à terrâ reducere pusillum, & sedens docebat de naniculâ turbas.

A Turba, à quâ opprimebatur, se subducit, ne in lacum protruderetur; vel certè docens quietus esse non posset ob confluentem, ac irruentem promiscuam populi multitudinem. Poterat diuinitatis virtute turbas reprimere, qui aliàs funiculi flagello ementes, & vendentes eiecit à templo. Hîc nullum arcet, nullum reiicit; cur ita? An id fecit, nè occasionem aliquam quis vnquam prætenderet, se ab auditione Dei verbi exclusum? Ad audiendam diuinæ legis explicationem vocat omnes Christus; nullum, licet opprimatur, excludit.
Quæ erat Simonis; cur Simonis potiùs nauis di- 322.
citur, quàm Andreæ, qui natu maior erat? An, quia Simon vulgò Dominus, ac gubernator habebatur? An id factum est etiam ob mysterium: quia Petrus Ecclesiæ præficiendus erat, quæ per hanc nauem significatur.

Rogauit eum; non imperauit, non coëgit; placidè rogauit, non imperiosè iussit. Habent quod imitentur concionatores, dum ad exequendum munus suum pergunt; ne fastum, ac superbiam præseferant, ne super alios se efferant. Potuisset Christus, tanquam Dominus imperare; sed voluit, suæ humanitatis, ac modestiæ cæteris exemplum exhibere, præsertim maioribus; vt in iis, quæ consequi humanitate ab inferioribus possunt, imperij, ac potestatis vi non facilè vtantur.
Et sedens docebat; non explicatur Simon fecis- 323.
se, quod rogauit Dominus. Ex verbis ipsis id colligitur; promptè, ac libenter paruit Simon, alioquin Simon, id est *obediens*, dici non posset.

Docebat de nauiculâ. Vbique prodest Christus: nullus Iesu ineptus ad docendum locus: nulla docendi hora importuna. Vides, non sua commoda Christum hîc quærere, sed turbæ vtilitati consuluisset

luisse: nauem quippè ascendit, vt turbas doceret, sicque ab omnibus videretur,& videret omnes.

324. Nil ferè Christo gratius, quàm si quis ei ad animarum salutem cooperetur,& aliquod ad prædicationem auxilium præbeat. Ascendens Christus *nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum à terrâ reducere pusillum,& sedens docebat de nauiculâ turbas*: Quam mercedem ei pro hoc labore, proque nauiculæ vsu contulit: Quid Petro in præmium contulit? *Vt cessauit loqui, dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam*: magnámque cepit piscium multitudinem. Nimirum, *quia turbam*, ait Theophylactus, *de nauiculâ Dominus instruxerat, non sine mercede dominum nauiculæ dereliquit dupliciter beneficans illum: primò, quia dedit ei multitudinem piscium, & deinde discipulum ipsum fecit.* Quàm beneficus erga illos est, qui eius prædicationem iuuant; tam seuerus in eos, qui eam impediunt.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem.

325. CEssat ipse: non postulat turba, quæ audiendi auida, prolixum esse Christi sermonem cupiebat, licèt nihil prolixum sit auiditati audiendi. Hic illi perstringuntur, qui, produci sermonem de rebus diuinis, nolunt,& interdicere, cùm possunt, curant, aut abeunt, aut conqueruntur.

Post doctrinam, ad opus se confert Christus, & ad miraculum: plus quippè ponderis ad persuadendum opera habent, quàm verba. Probum concionatoribus monitum, vt post prædicationem operi manum admoueant, nec otiosi permaneant, sed sanctis operibus vacent.

326. Prædicauit hic Christus: nullum conuersum legimus: at post miraculum, in capturâ piscium stupor circumdedit omnes, discipuli quatuor, relictis omnibus, illum sequuntur,& Petrus indignum se putat Christi conspectu. Nimirum maior operis, ac exempli vis, quàm verborum;& plerunque homines, qui ad virtutem nudâ prædicatione non excitantur, vitâ ipsâ, ipsis operibus alliciuntur.

Duc in altum.

DVc: Græcè, ἐπανάγαγε, *Proueha, Reduc*: nam & superius hoc idem verbum ita transtulit interpres: *Reducere pusillum*, ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον. Quo indicatur ad locum, in quo frustrà piscabatur, reuehere nauem Petrum debere.

327. *Duc*: Syrus, *Ducite.* Quod vni Petro dicitur, omnibus dici censetur; tanquam vna esset omnium mens, vnum cor, anima vna. Præterea, quod superiori dicitur, cæteris dictum existimatur; sequuntur quippè præeuntem superiorem subditi, & illius exemplum hos quodammodo ad idem allicit,& trahit.

Ex alto mari Petrus venerat irrito labore; nihil quippè capere potuit. Nunc Christus in eundem locum, vnde venerat, nauem iterum reuehere iubet. Sed cur in eundem? An, vt iubentis virtus magis appareret? An ne, si in alium locum reduceret, non miraculo, sed casu factum quippiam putaret, quòd tanta piscium copia caperetur? Nimirum beneficia auctori Deo tribuenda sunt, non casui.

Et laxate retia vestra in capturam.

SOli Petro dictum, *duc in altum*; cur aliis quoque nunc dicitur *laxate retia vestra*; omitto lectionem Syriacam, quam superiùs expendi, in vulgatâ versione nunc sisto, & nodum soluo. Vni Simoni dictum est; *duc in altum*; quia illius nauigij gubernator erat, & nauis illa Simonis, tanquam Domini dicebatur. Ad retia verò laxanda multorum opera erat necessaria, non satis erat vnius. Nimirum vnius, tanquam superioris, regimen sit, vt cæteri suam operam exhibeant, suum ministerium. 328.

Et respondens Petrus dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.

IRritus piscantium labor fuit: proprio ergo labori Petrus diffidens,& Christi verbo confidens, retia in capturam laxat, & magnam piscium multitudinem cepit. Magna sperare possumus, cùm viribus nostris diffidimus, diffidimus industriæ nostræ, spe diuinâ pascimur, diuino auxilio innitimur.

Præceptor: Christum, præceptorem vocat, vt se discipulum ostendat. Syrus legit, *Rabbi*. Græcè est, ἐπιστάτα, *præfectus*: ἐπιστάτης, propriè dicitur, qui rei cuipiam est præfectus. Præceptor dicitur cùm non docet, sed iubet: sed & Christi imperia, & facta eruditionem nostram respiciunt. Instruit nos Christus, dum imperat: vbique præceptor Christus est. 329.

Per totam noctem: Opportunior ad capturam nox est, quàm dies, cùm pisces minùs insidias videre possunt: contrà accidit Petro: pisces multos die prehendit, nullos totâ nocte laborans. Plerunque felicior rei exitus est, vbi ratio naturalis,& experientia aliter suadere videtur. Disce: promptè Deo pare; etiam, quæ videntur contraria, rem, quam intendis, perficieor, tantum abest, vt impediant.

Laborantes: Non dixit, *laborans* ne laborem sibi soli tribuere videretur: dixit tamen, *laxabo*, non quia aliorum operam negligeret, sed quia, tanquam primus, suam præcipuam promittebat. Non est æquum, propriâ laude ex proprio labore à superiore spoliari cæteros. 330.

Is, qui totam noctem laborauerat, poterat se à nouo labore eximere: non exemit Petrus: in Christi verbo laxauit rete, tanquam si nouus labor Christi iussu initus, laboris sumpti requies, & refrigerium, non labor esset. Non est labor, obedire Christo: est labor, non laborare propter Christum. Petrus, totam noctem laborasse se, dixit: non dixit, se laborasse, cùm in Christi verbo laxauit rete, magnóque labore magnis, multisque piscibus illud plenum traxit ad littus. Nimirum Christi iussio laborem omnem tollit; animarumque lucra, quæ piscium illa captura significabat, laborem adeò minuunt, vt labor, labor esse, vix videatur.

In verbo autem tuo laxabo rete.

HIc Simonis obedientia commendatur, qui præterito labore irritè sumpto non terretur; operam suam spondet, nouo se labori offert; scilicet promptè parentis animus à difficultate vires, & robur desumit. 331.

Et, cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.

QVod dixit Petrus statim exequitur: nescit verus obediens moras nectere,&,quod iubetur, diu differre. *Cùm hoc fecissent:* Petrus ait, *laxabo*; sed omnes ministerium exhibent. Quod præstat superior facilè præstant & subditi. Si Petrus dixisset, *iubebo laxari rete*, non verò, *laxabo*, non ita obsequentes, & ad laborem adeò promptos cæteros habuisset. Tantum superioris exemplum in aliorum animos vires habet.

332. Copiosam piscium multitudinem comprehendit Petrus. Nimirum vinci beneficentiâ Christus non vult: naui suâ Christum Petrus exceperat: respondet Petro Christus singulari hoc beneficio, ac si naulum solueret. Quo exemplo admonet superiorem beneficiis ita certare cum suis debere, vt semper largitate vincat.

Præterea, hîc admonentur ij, qui sacri verbi concionatores recipiunt nequaquam suâ mercede frustratum iri; & sumptus omnes,quos fecerint in prædicatorum obsequium, beneficam Dei manum donis superaturam.

Rumpebatur autem rete eorum.

333. OB piscium,quos preudiderant,multitudinem, incipiebat rumpi rete; non ruptum tamen non scissum fuit, quod miraculo aliqui tribuunt; certè miraculum auget, vetus rete tantum piscium pondus non scidisse. Periculum tamen fuit, & ob id timebant piscatores; scilicet nihil tam felix, ac fortunatum est, quod difficultate aliquâ, aliquâ amaritudine non adspergatur: vndè statim infrà dicitur, nauiculas pene piscium pondere submersas.

Et annuerunt sociis, qui erant in aliâ naui vt venirent, & adiuuarent eos.

ANnuerunt sociis, signis scilicet,& nutibus; cur verbis non vtuntur? an quia timor,& stupor vocem interruperat? Probabiliùs est nutibus annuisse, quia loci distantia distinctam vocum intelligentiam impediebat. Voluit Christus, alios adesse, qui vocarentur, vt miraculi magnitudo innotesceret, & probaretur: & vt ita Apostoli discerent in animarum piscatione aliorum operam, ac ministerum reiici non debere; hoc enim inuidiam suboleret. Ecclesiæ Præsules cum onus soli ferre nequeant, alios à quibus adiuuentur operarores accersant.

Annuerunt sociis: Cur nutibus vtuntur, non voce? Præ nimiâ admiratione, lætitiáque non potuerunt,eos aduocare.

SECTIO II.

Humilitas *omnium virtutum fundamentum.* 334
Iustus *quò plus meretur, hoc minus* præsumit. 335
Quàm timere debeant qui Christum in Eucharistia *sine vllo apparatu recipiunt.* 335
Prædicator *fructum omnem Deo tribuat non sua industria.* 336
Iusti *Dei* donis *minimè intumescunt.* 337
In Dei donis *delicta patrata cogitanda.* 337
Humilitatis *vera consignatio.* 338.
Humilibus *verbis* Christus *trahitur.* 338
Non est Deo vilis, qui se vilem putat humilitatis *sensu.* 338
Prædicationis *fructus à superâ Dei virtute pendet.* 339
Prædicatores *suam vtilitatem non quærant, sed aliorum salutem.* 339
Animarum *piscator non est, qui in* Petri *naui non piscatur.* 340
Humilitas *ad hominum conuersionem multum facit.* 341
Omnia relinquat qui animarum salutem *quærit.* 341
Dono *nullus adhæreat donatoris oblitus.* 342
Iusti *præteritorum immemores ad nouos* profectus *aspirent.* 342
Nouo cumulati beneficio *ardentiùs sequi* Christum *debent.* 342
Virtus in infirmitatibus *probatur.* 343

Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas.

STatim,qui in aliâ naui erant,accurrunt,vt Apostolos adiuuarent; non accedunt non inuitati; 334.
non se obtrudunt; vocati veniunt: nimirum animarum saluti,& piscationi nemo se adiiciat,nisi ab Apostolis, Apostolorumque successoribus vocetur.

Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

QVod cùm videret: Græcè, ἰδὼν δὲ, *Cùm vidisset autem:* Quid vidit? multitudinem piscium subito factam, & imminens submersionis periculum; naues enim penè piscium pondere mergebantur.

Simon Petrus: Hucusque nudè Simon dictus est: hîc Petri nomen adiicitur,quod à firmitate natum est.Cùm se peccatorem vocat, & tantam humilitatem ostendit,tunc Petrus dicitur: hæc quippè virtus huic nomini respondet; nam humilitas omnium virtutum fundamentum est. Quum se adeò demittit *Simon*, tunc *Petrus* dicitur; quia quò quis sublimiùs euehitur, eò magis de se humiliùs sentire debet.

Exi à me Domine: Iustus quò maioribus bene- 335.
ficiis à Deo cumulatur eò magis se humiliter demittit: nescit felicitate superbire: humilior potiùs fit. *Exi à me:* Indignum se Christi præsentiâ existimabat. Nimirum iustus, quo plùs meretur, hoc minùs præsumit.

Non ex reuerentiâ tantùm hæc verba dixit Petrus, sed etiam ex metu: sed quid timet? Quia Christi potentiam, ac virtutem ex miraculi magnitudine cognouerat, timuit, ne quando periclitaretur,quòd talis talem suscipere ausus esset. Quis timor eos inuadere deberet,qui Christum non naui, sed cordis hospitio in Eucharistiâ recipiunt, nullo apparatu,nullâ,vel exiguâ reuerentiâ?

Exi à me, quia peccator sum, Domine; Apparet 336.
hîc summa Petri modestia, & humilitas; quia non solum, peccatorem se, fatetur, & indignum præsentiâ Christi; sed etiam,quia nihil sibi ex hoc facto arrogat, nihil tribuit; quamuis & nauis,in quâ miraculum acciderat sua esset, & rete ipse iecisset in mare, ac ipsemet præcipuus attraxisset; quin potius ex rei magnitudine modestior effectus.

Hæc

Hæc vitorum magnorum nota, & consignatio; vt in rebus magnis omnem gloriam in Deum referant, sibique nihil tribuant, nihil arrogent. Quo facto docuit Petrus, quid apostolico doctori faciendum sit, si quando feliciter prædicationis labor successerit, & multus eius fuerit fructus: tune scilicet magis demisse de se sentiat prædicator, laudemque omnem non eloquentiæ suæ, non industriæ suæ tribuat, sed Deo.

337. *Exi à me, quia homo peccator sum Domine*; se magis demittit Petrus, quò maiori cumulatur beneficio; *reducens ad conscientiam patrata delicta tremit, & trepidat, & , velut immundus, mundum se non credit posse suscipere*, ait Sanctus Cyrillus; iusti donis non intumescunt, sed suorum peccatorum recordantur; quò fit, vt humiliores fiant.

Exi à me: quia homo peccator sum: Nuperum beneficium hanc confessionem à Petro elicit, qui *redacebat ad memoriam patrata delicta*, inquit Sanctus Cyrillus, tam aberat vt intumesceret, suaque merita iactaret. Abeunt ab hac mente, qui, cum donantur à Deo muneribus, tunc sibi sua merita obiiciunt, cum demerita deberent.

338. *Exi à me*; donis cumulatus humilior Petrus fit: *Admirabatur dona diuina*, inquit Sanctus Ambrosius, *& QVO PLVS MERVERAT, HOC PRÆSVMEBAT MINVS*; quæ veræ humilitatis vera consignatio est. Superbus onustus donis magis intumescit.

Exi à me: Non recessit Iesus ab eo, qui se peccatorem humiliter fatebatur: recedit ab eis, qui, cùm peccatores sint, se putant esse iustos. Humilibus verbis Iesus trahitur, non expellitur. Vocauit ad se Christum, dum videtur à se Petrus auocasse.

Quia homo peccator sum: Vox ista magnam humilitatem redolet. Non exit ab illis Christus, à quibus talis exit vox. *Petrus ait*, inquit Sanctus Chrysostomus: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum: & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum; nihil enim sic amicam Deo, quàm si quis se minimus annumeret*. Non est Deo vilis, qui sibi ex veræ humilitatis sensu vilis est.

Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc iam eris homines capiens.

339. Timorem, quo Petrus corripiebatur, Christus expellit, pauorem arcet. *Iam eris homines capiens*: Ac si diceret, non hæc à me facta sunt; vt te pauore consternerem, sed vt instruerem, & vt significarem hac mirabili piscatione, te homines piscaturum. Igitur, sicut, pisces capere, non laboris, & curæ fuit Petri, sed verbi Dei, Diuinæque virtutis, sic & prædicationis fructus non ab humanâ arte, artisque curâ, sed à supernâ Dei virtute pendebit.

Eris capiens: Græcè, ζωγρῶν, *eris ad vitam capiens*: sic enim Græci verbi fert vis: ζωγρέω, compositum est ex, ζῶ, id est, *viuo*, & ex ἀγρέω, *venor*, seu, *venata capio*. Sanctus Ambrosius locum ita vertit. *Eris homines viuificans*. Petrus ad mortem pisces capiebat; sed homines ad vitam capere debebat. Syrus plenè, & ad verbi vim. *Posthac piscaturus es homines ad vitam*. Hoc meminerint, qui prædicationis rete homines piscantur; vt capiant ad vitam, non ad suam vtilitatem, sicuti pisces, qui capti, morti destinantur.

340. *Eris homines capiens*: Cur soli Petro hoc dictum, cùm & idem præstiterint cæteri Apostoli? Omnes fuerunt piscatores, sed Petrus primus futurus erat, primatumque in Ecclesiæ naui habiturus. Piscator audire non potest, qui sub Petro, inque Petri naui non piscatur; vt videant Hæretici, quàm longè à piscatoris munere absint, qui extra Petri nauiculam, imo contra Petri nauiculam sunt.

Eris homines capiens: Omnium præsulum est, animas lucrari, sed præcipuè præcipuorum: ad Petrum maximè spectat. Petri est, homines capere ad salutem; quod si aliorum quoque operâ vtatur, ex Petri, & Ecclesiæ, cui Petrus residet, mente piscari quisque debet.

Ex hoc iam homines eris capiens; se humiliter Petrus deiecerat, indignumque Christi præsentiâ & duxerat, & dixerat. *Exi à me*, inquit, *quia homo peccator sum Domine*: tantæ humilitati tantæ dignitatis culmen, tanquam solido fundamento, imponitur. *Eris homines capiens*: nihil ita ad hominum conuersionem facit quàm humilitas. 341.

Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Onustas piscibus naues reliquerunt, sibi Christum elegerunt, quem sequerentur. Sola futuræ prædicationis promissione, quâ homines erant piscaturi, omnia relinquunt; adhærent Christo; vt discerent omnia relinquere, qui animarum salutem quærunt.

Relictis omnibus: Et piscibus, quos prehendiderant: rectè benefactorem prætulerunt beneficio. Abeunt ab hoc exemplo, qui dono adhærent, donatoris ferè obliti: quod illi præstant, qui commodis suis, deliciisque etiam spiritualibus nimis addicti, affectum in Deum minuunt, & inficiunt. 342.

Sed quid factum de piscibus est? Diuiserunt sibi inter se, qui aderant, & in miraculi celebritatem, & in eius memoriam. *Secuti sunt eum*: Et non etiam anteà sequebantur? Sequebantur, sed sancti prætoritorum obliti, ad nouos perfectionis gradus adspirant: &, licèt multùm profecerint, ita propositum renouant, ac si nihil fecissent.

Præterea, nunc Christum secuti dicuntur, quia pleniori fide, ardentiori desiderio, & maiori rerum terrenarum neglectu id præstiterunt. Nimirum nouo cumulati beneficio ardentiùs sequi Christum debent.

Et ecce vir plenus leprâ, & videns Iesum, & procidens in faciem.

Leprosus iste maximis virtutibus exornatus erat; lepram tamen per totum corpus diffusam habebat: non inficitur leprâ virtus, sed probatur infirmitatibus. 343.

Procidens in faciem: Qui genuflexionem hanc, non religionis fuisse, sed vrbanitatis existimant, nimis vrbani videntur. Procidit in faciem, adorantis habitu; idque, non solùm præ humilitate, ac pudore, sed etiam præ reuerentiâ.

Procidit in faciem suam, ac si vereretur, ne morbi fœditas Christi adspectui molestiam adferret: ideircò faciem quodammodo cooperit, ne videretur: quod religiosus timor exculpsit. Offendit animæ lepra Christi oculos, non offendit corporis.

SECTIO III.

Rogauit eum dicens: Domine si vis potes me mundare.

344. PRiùs adorauit quàm rogaret; reuerentia præire preces debet, alioquin indignæ sunt,quæ exaudiantur. *Domine.* Hoc vtitur nomine, vt facilius impetret,quod rogat.Decet Dominos curam gerere seruorum; ergo, cum Dominum vocat, se eius seruum fatetur.

Si vis potes me mundare. Non dixit, *munda me*; præ suâ humilitate sanitatis beneficium petere non est ausus,indignum eo se reputans.

Et extendens manum suam tetigit eum, dicens: Volo. Mundare.

PRæ reuerentiâ ceciderat in faciem suam leprosus, vt lepræ fœditatem à Christi oculis subduceret: grata hæc reuerentia Christo adeò, vt non solum ad adspectum,sed etiam ad tactum leprosum admiserit. *Extendens manum:* Manum suam Christus extendit,vt leprosum tangeret, quia leprosus, reuerentiâ tactus, Christum tangere non audebat, nec ad Christum accedere.

345. *Volo. Mundare.* Poterat solâ voluntate sanare leprosum: verba adiecit,& tactum, vt ita adstantibus sanitatis auctor appareret; alioquin, si solâ voluntate sanitatem contulisset, alteri, ac Christo, accepta referri poterat. Amat Christus, sua beneficia sciri,nec alij,quàm sibi,tribui.

Et ipse præcepit illi,vt nemini diceret.

SIlentium imponit, vt ostenderet, quàm abesset ab inanis gloriæ aurâ. Docemur, quando aliquid boni agimus,non gloriari,aut extolli. Laudes humanas qui quærit,hoc ipso illaudabilis fit.Præterea,præcipit,vt nemini diceret, docens,beneficia, quæ in alios conferimus, non vulganda. Scilicet: Beneficium qui confert,beneficium effert,si impedit efferri.

Vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tuâ, sicut præcepit Moyses.

346. NOn impedit Christus, has oblationes, quæ sacerdotibus exhibebantur, fieri; alioquin, si offerri munera Christus impedisset, graues contra se tumultus ob insatiabilem sacerdotum auaritiam concitasset. In omnes auaritia sæuit: nulli parcit. Noluit sæuiendi occasionem tribuere sacerdotibus: noluit,inhibitis oblationibus,eorum auaritiam manifestam fieri,& excitari.

Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

EXemplum hîc habent, qui animarum incumbunt saluti, ne sui obliuiscantur; qui præsunt ita aliorum curam habeant,vt suo tempore orationi vacent,sua curent. Præiuit in exemplum Christus, qui, licet non indigeret oratione, orauit tamen; quia sciebat,nos indigere. In desertum secedit,& orat; ille desertum quoddam fit, qui negligit orare.

Homo remittuntur tibi peccata tua.

AVfertur morbi causa, vt à morbo, quo corripiebatur,sanaretur. Solent peccata infirmitates accersere; auferantur illa, ne istæ opprimant. *Remittuntur*,non dixit,*remitto*,ne se iactare videretur, néue significaret, se tantum, vt Deum, & non etiam,vt hominem peccata remittere. 347.

Statim remittit peccata, non statim à leprâ sanat; sed priùs Iudæorum calumniæ, ac murmurationi satisfacit: grauior calumniæ morbus est, cui succurratur,quàm lepræ. Scilicet citiùs morbo occurrendum est, qui animam, quàm qui corpus afficit,cum maius damnum ab illius neglectu, quàm ab istius timendum sit.

Vidit publicanum sedentem ad telonium.

ATelonio ad Christi scholam vocatur Matthæus: magna hic vocantis elucet virtus, à pecuniarum mensâ aliquem abstrahere virtutis ferè diuinæ est; & hominem quæstibus intentum ad spiritualia lucra quærenda ducere, Christi potestatis est. 348.

Et ait illi: sequere me, &, relictis omnibus, secutus est eum.

APparet hîc singularis Matthæi obedientia cum prudentiâ coniuncta, statim vocanti paret,nec moras nectit; nec laude suâ caruit, quòd suos non consuluit in hâc re, sed illis inconsultis, omnibusque relictis secutus est vocantem Christum. Digna res, quæ in exemplum eat, sic enim plures,melioresque Christus sectatores haberet.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo suâ.

EXcipit Matthæus diuite conuiuio Christum, ob accepti beneficij lætitiam, gratum se tanto beneficio exhibens; nimirum, læto, mundus, & quæ mundi sunt, hilarique animo relinquenda sunt; tunc exhibenda lætitiæ signa, cùm lætitiæ hostis relinquendus est. 349.

Sed quæri hîc potest, quî magnum conuiuium in magistri honorem, lætitiæque signum struxerit, qui omnia reliquerat? dictum quippe de illo est:*& relictis omnibus secutus est eum.* Non videtur omnia dimisisse, qui in domo suâ diues apparare conuiuium poterat.Solui in hunc modum hic nodus potest; si dicatur: omnia quò ad affectum, & quatum in se erat, vocatum reliquisse,& re ipsâ telonium,ac officium; Christi autem ordinatione, sua disposuisse, quia diues erat: idcirco domum reuersus est, vt omnia disponeret, omnia relicturus.

Vides, quanti à Christo affectus fiat.

350. *Fecit ei conuiuium*; quod fecerit Matthæus dicitur, non quid dixerit, verborum eius hîc nulla mentio, vt statim disceremus apud Deum operum potiùs, quàm verborum rationem haberi.

Non egent qui sani sunt medico; Pharisæi de conuiuio loquuntur; *quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?* Christus medicum, & medicinam nominat. Quid conuiua ad medicam, conuiuium ad medicinam? Nouum medicamentum nouus magister aduexit; indicare tacitè volebat, in sui corporis, sanguinisque conuiuio medicam reperiri virtutem, omnibus languoribus salubrem.

Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?

351. SVperiùs medicum se dixerat; *non egent*, inquiens, *qui sani sunt medico*; hîc sponsum se vocat. Vtrumque munus exercet, & medici & sponsi; imo sponsus non esset, nisi priùs esset medicus, animasque quas in sponsas eligit, à morbis curaret: vbi medicam admouet medicus iste manum, sponsa anima fit, quæ restituitur sanitati. *Supra se medicum*, inquit Vgo, *vocauit, hîc sponsum; quia animam, quam curat, sibi desponsat*; imo curat, vt desponset. Quæ sponsa effici curat huius sponsi, ab hoc medico studeat curari.

Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, obsecrationes faciunt similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt.

DIscipulos apud magistrum accusant, vt discipulorum defectus in magistrum resiliret. *Tui autem edunt, & bibunt*: Nihil de obsecrationibus adiiciunt, vt contextus, & perfecta oppositio exigere videbatur; nam de discipulis Ioannis dixerant: *Ieiunant, & obsecrationes faciunt*. Hîc autem discipulos notant, quòd ieiunium minimè colerent, sed ederent, & biberent: dicere tamen non audent, *obsecrationes non faciant, non orant*: cur ita? An, quia, dicentibus, eos ventri seruire, sequebatur, orationi fundendæ idoneos non esse? An, quia discipuli adeò orationibus, & obsecrationibus erant addicti, vt, hoc eis obiicere, nullus ausus fuerit? 352.

Quibus ipse ait: nunquid potestis, filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?

NOn damnat Christus Ioannis ieiunium, non Pharisæorum, non eos increpat, quod in ieiunio inanem quærerent gloriam; sed placidè suos defendit, rationem adiiciens, cur non ieiunarent, in qua re nobis ostendit, vt nos, & nostros excusemus; non esse facilè eorum vitia prodenda non in accusantium caput regerenda: nimirum optimi ieiunij genus est, à conuitiis ieiunare, & illata ferre conuitia.



Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT VI. LVCÆ.

Vers. 1.

FACTVM est autem in sabbato secundo, primo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus.

Factum est. *Theoph. Accidit.*
Sabbato secundo, primo. *Syr. Sabbatho. Arab. Sabbatho secundo.*
Cùm transiret. *Syr. Quum ambularet. Euth. Vt transiret ipse.*
Vellebant. *Syr. Vt vellerent.*
Manducabant. *Arab. Comedebant. Pagn. Edebant.*

Vers. 2.

Quidam autem Pharisæorum dicebant illis quid facitis quod non licet in sabbatis.

Pharisæorum. *Pagn. Ex Pharisæis.*
Quid. *Vat. Cur.*
Facitis. *Arab. Faciunt.*
Non licet. *Syr. Illicitum est factu. Theoph. Non licet facere.*
In Sabbathis. *Syr. Sabbatho. Vat. Sabbathis.*

Vers. 3.

Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cùm esurisset ipse, & qui cum illo erant:

Nec hoc. *Vat. Ne hoc quidem.*
Erant. *Ar. M. Existentes.*

Vers. 4.

Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantùm sacerdotibus?

Quomodo intrauerit. *Syr. Quòd intrauit. Euth. Quomodo ingressus est.*
Domum. *Vat. Ædem.*
Panes. *Arab. Panem.*
Propositionis. *Syr. Mensa Domini.*
Sumpsit. *Syr. Sumpserit. Euth. Accepit.*
Manducauit. *Arab. Manducauit illum. Euth. Comedit. Theoph. Edit.*
Dedit eis. *Syr. Dederit eis. Caiet. Dedit etiam his.*
Quos. *Syr. Id quod. Arab. Quem.*
Manducare. *Syr. Comedere. Theoph. Edere.*
Tantùm. *Pagn. Solis.*

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

Vers. 5.

Et dicebat illis: Quia Dnminus est Filius hnminis, etiam sabbati.

Et. *Arab. Deinde.*
Dicebat. *Syr. Subdit.*
Quia. *Syr. Quia &.*

Vers. 6.

Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida.

Factum est. *Vat. Euenit.*
Alio. *Euth. Altero.*
Intraret. *Syr. Ingrederetur.*
Et erat. *Syr. Erat autem.*

Vers. 7.

Obseruabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum.

Obseruabant. *Syr. Obseruabant eum.*
Si. *Pagn. An.*
Sabbatho. *Arab. Sabbathis.*
Curaret. *Arab. Sanaret. Theoph. Sanaturus esset.*
Vnde accusarent e. *Syr. Quomodo deferrent eum. Pagn. Accusationem aduersus eum. Fr. Luc. Accusationem eius.*

Vers. 8.

Ipse verò sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

Sciebat. *Syr. Qui cognoscebat. Vat. Nouerat.*
Cogitationes. *Ar. M. Ratiocinationes.*
Homini. *Syr. Homini illi*
Qui habebat m. ar. *Syr. Cuius manus erat arida. Arab. Arido manu.*
Sta. *Syr. Prodi in medium synagogæ.*
In medium. *Pagn. In medio.*
Et surgens. *Syr. Quùmque venisset. Euth. Ille verò erectus. Vat. Ille verò surrexit.*
Stetit. *Syr. Stetitque.*

Vers. 9.

Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè; animam saluam facere, an perdere?

Ait autem. *Ar. M. Ait ergo. Vat. Dixit igitur.*
Interrogo. *Theoph. Interrogabo.*
Scilicet. *Syr. Quid licet. Caiet. Vtrum liceat.*
Sabbathis. *Arab. Sabbatho.*
Benè facere. *Syr. Facere? benè. Arab. Facere? bonum.*
Au malè. *Arab. Au malum. Euth. An malè facere.*
Saluam facere. *Vat. Seruare. Tert. Liberare.*
Perdere? *Arab. Perdere? & tacuerunt. Fr. Luc. Occidere.*

Vers. 10.

Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius.

Circumspectis o. *Syr. Intuitus est eos. Arab. Circumspexit in omnes eos. Vat. Circumspectis illis omnibus. Ar. M. Circumspiciens omnes eos.*
Et extendit. *Vat. Quod ille fecit. Caiet. Ille autem fecit sic.*
Restituta. *Arab. Adaequata.*
Manus eius. *Syr. Manus eius sicut socia ipsius. Arab. Manus eius veluti altera. Theoph. Manus eius sana sicut altera. Vat. Manus eius sanitati sicut altera.*

Vers. 11.

Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu.

Insipientiâ. *Syr. Inuidiâ. Pagn. Dementiâ. Caiet. Amentiâ.*
Colloquebantur. *Arab. Dixit.*
Ad inuicem. *Syr. Vnus cum altero. Arab. Alter ad alterum. Euth. Mutuò. Vat. Inter sese.*
Quidnam. *Syr. Quid.*
Facerent. *Arab. Faciemus.*
Iesu. *Arab. De Iesu. Euth. Ipsi Iesu.*

Vers. 12.

Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

Exiit. *S. Ambr. Ascendit.*
Orare. *Syr. Precandi gratia.*
Erat pernoctans. *Syr. Illic pernoctauit. Arab. Erat vigilans.*
Oratione Dei. *Syr. Oratione. Vat. Precatione Dei. Theoph. Deprecatione Dei.*

Vers. 13.

Et cùm dies factus esset, vocauit disci-

Dies factus est. *Syr. Illuxisset. Vat. Dies illuxisset.*

pulos

Vulgata Editio.

pulos suos: Et elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit)

Lectionum varietas.

Vocauit. *Euth. Aduocauit.*
Elegit.Selegit. *Ar.M. Eligens. Fr.Luc. Postquàm elegisset.*
Quos &c. *Arab. Quos.*

Vers. 14.

Simonem, quem cognominauit Petrum,& Andream fratrem eius,Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum.

Simonem. *Syr. Simonem illum. Arab. Et sunt. Simon.*
Quem cognominauit P. *Arab. Qui vocatur Petrus. Fr.Luc. Quem nominauit Petrum.*

Vers. 15.

Matthæum,& Thomam, Iacobum Alphæi,& Simonem,qui vocatur Zelotes.

Iacobum. *Euth. Iacobum filium.*
Vocatur. *Euth. Dicebatur.*

Vers. 16.

Et Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

Iudam. *Syr. Iudam filium.*
Qui. *Vat. Qui idem. Fr.Luc. Qui etiam.*
Fuit. *Euth. Euasit.*

Vers. 17.

Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis,

Descendens. *Syr. Descendit Iesus. Pagn. Quum descendisset.*
Loco campestri. *Syr. Planitie.*
Turba. *Syr. Cœtus multus.*
Multitudo c. *Syr. Multitudo turbæ. Arab. Multi. Fr.Luc. Multitudo copiosa; magna.*
Plebis. *Arab. De populo. Vat. Populi.*
Ab omni. *Syr. Ex totâ. Arab. Et omnis. Pagn. Ex omni.*
Maritima. *Syr. Portu maris. Theoph. A maritimâ.*
Et Tyri,& Sidonis. *Theoph. Tyro & Sidone.*

Vers. 18.

Qui venerant vt audirent eum,& sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis,curabantur.

Eum. *Syr. Sermonem eius. Arab. Ab eo.*
Languoribus. *Euth. Infirmitatibus. Fr. Luc. Morbis.*
Vexabantur. *Fr.Luc. Turbabantur. Molestabantur.*
Curabantur. *Syr. Et sanitati restituti sunt. Pagn. Et sanabantur.*

Vers. 19.

Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Omnis. *Syr. Tota.*
Eum tangere. *Arab. Appropinquare ei.*
Exibat. *Syr. Prodibat.*
Virtus. *Pagn. Potentia. Vat. Vis.*
De illo. *Syr. Ex eo. Pagn. Ab illo.*
Omnes. *Arab. Eos.*

Vers. 20.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat; Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei.

Eleuatis oculis. *Syr. Sustulit oculos suos. Vat. Attollens oculos suos.*
In discipulos s. *Syr. Super discipulis suis. Vat. In discipulos.*
Beati. *Syr. O vos beati.*
Pauperes. *Syr. Egeni. Arab. Pauperes spiritu. Tert. Mendici.*

Vers. 21.

Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

Beati. *Syr. O vos beati. Arab. Beati vos ô.*
Quia. *Syr. Quippè qui.*
Beati. *Syr. O vos beati.*
Quia. *Syr. Quippe qui.*

Vers. 22.

Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis.

Beati eritis. *Syr. O vos beati. S. Epiph. Et beati estis.*
Separauerint vos. *Arab. Persecuti vos fuerint. S. Epiph.* omittit. *Vat. Segregauerint.*
Exprobrauerint. *Arab. Contumeliis vos affecerint S. Epiph. Exprobrauerint vobis. Vat. Probra obiecerint. Caiet. Probris affecerint. Fr.Luc. Maledixerint.*
Eiecerint. *S.Epiph. Dixerint. Vat. Reiecerint.*
Nomen vestrum. *Arab. Nomina vestra. S.Epiph. Aduersum vos.*
Tanquam malum. *Syr. Tanquam improbum. S.Epiph. Omne malum mentientes.*

Vers. 23.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verſ. 23.

Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo: ſecundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

Ecce enim. *S. Epiph. Quoniam.*
Illâ. *Pagn. Illo.*
Exultate. *Fr. Luc. Geſtite.*
Multa. *Syr. Copioſa. Arab. Magna.*
Cælo. *S. Epiph. Cælis.*
Secundùm hæc e. *S. Epiph. Sic.*
Faciebant Prophetis p. e. *S. Epiph. Patres veſtri faciebant prophetis*, vel: *Perſequebantur prophetas, qui ante vos fuerunt. Vat. Agebant cum prophetis patres eorum.*

Verſ. 24.

Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

Veruntamen væ. *Arab. Væ. Vat. Sed væ.*
Diuitibus. *Arab. O Diuites.*
Habetis. *Tert. Accepiſtis. Vat. Recepiſtis. Caiet. Recipitis.*
Conſolationem v. *Tert. Aduocationem veſtram.*

Verſ. 25.

Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.

Qui ſaturati e. *Syr. O ſaturi. Arab. O ſaturati nunc. Euth. Qui impleti eſtis.*
Qui ridetis. *Ar. M. Irridentes.*
Lugebitis, & flebitis. *Syr. Flebitis & lugebitis. Arab. Vos flebitis & triſtabimini. Orig. Plorabitis & flebitis.*

Verſ. 26.

Væ cùm benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

Væ. *Syr. Væ vobis.*
Benedixerint v. *Syr. Benedixerint de vobis. Arab. Dixerint in vos verbum bonum. Theoph. Laudauerint vos.*
Homines. *Euth.* omittit. *Vat. Omnes homines.*
Secundum hæc enim. *Arab. Quia ſic.*
Faciebant p. *Arab. Fecerunt prophetis falſis. Vat. Agebant cum pſeudoprophetis.*

Verſ. 27.

Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

Sed. *Arab. Sed ego.*
Qui auditis. *Arab. O auditores.*
His, qui oderunt. *Syr. Odio habentibus.*
Benefacite his. *Tert. Benedicite eos.*

Verſ. 28.

Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

Maledicentibus vobis. *Syr. Qui malè precantur vobis. Clem. Alex. Iis qui execrantur vos. Vat. Deuouentibus vos. Fr. Luc. Qui imprecantur.*
Calumniantibus vos. *Syr. Iis, qui vobis vim inferunt. Arab. Iis, qui triſtitia afficiunt vos. Clem. Alex. Qui vos afficiunt contumeliis. Fr. Luc. Infeſtantibus.*

Verſ. 29.

Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

Percutit te. *Syr. Percuſſerit tibi.*
In maxillam. *Syr. Maxillam. Arab. Hanc maxillam. Goth. In maxillam vnam. Theoph. In maxillâ.*
Præbe illi. *Arab. Verte ei. Pagn. Præbe.*
Aufert. *Syr. Abſtulerit. Arab. Voluerit.*
Veſtimentum tibi. *Arab. Veſtimentum tuum. Euth. Pallium tuum.*
Tunicam. *Syr. Tunicam tuam. Arab. Pallium tuum.*
Noli prohibere. *Vat. Ne prohibueris. Caiet. Ne prohibeas.*

Verſ. 30.

Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.

Omni. *Syr. Cuilibet.*
Petenti te. *Syr. Poſcenti à te. Pagn. Exigenti abs te.*
Tribue. *Arab. Da illi.*
Et qui. *Pagn. Et ab eo; qui.*
Aufert. *Syr. Abſtulerit. Arab. Accipit.*
Quæ tua ſ. *Syr. Quod tuum eſt. Arab. Bona tua. Fr. Luc. Tua. Res tuas.*
Ne repetas. *Arab. Ne requiras ab eo. Pagn. Ne repoſcas.*

Verſ. 31.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verſ. 31.

Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

Provt. *Arab. Quemadmodum.*
Faciant vobis. *Vat. Agant vobiſcum.*
Et vos. *Pagn. Vos quoque.*
Facite illis. *Vat. Agite cum illis.*
Similiter. *Arab. Sic.*

Verſ. 32.

Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

Et ſi. *Syr. Si enim.*
Diligitis. *Arab. Tantummodo diligitis.*
Quæ vobis. *Syr. Quanam veſtra.*
Eſt. *Arab. Erit.*
Gratia. *Arab. Merces.*
Diligunt. *Syr. Amant.*

Verſ. 33.

Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

Benefeceritis. *Arab. Benum feceritis.*
Benefaciunt. *Arab. Benefecerint.*
Quæ vobis. *Syr. Quanam veſtra.*
Eſt gratia. *Arab. Erit excellentia.*
Hoc ipſum. *Arab. Similiter.*

Verſ. 34.

Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

Si. *Arab. Si tantummodo.*
His à quibus. *Syr. Ei à quo.*
Speratis. *Syr. Putatis. Arab. Iudicatis.*
Recipere. *Syr. Reſponſum vobis iri. Arab. Vos accipere veſtimenta. Pagn. Vos recepturos.*
Quæ gratia e. v. *Syr. Quanam eſt gratia veſtra. Arab. Qua excellentia erit vobis.*
Peccatores p. *Syr. Flagitioſi flagitioſis.*
Fœnerantur. *Caiet. Mutuum dant.*
Vt recipiant. *Arab. Accipiant ab eis. Euth. Vt referant.*
Æqualia. *Syr. Æquè. Theoph. Paria.*

Verſ. 35.

Veruntamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos.

Veruntamen. *Vat. Quinimmò. Pagn. Quomodo.*
Benefacite. *Arab. Benefacite illis.*
Nihil inde ſ. *Syr. Neque repromittatis vobis hominis expectationem. Arab. Et ne ſperetis quicquam ex hoc.*
Et erit. *Arab. Vt ſit.*
Multa. *Syr. Copioſa.*
Quia ipſe. *Syr. Quippe qui.*
Benignus eſt. *Syr. Suauis eſt.*
Super ingratos e. m. *Syr. Erga improbos. Vat. Erga ingratos.*

Verſ. 36.

Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

Eſtote ergo. *Clem. Alex. Eſtote.*
Sicut &. *Clem. Alex. Sicut.*
Miſericors eſt. *Tert. Miſertus eſt veſtri.*

Verſ. 37.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: Dimittite, & dimittemini.

Nolite iudicare. *Caiet. Ne iudicate.*
Et non. *Euth. Vt non.*
Nolite condemnare. *Arab. Et ne condemnetis aliquem.*
Dimittite. *Pagn. Remittite. Fr. Luc. Abſoluite.*
Dimittemini. *Arab. Dimittetur vobis. Pagn. Remittetur vobis. Fr. Luc. Abſoluimini.*

Verſ. 38.

Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueri-

Dabitur vobis. *Arab. Donati eritis.*
Menſuram. *Arab. Menſurâ benâ.*
Confertam. *Syr. Expanſam. Arab. Plenâ. Fr. Luc. Preſſam.*
Coagitatam. *Arab.* omittit. *Theoph. Contuſſam.*
Superfluentem. *Syr. Profuſam. Arab. Superabundante. Euth. Superexundantem. Tert. Fluentem. Pagn. Exundantem.*
Dabunt. *Syr. Inficient. Arab. Immittetur.*
In ſinum v. *Arab. In ſinus veſtros.*
Eadem menſurâ. *Arab. In menſurâ.*
Menſi fueritis. *Pagn. Metimini.*

Vulgata Editio.

tis, remetietur vobis.

Lectionum Varietas.

Remetietur. *Euth. Alij metientur. Vat. Vicissim mensura dabitur.*

Vers. 39.

Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt?

Dicebat autem. *Arab. Deinde dixit.*
Similitudinem. *Syr. Parabolam.*
Ducere. *Fr. Luc. Dux via esse.*
Cadunt. *Caiet. Cadent.*

Vers. 40.

Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

Super magistrum. *Syr. Præstantior magistro. Arab. Excellentior magistro. Orig. Super præceptorem. Pagn. Super magistrum suum.*
Perfectus a. *Syr. Verum enimuerò perfectus. Arab. Rectus.*
Omnis erit. *Syr. Quisquis est. Arab. Vnusquisque sit.*
Si sit. *Syr. Erit. Arab.* omittit.
Sicut magister e. *Syr. Instar magistri sui. Orig. Similis præceptoris ipsius.*

Vers. 41.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras.

Vides. *Syr. Intueris.*
In oculo. *Arab. Quæ est in oculo.*
Trabem. *Syr. Trabs.*
Tuo. *Theoph. Proprio.*
Consideras. *Syr. Apparet tibi. Vat. Animaduertis.*

Vers. 42.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

Frater. *Syr. Frater mi.*
Sine. *Euth. Permitte.*
De oculo. *Syr. Ex oculo. Pagn. Quæ est in oculo.*
Ipse. *Syr. Quum ecce tibi. Arab. Et tu.*
In oculo tuo t. n. v. *Syr. Trabs, quæ est in oculo tui ipsius non appareat.*
Hypocrita. *Syr. Acceptor vultus.*
Eiice primùm. *Syr. Educito primùm. Arab. Incipe euuere. Tert. Exime.*
De oculo. *Pagn. Ex oculo.*
Perspicies. *Syr. Erit tibi visus.*
Educas. *Caiet. Euuas.*
De oculo. *Syr. Ex oculo. Ar. M. In oculo. Pagn. Quæ est in oculo.*

Vers. 43.

Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.

Non est e. *Arab. Non est.*
Bona. *Ar. M. Pulchra.*
Facit. *Syr. Edat. Arab. Producit. Vat. Gignit.*
Fructus malos. *Syr. Fructum putrem. Euth. Fructum vitiosum. Vat. Fructum cariosum. Caiet. Fructum malum.*
Mala. *Syr. Putris. Arab. Mala etiam. Euth. Est vitiosa. Vat. Cariosa.*
Faciens fructum. *Syr. Quæ edat fructus. Arab. Fructificat fructum. Vat. Gignens.*
Bonum. *Syr. Bonos. Ar. M. Pulchros.*

Vers. 44.

Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam.

Vnaquæque. *Arab. Omnis.*
De suo. *Ar. M. De proprio. Fr. Luc. Ex proprio*
Cognoscitur. *Syr. Dignoscitur.*
Neque enim. *Syr. Cur enim.*
De spinis. *Theoph. E spinis.*
Colligunt. *Syr. Colligent. Arab. Colliguntur.*
Neque. *Syr. Nec etiam.*
De rubo. *Euth. E rubo.*
Vindemiant vuam. *Syr. Demetunt vuas. Arab. Seratur vua.*

Vers. 45.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de

Homo. *Arab. Vir.*
De bono t. *Syr. E bonis thesauris. Vat. Ex bono thesauro.*
Cordis sui. *Arab. Qui est in corde suo.*
Profert. *Syr. Depromit.*

malo

Vulgata Editio.

malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Vers. 46.

Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis, quæ dico?

Vers. 47.

Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit.

Vers. 48.

Similis est homini ædificanti domum qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super petram.

Vers. 49.

Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

Lectionum Varietas.

Bonum. *Arab. Bona.*
Malus homo. *Syr. Homo nequam. Arab. Vir malus.*
De malo t. *Syr. Ex malis thesauris cordis sui.*
Profert. *Syr. Depromit.*
Malum. *Arab. Mala.*
Ex abundantiâ. *Arab. Ex abundantiâ eius.*
Cordis. *Arab. Quod est in corde.*
Os loquitur. *Syr. loquuntur labia. Ar. M. Os eius loquitur.*

Quid autem. *Syr. Quid.*
Domine D. *Syr. Domine mi, Domine mi.*
Quæ. *Syr. Quod.*

Omnis qui. *Syr. Quicunque. Pagn. Quisquis.*
Facit. *Syr. Exequitur.*
Ostendam. *Arab. Dico.*
Similis sit. *Arab. Assimilabitur.*

Similis est h. *Syr. Similis est viro. Arab. Homini.*
Ædificanti. *Arab. Qui ædificauit.*
Qui fodit in altum. *Syr. Qui fodit & excauauit: Arab. Et fodit & fundauit profundè. Ar. M. Qui fodit & profundum fecit. Fr. Luc. Qui profundauit.*
Inundatione a. f. *Syr. Cùm autem ingruisset inundatio. Arab. Et cùm venisset pluuia multa. Vat. Inundatione autem ortâ.*
Illisum f. *Syr. Erupit inundatio. Arab. Et irruisset flumen.*
Domui illi. *Syr. In domum illam.*
Et non potuit. *Euth. Nec valuit.*
Mouere. *Syr. Conquatere. Arab. Dimouere. Fr. Luc. Concutere. Labefactare.*
Fundata enim erat. *Syr. Positum enim erat fundamentum. Arab. Fundamentum eius erat ædificatum benè.*

Audit. *Theoph. Audiuit.*
Non facit. *Syr. Non exequitur. Theoph. Non fecit.*
Similis est. *Arab. Assimilabitur.*
Homini ædificanti. *Syr. Viro, qui ædificauit.*
Ædificanti. *Pagn. Qui ædificauit.*
Super terram. *Syr. Super puluerem. Goth. Super arenam. Pagn. Super petram.*
In quam. *Ar. M. Cui.*
Illisus est f. *Syr. Quum erupit flumen. Arab. Cùm irruisset flumen.*
Continuò. *Syr. Illicò.*
Facta est r. *Syr. Fuit casus. Caiet. Facta est fractura.*
Magna. *Syr. Maximus. Arab. Magnus.*

CAPVT VI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Christi *sectator ab omni* luxu *absit.* 353
Superioris *est, subditos* corrigere. 354
Apostoli, *defensores veritatis.* 355
Plerique ad mala *facienda potentes, ad bona imbecilles.* 356
Linces *in aliena facta,* talpæ *in sua sunt.* 357
Animæ salus *ex dextera operatione pendet.* 358
Inuidia *insipientis facit.* 359

Cùm transiret per sata vellebant discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus.

CVM superiùs concessum sit, Christi discipu- 353
los non ieiunare, nunc rectè subiicitur, confricasse manibus spicas, & comedisse discipulos, ne quis putaret, eos ventri deditos esse, & delicatioribus ferculis inhiare: nimirum delicias corporis

non ſequitur, qui ſequitur Chriſtum; ab omni luxu abeſſe debet Chriſti diſcipulus, ſectator Chriſti.

Diſcipulorum abſtinentiam hîc conſidera, qui, nullam corporis curam habentes, menſam ſibi præparari non ſtudent; continuâ ferè premuntur ediâ, nec tamen à Chriſto diſcedunt, imo ne diſcedant, fame ſe premi ſinunt. Non præparant epulas, ſed ſimplices quærunt; hoc ipſo magis chari magiſtro, quòd omnium eius amore obliuiſcuntur, etiam ſui.

Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in ſabbatis?

354. VBique calumnias euomunt Phariſæi. Quæ Matthæus, quæ Marcus obiecta ipſi Chriſto dixerunt, obiecta diſcipulis Lucas refert: ſed vtrumque potuit eſſe, vt ab aliquibus Chriſto, ab aliis Chriſti diſcipulis hæc opponerentur; & res in idem recidit, cùm obiecta diſcipulis in magiſtrum reſiliant. *Si enim tranſgrediuntur diſcipuli*, inquit Vgo hîc, *videtur in eum culpa redundare, qui debet eos corrigere.*

Et cùm dies factus eſſet vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.

355. ORauit noctè; nocte diſcipulos non elegit; cur ita? Myſterio res vidua non eſt. Significatur neminem in prælatum, & Eccleſiæ doctorem eligendum eſſe, niſi priùs probetur, & velut in apertum manifeſtus fiat, & probè cognoſcatur; ſicut & corpora, quæ nocte occultabantur, diſcernuntur in die.

Per Scribarum, & Phariſæorum calumnias Apoſtolos eligit, vt haberet, quos malis doctoribus opponeret. *Inſurgentibus aduerſariis*, ait Gloſſa, *contra Chriſti miracula, & doctrinam, Apoſtolos elegit, quaſi defenſores veritatis, & teſtes.*

Erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.

356. EXplicandum erat, quòd erat homo, qui manum aridam circumferebat. Qui operari in Dei lege negligit; qui otio, qui deſidia torpet, vix hominis meretur nomen.

Manus eius dextera erat arida; ſic ferè fit, vt homines manum potiùs dexteram aridam habeant, quàm ſiniſtram; quin nimirum *plerique*, inquit Vgo Carenſis hîc, *ad mala opera facienda ſunt potentes, bona autem facere nolunt*; eorum dexteritas in ſiniſtris tantùm eſt, ſiniſtri ſunt in iis, quæ ad dexteram ſpectant.

Homo, qui erat in ſynagogâ manum aridam habebat. Scribæ, & Phariſæi, qui aderant, cor aridum gerebant, omni pietatis ſucco carentes, omni compaſſionis affectu; vt non mirum, ſi Chriſtum damnauerint, ſabbato curantem eum, qui manum aridam oſtendebat.

Obſeruabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret, vt inuenirent, vnde accuſarent eum.

357. ADerat homo manum aridam habens; aderant Scribæ, & Phariſæi, ſiniſtrè omnia interpretantes; *obſeruabant eum*, quia non obſeruabant ſe; Lyncei in aliena facta, talpæ in ſua ſunt.

Interrogo vos ſi licet ſabbato benefacere, an malè?

SEnſus eſt, ſi liceat ſabbato prodeſſe, an nocere; rectè indicans, non benefacere indigenti, cum potes, eſſe illi malè facere; & nocere proximo, qui proximo non prodeſt, cùm poteſt.

Animam ſaluam facere, an perdere? de ſanandâ 358.
tantùm manu agebatur, quæ exaruerat in homine, quem produxerat in medium; cum igitur de corpore quærendum eſſet, quid eſt, quod de animâ quærit: quod aliàs, cùm aures, oculos ſanaret feciſſe Dominum non legimus: *cùm corpus*, Sancti Auguſtini verba ſunt, *curaret, quare ſic interrogauit: ſi liceat animam ſaluam facere, an perdere? Vel dixit hoc, quia illa miracula propter fidem faciebat, vbi ſalus eſt animæ; vel quòd ipſa ſanatio manus dexteræ ſalutem animæ ſignificabat, quæ à bonis operibus ceſſans aridam quodammodo dexteram habere videbatur*: nimirum ſalus animæ ex dexteræ operatione pendet; nec enim ſatis eſt Dei verba auribus excipere, niſi & opere compleantur.

Dixit homini: extende manum tuam; & extendit, & reſtituta eſt manus eius.

HOmo iſte manum habebat aridam, ſed Chriſti virtute ſana effecta eſt: ſed cur dictum eſt: 359.
reſtituta eſt manus eius, ac ſi eam priùs non habuerit? reſtitura dicitur manus, quia ad ſanitatem reuocata eſt: nimirum, qui manum operi non admouet carere videtur, licèt habeat.

Ipſi autem repleti ſunt inſipientiâ.

TAntum abeſt, vt veritati acquieſcerent, & meliores, viſo miraculo, fierent, vt etiam peiora tentarent. Ideò impleti dicuntur inſipientiâ, ſeu amentiâ; id enim propriè ſignificat vox ἄνοια, de inuidiâ aliqui accipiunt, quæ amentes eos facit, quos corripit. *Repleti ſunt inſipientiâ*, inquit Vgo, *id eſt inuidiâ, quæ facit inſipientes.* Inſipiens eſt, qui inuidus; & inuidia, meta inſipientia eſt: ſapit, qui aliis non inuidet, ſed de alienis bonis lætatur.

SECTIO II.

Actionis & contemplationis *nexus.* 360
Laudabilis in oratione *ſolitudo quænam ſit.* 360
Quinam dignitate *indigni.* 361
Intentâ cordis aure Dei verba *percipienda.* 361
Chriſtiana paupertas *quantum homines efferat.* 362
Præſulum *ſanctitas in cæteros videtur influere.* 362
Vnius iuſtitiæ *gradus, ad alium gradum faciat.* 363
Nihil terrenarum voluptatum *mentem ſatiat.* 363
Bonorum operum merces *quàm ingens.* 364
Conſolatio, *quæ extra Deum vmbratica.* 364
Perſtricti ſcurrilia verba *proferentes.* 365
Magna miſericordiæ *laus.* 365
Iudicium *temerarium, veræ dilectionis venenum.* 366
Iniurius ſibi, qui iniurias *non dimittit.* 366
Gloriæ *cæleſtis magnitudo.* 366
In perfectione *nemo contentus ſit incepiſſe.* 367
Mentis domus omnium virtutum *genere exornanda.* 367

Factum

Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

360. POst miracula, relictâ turbâ in montem se confert orationem fusurus. Inde infirmos curat, nocte ad orationem pergit, exemplum suis præbens; vt contemplationis studio proximorum curam non negligant, nec proximorum curâ nimis, pressi, orationis studia derelinquant; vt vnum ad aliud viam sternat.

In oratione Dei pernoctare dicitur Christus; quia non obiter Deum orabat. Sed cur noctem integram in altâ oratione transegit? An, quia manè electurus erat Apostolos? Magni momenti res est, aliquem eligere, qui cæteris præficiatur. Exemplum præbet Christus, vt, qui ecclesiastica munera distribuunt, priùs ad Deum recurrant, & orationem præmittant.

In oratione pernoctabat. Nox in diem conuertitur ei, qui in oratione pernoctat exemplo Christi. Orat in nocte, & solus orat: longè à turbis orat, longè à discipulis. Laudabilem nobis in oratione solitudinem indicat Sanctus Bernardus serm. 40. in Cant. *Solus*, inquit, *in oratione pernoctabat, non modò se abscondens à turbis, sed nec vllum quidem discipulorum, nec vllum domesticorum admittens. Denique tres secum intimos sibi adduxerat, cùm vltrò properaret ad mortem: auulsus est & ab ipsis, orare volens. Ergo & tu fac similiter, quando orare volueris. De cætero sola indicitur tibi mentis & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites; si non affectes præsentia; si despicias, quod multi suspiciunt; si fastidias, quod omnes desiderant; si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec, si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te & solum, cùm inter multos solus es?*

361. Vocauit Dominus discipulos suos, & in Apostolos elegit; nam *hodie multos*, inquit Vgo Carensis, *non Dominus, sed ambitio propria vocat; multos carnalis affectio.* Indigni dignitate sunt, si Christus eos non vocet, Christus eligat, qui dignos tantùm eligit, aut dignos facit, dum eligit.

Et ipse, eleuatis oculis in discipulos.

IN discipulos oculos eleuat, vt discipulos eleuaret. Omnes alloquebatur, sed signatè in discipulos oculos eleuat: *Vt his*, inquit Sanctus Thomas, *qui verbum intenta cordis aure percipiunt, latiùs saporis intimi lucrum aperiat.* & per illos ad alios lumen transmitteretur. In illos præcipuè corporis, mentisque oculos Christus coniicit, qui præcipuè in eum mentis, corporisque oculos coniiciebant.

362. *Eleuatis oculis in discipulos suos.* Qui eleuat oculos in discipulos, priùs eos in ima declinauerat: cur non eleuaret, cum paupertatis amatores videret, à terrenis auulsos? *eleuatis oculis dicebat*; ac si diceret, inquit Philippus Abbas, *ad videndos eos, oculos depono, quos constat in ima demorari; ad videndum verò vos, oculos eleuo, quos in cælis gaudeo conuersari*; tam sublimes homines reddit Christiana paupertas, vt supra homines eleuet, cælestes faciat, & ipsi Deitati proximos, quantum licet, efficiat:

Eleuatis oculis in discipulos suos: Apostolorum attentionem voluit sibi conciliare, modesto hoc in illos oculorum coniectu; vt innueret ad eos potissimùm spectare sermonem, & ex illis ad alios verborum Christi fructum promanaturum; nam Doctorum, Præsulumque sanctitas, & perfectio in cæteros influit, & ad paria allicit, & prouocat.

Beati, qui nunc esuritis; quia saturabimini.

DVm hîc sumus, esurire semper debemus, iustitiam vtique: quod Matthæus adiecerat. Vix iusti nomen meretur, qui iustitiæ augmenta non amat, iustitiæ semper non inhiat, vt vnus iustitiæ gradus gradum ad alium faciat. 363.

Quia saturabimini: Nihil terrenum hîc promittitur; cùm nihil, quod extra Deum, satiare animam, Deo capacem possit. *Nihil eorum*, inquit hîc Sanctus Thomas, *quæ secundum* VOLVPTATEM *in vitâ quæruntur*, SATIAT *inquirentes.* Idcircò, quibus simus saturandi, cùm constet scilicet nullam rerum mundanarum satiare animam posse; soli Deo, rebusque Diuinis est saturanda.

Merces vestra multa est in cælo: Multa, & magna iustorum merces dicitur: sed cui? Deo, cui quodlibet magnum exiguum est. Pende, *quantum erit, quod Deus multum dicit*, ait Sanctus Chrysostomus. Omnem intellectus creati captum transcendit bonorum operum merces, ac præmium. 364.

Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.

DIuites hîc deterret Christus, qui diuitiis inhiant, & nimio affectu eas possident; nam non census, sed affectus in crimine est: vnde subdit, *qui habetis consolationem vestram.* Arguit ergo eos diuites, qui diuitiarum possessione consolationem accipiunt: *Qui habetis*, Syrus, *qui recepistis:* verùm præsens tempus videtur magis vrgere. *Consolationem vestram.* Signatè ait, *vestram*, id est, non veram, sed fictam, & vmbraticam: vera, solidáque à Deo est.

Væ vobis, qui ridetis nunc quia lugebitis & flebitis.

VÆ *vobis qui ridetis*; In eos, qui non rident tantùm, sed risum ab aliis scurrilium narratione extorquent, hæc intorquenda. Præiuit Sanctus Petrus Damianus: *Quid*, inquit, *in tremendo iudicio dicturi sunt, qui non solùm ipsi rident, sed insuper quædam* SCVRRILIA PROFERENTES, RISVM AVDIENTIBVS VIOLENTER EXTORQVENT? 365.

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

SIcut pater vester misericors est: Magna misericordiæ laus, quæ tanto honore donatur. *Cùm pleraque alia dixeris* (verba sunt Sancti Chrysostomi ad hæc verba) *de nullo id, præterquam de misericordiâ, dixit: sitis misericordes sicut Pater vester. Nihil enim certè nos vsque ad similitudinem Dei sic effert, atque extollit; quemadmodum libera, benefica, & copiosa collatio.*

Nolite iudicare, & non iudicabimini.

IAm præceperat, vt inimicos diligeremus, vtque misericordes essemus; nunc adiicit, & quidem cohærenter; nolite iudicare; iudicium quippè temerarium inimicos multos nobis facit, & veræ dilectionis venenum est. 366.

Dimittite, & dimittemini.

QVI illatas sibi iniurias non dimittit, iniurius sibi est, & incipit nocere sibi cùm nocentibus sibi non ignoscit; *Dimittite, & dimittetur vobis*, sic enim legit Sanctus Augustinus, qui statim addit: *Ac sic, qui non dimiserit, ipse contra se ianuam diuina misericordia claudit, dicendo; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.*

Mensuram bonam, & confertam & superefluentem dabunt in sinum vestrum.

M*Ensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superefluentem*; mensura ista erit sine mensura. Sed cuius rei mensura futura sit cur non dicitur? Oculus non vidit, auris non audiuit, nec mens capit, quæ suis Deus præparauit. Plenitudo, quam expectamus à Deo, de Deo erit; solus ipse explete mentis nostræ desiderium potest.

Omnis, qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit; similis est homini, qui facit domum.

IS, qui ad Christum per virtutum opera it, homini domum ædificanti rectè comparatur; nam, 367.
sicut ille, qui domum ædificat, non sistit positis fundamentis, sed pergit donec culmen imponat, perficiat ædificium; ita, qui virtutibus operam dat, debet opus consummare, quod incepit, nec initiis contentus esse.

Domus multis, variisque partibus constat: igitur &, qui Christum amat, omnium virtutum genere debet esse ornatus, alioquin domus ædificatori comparari non poterit.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT VII. LVCÆ.

Vers. 1.

CVM autem impleslet verba sua in aures plebis intrauit Capharnaum.

Cum autem. *Pagn. Postquam autem.*
Implesset. *Syr. Absoluisset. Theoph. Consummasset. Fr. Luc. Finisset. Absoluisset.*
Omnia verba s. *Syr. Hos omnes sermones.*
In aures plebis. *Arab. In auribus plebis. Vat. Audiente populo. Pagn. Ad auditiones populi.*
Intrauit. *Syr. Ingressus est.*

Vers. 2.

Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

Centurionis autem c. *Arab. Et Centurionis.*
Malè habens. *Syr. Malè affectus erat. Arab. Erat infirmus pessimâ dispositione.*
Erat infirmus. *Syr. Propè moribundus. Arab. Iam appropinquabat morti. Theoph. Agebat animam. Euth. Iam Iamque erat moriturus. Pagn. Incipiebat mori. Ar. M. Futurus erat interire. Fr. Luc. Futurus erat mori.*
Qui illi erat p. *Syr. Qui quidem erat ipsi pretiosus. Arab. Et apud eum erat pretiosus. Euth. Qui erat illi charus. Fr. Luc. Quem in pretio habebat.*

Vers. 3.

Et cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius.

Cùm audisset. *Ar. M. Audiens autem.*
De Iesu. *Pagn. Et Iesum.*
Rogans eum. *Syr. Efflagitabat ab eo. Arab. Rogantes. Euth. Deprecans eum.*
Et saluaret. *Syr. Seruaturus. Euth. Ac sanaret. Vat. Seruaret.*
Eius. *Theoph. Illum.*

Vers. 4.

At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illi præstes.

At illi. *Arab. Et.*
Cùm venissent. *Ar. M. Aduenientes.*
Rogabant eum. *Syr. Efflagitabant ab eo. Euth. Deprecabantur eum.*
Quia dignus. *Syr. Dignus est.*
Præstes. *Syr. Facias. Arab. Fiat. Ar. M. Preberet.*

Vers. 5.

Diligit enim gentem nostram: Et synagogam ipse ædificauit nobis.

Diligit. *Arab. Est diligens.*
Et synagogam. *Arab. Quin etiam domus synagoga.*
Ipse ædificauit. *Syr. Extruxit.*

Vers. 6.

Iesus autem ibat cum illis. Et cùm iam

Ibat. *Syr. Iter faciebat.*
Esset. *Pagn. Abesset.*

non

Vulgata Editio.

non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres.

Lectionum varietas.

Amicos. *Arab. Amicos suos.*
Dicens. *Syr. Qui dicerent ei. Vat. Dicens ei.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Noli vexari. *Syr. Ne fatigeris. Vat. Ne vexa te Franc. Luc. Ne vexeris.*
Non enim. *Arab. Quia ego non.*
Dignus. *Caiet. Idoneus.*
Sub tectum m. *Arab. Sub tectum domus meæ. Vat. Tectum meum.*
Intres. *Vat. Subeas.*

Vers. 7.

Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

Propter quod. *Ar. M. In eo.*
Et me ipsum n. s. d. ar. *Syr. Indignus fui. Arab. Non fui dignus ego.*
Verbo. *Vat. Verbum.*

Vers. 8.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit; & seruo meo fac hoc, & facit.

Constitutus. *Arab. Ordinatus.*
Habens sub me. *Syr. Suntque sub manibus meis. Arab. Et sub manu mea sunt. Vat. Habens sub me ipso.*
Vade & vadit. *Syr. Ito, & abiit.*
Alij veni. *Syr. Alteri venito.*

Vers. 9.

Quo audito Iesus miratus est: Et conuersus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israël tantam fidem inueni.

Quo audito. *Pagn. Auditis autem his. Ar. M. Audiens autem hæc.*
Miratus est. *Arab. Miratus est de eo Theoph. Miratus est eum. Euth. Admiratus est eum.*
Sequentibus s. t. *Syr. Turba post se venienti. Arab. Ad turbam, quæ sequebatur eum. Theoph. Sequenti se turba.*
Amen dico. *Syr. Ego dico. Ar. M. Dico.*
Nec in I. *Arab. Quia ego in Israel non. Euth. Ne in Israël quidem.*

Vers. 10.

Et reuersi, qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.

Reuersi. *Syr. Reuersi sunt.*
Inuenerunt. *Al. Repererunt.*
Seruum. *Syr. Seruum illum.*
Qui languerat. *Syr. Qui æger fuerat. Arab. Infirmum. Fr. Luc. Qui ægrotauerat.*
Sanum. *Sanitati restitutum. Arab. Qui iam sanatus erat.*

Vers. 11.

Et factum est: deinceps ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.

Factum est. *Vat. Euenit.*
Deinceps. *Syr. Postero die. Arab. In crastino. Ar. M. In deinceps.*
Ibat Iesus. *Arab. Erat proficiscens Iesus. Vat. Vt iter faceret.*
Et ibant cum eo d. e. *Syr. Et discipuli eius. Arab. Et secuti sunt eum discipuli eius omnes. Ar. M. Et simul ibant discipuli eius multi.*
Turba ciuitatis. *Syr. Cœtus multi. Arab. Turba magna.*

Vers. 12.

Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa.

Cùm autem appropinquaret. *Ar. M. Vt verò appropinquauit. Vat. Cùm autem appropinquasset.*
Ecce. *Syr. Vidit. Arab. Et ecce.*
Defunctus efferebatur. *Syr. Comitantes mortuum. Arab. Vnus portatus, qui mortuus erat.*
Efferebatur. *Pagn. Afferebatur.*
Filius vnicus. *Syr. Qui vnicus fuerat. Caiet. Filius vnigenitus.*
Matris suæ. *Pagn. Matri suæ.*
Et hæc. *Syr. Itaque mater:*
Multa. *Arab. Magna.*
Ciuitatis. *Syr. Filiorum ciuitatis erat.*

Vers. 13.

Quam cùm vidisset Dominus, miseri-

Quam cùm vidisset. *S. Greg. Nyss. Cùm illam esset intuitus. S. Ambr. Quam cùm videret. Euth. Eo intuitus eam. Ar. M. Videns eam.*

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

cordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

Dominus. *S.Greg Nyſſ. Ieſus.*
Miſericordia motus ſ. e. *Syr. Miſertus eſt eius. S. Greg. Nyſſ. Intimo viſcerum motu erga ipſam. Euth. Miſeratione motus eſt ſuper eam. Vat. Intimè miſertus eius. Ar.M. Viſceribus motus eſt ſuper eam.*
Noli flere. *Arab. Ne plangas. Ar.M. Ne fle.*

Verſ. 14.

Et acceſſit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, ſteterunt.) Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

Et acceſſit. *Syr. Et profectus S.Greg. Nyſſ. Quare cùm acceſſiſſet.*
Et tetigit l. *S.Greg Nyſſ. Sandapilam attigit.*
Hi autem. *S.Greg. Nyſſ. Et continuò. Pagn. Porro qui.*
Portabant. *Syr. Baiulabant. S. Greg. Nyſſ. Eum portabant.*
Steterunt. *Arab. Steterunt ei. S.Greg. Nyſſ. Subſtiterunt.*
Adoleſcens. *Arab. O adoleſcens S.Greg.Nyſſ. Iuuenis. Pagn. Adoleſcentule.*
Surge. *S.Greg.Nyſſ. Expergiſcere.*

Verſ. 15.

Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.

Reſedit. *Arab. Sedit. S.Greg.Nyſſ.* omittit.
Qui erat m. *Syr. Defunctus ille. Arab.* omittit *S. Greg. Nyſſ. Ad viuos renouatus. Vat. Qui fuerat mortuus. Ar.M. Mortuus.*
Et dedit illum m. ſ. *S.Greg.Nyſſ. Atque Matri donat, vel Matri ſuæ redditus eſt. Vat. Tradidítque illum matri ſuæ.*

Verſ. 16.

Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

Accepit autem. *Syr. Et inuaſit. Vat. Cepit.*
Omnes. *Arab. Eos. Euth. Vniuerſos.*
Timor. *Syr. Tremor.*
Magnificabant. *Tert. Gloriam retulerunt. Theoph. Glorificabant.*
Deum. *Tert. Deo.*
Quia propheta. *Syr. Sanè propheta. Arab. Propheta quidem. Vat. Propheta.*
Magnus. *Syr. Maximus.*
Surrexit. *Tert. Prodiit. Vat. Exortus eſt.*
In nobis. *Theoph. Inter nos.*
Viſitauit. *Syr. Inuiſit. Arab. Viſitauit in bonitate. Tert. Reſpexit.*
Plebem ſuam. *Tert. Populum ſuum.*

Verſ. 17.

Et exiit hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem.

Exiit. *Arab. Diuulgatus eſt. Euth. Egreſſus eſt.*
Hic ſermo. *Theoph. Rumor hic. Vat. Fama hæc.*
In vniuerſam I. *Ar.M. In vniuersâ Iudæâ. Vat. In totam Iudæam.*
In omnem. *Syr. In vniuerſam. Ar.M. In omni.*
Circa regionem. *Arab. Regionem, quæ erat circa eam. Pagn. Regionem finitimam. Ar. M. Circa regione. Caiet. Regionem circumiacentem.*

Verſ. 18.

Et nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his.

Nunciauerunt. *Syr. Renunciauerunt.*
De omnibus his. *Syr. Hæc omnia.*

Verſ. 19.

Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Conuocauit. *Arab. Vocauit. Fr.Luc. Aduocauit.*
Duos de d. ſ. *Pagn. Duos quoſdam. Ar.M. Quoſdam diſcipulorum ſuorum.*
Miſit. *Vat. Miſit eos.*
Tu es. *Syr. Tu ne is es. Vat. Tu is.*
Venturus es. *Euth. Venturus erat. Tert. Venis.*
An alium. *Arab. An alium præter te.*

Verſ. 20.

Cùm autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Cùm autem v. *Ar.M. Accedentes autem.*
Viri. *Fr.Luc. Viri illi.*
Ioannes Baptiſta. *Arab. Ioannes.*
Tu es. *Syr. Tu ne is es. Vat. Es tu ille?*
Venturus es. *Euth. Venturus erat. Ar.M. Veniens,*

Verſ. 21.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ.21.

(In ipſa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.)

In ipsâ. *Syr. Illâ ipsâ. Theoph. Eadem.*
Curauit. *Fr.Luc. Sanauit.*
Languoribus. *Arab. Infirmitatibus. Theoph. Morbis.*
Plagis. *Arab. Languoribus. Caiet. Flagellis.*

Verſ.22.

Et reſpondens, dixit illis: Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.

Euntes. *Syr. Ite. Vat. Profecti.*
Renunciate. *Arab. Dicite.*
Quæ. *Syr. Quæcunque.*
Audiſtis, & v. *Syr. Vidiſtis & audiſtis.*
Reſurgunt. *Syr. Suſcitentur.*
Pauperes. *Pagn. Pauperibus.*
Euangelizantur. *Pagn. Annuntiatur Euangelium.*

Verſ.23.

Et beatus eſt quicunque non fuerit ſcandalizatus in me.

Quicunque. *Arab. Qui.*
Fuerit ſcandalizatus. *Syr. Impegerit. Euth. Acceperit offendiculum. Theoph. Fuerit offenſus.*
In me. *Euth. Mei cauſâ. Al. Per me.*

Verſ.24.

Et cùm diſceſſiſſent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

Cùm diſceſſiſſent. *Ar.M. Abeuntibus.*
Nuncij. *Arab. Diſcipuli duo. Ar.M. Nunciis.*
De Ioanne: *Syr. Super Ioannem.*
Dicere. *Syr. Verba facere.*
Ad turbas. *Arab. Turba. Vat. Turbis.*
Videre. *Ar M Spectare. Vat. Ad videndam.*
Vento agitatam. *Arab. Quam agitat ventus. Ar. M. A vento quaſſatam. Vat. Vento agitari.*

Verſ.25.

Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & delicijs, in domibus regum ſunt?

Sed quid. *Syr. Sin autem quid.*
Videre. *Theoph. Viſuri.*
Hominem. *Syr. Virum.*
Mollibus veſtimentis i. *Arab. Super quem eſt veſtimentum delicioſum. Ar. M. In mollibus veſtimentis amictum.*
Ecce qui. *Arab. Super quos enim.*
In veſte p. ſ. *Syr. Veſtimentis glorioſis vtuntur. Arab. Sunt veſtimenta gloriæ. Pagn. Veſtitu ſplendido veſtiuntur. Ar. M. In veſte glorioſa exiſtentes. Fr.Luc. In veſtitu honorifico ſunt.*
Deliciis. *Syr. Delicatis. Arab. Delicioſa. Goth. Deliciis affluunt. Theoph. In deliciis agunt.*
Domibus regum. *Euth. Aulis regum. Vat. In regiis. Fr.Luc. Palatiis regum.*
Sunt. *Syr. Degunt.*

Verſ.26.

Sed quid exiſtis videre? prophetam? Vtique dico vobis, & pluſquam prophetam?

Sed quid. *Syr. Sin minus quid.*
Vtique. *Syr. Certè. Vat. Sanè.*
Pluſquam p. *Syr. Propheta præſtantiorem. Ar.M. Abundantius prophetâ. Al. Pluſquam prophetam.*

Verſ.27.

Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

De quo. *Tert. Super quo.*
Ecce. *Syr. Ecce ego.*
Angelum. *Vat. Nuncium.*
Præparabit. *Syr. Complanabit. Tert. Præparet.*
Ante. *Syr. Coram.*

Verſ.28.

Dico enim vobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt: qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo.

Inter natos m. p. *Syr. In genitis mulierum prophetâ. Euth. In his qui ex mulieribus nati ſunt.*
Qui autem. *Syr. Minimus autem. Pagn. Attamen qui minor.*

Verſ.29.

Et omnis populus audiens & publicani, iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis.

Omnis. *Syr. Totus.*
Audiens. *Qui audiunt illum. Fr.Luc. His auditis.*
Et publicani. *Syr. Publicani quoque.*
Iuſtificauerunt D. *Arab. Gratias egerunt Deo.*
Baptizati. *Syr. Qui baptizati fuerant. Arab. Cùm eſſent baptizati.*
Baptiſmo. *Ar.M. Baptiſmum.*

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Verſ. 30.

Phariſæi autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.

Legiſperiti. *Syr. Scriba.*
Conſilium. *Syr. Voluntatem. Arab. Preceptum.*
Spreuerunt. *Syr. Calumniati ſunt. Arab. Cognouerant, quòd ipſi ſpreuiſſent.*
In ſemetipſos. *Syr. Apud ſe. Arab. Ad illos. Euth. In ſemetipſis. Theoph. Aduerſus ſemetipſos.*
Non baptizati. *Syr. Qui non baptizati fuerunt.*
Ab eo. *Euth. Baptiſmate Ioannis.*

Verſ. 31.

Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius? & cui ſimiles ſunt?

Ait autem D. c. *Syr. Cainam. Goth. Cui.*
Similes dicam. *Caiet. Aſſimilabo.*
Homines generationis h. *Arab. Hanc generationem. Vat. Homines nationis huius.*
Similes ſunt. *Arab. Aſſimilantur.*

Verſ. 32.

Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non ploraſtis.

Similes ſunt. *Arab. Aſſimilantur.*
Pueris. *Pagn. Puerulis.*
Foro. *Syr. Plateis.*
Loquentibus. *Euth. Acclamantibus.*
Ad inuicem. *Syr. Ad ſocios ſuos. Arab. Alter ad alterutrum. Euth. Inuicem. Fr. Luc. Sibi mutuò. Pagn. Inter ſe.*
Cantauimus vobis t. *Syr. Cecinimus vobis. Arab. Pſallimus vobis. Euth. Tibiâ cecinimus vobis.*
Lamentauimus. *Syr. Lamentum edidimus vobis. Euth. Lugubria cantauimus vobis. Theoph. Cecinimus vobis lugubria. Pagn. Lamentati ſumus vobis.*
Ploraſtis. *Syr. Fleuiſtis. Arab. Planxiſtis.*

Verſ. 33.

Venit enim Ioannes Baptiſta neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

Autem. *Vat. Enim.*
Manducans. *Theoph. Edens.*
Dicitis. *Arab. Dixiſtis.*
Dæmonium habet. *Syr. Dæmonium eſt in eo. Arab. Hic Dæmonium habet.*

Verſ. 34.

Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum: amicus publicanorum, & peccatorum.

Manducans. *Theoph. Edens.*
Dicitis. *Arab. Dixiſtis.*
Ecce homo. *Syr. Ecce vir. Arab. Hic homo. Euth. Ecce hominem.*
Deuorator. *Syr. Helluo. Arab. Vorator. Euth. Comedonem. Caiet. Edax.*
Bibens vinum. *Syr. Bibax. Arab. Potator vini. Euth. Vini potorem.*
Amicus. *Arab. Amator. Euth. Amicum.*
Peccatorum. *Syr. Flagitioſorum.*

Verſ. 35.

Et iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.

Et. *Syr. Sed.*

Verſ. 36.

Rogabat autem illum quidam de Phariſæis vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.

Rogabat autem i. *Syr. Venit autem efflagitans ab eo. Arab. Rogauit autem illum. Euth. Inſtabat autem illum.*
Quidam de Ph. *Arab. Vnus ex Phariſæis. Ar. M. Quidam Phariſæorum.*
Manducaret. *Vat. Cibum caperet. Pagn. Ederet.*
Ingreſſus. *Arab. Ingreſſus eſt.*
Diſcubuit. *Arab.* omittit. *Theoph. Accubuit.*

Verſ. 37.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti:

Et ecce mulier, q. e. *Arab. Et erat mulier. Pagn. Et ecce mulier quæ fuerat.*
Vt cognouit. *Orig. Quia cùm cognouiſſet. Ar. M. Cognoſcens.*
Quòd accubuiſſet. *Arab. Quia ipſe recumbens eſſet. Theoph. Quòd Ieſus accubuiſſet. Orig. Quòd recubuit.*
Attulit. *Syr. Accepit. Ar. M. Afferens.*
Alabaſtrum. *Orig. Vas.*

Verſ. 38.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 38.

Et ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Stans. *Arab. Stetit.*
Retrò. *Arab. Retro eum. Vat. A tergo.*
Secus pedes. *Orig. Ad pedes.*
Lachrymis. *Syr. Flebat & lachrymis ſuis. Arab. Plorans lachrymis ſuis. Orig. Flens lachrymis.*
Cœpit. *Orig.* omittit.
Rigare. *Syr. Irrigare. Orig. Lauit.*
Capillis. *Syr. Pilis.*
Tergebat. *Syr. Abſtergebat. Orig. Deterſit. Ar. M. Extergebat.*
Oſculabatur. *Theoph. Deoſculabatur.*
Pedes e. *Orig.* omittit.
Vnguento. *Syr. Aromate.*
Vngebat. *Arab. Vngebat eos. Tert. Perducebat.*

Verſ. 39.

Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt.

Videns. *Arab. Cùm vidiſſet illud. Euth. Intuitus.*
Qui vocauerat. *Ar. M. Vocans.*
Ait, *Syr. Cogitauit.*
Intra ſe. *Orig. Intra ſemetipſum. Vat. Apud ſe. Ar. M. In ſe ipſo.*
Sciret vtique. *Syr. Noſſet.*
Quæ & qualis eſt m. *Syr. Quænam ſit, & qualis rumor huius mulieris. Arab. Quæ eſſet hæc & qualis eſſet hæc mulier:*
Tangit eum. *Arab. Tetigit eum. S Chryſ. Loquitur ad eum. Orig. Tangit pedes eius.*
Quia peccatrix eſt. *Syr. Peccatricis.*

Verſ. 40.

Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic.

Aliquid tibi d. *Arab. Eſt apud me verbum, quod dicam. Euth. Quiddam, quod tibi dicam.*
Magiſter. *Syr. Rabbi.*

Verſ. 41.

Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

Duo. *Syr. Subdit ei Ieſus: Dico.*
Cuidam fœneratori. *Syr. Vni Domino debiti. Arab. Contra quos homo vnus habebat ius. Pagn. Cuidam creditori.*
Vnus debebat d. q. *Arab. Contra vnum quingentorum denariorum.*
Et alius. *Arab. Et contra alium. Ar. M. Et alter.*

Verſ. 42.

Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit?

Non habentibus i. *Arab. Et non erat eis. S. Aug. Non habebant ambo. Euth. Quum autem illi non eſſent.*
Vnde redderent. *Euth. Soluendo.*
Donauit vtriſque. *Syr. Remiſit vtriſque. S. Aug. Dimiſit ambobus. Theoph. Condonauit vtrique. Ar. M. Gratis donauit ambobus.*
Quis. *Goth. Quis eorum. Euth. Dic vter horum. Vat. Horum igitur dic. Caiet. Vter.*
Plus. *Vat. Ampliùs.*
Diligit. *Arab. Amator eſt illius. S. Aug. Dilexit. Pagn. Diliget.*

Verſ. 43.

Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti.

Æſtimo. *Syr. Puto. S. Aug. Credo. Theoph. Exiſtimo. Vat. Vt æſtimo. Ar. M. Subſumo.*
Plus. *Syr. Multa.*
Donauit. *Syr. Dimiſſa ſunt. S. Chryſ. Condonauit.*
At ille. *Syr. Ieſus. Arab. Et.*
Rectè. *Arab. Verum.*

Verſ. 44.

Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non

Et. *Arab. Deinde.*
Conuerſus. *Arab. Conuerſus eſt.*
Hanc. *S. Aug. Iſtam.*
Intraui i. *Syr. Ingreſſus ſum domum.*
Pedibus meis. *Arab. Super pedes meos. S. Chryſ. Ad pedes meos. S. Aug. Mihi ad pedes.*
Non dediſti. *Arab. Non ſparſiſti.*
Lachrymis, *Syr. Lachrymis ſuis,*

dediſti:

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.	Rigauit. *Syr. Lauit.* Capillis suis. *Caiet. Capillis capitis sui.* Tersit. *Arab. Tersit eos S.Chrys. Abstersit. Ar.M. Extersit.*
Vers. 45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.	Osculum mihi n. d. *Arab. Tu non osculatus es me.* Ex quo. *Syr. Ecce ex quo.* Intrauit. *Theoph. Intrans.* Non cessauit. *Syr. Non desiit. S.Chrys. Non intermisit.* Osculari. *S.Chrys. Exosculari. Euth. Deosculari. Ar.M. Osculans.*
Vers. 46. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.	Oleo. *Syr. Tu oleo.* Caput meum. *S.Chrys. Caput mihi.* Vnguento. *Syr. Oleo aromatico.* Vnxit. *S.Chrys. Inunxit.*
Vers. 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.	Propter quod. *Ar.M. Cuius gratiâ.* Remittuntur. *Arab. Quia remissa sunt. Vat. Remittuntur.* Ei peccata. *Syr. Ei scelera eius. Pagn. Eius peccata.* Minùs. *Syr. Paululum. S. Aug. Modicum. Caiet. Parum.* Dimittitur. *Theoph. Remittitur.* Minùs. *Syr. Paululum. S. Aug. Modicum. Euth. Is minus. Caiet. Parum.*
Vers. 48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.	Dixit autem. *Arab. Deinde dixit.* Remittuntur. *Arab. Remissa sunt. Vat. Remittuntur.* Tibi peccata. *Syr. Tibi scelera tua. Ar.M. Tua peccata.*
Vers. 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?	Qui simul a. *Syr. Qui accumbebant. Arab. Discumbentes.* Intra se. *Euth. Intra sese. Vat. Apud se. Ar.M. In se ipsis.* Qui etiam. *Arab. Qui.* Peccata. *Syr. Scelera.* Dimittit. *Theoph. Remittit.*
Vers. 50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.	Ad mulierem. *Syr. Ei mulieri. Vat. Mulieri.* Saluam fecit. *Syr. Seruauit.* In pace. *Ar.M. In pacem. Vat. Cum pace.*

CAPVT VII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Centurionis cuiusdam seruus, malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus.

SINGVLAREM serui curam habet centurio, 368.
à quâ munus, quod habebat, eum non auocauit. Pretiosus erat puer centurioni, id est plurimi eum faciebat. *Pretiosus*: Græcè, ἔντιμος, in pretio habitus. Fidelis, vtilis, rarisque virtutibus ornatus erat hic seruus adeò, vt plurimi à domino suo fieret. Nimirum optimi Domini optimus

seruus

seruus est: superiorum probitas in inferiores deriuatur.

Centurionis charitas hîc commendatur, qui pro salute serui adeò solicitus erat, quasi non damnum pecuniæ in morte serui esset passurus, sed salutis: inter seruum autem, ac dominum nullam differentiam agnoscebat, sciens vnam vtriusque naturam esse. Idcirco magis imaginem Dei honorabat in homine, quàm captiuitatis opprobrium contemneret in seruo.

369. *Erat moriturus*; in hoc quoque centurionis fides commendatur, quod iam iam moriturum seruum Christo commendarit; iam conclamatus erat, *sed hoc*, inquit Sanctus Chrysostomus, *non eum ad desperationem adduxit, aut omni spe priuauit; sed nihilominus superstitem fore sperauit*; imminens mortis periculum centurionis fidem excitauit, non abstulit.

Et, cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius.

INdignum se putabat, qui ante Christum se sisteret, precésque per se ipsum funderet: digniores, magísque idoneos censebat seniores Iudæorum, quos ad Christum misit. Veræ humilitatis hæc consignatio est. Humilis se cuilibet muneri imparem censet, & aliis ita se confert, vt alios sibi præferat.

370. *Misit seniores*: Cur misit, cùm, impios esse, fors non ignoraret? An, vt Christi præsentiâ resipiscerent, & conuerterentur? Non serui corporalem salutem quæsiuit dumtaxat centurio, sed spiritualem etiam aliorum, & ita humilitatem suam prodidit, alios mittendo, vt charitatem etiam ostenderet, eis consulendo.

Præterea, licèt mali fuerint illi seniores, mittuntur tamen à centurione, vt eos honoraret, tanquam inter Iudæos primos. Iustus censuram de aliis non fert, nec facilè, tanquam impios, reiicit, quos excusare potest.

Saluaret: Græcè, *διασώσῃ*, *seruaret*. Quidam, *sanaret*. Syrus *viuificaret*: erat quippè morti proximus.

Misit ad eum seniores Iudaeorum; misit, non iuit, ac si se putaret indignum, qui se Domino sisteret, *ne præsentiâ suâ grauare Domini verecundiam videretur, & officium officio prouocasse*, ait Sanctus Ambrosius.

At illi, cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè dicentes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes.

371. SOlicitè rogant seniores; quia & centurio de serui salute erat solicitus. Græcè pro, *solicitè*, est, *σπουδαίως*, *studiosè, sedulò, σπουδὴ*, quod Latinè dicitur, studium. Disce: opus, quod quis pro alio suscipit agendum, diligenter, ac studiosè perficere debet: quod suo exemplo seniores isti docuerunt.

Dignus est, vt hoc illi præstes: Hoc non à centurionis mente est, sed à seniorum: semper merita Iudæus iactat. Vt, quod rogant obtineant, meritum centurionis seniores proferunt, cùm rectius ad Christi clementiam, ac bonitatem confugiendum esset. *Quia*, inquiunt, *dignus est*. Hoc non consequendæ gratiæ argumentum, sed gratiæ potius impedimentum apparet. Hoc ipso quis Dei beneficiis magis indignus videtur, quò dignior prædicatur.

Diligit enim gentem nostram.

372. QVî scire poterant seniores Iudæorum, Iudæos ab isto centurione diligi? A dilectionis signis, & operibus id coniiciebant. Hic verbum, diligere, non solùm animi internam propensionem, & affectum significat, sed etiam dilectionis affectum notat. Hinc discimus, veram dilectionem, amorémque operibus prodendum esse, si possumus: Vetum illud est: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*.

Diligit gentem nostrum: Arrogantiam quandam hæc verba præseferunt; dicendum enim potiùs erat, eum Deum timere, quod amore, & studio in gentem nostram declarauit: nunc verò beneficium ipsis collatum dignum reddere centurionem dicunt, vt illi præstaretur, quod petebat; sicque efferunt se, cùm efferre centurionem deberent.

373. Debebant seniores isti centurionis fidem euehere, ac commendare; sed inuidiâ correpti noluerunt, vt non ab re illius fidem extulerit Christus, & omnibus Iudæis illum prætulerit, dicens: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Sancti Thomæ verba hîc cadunt opportunè: *Decebat*, inquit, *ipsos promere fidei eius immensitatem; sed nolebant propter* INVIDIAM *fidem viri detegere, ne magnus aliquis esse videretur, cui preces porriguntur*, aut etiam, qui porrigeret: sed contrà accidit, quia & centurionis fides laudata à Christo est, & Christi virtus, miraculi editione, omnibus innotuit.

Et synagogam ipse ædificauit nobis.

374. NOn dilectionem tantùm in Iudæos, sed etiam in Deum religionem hæc ædificatio præsefert. Synagogam ædificauit, in quâ & Deo preces funderentur, & lex explicaretur. *Et synagogam ipse ædificauit nobis*: Vt videas non nuperam eius pietatem esse, recentémque eius in Deum religionem: diu erat, quòd Deum timebat, & eius causâ Iudaicum populum diligebat, & synagogam Iudæis ædificauerat, vt non possit putari, tunc tantùm religione accensum, cùm serui, quem amabat, infirmitate affligeretur: quod plurimorum est, qui tunc memores Dei sunt, & pietatem quandam ostendunt, cùm malis vrgentur, ac premuntur.

375. *Ædificauit*: Militum, & ducum ferè mos, domos diruere, non dirutas, ac labentes reædificare. Abiit à militum vsu centurio, sub Christi vexillo ante militaris, quàm in eius militum numero censeretur. *Ædificauit nobis*: Ruinam semper minabatur synagoga, quæ nisi à Gentilibus ædificata fuisset penitus ruisset.

Domine noli vexari; non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres.

PEnde istius centurionis modestiam, ac humilitatem; non serui indignitatem opposuit sed suam; non dixit; *Domine seruus meus non est dignus*, sed, *ego non sum dignus*. Veri humiles indignitatem suam vident, & fatentur, aliorum non vident, nullum negligunt, nullum contemnunt.

376. *Non sum dignus*; dignior fit, dum se profitetur indignum. Hic aliquis sciscitetur; cur centurio recipere Christum recusat, quem cum gaudio recepit

pit Zachæus? An, quia Zachæus, tanquam hospitem recipiebat; hospitalitas autem cum gaudio exercenda est. Centurio verò, non vt Christo ministraret Christum quæsiuit, sed sanitatis sui serui causâ, & idcirco tantâ reuerentiâ se indignum confessus est, qui eum reciperet? In Zachæo hilaris beneficentia commendatur, in centurione fides,& humilitas.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.

377. E*T ego homo sum.* Qui super homines erat, se vocat hominem, ne se nimis efferre putaretur, qui erat supra alios in Christianæ humilitatis exemplum, in noxiæ iactantiæ cautionem. Præstat hic audire Sanctum Bernardum, qui epist. 42. ad hæc centurionis verba hæc adiicit: *Pulchrè loquutus est beatus ille centurio. Et ego, inquit, homo sum sub potestate, habens sub me milites. Non iactabat potestatem, quam nec solam protulit nec priorem; dicturus quippe, habens sub me milites, præmisit: Homo sum sub potestate. Prius se agnouit hominem, quàm potentem. Agnouit, inquam, se hominem, homo gentilis; vt in se iam impleri ostenderet, quod longè antè dixerat Dauid: Sciant gentes, quoniam homines sunt. Homo, inquit, sum, & homo sub potestate. Iam, quicquid subinferas, suspectam non habemus iactantiam; præmissa siquidem est humilitas, ne altiùs de præcipitet: nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis insigne præcesserit. Agnoscis infirmitatem, confiteris subiectionem: iam & te sub te habere milites profitere securus. Reuerâ, quia non confusus est de subiectione, iurè ex prælatione meruit honorare. Non erubuit super se potestatem, & ideo dignus, qui haberet & sub se milites. Ex abundantiâ cordis os loquebatur: & iuxta quod intus ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter composuit. Dedit prius honorem præposito, vt iam à subditis iustè reciperet; sciens, se à superioribus accipere, quod impenderet inferioribus; & quia meliùs propria subiectionis disceret experimento sua ipse moderari imperia.*

Et factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur.

378. POst collatam pueto centurionis sanitatem in ciuitatem Naim proficiscitur Dominus, vt ibi mortuum adolescentem suscitaret. Maius miraculum est à morte reuocare eum, qui iam obierat, quàm morbo correptum restituere sanitati; ab hoc ad illud rectо ordine Christus pergit. Sed cur? inquies. An, vt innueret ad maiora semper adspirandum esse, vt operatio vna gradus ad aliam excellentiorem sit?

Subest huius ordinis alia ratio litteræ cohærentior; vt scilicet infidelium, & incredulorum ora obturaret, qui negare possent centurionis puerum esse moriturum, nisi Christus adfuisset; sed, cum mortuum vident ad vitam reuocatum, negare non possunt, puerum animam agentem sanari potuisse.

Cùm appropinquaret portæ ciuitatis; non casu, vt primo aspectu videbatur, accessit, sed diuino consilio, vt obuiam mortuo, qui efferebatur, iret. Apud Iudæos mortui extra ciuitatem sepeliebantur, ne ciuitas cadauerum immundiriê pollueretur. Apud nostros aliter fit; in vrbibus mortui sepeliuntur, ne defunctorum nos inuadat obliuio, aut mortis; Christianorum est & defunctis, orationibus opem ferre, & mortis iugiter recordari.

De Christo illa Salomonis verba aliqui interpretantur: *In summis, excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur.* Prou. 8. vers. 2. 3. In montium vertice prædicasse Christum certum est; sed iuxta portas ciuitatis loquutum non reperitur. Plerique hæc, quæ hîc habentur, Salomonis verbis accommodant; quod si quis reponat, concionem iuxta portas ciuitatis Christum non habuisse; dici potest, mortis memoriam longi sermonis loco fuisse; Deinde resurrectionis exemplum, quod hîc elucet, & verba, quæ de alterâ vitâ Christus adiecit prolixæ concionis vice deseruire possunt; explicari non potest, quantam in hominum animis vim habeat resurrectionis memoria. 379.

Ecce defunctus efferebatur. Ecce particula admirationis est, nouum aliquod indicans; sed nunquid verum est quempiam mori? nihil magis in vsu; sed diabolus mortis memoriam ita studet in hominibus abolere, vt nouum illis videatur, cum quispiam moritur.

Filius vnicus matris suæ; priùs mater mori debebat, quàm filius, sed mors leges nullas nouit, nullum ordinem. Nulli florens ætas blandiatur, nulli annorum viriditas imponat. Mors ætatum discrimina nescit.

Filius vnicus matris suæ.

MIserationis argumenta hîc indicantur: filius erat, non filia; filij autem chariores parentibus esse solent, & consequenter eorum durior, & acerbior est amissio. Præterea, vnicus erat; Græcè, μονογενὴς, *Vnigenitus*: nullos fratres habuerat: hunc solùm suis lactauerat mater vberibus; vt doloris causa ex eius morte augeretur. Addit, *matri suæ*: mater erat, quæ amissum dolebat filium: matres autem maiori dolore in filiorum obitu afficiuntur, quàm patres; quippè quæ teneriori eos affectu prosequuntur. 380.

Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illâ.

HOc quoque augebat dolorem matris, quod vidua erat, nec erat spes filium alium in defuncti locum gignendi; vnde & hæreditas ab eis stirpe transibat. Multa autem turba viduam dolentem comitabatur; nobilem, diuitémque fuisse ab hoc multitudinis obsequio interpretes coniiciunt. Ita fit, vt diuitias plerique honorent potiùs, quàm personam.

SECTIO II.

Aliorum

Quam quùm vidisset Dominus misericordiâ motus super eam, dixit illi: noli flere, & accessit, & tetigit loculum.

381. NON solùm interioris animi affectu, & compassione afficitur Christus, sed etiam verbis viduam consolatur; *noli*, inquit, *flere*; vix hoc dixerat, cum loculum tetigit, & viduæ filium suscitauit. Nimirum non solùm verbis, sed etiam factis viduam consolatur; ergo non affectu solùm afflictis compati debemus, sed operibus.

Tetigit loculum, vt portitores sisteret, & vt indicaret ab ipso, non ab alio defunctum suscitatum: sic enim etiam in languentium curatione manum super eos extendebat; nimirum plurimi referr, non alteri quam Christo, beneficia accepta, accepta referri.

382. *Misericordiâ motus super eam*; ex mortuis, quos legimus ad vitam reuocasse Christum, hunc solum viduæ filium sine vllis aliorum precibus resuscitauit, solâ ipsum misericordiâ permouente; in aliis propinquorum, aut parentum precibus interpellatur; cur istuc? An, quia vidua erat, quæ post virum & filio orba remanebat? nimirum in hoc se maximè viduarum consolatorem declarauit; vt homines docerentur viduas non spernere, sed tueri, easque ab omni oppressione vindicare. *Noli flere*, non enim deflenda eius mors erat, qui mox maiori cum gloriâ, & matris lætitiâ ad vitam rediturus erat.

383. *Adolescens tibi dico surge*: Poterat supprimere illud *tibi*; an illud adiecit, vt quantam vim habeat Christi vox ab hoc eluceat? ad illum hac particula coërcet imperium, ne alij quoque Christi auditâ voce excitarentur; Præclarè rem versat Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus. *Cur*, inquit, *addidit illud Tibi? Simplicius enim dictu fuit; Heus mortue, surge. Sed Saluatoris vox alios fuisset etiam virtute suâ mortuos excitura. Ideo adiecit illud, Tibi: vt ad eum tantummodo adolescentem mortuum gratie sue vim explicaret. Id & circa Lazarum fecit non dixit. Heus tu mortue, adest dum? sed nominatim mortuum compellat: Lazare veni foras. Hoc autem egit, ne vita largitoris vox explicaretur plures mortuos vita restitueret.*

Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri suæ.

384. RESEDIT: Non dixit, *reuixit*, quod priùs fuit: resedit, vt verè resuscitatus videretur; siquidem sedere, & loqui, veræ exsuscitationis signa sunt. *Et cæpit loqui*: Quid loquutus fuerit non dicitur. Quis ambigat in Christi laudem, & gratiarum actionem erupisse? Hoc est verè loqui; nam, qui ingratus Dei laudes tacet, etsi extimè loqui videatur, non loquitur.

Dedit illum matri: Tanquam donum scilicet; priùs enim matris non erat quem lugebat mortuum: matri dedit, vt matri obediret, obsequeretur. Accepit mater filium ingenti gaudio perfusa. Sed cur nihil respondisse mulier refertur? Nullius

viduæ leguntur verba. An, vt exemplum præberetur mulieribus, pauca illis esse verba fundenda? An quia, quod ore non præstitit corde perfecit.

Rogabat autem illum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo.

QVIDAM ex Pharisæis rogabat Christum, vt cum illo pranderet. Non ex charitate hæc inuitatio prodiit, sed ex iactantiâ: suis honori, gloriæque sibi putabat iste Pharisæus quòd Christum, vt summum prophetam ab omnibus habitum, hospitio recepisset: itaque non hospitalitati, ac beneficentiæ litauit, litauit fastui, litauit inani gloriæ. Sic plerunque accidit, vt virtus ista hoc vitio inficiatur. 385.

Rogabat: Non semel, sed sæpè, instanter, & magnâ cum perseuerantia. Non se Christus inuitantibus exhibebat, illis scilicet, quibus se parum profuturum nouerat. Quando salutem alicuius futuram cognoscebat, se ipsum offerebat, vt Zacchæo, & publicano accidit. Nimirum aliorum salus nostris commodis præferenda est.

Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

DOMUM rogantis Pharisæi ingreditur Christus, & discumbit cum illo ad manducandum; non propter ipsum, à quo nullus fructus sperari poterat, sed propter peccatricis mulieris conuersionem. Pluties antè rogauerat Pharisæus; cur nunc tantùm eius precibus annuit? quia opportunum aderat tempus, quo peccatrix conuertenda erat; suis tunc fruitur deliciis Christus, gratissimisque epulis pascitur. 386.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.

ECCE: Rem nouam significat; & talem, quæ omnium animos in admirationem rapiat. Mulier, conuiuij tempore pœnitentiæ lachrymas fudit. Scilicet peccanti omne tempus ad pœnitentiam congruum est.

Adit peccatrix Auctorem munditiæ, ac sanctitatis: ante Christum se sistit. Verus pœnitens nihil horret, nihil refugit: damnabilem exuit verecundiam. Quæ intus semetipsam grauiter erubescebat, nihil esse credidit, quod erubesceret foris. 387.

Peccatricem fuisse hanc mulierem, dicitur, & nomen eius siletur: cur ita? Et non cap. 8. expressit, cùm dixit, quòd Christum sequebatur? Fors hoc silentio significatur; cùm de peccato agitur, auctoris nomen supprimendum esse, nisi aliter fieri res suadeat: secus, cùm quæ laudem continent de aliquo narrantur.

SECTIO III.

Vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

388. OCcasionem Christum adeundi mulier ista quærebat, quam oblatam statim accipit: ad prandium conuolat, moras non nectit. Ei, qui peccatorum suorum aculeos sentit, longa quælibet mora est, etiam breuis.

In domo Pharisæi: Poterat vel Pharisæi nomen mulierem præsertim peccatricem, & infamem ab ingressu auocare: nouerat, superciliosorum hominum genus Pharisæos esse, & omnium vitia notare: cur non pauit, ne etiam seuerus censor futurus esset in sua, vt verè fuit? Hominum iudicia nil timet, qui Deum amat: quem peccati verè pœnitet, dicteriis non terretur, non contumeliis.

Ad animæ suæ medicum se confert Magdalena, vt sanaretur ab eo. Hac laude insignis, quòd prima fuisse legatur, quæ ad Christum spiritualis sanitatis gratiâ ierit: alij quippe, vt corporis valetudine donarentur, ad Christum accedebant, vt notauit etiam Sanctus Chrysostomus aliique. Non igitur mirum, si donis sit cælestibus adeò cumulata, quæ hoc præcipuè quærebat, quod est præcipuum, animæ scilicet salutem.

389. Ad alienam accessit domum. Nullus alienus est locus, vbi animæ salus quæritur. *Irrupit in domum alienam* (inquit Sanctus Augustinus in Psal. 140.) *sed ille, qui ibi discumbebat non erat alienus. Non extranea quemlibet conuiuam, sed ancilla Dominum suum secuta est.* Damnari poterat, si epularum causâ ad alienum conuiuium iuisset: laudanda, quia salutis causâ iuit.

Pharisæi domum se mulier confert: etiam inter malos quæri Christus debet, debet coli: imò eò ardentiùs amandus nobis Christus, maioribusque obsequiis ex imo corde prodeuntibus honorandus, quò plùs in eius cultu & amore alij peccauere aut peccant.

390. Magdalenæ exemplo nos quoque eò debemus accurrere, vbi Christi nomen insonuerit. Pulchrè Sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum. *Vbicunque mihi resonauerit Christi nomen, accurram: ad cuiuscunque interiorem domum Iesum intrare cognouero, & ipse properabo: cùm reperero sapientiam, cùm reperero iustitiam in alicuius penetralibus recumbentem, curram ad pedes Christi, vt vel extremo sapientiæ vestigio figner; nec fastidiam pedes, imò optabo, vt vel pedibus suis inagat caput meum Christus.*

Vas attulit alabastri, quo Christum vngeret, vt consuetudini seruiret, vt amori. Hebræorum mos erat in lautis, diuitibusque conuiuiis singulares amicos ita excipere. *Attulit alabastrum vnguenti:* Vitæ pristinæ delicias sacrauit Christo; &, quod priùs ad luxum erat, nunc in Christi obsequium est: tanti refert, quò opus tuum dirigas.

Vnguentum ad conuiuium attulit, & fors hoc prætextu domum conuiuij ingredi permissa est: aditum sibi pretioso vnguento ad mensam parauit: nesciebant domestici in solius Christi obsequium vnguentum consumptum iri; sic, opinor, exclusissent.

Et stans retrò secùs pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius.

ANtiquorum mos erat; vt mensæ accumbentes ita iacerent, vt caput ad mensam extenderent, pedes ad exteriorem partem, qua ministri ferentes fercula ibant. Mulier igitur hæc, vt Christi pedes vngeret retrò accessisse dicitur ab hoc more: &, cùm thorus altus esset, stetit, vt pedes vngeret, capillis tergeret, oscularetur. 391.

Lachrymis Christi pedes rigat: non erubuit inter epulas flere: non timuit à conuiuis irrideri. Tantum abest, vt vereretur despici, defugeret contemni, vt, remissionis peccatorum consequendæ desiderio, id vehementer optaret. Quem verè pœnitet, contemptum pro gloriâ habet, & magnæ laudis loco contumeliam. 392.

Christi pedes flens mulier rigat, & abluit; nam prisco illius æui more discalceatus accumbebat conuiua. Indignam quidem se putabat, quæ sanctissimos Christi pedes contrectaret; sed amor audacem fecit.

Pedes Christi sui vnxit mulier fundamentum in illo habitura: hoc Pharisæus non habuit, quia nec illud præstitit: quod ad Iudæos vniuerse transferri potest. Transtulit Sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum. *Iudæus*, inquit, *neque caput neque fundamentum habiturus in Christo, nec caput Christi, nec pedes vnxerat, quod vtrunque pretiosis vnguentis mulier Euangelica irrigauerat: propterea synagoga neque oleum gratiæ neque aqua refectionis à Christo est, cuius typum illi Pharisæo gerenti, circa ipsum & olei & aquæ salutaris fontem & aqua & oleum charitatis exaruit.*

Vnguentum attulit mulier; sed Christo plus affectu & deuotione placuit, quàm vnguento. *Mulier* (inquit idem Sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum) *Christi vestigia vnguento & lachrymis rigans tersit, quæ non tam pretio munerum, quam obsequij placuit affectu. Non eam vnguentum in illâ Dominus, sed* CHARITATEM DILEXIT, *quâ pudenter impudens, & piè improba sine opprobrij & repulsæ metu, extraneam sibi domum pharisæi, non inuitata, illâ vi petulans penetrauit, quâ rapitur Regnum Cælorum.*

Domum subit pharisæi mulier: *Non ad opes illius, sed ad pedes Christi currit*, inquit, Sanctus Paulinus epist. 4. *séque in illis abluit & cibauit, atque ipsos sibi pedes sacrarium (vt ita dixerim) & altare constituit: in quibus libauit fletu, litauit vnguento, sacrificauit affectu.* Christi opibus aucta à pharisæi domo haud abiisset, si huius opes desiderans, noxiæ cupiditati se mactasset; non Christo & Christi amori se totam deuouisset.

Vnxit Christi sui pedes Magdalena. *Accessit ad pedes* (inquit Sanctus Augustinus in Psal. 140.) *quia eius vestigia sequi cupiebat.* Sequi eum volebat quocunque iret. 393.

Quod erga Christum præstitit Magdalena, feliciùs

licius in Magdalenam Christus fecit. Lanit illa Christi pedes, tersit, vnxit: Christus, animæ dolentis peccatricis exhibuit, quod illa exhibuerat eius pedibus. Benè Gillebertus serm. 33. in Cantica. *Mulier illa*, inquit, *quæ erat in ciuitate Maria nomine, quàm fœtida erat, quando accessit ad pedes Iesu in domo Simonis leprosi! Quantùm ipsi fœtebat Simoni, qui præsentiæ eius non sustinuit horrorem portare! Quàm fœtida (inquam) accessit ad Iesum! Et ecce iam in toto Mundo & pœnitentiæ, & dilectionis, & gratiæ, quam reportauit,* SPARGITVR ODOR. *Non est sera gratia Christi: in ipso conuiuio, quo mulier hæc Domini pedes rigauit, tersit & perunxit; & lota, & extersa & peruncta est, & ipsius Domini testimonio Pharisæo præfertur. Non est enim parca clementia Christi, nec pigra quidem: plus rependit, & sub horâ rependit.*

394. *Stans retrò*: Quæ iuxta Christum, non facilè cadit: stat, quæ peccauerat, quæ ceciderat, vt ampliùs non peccaret, non laberetur. *Benè stans*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus; *quia cadere non potest, qui ad pedes Christi meruit peruenire.* Addit: *Ad pedes tendit semper, etiam veniam qui requirit.* Retrò stat: *quia per culpam nouit, se vultus fiduciam perdidisse.*

Pedes Christi abluens Magdalena, animam suam mundauit; vt vel hinc constet, quicquid obsequij præstamus in Christum, in nostram vtilitatem resilire; scitè Sanctus Paulinus. *Quidquid Christo impendimus, nobis potiùs conferimus. Denique illa perfundendo Christum, se abluit; pedes illius detergendo sua peccata mundauit. Illum diligens, se dilexit. Et ideo meruit audire: Fides tua te saluam fecit.*

Et capillis capitis sui tergebat.

395. NVnquid linteum, quo tergeret non habebat? & non deferre secum poterat aut certè postulare? Poterat, sed abstinuit, nec vsa linteo est, vt ostenderet amoris causâ se id facere, non indigentiæ; vtque in re fieri solitâ insolitum seruaret modum.

Et osculabatur pedes eius.

OSculum pacis signum est; vt igitur pacem cum Christo, quem peccando offenderat, iniret, hæc mulier osculum ei exhibuit. Osculatur Christi pedes, vt os, quod superbis, & fors inhonestis verbis polluerat, hoc osculo mundaret.

Et vnguento vngebat.

396. PEdes vnxit, non caput, vt moris erat, in maioris humilitatis signum; vtque ostenderet plusquam hominem esse, quem vngebat. Aut etiam, ne Pharisæum notare videretur, qui caput Christi, pro consuetudine, vngere neglexisset. Iusti ita bonis operibus vacant, vt alios notare, carpereque vitent. Denique pedes vnxit, vt pedibus calcanda deliciarum instrumenta ostenderet.

Vnguentis mulier vtitur, non vt his deliciis Christum deliniret, quem sciebat his capi non posse; sed, vt amorem suum ostenderet, fierentque instrumenta virtutis, quæ priùs fuerant culpæ.

Quid exteriùs fecerit hæc mulier dicitur; quæ interius præstiterit, non narrantur: hæc in mentis secreto cernebat Deus, licèt ab hominum oculis subducerentur. Sed mirum est, quòd nulla huius peccatricis verba referantur. Rerum potiùs, quàm verborum, rationem habeat, qui amat.

Vnguentum effudit mulier: cur non murmurauit hîc Iudas? Cur non indignatus est, sicuti posteà in aliâ vnguenti effusione fecit? An, quia, licèt adesset Iudas, nondum tamen auaritiæ morbo corripiebatur? alioquin se continere non potuisset. An non murmurat, quia hoc vnguentum non fecit ita pretiosum, sicut fuit illud, quod posteriùs effudit? Præterea, totum effusum est, quin & vas fractum; hîc vncti tantùm pedes, nec vas effractum: vnde locus murmurationi datus non est. Denique adeò celeriter Christus pro muliere Pharisæo respondit, vt, quid Pharisæus dicturus esset, omnes attendentes, de vnguento effuso non cogitarent. 397.

A Magdalenâ se tangi, se ablui, se vnguento deliniti passus est; respiciebat enim, non qualis illa fuisset, sed qualis erat futura. Rem egregiè expendit Beatus Laurentius Iustinianus, cuius verba hîc desiderari nolo, & sunt ista: *Quid de Maria* [illegible] *dum est, quæ tantorum immanitate scelerum oppressa iacebat: quàm dulciter eam traxit, quàm suauiter emolliuit cor eius? imbribus lachrymarum sibi lauari permisit pedes, extergi crinibus,* [illegible] *nec inde eam discedere passus est, donec* [illegible] *ueniam reciperet delictorum. Cur hæc? Nem*[illegible]*, quia membrum suum diligebat, etsi nondum sanum, tamen sanandum. Non aspiciebat Dominus quid tunc ipsa erat, sed quid futura erat; tanquam si artifex, & faber lignorum de sylua excidat rudem arboris truncum, de quo velit, ingenio suo, formare imaginem ad decorem regiæ domus. Iam enim imaginem operatus est in corde suo, antequam dolare lignum inchoet. Iam in suo gaudet artificio, tantique rude lignum æstimat, quanti, quod ex ipso elicere meditatus est. Sic (nimirum) sic agit optimus artifex omnium Dominus Iesus.* 398.

Quid extimè officij erga Christum exhibuerit Magdalena, exponit Euangelista: quid intus præstiterit, non explicat. Sed plura sanctioráque fuisse, quæ corde actitabat, non est dubium. Hinc illud Sancti Chrysostomi hom. 6. in Matthæum: *Continuò & crines resoluit, & sanctos pedes vberibus diluens lachrymis, ac, propriis extergens capillis, pretioso rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinsecùs cuncta faciebat: ea verò,* QVÆ IN SECRETO MENTIS AGITABAT, *multò his ignitiora multóque maiora, quæ tantummodò Deus ipse cernebat.*

SECTIO IV.

Superborum *nota est, vt aliorum bona opera* reprehensionem *suam putent.* 399
Inuidia & superbia *cæcutire faciunt, quos inuadunt.* 399
Superbi *cauent, ne alios* honorent. 400
Nostram salutem *quàm ardenter* Christus *desideret.* 400
Inuidi *aliorum bona semper extenuant.* 400
Superbus *ægrè ad pœnitentiam mouetur.* 400
Non epularum amor, sed peccatorum salus *ad conuiuia* Christum *trahebat.* 401
Iniuriæ *obliuioni tradenda.* 401
Correctio *ne sit nimis dura.* 402
Hospitalitas *quanti facienda.* 402
Superbiæ *morbus difficilè sanari potest.* 402
Bona *pro malis reddenda.* 403
Peccator laudationis *flatibus flecti non debet.* 404
In aliena peccata *non sæuiat, qui sua in medium produci timet.* 404

Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum ait intra se dicens: Hic, si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

399. CHristi clementiâ, qui, à peccatrice se tangi, permisit, offenditur pharisæus, qui illum inuitauerat. Sed cur præcipuè ista, non etiam alij, qui aderant? An, quia iniuriam sibi à muliere factam putabat, quippè quæ Christo præstaret, quæ ille neglexerat? superborum hæc nota est, vt aliorum bona opera reprehensionem suam putent. Præterea iste, qui inuitauerat magis, quàm alij, in hoc, quod mulier præstitit, offensus est; quia plerumque ita accidit, vt à bonis operibus superbiendi occasio atripiatur.

Dùm carpit Pharisæus Christum, suo iudicio reum se facit; nam, si talem existimabat esse eam mulierem, cur ipse in domum suam intrare permisit? Cur ad conuiuium accedere, & diu in triclinio morari passus est? Cur Christum non monuit? Inuidia, & superbia cæcutire faciunt, quos inuadunt; vt in eo, in quo alios iudicant,& damnant,se eadem culpa teneri minimè videant. Impij oculati,lyncеique in alios sunt; in se,& in sua omninò cæci.

400. *Hic, si esset propheta*: Pende, quàm superbus hic pharisæus sit,quam inuidus, vt præ superbiâ,ac inuidiâ,Christum proprio nomine appellare veluti dedignetur. *Hic* inquit, nec Iesum nominat, tam honorabili nomine Christum insignire dedignans.

Vide, quàm magna Dei clementia sit, ac nostræ salutis desiderium quàm vehemens; dum tam patienter, à peccatrice se tangi, passus est, & ob eius salutem sustinuit,tanquam ignorans,reputari.

Mulier, quæ tangit eum: Dixisset, quæ fundit lachrymas,quæ pedes eius capillis tergit,quæ osculatur eos, quæ vnguento vngit: nihil horum pharisæus dixit,sed tantùm,quæ tangit eum. Inuidi nimirùm est, aliorum bona aut penitùs supprimere, aut extenuare. Præterea, *tangendi*, verbo est vsus, vt ad immunditiam, quæ contactu contrahebatur, respiceret.

Pende hîc huius Pharisæi sæuitiam, pende malitiam,qui tanto mulieris spectaculo nil mouetur, nec videns lachrymas effundentem mulierem ipse pro suis peccatis vel lachrymulam vllam fundit. Cur non mouetur? Cur insuper damnat? Quia superbus,nulla se pœnitentiâ indigere,putabat.

Et respondens Iesus dixit ad illum Simon habeo aliquid tibi dicere.

NOn expectat Christus verba, occurrit cogita- 401.
tioni,statim respondet; probatur celeritas in innocentis defensione; damnanda mora est, quæ damnum innocenti affert. Discant quàm à iusto abeant, qui in iustitiæ administratione longas trahunt moras.

Simon habeo tibi aliquid dicere. Quàm leuiter Simonem corrigit Christus! nam ita de Magdalenæ salute est solicitus, vt hunc sanitati quoque restituere curet. *Et ipsum*, inquit Sanctus Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 79. *sanare cupiebat*, NE GRATIS *apud eum comederet.* Cùm non epularum amor,sed peccatorum salus ad conuiuia Christum traheret,epulas corporeas offerenti in corporea & spiritualia dona offert.

Simon; proprio nomine eum appellat, quod erga Christum præstare dedignatus erat Pharisæus; vt exemplo suo ostenderet, iniurias obliuioni tradendas, & maioris familiaritatis, & amoris nexu eos amplectendos,qui nos offenderunt.

Simon habeo tibi aliquid dicere; Reprehensurus 402.
Dominus Pharisæum, non statim illum increpat, in illum inuehitur; sed ab hospite dicendi facultatem postulat; paradigma deinde proponit; qua re vrbanitatis, & ciuilitatis exemplum viris Ecclesiasticis docuit; vt durè asperéque nimium in alios non sæuiant, ne ex indignatione, non ex pietatis affectu delinquentes corrigere videantur.

Præterea non statim in Pharisæum insurrexit Christus, vt hospiti deferre videretur, nec hospitij iura, hospitalitatisque beneficium quis contemneret, neque ingratus violaret;tam humanus in Pharisæum Christus fuerit, vt hospitalitatem veneraretur,& honorandam doceret suo exemplo.

Aderat corã Christo & mulier pudicitiâ vidua, & pharisæus inflatus superbiâ: vterque peccator est, vterque medico indigebat; vtrumque sanare Christus studuit, sed priùs Pharisæo medicam admouit manum: cur priùs: An,quia superbiæ morbo laborabat,quod ægrè sanari potest,& nimis periculosè inuadere mentem solet? An, quia Pharisæus superbiæ flammâ feruebat,sed tamen se infirmum nesciebat? *hinc est*, verba sunt Sancti Petri Chrysologi, *quòd Christus illuc primùm curam vertit,vbi ignota famebat infirmitas*; scilicet in magno discrimine versatur,qui graui morbo corripitur,& nescit se corripi; sceleribus est madidus,& peccata sua superbiâ tumens non cognoscit.

At ille dixit ei: rectè iudicasti.

REctè iudicasti: Veritas à quocunque dicatur 403.
probanda est; etiam si malus sit, qui eam profert, sicut hîc factum est. Malè de Christo iudicauerat Pharisæus, & tamen Christus concionem eius laudat: non offensus iniuriâ est; exemplo suo nos erudiens, bona pro malis reddenda esse, nec idcircò expungendum aliquid, & reiciendum, quod ab eo, qui nos, aut nostra vellicauerit, proferatur.

Reprehensurus erat Christus Pharisæum; hîc laudem præmittit;vt reprehensionem temperaret, & placidè alloqueretur, quem arguere volebat; vt suauior esset, gratiorque correctio, & vtiliùs eius animum afficeret, qui corripiebatur, vt, quæ à beneuolo animo esset.

Et

Et conuersus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos; & capillis suis tersit.

404. PEccatricem præsentem, & audientem maximis commendat laudibus: cur non abstinuit, ne in superbiam efferretur? Poterat; vbi Magdalena abiisset, Magdalenam laudare: cur laudat præsentem? An, quia peccatorum onere grauata, & pressa nullis landationis flatibus, nulla aurâ flecti potuit, ac moueri? Nullæ tam magnæ laudes sunt, quæ efferre peccatorem possint, vt intumescat; si tamen seriò secum cogitet, quod peccauerit, quod deliquerit. Magdalenam Christus extulit, licet præsens esset; quia præterita peccata tale pondus peccatrici adiiciebant, vt ferri inani gloriâ non facilè posset, quæ tam facilè, in pœnitenda ferri se, siuerat.

Aquam pedibus meis non dedisti. Quod erat apud Iudæos in vsu: *Osculum mihi non dedisti: Oleo caput meum non vnxisti:* Cur hæc officia prætermissa modò producit in medium, qui antea tacuerat? Numquid priùs non viderat, non obseruauerat? Viderat, obseruauerat, sed, pro insitâ sibi bonitate, ac lenitate, dissimulauerat: verùm, cùm in Magdalenam linguam acueret Pharisæus, factum est, vt ab eius iniuriis ad suas vindicandas resiliret. Vt piam fœminam ab importunis calumniis vindicaret, suas etiam iniurias, quas antea ticuerat, produxit in medium; vt, hoc exemplo moniti, caueamus, in aliena peccata sæuire, & alienos lapsus refricare.

405. *Lachrymis rigauit pedes meos;* In cœna, cum discipulorum pedes Christus lauisset, non lauit suos; nimirum pœnitentium lachrymis ablui volebat quod agit nunc Magdalena; *Fortasse*, ait Sanctus Ambrosius; *ideo non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauemus;* præiuit in exemplum hæc peccatrix.

Non lachrymis tantùm pedes Christi abluit Magdalena, sed & tersit capillis; quod quî fieri & in miseros à quolibet possit, his verbis exponit Sanctus Augustinus: *Pedes Domini capillis suis tersit, quos lachrymis rigauit, significans; quia cum misertus fueris alicuius, debes & SVBVENIRE si potes; cum enim misereris, tanquam lachrymas fundis; cum subuenis, capillis tergis.*

Osculum mihi non dedisti.

O*Sculum mihi non dedisti:* Osculari Dominum debebat, & osculo attrahere puritatem; hinc illud Sancti Gregorij Nysseni hom. 1. in Canticum cant. *Osculum mihi non dedisti. Reuera enim fuisset mundatus ab ægritudine si ore attraxisset veritatem.*

Osculum mihi non dedisti. Osculum maximè exigit Christus, quod non dedit synagoga, Ecclesia dat, & iustus quilibet, qui in ista; osculum dat qui Dei præcepta ex amore obseruat, non ex timore; Pulchre auctor ille in Catena Græca: *Comparans eam cum synagoga ad Pharisæum ait quasi in figura: Osculum mihi non dedisti. Quamuis enim Synagoga præcepta quædam obseruauerit, non tamen ex amore, sed ex timore seruili, mancipij instar hoc faciebat.*

Quia dilexit multum.

QVia dilexit multum; rectè quia *dilexit:* non verò *quia vnxit*, dictum est; affectum magis Deus ponderat, quàm opus. Præclarè Sanctus Bernardus; *affectum*, inquit, *exigit Deus, affectum prædicat; sic David saltando illi placuit, non propter* 2. Reg. 6. *saltum, sed propter affectum; similiter & mulier, quæ vnxit pedes Domini laudata est à Christo, non quia vnxit, sed quia amauit.* 406.

Cui autem minus dimittitur minùs diligit.

C*Vi autem minus dimittitur, minùs diligit;* nam dimissa peccata solent amorem accendere, qui sæpè in iis, qui nunquam peccauerunt deferuescit. *Cui plus dimittitur, plus diligit;* inquit Sanctus Ambrosius, *sæpè videmus aliquos, qui ante negligentes fuerant Christiani, peccato aliquo commisso fieri diligentiores, & ex illo per pœnitentiam euadere solere perfectos.*

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

LIcèt Pharisæo dixerit, muliere audiente, remissa esse illi peccata, ad eam tamen sermonem dirigit, & idem repetit; vt nouo, hæc rursus audiens, quæ fuerat peccatrix gaudio perfunderetur. Audit ipsa, quod quærebat, & cuius causâ aduenerat. 407.

Remittuntur: Verbum præsentis temporis positum est pro præterito; quia parum temporis intercesserat, quando ei remissa peccata fuerant.

Remittuntur tibi peccata: Hoc ferè Christo solenne, vt remissionis & veniæ priùs mentionem faciat, quàm peccati. Paralytico etiam dixit: *Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua.* Apostolis quoque dictum: *Quorum remiseritis peccata.* Cur hoc factum? An, vt vel hinc colligeretur, quanto dimittendi peccata desiderio, qui nullo peccato tenebatur, teneretur? An (vt ille ait) *ne peccatores turbarentur, si ante peccatum, quàm veniam, pronunciasset?*

Remittuntur tibi. Non *remittentur;* nihil interiacet inter lachrymas, & inter veniam, tanta vis lachrymis inest; quas amor elicuerit, & verus dolor; Benè Sanctus Petrus Damianus serm. 28. *Remittuntur tibi peccata. Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit, & abstergit: & hoc quidem festinanter, quia sine vllo interuallo coniunguntur, & lachrymæ peccatricis, & indulgentia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur; vt de præterito non sit solicita, secura de futuro.*

Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

NOn à nudâ fide salus fuit, sed à lachrymis, à pœnitentiâ, ab amore. Vera fides alias etiam virtutes comites habere debet. 408.

Vade in pace. Dimittenda mulier erat, non facilè à Christi conspectu recessura; tam magnum ex Christi præsentiâ fructum recipiebat, tantáque suauitate afficiebatur, vt non facile à Christo discederet, nisi dimitteretur.

Vade, inquit, *in pace:* Ac si diceret: Abi quieta; nulla te solicitudo perturbet; remissionem peccatorum obtinuisti; quam, qui consequutus, tranquillo esse animo potest, & quieto; alioquin peccatis obseptus sine pace, sine tranquillitate est,

idcirco priùs dixerat: *Remittuntur tibi peccata,* postea adiicit: *Vade in pace*, abire quippe in pace non potest, qui à peccatis solutus non est.

Pœnitentis Magdalenæ laudes egregiè conglomerat Sanctus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 46. art. 3. cap. 7. vbi ait: *ò igitur fœmina ab omnibus benedicta quis te dignè laudare queat? quis exprimere posset laudes tuas? quis enarrare valeret magnalia tua? tu speculum peccatorum, tu gaudium Angelorum, tu pœnitentiæ forma, tu castitatis exemplum, tu mulierum pœnitentium fortitudo, tu discipula veritatis, tu sapientiæ schola, tu Apostolorum Apostola, tu solitariorum securitas, tu contemplantium titulus, tu Diuini amoris fornax, tu lætitia deuotorum, tu diuinorum sensuum apotheca, tu Ærarium charismatum diuinorum, tu templum Dei, tu habitaculum Spiritus sancti, & verè quicquid potest lingua enarrari, minus est laude tua, gloria tua.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

C A P V T VIII. L V C Æ.

Vers. 1.

ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo.

Factum est. *Vat. Euenit.*
Deinceps. *Syr. Post hac. Arab. Post hoc.*
Et ipse i. f. *Syr. Vt perlustraret Iesus. Vat. Vt ipse iter faceret.*
Per ciuitates. *Syr. Per vrbes. Arab. Per omnem ciuitatem. Pagn. Per singulas ciuitates. Vat. Oppidatim.*
Castella. *Euth. Vicos. Vat. Vicatim.*
Euangelizans. *Pagn. Annuncians.*
Duodecim. *Syr. Duodecim eius. Fr. Luc. Illi duodecim.*

Vers. 2.

Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant,

Et mulieres. *Theoph. Simulque mulieres.*
Aliquæ. *Syr. Illa. Arab.* omittit. *Euth. Quadam.*
Erant curatæ. *Syr. Fuerant sanata.*
Spiritibus malignis e: i. *Syr. A morbis, & spiritibus malis.*
De qua. *Syr. Ea est, de qua.*
Exierant. *Arab. Eiecerat.*

Vers. 3.

Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Chusæ. *Theoph. Chuza.*
Procuratoris. *Syr. Præfecti domus. Arab. Thesaurarij. Fr. Luc. Administratoris.*
Aliæ multæ. *Syr. Filia plurima.*
Ei. *Theoph. Eis.*
De facultatibus. *Syr. Ex facultatibus.*

Vers. 4.

Cùm autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem:

Cùm autem c. *Syr. Quum coacta esset. Arab. Et conuenerunt. Orig. Conueniente autem.*
Turba. *Orig. Populo.*
Plurimo. *Arab. Magna. Euth. Multa. Orig. Multo.*
De ciuitatibus. *Syr. Ex omnibus ciuitatibus. Arab. De omni ciuitate. Orig. Per singulas ciuitates. Vat. Passim è ciuitatibus. Ar. M. Secundùm ciuitatem. Caiet. De singulis ciuitatibus. Fr. Luc. Qui Oppidatim.*
Properarent. *Syr. Conuenirent. Arab. Qui venerunt. Orig. Exeunte. Ar. M. Aduenientibus. Fr. Luc. Proficiscerentur.*
Per similitudinem. *Syr. Per parabolas. Orig. Parabolam talem.*

Vers. 5.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

Qui seminat s. *Euth. Qui seminabat ad seminandum. Theoph. Qui sementem faciebat ad seminandum. Vat. Seminatur ad seminandum. Caiet. Qui vt seminaret seminabat.*
Aliud. *Syr. Hoc quidem. Arab. Aliquod.*
Dum seminat. *Pagn. Inter seminandum.*
Secus. *Arab. Super. Theoph. Circa.*
Comederunt. *Euth. Comederunt. Vat. Deuorauerunt.*

Vers. 6.

Vulgata Editio. | **Lectionum Varietas.**

Verſ. 6.

Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

Et aliud. *Syr. Aliud autem.*
Natum. *Syr. Illico germinauit. Euth. Enatum.*
Aruit. *Ar.M. Exaruit.*
Non habebat h. *Arab. Non erat ei terra.*

Verſ. 7.

Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.

Et aliud. *Syr. Aliud autem.*
Inter ſpinas. *Ar. M. In medio ſpinarum.*
Simul. *Arab. Cum eo.*
Exortæ. *Syr. Germinauerunt ſpinæ. Fr. Luc. Enatæ.*

Verſ. 8.

Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Et aliud. *Syr. Aliud denique.*
In terram. *Arab. Super terram.*
Bonam. *Syr. Bonam & pulchram.*
Ortum. *Syr. Germinauit. Arab. Cùm natum eſſet. Fr.Luc. Enatum.*
Fecit. *Syr. Edidit. Vat. Attulit.*
Fructum c. *Syr. Fructum vnum in centum.*
Dicens. *Arab. Et cùm hoc dixiſſet.*
Clamabat. *Arab. Clamauit.*
Qui habet a. *Arab. Cui ſunt aures.*
Audiendi. *Arab. Audientes. Pagn. Ad audiendum.*

Verſ. 9.

Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola.

Interrogabant a. *Arab Deinde interrogauerant.*
Quæ eſſet. *Theoph. Dicentes quænam eſſet. Fr.Luc. Quid ſibi vellet.*

Verſ. 10.

Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Quibus ipſe. *Pagn. At ille.*
Vobis. *Syr. Vobis etenim.*
Datum eſt noſſe. *Arab. Datum eſt ſcire. S. Epiph. Ediſſerenda ſunt.*
Myſterium. *Syr. Arcana. S.Epiph. Parabola. Caiet. Myſteria.*
Regni Dei. *S. Epiph. Ad regni cæleſtis enarrationem.*
Cæteris autem. *Syr. Cæteris autem illis.*
In parabolis. *Syr. Per parabolas dictum eſt.*
Videant. *Euth. Cernant.*

Verſ. 11.

Eſt autem hæc parabola: ſemen eſt verbum Dei.

Verbum. *Vat. Sermo.*

Verſ. 12.

Qui autem ſecùs viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.

Secus. *Arab. Super. Pagn. Iuxta.*
Audiunt. *Arab. Audiunt verbum. Vat. Audiunt ſermonem. Ar.M. Sunt audientes.*
Diabolus. *Syr. Inimicus.*
Verbum. *Euth. Sermonem.*
De corde. *Syr. Ex cordibus.*
Ne credentes. *Arab. Ne credant.*
Salui fiant. *Arab. Et ſalui fiant. Theoph. Seruentur.*

Verſ. 13.

Nam qui ſupra petram: qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Nam qui. *Arab. Quod autem.*
Hi ſunt. *Arab. Sunt.*
Cùm audierint. *Arab. Audiunt verbum.*
Suſcipiunt v. *Arab. Accipiunt illud. Euth. Excipiunt ſermonem.*
Hi radices n. h. *Arab. His non eſt radix. Caiet. Hi radicem non habent.*
Quia. *Syr. Sed. Arab. Et. Caiet. Qui.*
Ad tempus c. *Syr. Temporaria eſt fides eorum. Arab. Et ipſi credunt vſque ad tempus tentationis.*
In tempore. *Vat. Tempore.*
Recedunt. *Syr. Impingunt. Arab. Dubitant. Vat. Deficiunt. Ar.M. Subſiſtunt.*

Verſ. 14.

Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt

In ſpinas. *Syr. Inter ſpinas.*
Cecidit. *Ar.M. Cadens.*
Qui audierunt. *S.Greg. Qui audiunt.*
A ſolicitudinibus. *Syr. A ſolicitudine. Arab. omittitis*

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum.

Euth. *Sub solicitudinibus.* *Vat.* *Præ solicitudinibus.*
Diuitiis. *Arab.* *Propter diuitias.*
Voluptatibus. *Syr.* *Concupiscentiis.* *Arab.* *Voluptates.*
Vitæ. *Syr.* *Mundi.* *Arab.* *Vita eorum.*
Euntes. *Ambulantes in eis.* *Ar.M.* *Profecti.*
Non referunt f. *Syr.* *Fructusque non edunt.* *Arab.* *Fructum non afferunt.* *Vat.* *Nec fructum perferunt.*

Vers. 15.
Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

In bonam. *Arab.* *Cecidit in bonam.* *Ar.M.* *In pulchrum.*
Bono. *Syr.* *Humili.* *Ar. M.* *Pulchro.* *Caiet.* *Honesto.*
Optimo. *Arab.* omittit. *Theoph.* *Bene.*
Audientes verbum. *Euth.* *Auditum sermonem.*
Retinent. *Syr.* *Amplectuntur.* *Arab.* *Illud conseruant.*
Fructum afferunt. *Syr.* *Fructus edunt.* *Arab.* *Fructificant.*
In patientia. *Pagn.* *Per patientiam.* *Hæc dicens clamabat.* *Qui habet aures ad audiendum audiat.*

Vers. 16.
Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.

Accendens. *Fr. Luc.* *Postquam accenderit.*
Subtus lectum. *Euth.* *Sub lecto.*
Supra candelabrum p. *Vat.* *Imponit candelabro.*
Vt intrantes. *Syr.* *Vt quicunque ingrediatur.* *Arab.* *Et introeuntes.*
Videant. *Syr.* *Videat.* *Arab.* *Vident.* *Ar.M.* *Aspiciunt.*
Lumen. *Syr.* *Lumen eius.*

Vers. 17.
Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat.

Non est. *Vat.* *Nihil est.*
Occultum. *Arab.* *Absconditum.*
Manifestetur. *Syr.* *Reueletur.* *Ar. M.* *Manifestum fiet.* *Fr. Luc.* *Manifestum futurum sit.*
Absconditum. *Arab.* *Occultum.*
Cognoscatur. *Arab.* *Reueletur.* *Theoph.* *Sit cognoscendum.* *Fr. Luc.* *Cognoscetur.*
Et in palam v. *Arab.* omittit. *Theoph.* *Et in propatulum venturum sit.* *Caiet.* *Et in apertum veniat.*

Vers. 18.
Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

Videte. *Ar. M.* *Aspicite.*
Quid. *Vat.* *Quomodo.*
Audiatis. *Ar.M.* *Auditis.*
Qui. *Pagn.* *Quisquis.* *Caiet.* *Quicunque.*
Habet. *Euth.* *Habuerit.*
Dabitur illi. *Arab.* *Donabitur.*
Quicunque. *Euth.* *Quisquis.* *Ar. M.* *Qui.*
Non habet. *Euth.* *Non habuerit.*
Putat se. *Fr. Luc.* *Videtur.*
Auferetur. *Euth.* *Tolletur.*

Vers. 19.
Venerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba.

Et non poterant. *Vat.* *Cumque non possent.*
Adire eum. *Syr.* *Eum alloqui.* *Arab.* *Alloqui cum eo.* *Euth.* *Accedere ad eum.* *Theoph.* *Contingere eum.* *Theoph.* *Audire eum.*
Præ turba. *Euth.* *Propter turbam.*

Vers. 20.
Et nuntiatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre.

Nunciatum est illi. *Syr.* *Dicunt ei.* *Euth.* *Nunciatum est illi, dictumque.* *Tert.* *Adnunciatum est illi.* *Pagn.* *Nunciatum est illi à dicentibus.* *Vat.* *Renunciatum est illi dictumque à quibusdam.*

Vers. 21.
Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

Hi sunt. *Arab.* *Sunt.*
Verbum. *Syr.* *Sermonem.*
Faciunt. *Syr.* *Eum exequuntur.* *Pagn.* *Illud faciunt.*

Vers. 22.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 22.

Factum eſt autem in vna dierum: & ipſe aſcendit in nauiculam, & diſcipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt.

Factum eſt autem. *Euth. Et accidit.*
In vna d. *Theoph. Quodam die.*
Et ipſe aſcendit. *Syr. Vt Ieſus conſcenſâ Vat. Cum ipſe aſcendiſſet.*
In nauiculam. *Syr. Nam ſederet in eâ Ar.M. In nauiculâ. Pagn. In nauem.*
Transfretemus. *Arab. Eamus. Vat. Traiiciamus. Fr.Luc. Tranſeamus.*
Trans ſtagnum. *Syr. In vlteriorem ripam maris. Arab. Trans fretum ſtagni. Euth. In vlteriorem ripam ſtagni. Ar. M. In vlterius ſtagni. Pagn. Ad vlteriorem ſtagni.*
Aſcenderunt. *Syr.* omittit. *Arab Iuerunt. Theoph. Soluerunt. Ar.M. Prouecti ſunt. Caiet. Receſſerunt.*

Verſ. 23.

Et nauigantibus illis, obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur.

Et. *Pagn. Cæterum.*
Nauigantibus i. *Arab. Dum ipſi irent.*
Obdormiuit. *Syr. Somno ſe dedit ipſe Ieſus. Ar.M. Sopitus eſt.*
Deſcendit. *Syr. Factus eſt. Theoph. Ingruit.*
Procella venti. *Syr. Turbo venti. Arab. Ventus procella.*
In ſtagnum. *Syr. In mari.*
Complebantur. *Syr.* omittit. *Arab. Circumdedit eos. Euth. Implebantur.*
Periclitabantur. *Syr. Propè erat nauis vt mergeretur. Arab. Erant in agoniâ.*

Verſ. 24.

Accedentes autem ſuſcitauerunt eum dicentes: Præceptor, perimus. At ille ſurgens, increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas.

Accedentes autem. *Arab. Et acceſſerunt ad eum.*
Præceptor. *Syr. Magiſter noſter, magiſter noſter. Arab. Magne noſter, Magne noſter. Euth. Præceptor, præceptor. Fr.Luc. Rabbi.*
Perimus. *Arab. Salua nos.*
Surgens. *Ar.M. Excitatus. Caiet. Expergefactus. Pagn. Experrectus. Fr.Luc. Cum ſurrexiſſet.*
Increpauit. *Syr. Obiurgauit.*
Ventum. *Syr. Ventos.*
Tempeſtatem aquæ. *Syr. Fluctuationes aquarum. Arab. Fluctus. Ar.M. Fluctuationem aquæ.*
Ceſſauit. *Syr. Quieuerunt. Fr.Luc. Ceſſauerunt.*
Tranquillitas. *Arab. Tranquillitas magna.*

Verſ. 25.

Dixit autem illis: Vbi eſt fides veſtra? Qui timentes, mirati ſunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

Qui timentes. *Syr. Hi autem, cum expaueſcerent. Euth. Territi verò. Vat. Timentes autem.*
Mirati ſunt. *Syr. Mirabantur. Euth. Admirabantur.*
Ad inuicem. *Syr. Vnus ad alium. Arab. Alter eorum ad alterum. Theoph. Inter ſe.*
Dicentes. *Arab. Et dixit.*
Quis putas. *Arab. Quis videtur. Vat. Quiſnam.*
Hic eſt. *Arab. Hic.*
Quia imperat. *Syr. Vt imperet. Fr.Luc. Increpauit.*
Et ventis. *Pagn. Ventis quoque.*
Mari. *Syr. Fluctuationibus & mari. Theoph. Aquæ.*
Obediunt. *Tert. Obaudiunt.*

Verſ. 26.

Et nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.

Nauigauerunt. *Arab. Transfretauerunt. Vat. Appulerunt.*
Ad regionem. *Syr. Veneruntque in regionem.*
Geraſenorum. *Ar.M. Gadarenorum.*
Contra Galilæam. *Syr. In vlteriori ripâ ex aduerſo Galilææ. Arab. Contra fretum Galilææ. Euth. E regione Galilææ. Fr.Luc. Oppoſita Galilææ.*

Verſ. 27.

Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occur-

Cùm egreſſus eſſet. *Ar.M. Exeunti autem ipſi.*
Ad terram. *Theoph. De naui ad terram. Vat. In terram.*

rit

Vulgata Editio.

rit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

Lectionum Varietas.

Quidam. *Arab. Quidam de ciuitate. Ar.M. Quidam ex vrbe.*
Qui habebat. *Syr. In quo erat. Arab. Cum quo erat.*
Dæmonium. *Caiet. Dæmonia.*
Iam temporibus m. *Syr. A tempore multo. Arab. Ex tempore longo. Ar.M. Ex temporibus multis. Fr.Luc. Iam temporibus sufficientibus.*
Vestimento. *Arab. Veste.*
Induebatur. *Syr. Amiciebatur. Arab. Erat indutus.*
In domo m. *Syr. In ædibus degebat. Arab. Domum habitabat.*
In monumentis. *Arab. Sepulchra.*

Vers. 28.

Is, vt vidit Iesum, procidit ante illum & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas.

Is, vt vidit. *Euth. Intuitus autem. Ar. M. Videns verò.*
Procidit ante i. *Syr. Exclamauit, & procidit coram eo. Pagn. Et exclamasset procidit ante illum. Ar. M. Et exclamans procidit illi.*
Magnâ. *Arab. Altâ.*
Quid mihi e. t. e. *Syr. Quid nobis & tibi. Vat. Quid mihi rei tecum est.*
Altissimi. *Euth. Excelsi.*
Obsecro te. *Syr. Peto à te.*
Torqueas. *Syr. Crucies.*

Vers. 29.

Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

Præcipiebat. *Syr. Præcipiebat Iesus. Arab. Præcepit.*
Immundo. *Euth. Impuro.*
Multis enim t. *Syr. Multum enim iam temporis fuerat, ex quo. Arab. A tempore multo.*
Arripiebat. *Syr. Captiuum detinebat. Caiet. Corripuerat.*
Custoditus. *Arab. Detinebatur carceribus. Pagn. Custodiebatur.*
Et ruptis. *Syr. Et fregerat. Arab. Et rumpebat. Ar. M. Et Perrumpens. Fr.Luc. Sed dirumpens.*
Vinculis. *Syr. Vincula sua.*
Agebatur. *Syr. Ducebatur. Arab. Agebat. Fr.Luc. Agitabatur.*
A dæmonio. *Arab. Eum dæmonium.*
Deserta. *Pagn. Deserto.*

Vers. 30.

Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum.

Tibi nomen. *Arab. Tuum nomen.*
Intrauerant. *Euth. Ingressa erant.*

Vers. 31.

Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.

Rogabant illum. *Syr. Efflagitabant ab eo. Euth. Deprecabantur illum. Pagn. Rogauerunt.*
Imperaret i. *Syr. Præciperet. Euth. Iuberet ipsis.*
Vt irent. *Ar.M. Abire.*
Abyssum. *Pagn. Voraginem. Fr. Luc. Profundam voraginem. Infernum.*

Vers. 32.

Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi: & permisit illis.

Rogabant eum. *Syr. Efflagitabant ab eo.*
Ingredi. *Arab. Intrare. Euth. Introire.*

Vers. 33.

Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.

Exierunt ergo. *Euth. Egressi verò. Ar.M. Exeuntia autem.*
Ab homine. *Syr. Ex homine.*
Intrauerant. *Syr. Ingressi sunt.*
Impetu. *Syr. Rectà.*
Abiit grex per p. i. s. *Syr. Contendit totus ille grex ad saxum, & ceciderunt in mare. Arab. Abiit grex in rupim excauatam & cecidit in mare.*
Suffocatus est. *Arab. Suffocati sunt.*

Vers. 34.

Quod vt viderunt factum qui pasce-

Quod vt v. f. *Euth. Quum autem vidissent, quod acciderat. Ar.M. Videntes autem factum. Theoph. Porrò vt viderunt, quod acciderat.*

bant,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

bant,fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem,& in villas.

Qui paſcebant. *Arab. Paſtores.*
Nunciauerunt. *Arab. Nunciauerunt iis. Euth. Renunciauerunt. Ar. M. Abeuntes nunciauerunt. Pagn. Rumorem nunciauerunt. Vat. Rem renunciauerunt.*
In ciuitatem. *Syr. In ciuitates. Arab. Qui erant in ciuitate.*
In villas. *Syr. In pagos. Arab. Agris. Fr.Luc. In agros.*

Verſ. 35.

Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Ieſum: & inuenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente, ad pedes eius, & timuerunt.

Exierunt autem. *Syr. Et exierunt quidam.*
Videre. *Caiet. Vt viderent.*
Factum eſt. *Euth. Acciderat.*
Sedentem. *Arab. Qui erat ſedens.*
Veſtitum. *Arab. Veſtitus veſtimento ſuo.*
Ac ſana m. *Syr. Et verecundum. Arab. Sapiens. Euth. Ac ſana mentis.*
Ad pedes. *Arab. Apud pedes.*
Eius. *Syr. Ipſius Ieſu.*
Timuerunt. *Vat. Territi ſunt.*

Verſ. 36.

Nunciauerunt autem illis, & qui viderant, quomodo ſanus factus eſſet à legione:

Nunciauerunt a. *Syr. Et recitârunt. Vat. Renunciauerunt.*
Sanus factus e. *Syr. Sanitati reſtitutus. Ar. M. Seruatus eſſet. Fr Luc. Liberatus eſſet.*
A legione. *Arab. Ille homo,cum quo erant dæmonia. Theoph Is qui à dæmonio agitabatur. Fr. Luc. Is, qui fuerat dæmoniacus.*

Verſ. 37.

Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, vt diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. Ipſe autem aſcendens nauim, reuerſus eſt.

Rogauerunt. *Syr. Efflagitabant ab eo.*
Omnis multitudo. *Syr Vniuerſi cœtus. Arab. Omnes turbæ. Ar. M. Omnis multitudo.*
Regionis. *Syr.* omittit. *Arab. Quæ erant in regione. Euth. Adiacentium. Caiet. Regionis circumiacentis.*
Geraſenorum. *Syr. Gadarenorum.*
Vt diſcederet. *Ar. M. Abire.*
Quia magno t. t. *Syr. Quippè quos timor magnus inuaſerat. Arab. Quia illi timuerant timore magno. Ar. M. Quia timore magno ſimul tenebantur.*
Aſcendens nauim. *Pagn. Conſcenſâ naui.*
Reuerſus eſt. *Syr. Reuerſus eſt ab eis.*

Verſ. 38.

Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Ieſus, dicens.

Et rogabat illum. *Syr. Porro efflagitabant ab eo. Euth. Orabat autem illum. Theoph. Rogauerat enim illum. Fr.Luc. Tunc autem rogabat illum.*
Vir. *Arab. Homo. Fr.Luc. Vir ille.*
Dimiſit. *Euth. At remiſit. Pagn. Sed ablegauit.*

Verſ. 39.

Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuerſam ciuitatem, prædicans quanta illi feciſſet Ieſus.

Redi in d. *Syr. Reuertere domum.*
Narra. *Syr. Recita.*
Quanta. *Syr. Id quod. Arab. Quæ. Pagn. Quæcunque.*
Et. *Syr. Itaque.*
Per vniuerſam c. *Arab. In ciuitate. Vat. Per totam ciuitatem.*
Prædicans. *Arab. Et dicebat.*
Quanta. *Syr. Quod. Arab. Quæ. Pagn. Quæcunque.*

Verſ. 40.

Factum eſt autem cùm rediiſſet Ieſus, excepit illum turba, erant enim omnes expectantes eum.

Cùm rediiſſet I. *Euth. Cùm reuerteretur Ieſus. Theoph. Cùm rediret. Ar. M. In redire Ieſum.*
Excepit. *Arab. Exceperunt.*
Turba. *Arab Turbæ.*
Erant enim o. e. *Syr. Omnes enim conſpicabantur. Arab. Quia erant expectantes. Pagn. Nam omnes expectabant.*

Verſ. 41.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Verſ. 41. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps Synagogæ erat: & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum, vt intraret in domum eius.	Et ecce venit vir. *Syr. Ac vir quidam. Arab. Et venit ad eum homo.* Et cecidit. *Syr. Procidit. Pagn. Proſtratuſque. Ar. M. Et cadens. Fr. Luc. Cúmque accidiſſet.* Ad pedes. *Syr. Ante pedes ipſius.* Rogans eum. *Syr. Et poſtulabat ab eo. Euth. Deprecabatur eum. Pagn. Rogabat eum.* Intraret in d. *Syr. Ingrederetur Ædes.* Eius. *Vat. Suam.*
Verſ. 42. Quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.	Vnica. *Euth. Vnigenita.* Ferè annorum. *Syr. Circiter annos. Arab. Qua habebat annos. Euth. Fermè annorum. Ar. M. Vt annorum.* Moriebatur. *Syr. Propè erat, vt moreretur. Arab. Iam appropinquabat morti.* Et contigit d. i. *Syr. Quum autem abiret cum eo ipſo Ieſus Theoph. Verùm inter eundum autem.* A turbis. *Syr. Turba multa. Fr. Luc. Turba.* Comprimebatur. *Syr. Comprimebat eum. Fr. Luc. Coarctabant eum.*
Verſ. 43. Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari.	Et mulier. *Syr. Mulier verò. Arab. Et ecce mulier.* Quædam erat. *Syr. Quedam cuius eruperat. Arab. Cui erat. Ar. M. Quadam exiſtens. Vat. Qua erat obnoxia.* In fluxu ſ. *Syr. Sanguis. Arab. Fluxus ſanguinis. Vat. Profluuio ſanguinis.* Quæ. *Syr. Qua quidem. Arab. Et.* In medicos. *Ar. M. Medicis.* Erogauerat. *Theoph. Impenderat. Caiet. Inſumpſerat.* Omnem ſ. ſ. *Syr. Totam ſubſtantiam ſuam. Arab. Quodcunque erat ei. Pagn. Omnem ſubſtantiam. Ar. M. Omnem vitam. Fr. Luc. Totum victum.* Ab vllo. *Syr. A quoquam.* Potuit. *Vat. Potuerat.*
Verſ. 44. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.	Acceſſit. *Arab. Et venit.* Retrò. *Syr. A tergo ipſius.* Tetigit. *Arab. Tenuit.* Fimbriam. *Syr. Oram. Arab. Extremitatem.* Stetit. *Theoph. Siſtebatur. Vat. Subſtitit.* Fluxus. *Syr. Profluuium.* Sanguinis e. *Arab. Sanguinis eius, qui fluebat ab ea.*
Verſ. 45. Et ait Ieſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?	Quis eſt, qui m. t. *Ar. M. Quis tangens me.* Negantibus a. o. *Arab. Et negauerunt omnes illi. Tert. Excuſantibus autem diſcipulis.* Petrus. *Syr. Simon Petrus.* Præceptor. *Syr. Magiſter noſter.* Turbæ. *Arab. Turba.* Comprimunt. *Arab. Comprimit. Pagn. Conſtringunt. Franc. Luc. Coarctant.* Affligunt. *Arab. Circundat. Euth. Coarctant. Caiet. Affligunt. Fr. Luc. Opprimunt.*
Verſ. 46. Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exiiſſe.	Et dixit. *Syr. Subdit verò.* Tetigit me. *Arab. Appropinquauit mihi.* Aliquis. *Arab. Quis. Euth. Quiſpiam.* Noui. *Tert. Senſi.* Virtutem. *Pagn. Potentiam. Vat. Vim.* De me. *Theoph. A me. Tert. Ex me.* Exiiſſe. *Ar. M. Exeuntem. Tert. Profectam.*
Verſ. 47. Videns autem mulier, quia non latuit,	Quia non l. *Syr. Eum non fefelliſſe. Arab. Quia non oblitus eſſet eius. Vat. Se non latuiſſe.*

tremens

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

Venit. *Euth. Accessit.*
Procidens ante p. e. *Syr. Procidens adorauit eum. Arab. Procidit ad eum adorans. Goth. Procidens ad pedes eius.*
Tetigit. *Arab. Appropinquasset ei, & tetigisset.*
Indicauit. *Syr. Dixit. Arab. Nunciauit. Vat. Indicauit ei. Fr. Luc. Declarauit ei.*
Coram omni p. *Syr. In conspectu totius populi. Arab. Coram turbâ. Pagn. Coram toto populo.*
Quemadmodum. *Fr. Luc. Quomodo.*
Sanata sit. *Syr. Sanitati fuisset restituta. Vat. Sanata fuisset.*

Vers. 48.

At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit: Vade in pace.

Filia. *Syr. Bono sis animo, filia mea. Ar. M. Confide filia. Vat. Bono animo esto, filia.*
Saluam te f. *Euth. Te seruauit.*
In pace. *Theoph. Cum pace.*

Vers. 49.

Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

Quidam. *Arab. Vnus.*
Ad principem. *Syr. Ex ædibus principis. Arab. De familiâ principis. Goth. A domo principis. Caiet. A principe.*
Quia. *Arab. Iam.*
Filia. *Pagn. Filia tua.*
Noli vexare. *Syr. Ne laborem exhibeas. Arab. Ne vexes.*
Illum. *Syr. Doctori. Fr. Luc. Magistrum.*

Vers. 50.

Iesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ. Noli timere, crede tantùm, & salua erit.

Audito. *Ar. M. Audiens.*
Noli timere. *Vat. Ne metue.*
Crede tantùm. *Syr. Tantummodo crede. Ar. M. Crede.*
Salua erit. *Ar. M. Seruabitur.*

Vers. 51.

Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.

Et cùm venisset d. *Syr. Venit autem Iesus domum. Ar. M. Ingressus autem in domum. Vat. Et quum venisset in ædes.*
Non quenquam. *Euth. Neminem.*
Intrare secum. *Pagn. Intrare.*

Vers. 52.

Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

Plangebant. *Fr. Luc. Cædebant. Feriebant.*
Illam. *Syr. Super eâ. Arab. Super illam.*
Nolite flere. *Vat. Ne flete.*
Mortua puella. *Theoph. Mortua.*

Vers. 53.

Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset.

Deridebant. *Syr. Irridebant.*
Quod mortua e. *Arab. Mortem illius.*

Vers. 54.

Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella, surge.

Tenens. *Syr. Eiecit omnes foras, & apprehendit. Arab. Eiecit omnes foras, & tenuit. Pagn. Eiectis foras omnibus apprehensa.*
Manum. *Pagn. Manu.*
Clamauit. *Syr. Vocauit. Al. Exclamauit.*

Vers. 55.

Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò. Et iussit illi dari manducare.

Reuersus. *Caiet. Conuersus.*
Surrexit. *Fr. Luc. Resurrexit.*
Continuò. *Euth. Repentè.*
Iussit. *Syr. Præcepit. Ar. M. Ordinauit.*
Dare. *Theoph. Dari.*
Manducare. *Syr. Quid manducandum. Arab. Vt comederet. Theoph. Cibum.*

Vers. 56.

Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Stupuerunt. *Vat. Obstupuerunt.*
Quibus præcepit. *Euth. Ipse verò admonuit eos. Pagn. At ille præcepit eis. Vat. Ipse verò interdixit eis.*
Dicerent. *Arab. Manifestarent.*

CAPUT VIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Et ipse iter faciebat per ciuitates, & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei.

409. Neſcit non prodeſſe Chriſtus: iter faciebat per ciuitates, & caſtella, vt omnes præſentiæ ſuæ fructu fruerentur. Prædicabat, & euangelizabat. Prædicare ad doctrinam morum pertinet; euangelizare ad Chriſti aduentum refertur; ergo & ad mores inſtruebat, & aduentum ſuum annuntiabat: ſcilicet non prædicabat tantùm ſe ipſum, ſed vitæ emendationem in aliis operabatur, vt omnibus fructuoſus eſſet eius aduentus. Videat doctor, ne ſe, & ſua prædicet, alios ad vitæ ſanctitatem perducere non curans. Quod à ſuis concionatoribus Chriſtus auertat.

Regnum Dei; per regnum Dei cæleſtem patriam aliqui interpretantur; ſed cohærentiùs *regnum Dei*, tempus aduentus Meſſiæ intelligitur, ſicut & Matth. 3. *appropinquauit regnum cælorum*, id eſt tempus aduentus Chriſti. Regnum autem hoc tempus dicitur; quia credentes per eum regnaturi erant ſpiritualiter, & poſteà ad cæleſte regnum Chriſti auxilio, & gratiâ transferendi.

Et duodecim cum illo.

410. Quid egerint duodecim cum Chriſto non dicitur. Putant aliqui & prædicaſſe, & euangelizaſſe. Probabilior cenſio eſt verbi miniſterium tunc non obiiſſe, ſed ea, quæ ad Euangelij doctrinam faciebant, didiciſſe, à Chriſto prædicanda audientes: Quo exemplo inſtruimur, non priùs eſſe alicui aliis prædicandum, niſi, quæ docturus eſt, ipſe didicerit. A Chriſto, Chriſtique moribus colligebant, quales eſſe deberent, qui aliorum magiſtri erant futuri, & doctrinam optimam optimis eſſe moribus animandam.

Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus.

411. Deuotæ hæ mulieres à Chriſto beneficio affectæ Chriſtum ſequebantur, neque enim beneficij, ac benefactoris obliuiſci poterant: ſequebantur eum quaſi eius diſcipulæ. Mulieres autem circumducere Hebraicæ conſuetudinis erat, quæ conſuetudo offenſionem omnem, quam ingerere circumductio iſta poſſet, adimit.

Sequebantur hæ mulieres Chriſtum, non ſolùm vt eius verba audirent, quod illis gratiſſimum, ſed vt de ſubſtantiis ſuis Chriſto miniſtrarent: nam apud Iudæos hic mos vigebat, vt mulieres de ſubſtantiâ ſuâ victum, atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent.

Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierat.

Inter mulieres, quæ Chriſti comites erant, fuit Maria Magdalene, *de quâ*, inquit, *ſeptem dæmonia exierat.* Verè deiecta ab eâ dæmonia eſſe non eſt, quod dubitemus; & dæmonia de peccatis interpretari myſticum potius eſt, quàm litterale. Fuerunt igitur dæmonia hæc à Mariâ priùs eiecta, quàm peccata ei remitterentur, & rectè; nam ad peccata impellere, & allicere dæmonum eſt. 412.

Et Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis.

Hæc quoque mulier Chriſtum ſecuta eſt. Huius maritus erat quidam vocatus Chuſa, Herodis regis procurator, ſeu diſpenſator, & œconomus. Dubitari hîc poteſt, an maritus Ioannæ tunc viueret, cùm ipſa Chriſtum ſequeretur, an mortuus eſſet, & ipſa vidua, atque liberior. Primum probabilius eſt, nam ſi mortuus eſſet, Euangeliſta dixiſſet, ipſam vxorem Chuſæ fuiſſe. Ergo & marito conſentiente ſequebatur vxor Chriſtum: coniici poteſt, ipſum fuiſſe animo Chriſto deuotum. Colligere viri debent, ne in iis, quæ ad Chriſti obſequium præſtant, nimis moroſi difficileſque cum vxoribus ſint, neve eas à Chriſto auocent, & abſtrahant. 413.

Maritus, vxorem Chriſtum ſequi, permittit: nil mirum, cùm Herodis procurator dicatur: Herodes autem à multo tempore deſiderauerat Chriſtum videre, tantâ erat apud omnes ipſius fama, præſertim apud Galilæos. Nimirum regis, & ſuperioris exemplum in ſubditos ſuas vires exerit, & facilè inferiores faciunt, quod fieri à ſuperioribus vident, vt vna omnium mens eſſe videatur. Herodes amabat videre Chriſtum, & miraculorum eius ſpectatorem eſſe, vnde & Chuſa, diſpenſator Herodis, ab ipſo diſcere potuit, vxorem à Chriſto non auocare.

Et alia multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

Eius, qui ſequitur Chriſtum, eſt bonis operibus ſe exercere: quod hæ mulieres in virorum exemplum præſtiterunt. Nimirùm non vagandi, & diſcurrendi ſtudio, quod mulieribus familiare, hæ mulieres Chriſtum ſequuntur; ſed vt ei, eiuſque diſcipulis alimoniam exhiberent, erant quippè diuites; &, beneficiorum memores, beneficentiam ipſæ viciſſim exercent. 414.

Miniſtrabant ei: In pleriſque Græcis exemplaribus loco illius, *ei*, legitur, *eis*, ſcilicet Chriſto, ac diſcipulis; vtriſque enim hæ mulieres victum ſuppeditabant:

ſuppeditabant : dictum autem eſt, *ei* ; quia earum intentio, præcipue Chriſlo miniſtrare : vel dictum eſt, *ei* ; quia Chriſtus, quicquid eius ſeruis impenditur, ita accipit, ac ſi ipſi impenderetur. Cùm diuites eſſent hæ mulieres, & frugaliſſimus magiſter, frugaléſque diſcipuli, potuerunt, ſuis facultatibus, vtriſque ſubuenire.

415. Sed quærat hîc aliquis : cur id per mulieres factum eſt, non per viros ? An, quia mulieres ad beneficentiam magis inclinatæ ſunt ? Deinde, viris mundi huius negotiis diſtentis, minus vacabat Chriſlo adhærere ; & vt Phariſæorum auaritia, fœminarum liberalitate, magis argueretur. Præterea, per ſe ipſas cibos parare, ac miniſtrare, quod hîc factum, magis fœminarum eſt, quàm virorum.

Mulieres de facultatibus ſuis Chriſto miniſtrabant ; non lego aliquem ob id carpſiſſe Chriſtum: liuor hîc dentem non fixit, nec potuit ; adeò liberalis Chriſtus exſtitit, vt auaritiæ notam nunquam, nec ab iis, qui omnia eius facta calumniabantur, ſubierit ; cùm multos ſanitati reſtitueret, exigere pecuniam ſi voluiſſet, aut oblatam accipere, immenſas breui congeſſiſſet opes ; quod, cùm non faceret, non erat vllus calumniæ crediturus, ſi de auaritiâ accuſaretur.

Comitabantur Chriſtum mulieres ; ſed cur alicui maligno offenſioni non fuit opulentarum matronarum comitatus ? nullus murmurat, nemo detrahit, omnes tacent ; nimirum Chriſti, & diſcipulorum eius talis erat modeſtia, diſciplina, vt nemo tam proteruè dicax fuerit ; qui male de eorum caſtitate loqueretur, eiſque aliquam notam ob mulierum conſortium inureret ; præterea mulierum Chriſtum ſequentium talis conditio, probitas, caſtitas, & ſanctimonia erat, vt in illis conuitia locum non haberent, ſi in eas iacerentur.

Dixit per ſimilitudinem exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.

416. QVi ſeminat, id eſt qui ſolitus eſt ſeminare, & ſemen in terram ſpargere ; non ſemel Dei verba ſpargenda ſunt, ſed ſæpè auditorum atuis committenda, vt tandem fœneratariâ redhibitione fructus proueniat. Semen ſuum, non alienum ; ſolent homines non per ſe, ſed per ſuos operarios id præſtare. Hic per ſe ipſum ſeminat, nec hoc vile officium fugit, licet dominus ſit.

Exiit, qui ſeminat : Ad quid exiit ? *Seminare ſemen ſuum :* Poterat etiam ob alia exire: non exiuit tamen : cautum hoc diuini verbi ſeminatori ſit, ne, dum prædicationis exercet munus, aliò flectat, alia quærat, quàm ad fructum in auditorum mentes diuina verba iacere : *Sæpè egreditur agricola* ; ait Theophylactus ; *& propter alia, non ſolum, vt ſeminet : ſed exiit, qui ſeminat, vt ſeminet ſemen ſuum.* Hoc vnum intendat prædicator, nec patiatur, tam eximium opus, periturarum rerum amore, pollui, inficique.

Aliud cecidit ſecùs viam, & volucres cæli comederunt illud.

417. STatim volucres aduolarunt, nec permiſerunt ſemen pullulare. Per volucres dæmones ſignificantur, qui in fidelium mentibus diu ſiſtere Dei verbum non permittunt, ne fructus aliquis producatur.

Comederunt ; non gratum ſatanicis volucribus hoc ſemen eſt ; comedere tamen, ac deglutire dicuntur, ne homines illo ſuſcepto proficiant. Comedunt, & in viſcera veluti recondunt, vt ſuo tempore in noſtri damnationem, ac noſtræ duritiei teſtimonium illud producant. Reliqua, quæ circa hanc ſeminis parabolam dici poſſent, dum Matthæi verba expenderemus, adducta ſunt ; ne igitur eadem repetamus tranſeamus ad alia.

418. *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum:* Non de ore, & labiis, ſed de corde ; non enim curat dæmon, Dei verba hominum labiis inſidere, ſi non inſideant menti. Quid prodeſt Dei verba ex labiis pullulare, quæ radicem in corde non habeant, fructibus deſtituta ? Hi Caiphæ ſimiles ſunt, qui prophetans ait: *Expedit vt vnus homo moriatur, & non tota gens pereat.* Labiis hærebant hæc verba, non cordi. *Os tantùm, non autem ſceleſtum cor, gratia illa attigit*, ait Sanctus Chryſoſtomus. Plures Caiphas eſt reperire : videant, ne Caiphæ in ſupplicio pares.

Qui enim habet dabitur illi, & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere auferetur ab illo.

QVî non habere dicatur, qui habet, & quî habere, qui non habet, explicat Sanctus Auguſtinus : *Qui enim habet, dabitur ei : Qui autem non habet, &, quod habet, auferetur ab eo. Quomodo non habet, ſi habet ? Non habens habet, qui neſcit vnde habeat ; tollitur enim à Deo res ſua, & remanet illi iniquitas ſua.*

SECTIO II.

Nauigantibus autem illis, obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum.

419. CVr in tanto diſcipulorum periculo magiſter dormit ? An, vt vehementiùs opem peterent, videntes eum dormire ? fors diſcipulos remiſſos, ac negligentes ob Domini præſentiam, dormiens excitare voluit, ne ſe putarent ſecuros. Docet hæc res, dormientibus prælatis, magnum Eccle-

fiæ, magnum subditis imminere periculum.

Iactatur nauis, quæ Apostolos vehebat: fluctuant ipsi, mare fluctuante; quid igitur ineunt consilij? ad Christum dormientem accurrunt, & inclamant; *Magister salua nos, perimus*; quàm prudentes! *recurrunt ad portum, qui in scapha erat*; ait Sanctus Basilius: portus fluctuantibus est Christus.

Accedentes autem suscitauerunt eum; dicentes: Præceptor, perimus.

420. SCilicet mala, quæ nos premunt, & aduersitates, quæ nos perturbant ad Deum vrgent: accesserunt ad Christum discipuli, quia tribulatio accessit ad discipulos.

Dicentes: præceptor perimus. Commune periculum exponunt, cum dicunt, *perimus*; vt Christus ad eorum preces citiùs flecteretur. Præceptoris vtuntur nomine; verè enim docentis obibat munus suos tribulationibus, & aduersitatibus instruens, & erudiens. Præterea præceptorem vocant, vt qui doctrinâ eorum animos refecerat, etiam corpora à mortis periculo eximeret.

Discipulos tribulationibus exercet, & præceptor ab illis dicitur; vt colligeremus, summam sapientiam eius in aduersitatibus mittendis apparere; elucet huius præceptoris sapientia, dum ita pressuris suos exercet, vt meliores reddat.

At ille surgens increpauit ventum, & tempestatem aquæ.

NOn differt suis subuenire Christus, statim surgit, vt eis opem ferat nec moras nectit; nos docens, cum aliis opem sumus laturi, differendum non esse, cum statim eos iuuare possimus.

Et, cùm de naui egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis.

421. ETiam, dum in naui esset, sciebat hominem istum à dæmone obsideri; egreditur ergo de naui, vt eum liberaret. Nouerat dæmon, se Christum latere non posse; occurrit ergo illi, seque antè eum sistit, vt precibus cum eo ageret. Habebat vir iste *dæmonium*; & habebat, & habebatur. *Temporibus multis*, id est multis annis, tempus enim hoc loco ponitur pro anno.

Dæmon, qui miserum hominem torquebat, in fœtidis mortuorum monumentis habitabat: cur dirus carnifex tenebrosum, horridumque illud elegit domicilium? Cui regum, principúmque palatia reliquit? Inuidiæ id ingenium est, quæ propriam salutem, commodumque negligit, vt aliis noceat: cruciat se priùs inuidus, quàm cruciet alios. *Præda miserius prædo saginabatur inclusus*, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *nec facientem, sed patientem miserabilis exponit inuidia.* Satis inuido, si noceat, licèt priùs in se ipsum sæuiat: quod satanicæ impietatis est, atque perfidiæ.

Quid mihi, & tibi est, Iesu, Fili Dei altissimi?

422. CAusam exponit dæmon, cur non debeat eiici. *Quid mihi*, inquit, *& tibi est?* Ac si diceret: In nullo te læsi: nihil tibi intuli mali: nihil contra te molitus sum. Mentitur dæmon: vt non læserit Christum in se, læsit in hominibus, circa quos ille tam solicitus est, vt hominum iniuriam suam putet; &, quod in homines fit, sibi factum existimet.

Iesu, Fili Dei altissimi: Petrus confessus Christi diuinitatem illis verbis, *Tu es Christus Filius Dei viui*, Ecclesiæ principatu donatur: eandem confessionem edunt dæmones, Dei altissimi Filium, Iesum fatentur, nec tamen aliquod præmium meruerunt: cur ita? An, quia Petri confessionem elicuit sincerus amor; dæmonum verò voces nudus timor extorsit? *Vox vna est*, ait Sanctus Augustinus; *sed Dominus radicem interrogat, non florem: dæmones hoc dixerunt, timendo, Petrus, amando.* Tanti refert, quo affectu quis in rem quampiam feratur, amore, an timore.

Quid mihi & tibi? In quo dæmones Christus læserat? hominum beneficia dæmonis supplicia sunt: hine illud Sancti Basilij Seleuciæ Episcopi. *Quid nobis & tibi? Quot tu mortales persanasti, tot in nos contulisti supplicia.* 423.

Obsecro te ne me torqueas.

TAntum vel ad solam iudicis vocem, ad solum adspectum dæmones timent: *Nondum eos in iudicium trahebat*, ait Sanctus Basilius Seleuciensis: *nondum tribunalis terrorem ostendebat, nondum iudicij flammam accendebat; sed minus tantùm effrænes impetus refrænabat, & mali tanta vis erat?* Quid erit, cùm ad iudicium inexorabilis veniet? Cum mala, non minabitur, sed inferet? Proh quàm terribilis ille dies futurus! Cui non timorem incutiat?

Rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.

NE *imperaret illis, vt in abyssum irent*: Quam fatui homines, qui sceleribus clamant, vt illos Deus æternis flammis adiudicet! *Instant dæmones*, Sancti Chrysostomi verba sunt, *ne citò pœnas sustineant; putabant enim Christum non expectaturum tempus supplicij, propter excessum eorum, quæ faciebant*; nimirum operibus vrgebant, vt in abyssum mitterentur, licèt vocibus ne mitterentur postularent; istuc ipsum dæmonum æmulatores mali homines præstant. 424.

Et rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi.

ET *rogabant eum, vt permitteret eis*; non iussit ire dæmones in porcos, sed permisit; vt vel hinc proderetur suæ pœnæ quemque auctorem esse; *clementiam Domini*, inquit Sanctus Ambrosius, *debemus aduertere, quod nullum priùs ipse condemnat, sed vnusquisque sibi auctor est pœnæ; non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt*; quod peccatores imitantur; ipse sibi parat peccator quisque quod patitur; nihil in nos est crudelius nobis; nos calamitatum nostrarum auctores sumus.

Petunt dæmones, vt liceret eis, porcos ingredi. Non hoc Christus in ludibrium imperauit, sed concessit: maximæ pœnæ loco dæmones istuc habuissent, si Christi imperio id agere cogerentur. Ita plerunque fit, vt homines sibi dedecori aliquid ducant, quia id Dei lex iubeat, summo decori habituri, si à suâ voluntate, atque iudicio res esset: videmus id quotidie, ac miramur, eò dementiæ homines deuolui.

Summi

425. Summi supplicij loco, summæque contumeliæ dæmonibus esse poterat, immundorum animalium habitatores esse, porcos subire: id tamen spontè eligunt; *quia* (verba sunt Sancti Ambrosij) *cælestis luminis claritatem ferre non poterant*, quâ ob Christi præsentiam cruciabantur. Proh quàm impiis graue iudicis in iudicio maiestatem intueri, cùm dæmones communis hominis habitum præseferentem non sustineant, & leuius illis sit, porcos ingredi, quàm ad Christi præsentiam stare!

Petunt dæmones, se mitti in porcos: vnde hinc eorum in homines sæuitia colligitur. Scitè Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus: *Qui*, inquit, *neque hominum possessionibus parcunt, sed in porcos etiam malevolentiam palam explicant; quid, si facultas data sit, in homines agant?*

Vir, cui nomen Iairus cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, vt intraret domum eius.

426. NOn ingreditur nisi rogatus Iairi domum, cur ita? An, quia nobilis erat, ac princeps synagogæ? quo exemplo nos docuit, vt à nobilium, & principum virorum aulis aufugiamus.

Tetigit fimbriam, & sanata est mulier: etiam à rerum minimarum obseruatione salus pendet. Benè Sanctus Bonauentura rem versat. *Mulier*, inquit, *tetigit fimbriam vestimenti Christi, & sanata est; quia qui obseruat minimum mandatum Euangelij sanatur in mente.*

Quis est, qui me tetigit?

QVærit Christus quis eum tetigerit, non quia id nesciret, sed ne aliquis putaret à nolente prodiisse sanitatem, non à spontaneo; Præclarè Victor Antiochenus in cap. 5. Marci: *Cur Seruator ad Hæmorroissam se vertens, quis me tetigit, dixit? Dominus inter cætera hoc ideo fecit, quo illa se non ab inuito sanitatem rapuisse intelligat, sed à volente, & spontaneo. Norat enim quenam illum tetigerat, nihilominus vt ipsâ in medium progressâ, eiusdem fides, atque virtus adeo, qua opus illud factum fuerat, omnibus patefiat, de occulto tactu quæstionem mouet.*

Ego noui virtutem de me exisse.

NOui virtutem de me exisse; à Christo virtus exiit, non à fimbriâ; is verè est fimbria, qui elegit, abiectus esse in domo Dei sui, Dei minister; hic igitur, si quando per ipsum aliquid Deus præstiterit in aliorum salutem, *nouerit*, ait Sanctus Bernardus, *non à se, sed à Christo exisse virtutem, qui & tangi se protestatur in fimbriâ*; nullus minister adeò vilis, per quem magna præstare Deus non possit; tu & Christi fimbriam reuerere, cùm honor, exhibitus fimbriæ, in Christum ipsum resiliat. 427.

Virtus exiit à Christo ad nudæ fimbriæ tactum: quid, si non tangas tantùm fimbriam, sed Corpus ipsius totum in te recipias? ô felix, qui non minori fide corpus Christi, ac mulier eius fimbriam, tetigerit! Felix, qui amore tactus tangit Amorem suum, vt cor eius etiam vulneret: quod in eum fecisse sponsam ipse fatetur, & dicit: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, Cant. 4. Nolo hic desiderari Gilleberti Abbatis verba, qui serm. 30. in Cant. ita scribit: *Ne parcas sponsa talibus sponsum telis appetere. Aspectibus pius quasi spiculis vtere. Nolim hoc negotio remissiùs agere: noli contenta esse dilectum vulnerare semel; sed concede ipsum vulnere super vulnus. Felix es, si sagitta tua infixa sunt illi, & amores tui militent in Christo; si oculus tuus defixus indefessè sit in illo. Bonum vulnus, de quo virtus egreditur. Tetigit mulier fimbriam, & virtutem de se sensit Christus exire: quantò magis cùm cor eius non leuiter tangitur, sed vulneratur, gratiam de se emanare sentit? Vulnus istud non est sine sensu: ideo puri aspectus in illum spicula vibra: reputa illum quasi signum positum ad tales sagittas. Tales fauorabiliter excipit, quia tales facit.* 428.

Narra quanta tibi fecit Deus.

NOn dixit Christus, *narra quanta tibi fecerim*, sed, *quanta tibi fecit Deus*; vt disceremus, omnes operationes in Deum dirigere, nec nostrâ iactare.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*

CAPVT IX. LVCÆ.

Vers. 1.

CONVOCATIS autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.

Conuocatis a. *Syr. Et aduocauit Iesus. Arab. Et vocauit.*
Duodecim Apostolos. *Syr. Dodecadem suam. Arab. Al. Duodecim discipulos suos.*
Virtutem, & p. *Syr. Virtutem & Imperium. Caiet. Potestatem & authoritatem.*
Super omnia. *Vat. In omnia.*
Vt curarent. *Arab. Curationem. Theoph. Vt sanarent.*
Languores. *Arab. Infirmitatum. Fr. Luc. Morbos.*

Vers. 2.

Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

Infirmos. *Arab. Languores. Vat. Ægros. Fr. Luc. Ægrotos.*

Vers. 3.

Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via,

Nihil. *Pagn. Ne quid.*
Tuleritis. *Arab. Portetis.*
In viâ. *Euth. In viam. Fr. Luc. Ad iter.*

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

Virgam. *Syr. Scipionem. Caiet. Virgas.*
Pecuniam. *Ar.M. Argentum.*
Duas tunicas. *Arab. Dua tunica. Theoph. Binas tunicas. Ar.M. Singuli duas tunicas.*
Habeatis. *Arab. Sint vobis.*

Verſ. 4.

Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

Manete. *Syr. Estote.*
Et i. n. e. *Arab. Vſque ad exitum veſtrum. Vat. Et illinc exite.*

Verſ. 5.

Et quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos.

Receperint. *Syr. Exceperint. Euth. Susceperint.*
Pedum veſtrorum. *Fr. Luc. A pedibus veſtris.*
Supra. *Caiet. Aduersus.*

Verſ. 6.

Egreſſi autem circuibant per caſtella, euangelizantes, & curantes vbique.

Egreſſi a. *Syr. Exierunt itaque Apoſtoli. Vat. Egredientes autem.*
Circuibant. *Syr. Perluſtrabant. Vat. Tranſibant. Ar.M. Perambulabant. Fr. Luc. Peragrabant. Obibant.*
Per c. *Syr. Pagos & ciuitates. Arab. Per omne caſtellum. Euth. Per vicos.*
Euangelizantes. *Arab. Et euangelizabant. Vat. Prædicantes Euangelium.*
Curantes. *Arab. Curabant.*
Vbique. *Arab. In omni loco.*

Verſ. 7.

Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæſitabat eò quòd diceretur

Omnia quæ. *Syr. Quæcunque. Euth. Vniuerſa, quæ.*
Ab eo. *Syr. Manu eius. Arab* omittit.
Hæſitabat. *Syr. Mirabatur. Arab. Haſitauit & dubitauit. Euth. Hærebat. Fr. Luc. Pendebat animi dubius.*
Diceretur à quibuſdam. *Arab. Dicebant multi.*

Verſ. 8.

A quibuſdam: Quia Ioannes ſurrexit à mortuis: à quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: quia propheta vnus de antiquis ſurrexit.

A mortuis. *Syr. A domo mortuorum.*
A quibuſdam v. *Arab. Et alij dicebant.*
Ab aliis a. *Syr. Alij denique.*
Quia p. v. *Syr. Prophetam. Euth. Quia propheta quiſpiam.*
De antiquis. *Syr. Ex prophetis antiquis. Fr. Luc. Antiquorum.*
Surrexit. *Syr. Reſurrexiſſe.*

Verſ. 9.

Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? & quærebat videre eum.

Io. e. d. *Syr. Caput Ioannis ego amputaui. Arab. Ioannes? ego percuſſi collum eius. Ar.M. Ioannem ego decapitaui.*
Talia. *Arab. Sic.*
Quærebat. *Syr. Volebat. Euth. Cupiebat.*

Verſ. 10.

Et reuerſi Apoſtoli, narrauerunt illi quæcunque fecerunt: & aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.

Narrauerunt. *Syr. Renuntiauerunt. Arab. Significauerunt.*
Quæcunque. *Syr. Quicquid. Arab. Omnia.*
Aſſumptis i. ſ. ſ. *Syr. Duxit eos ſolos.*
In locum d. *Arab. In locum deſertum prope ciuitatem. Theoph. In locum deſertum ciuitatis.*
Qui e. B. *Arab. Quæ vocatur Saida. Caiet. Quæ vocatur Bethſaida.*

Verſ. 11.

Quod cùm cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curâ indigebant, ſanabat.

Secutæ ſ. i. *Syr. Profectæ ſunt poſt eum.*
Excepit. *Euth. Suſcipiens.*
Loquebatur. *Syr. Colloquebatur.*
Qui. *Euth. Quibus.*
Curâ. *Syr. Sanatione. Arab. Vt curarentur. Caiet. Curatione.*
Indigebant. *Syr. Egebant. Arab. Indigentes erant. Euth. Opus erat.*

Verſ. 12.

Dies autem cœperat declinare. Et ac-

Declinare. *Vat. Inclinare.*
Et accedentes. *Arab. Et venerunt ad eum. Vat.*

cedentes

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

cedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villásque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hîc in loco deserto sumus.

Cùm accesserunt ad eum.
Duodecim. *Syr. Discipuli eius.*
Turbas. *Syr. Cœtus. Ar.M. Turbam.*
Euntes. *Syr. Proficiscantur. Pagn. Profecti. Ar.M. Abeuntes. Fr.Luc. Digressi.*
In castella. *Syr. In pagos circuniacentes. Ar.M. In, qui in circuitu, vicos.*
Villasque quæ c. s. *Syr. Et oppida. Arab. Et villas, quæ sunt circa nos. Theoph. Villásque vicinas. Ar.M. Et agros.*
Diuertant. *Syr. Diuertant in eis. Arab.* omittit.
Inueniant escas. *Syr. Inueniant sibi cibum. Arab Vt refocillentur & inueniant, quod manducent. Euth. Inueniant frumentationem. Vat. Inueniant cibos. Ar M. Inueniant cibaria.*
In l. d. s. *Arab. Locus desertus est.*

Verſ. 13.

Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

Manducate. *Theoph. Quod edant.*
Nobis. *Arab. Nobiscum.*
Plus. *Pagn. Plures.*
Eamus. *Syr. Proficiscamur.*
In o. h. t. *Syr. Toti huic populo. Arab. Huic populo vniuerso. Ar.M. In omnem populum hunc.*
Escas. *Arab. Cibum. Vat. Cibos.*

Verſ. 14.

Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos.

Erant a. *Syr. Aderant enim.*
Ferè. *Vat. Circiter.*
Viri. *Arab. Virorum.*
Per conuiuia. *Syr. Per singulos discubitus. Arab. In omni loco. Euth. In singulo quoque discubitu.*
Quinquagenos. *Quinquaginta.*

Verſ. 15.

Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.

Et i. f. *Arab. Et fecerunt illud. Euth.* omittit.
Discumbere f. o. *Arab. Sederunt omnes. Vat. Curarunt, vt omnes discumberent.*

Verſ. 16.

Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas.

Acceptis. *Syr. Accepit. Ar.M. Accipiens.*
Autem. *Theoph. Itaque.*
Quinque p. *Syr. Istos quinque panes.*
Duobus piscibus. *Syr. Duos pisces.*
Respexit. *Ar. M. Respiciens. Theoph. Sublatis oculis. Caiet. Suspexit.*
Et benedixit illis. *Syr. Et benedixit. Arab. Et benedixit super eos. Euth. Ac benedixit eos. Theoph. Benedixit illis.*
Distribuit, *Ar.M. Dedit.*
Discipulis s. *Pagn. Discipulis.*
Ponerent a. t. *Arab. Darent turbæ. Fr.Luc. Apponerent turbæ.*

Verſ. 17.

Et manducauerunt omnes, & saturati sunt, & sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Manducauerunt. *Theoph. Comederant. Tert. Pasti sunt.*
Saturati. *Syr. Expleti.*
Sublatum est. *Arab. Acceperunt.*
Quod s. i. *Syr. Quæ superfuerunt. Ar.M. Abundans illis.*
Duodecim c. *Arab. Duodecim cophinos plenos.*

Verſ. 18.

Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

Factum est. *Vat. Euenit.*
Cùm solus e. o. *Arab. Cùm esset in loco solus ipse vt oraret. Ar.M In esse ipsum orantem solitariè. Pagn. Cùm esset orans singulatim.*
Erant c. i. &. d. *Syr. Et discipuli eius essent cum eo. Ar.M. Simul erant ei discipuli. Vat. Vt essent cum eo & discipuli.*
Dicunt. *Arab. Dicit.*
Turbæ. *Syr. Cœtus. Arab. Turba.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 19.

At illi reſponderunt, & dixerunt: Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò quia vnus Propheta de prioribus ſurrexit.

Vnus. *Pagn. Quiſpiam. Ar. M. Quidam. Fr. Luc. Aliquis.*
De prioribus. *Syr. Ex antiquis prophetis. Ar. M. Antiquorum.*
Surrexit. *Ar. M. Reſurrexit.*

Verſ. 20.

Dixit autem illis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum Dei.

Simon P. *Syr. Simon. Arab. Petrus.*
Chriſtum Dei. *Arab. Tu es Chriſtus Filius Dei. Fr. Luc. Chriſtum illum Dei.*

Verſ. 21.

At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,

Increpans illos. *Syr. Prohibuit eis. Pagn. Comminatus illis. Caiet. Interminatus illis.*
Præcepit. *Arab. Monuit illos. Euth. Præcepit eis.*

Verſ. 22.

Dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & ſcribis, & occidi, & tertia die reſurgere.

Quia o. f. h. m. p. *Syr. Futurum eſt, vt Filius hominis multa perpetiatur. Arab. Quia Filius hominis patietur multa.*
Reprobari. *Arab. Vilipendio habebitur.*
A ſenioribus. *Tert. A presbyteris.*
Occidi. *Syr. Vt interimant eum. Arab. Occident illum. Tert. Interfici.*
Tertiâ die. *Tert. Poſt tertium diem.*
Reſurgere. *Syr. Reſurgat. Arab. Reſurget. Fr. Luc. Suſcitari.*

Verſ. 23.

Dicebat autem ad omnes: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

Ad o. *Syr. Coram omnibus. Arab. Turbæ. Vat. Omnibus.*
Si quis vult. *Syr. Quicunque voluerit.*
Poſt m. v. *Arab. Sequi me. Vat. Me ſubſequi.*
Tollat. *Arab. Portet.*
Suam quotidie. *Pagn. Suam.*
Sequatur me. *Syr. Veniat poſt me.*

Verſ. 24.

Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet illam.

Qui. *Euth. Quiſquis. Caiet. Quicunque.*
Saluam f. *Ar. M. Seruare.*
Perdet. *Arab. Ipſe perdet.*
Nam qui. *Euth. Quiſquis verò. Caiet. Quicunque autem.*
Perdiderit. *Orig. Perdet.*
Saluam faciet. *Arab. Ipſe ſaluam faciet. Fr. Luc. Iſte ſeruabit.*

Verſ. 25.

Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?

Proficit homo. *Syr. Iuuat hominem. Arab Proficit homini. Euth. Proderit homini. Vat. Vtilitatis conſequitur homo.*
Si lucretur. *Ar. M. Lucratus.*
Vniuerſum. *Arab. Totum.*
Se autem i. p. *Syr. Animam verò ſuam perdere. Ar. M. Se ipſum autem perdens.*
Et detrimentum. *Ar. M. Aut damno. Caiet. Aut iacturam ſui ipſius.*
Sui. *Vat. Sui ipſius.*
Faciat. *Arab. Patiatur.*

Verſ. 26.

Nam qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

Nam qui. *Syr. Quem autem. Euth. Quemcunque enim.*
Me erubuerit. *Syr. Puduerit mei. Tert. Confuſus me fuerit.*
Meos ſermones. *Syr. Meorum ſermonum. Arab. Sermonem meum iſtum.*
Hunc. *Syr. Eius. Arab. Et eum. Euth. Et huius.*
Filius h. e. *Syr. Pudebit Filium hominis. Tert. Ego confundar.*
Maieſtate ſ. e. P. *Syr. Gloriâ Patris ſui. Arab. Gloriâ ſuâ, & gloriâ Patris.*
Sanctorum A. *Syr. Cum Angelis ipſius ſacroſanctis.*

Verſ. 27.

Dico autem vobis verè: ſunt aliqui hîc

Verè. *Syr. Veritatem. Arab. Amen.*

ſtantes,

Vulgata Editio.

ſtantes, qui non guſtabunt mortem donec videant regnum Dei.

Lectionum Varietas.

Aliqui ſ. *Euth. Quidam de ſtantibus.*
Donec. *Syr. Vſquedum.*
Videant. *Euth. Viderint.*

Verſ. 28.

Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & aſcendit in montem vt oraret.

Factum eſt. *Vat. Euenit.*
Hæc v. *Arab. Hunc ſermonem.*
Ferè. *Vat. Circiter.*
Dies. *Pagn. Diebus.*
Et aſſumpt. *Syr. Vt aſſumpſerit Ieſus. Ar. M. Et aſſumens.*
Petrum. *Syr. Simonem.*
Iacobum & Ioannem. *Theoph. Iacobum & Ioannem.*
Aſcendit i. m. *Syr. Conſcenderit montem.*

Verſ. 29.

Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus eius altera: & veſtitus eius albus, & refulgens.

Facta eſt d. o. ſ. v. e. a. *Syr. Quum precaretur mutata eſt ſpecies vultus eius. Arab. Factum eſt, dum ipſe oraret, mutatus eſt aſpectus vultus eius. Pagn. Facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius alia.*
Veſtitus. *Syr. Veſtimenta. Arab. Veſtis.*
Albus. *Syr. Facta ſunt candida. Arab. Facta eſt alba. Euth. Albus. Orig. Candidus.*
Refulgens. *Syr. Atque coruſcabant. Arab. Et refulgebat ſicut fulgur. Euth. Ac coruſcans. Caiet. Fulgurans.*

Verſ. 30.

Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias,

Loquebantur cum i. *Syr. Colloquebantur ei. Arab. Alloquebantur ei.*
Erant autem. *Euth. Videlicet. Pagn. Qui erant.*

Verſ. 31.

Viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.

Viſi. *Syr. Qui apparebant. Orig. Qui viſi.*
In maieſtate. *Ar. M. In gloria.*
Et d. *Syr. Ceterum verba faciebant. S. Chryſ. Et loquebantur. Orig. Et narrabant. Theoph. Qui dicebant. Pagn.* omittit.
Exceſſum e. *Syr. De exitu ipſius. Arab. De euentu. Perſic. Tranſitum. S. Chryſ. Gloriam eius. Fr. Luc. Exodum ipſius.*
Erat c. *Arab. Erat impleturus. Fr. Luc. Futurum erat, vt impleret.*

Verſ. 32.

Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Et euigilantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros, qui ſtabant cum illo.

Petrus. *Syr. Simon.*
Et euigilantes. *Syr. Vixque experrecti fuerant. Theoph. Experrecti autem perfectè.*
Viderunt. *Syr. Quum viderunt.*
Maieſtatem. *Ar. M. Gloriam.*
Duos viros. *Fr. Luc. Duos illos viros.*
Qui ſ. c. i. *Vat. Qui aſtabant illi. Ar. M. Simul ſtantes illi.*

Verſ. 33.

Et factum eſt cùm diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor bonum eſt nos hîc eſſe: & faciamus tria tabernacula, vnum Tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ: neſciens quid diceret.

Factum e. c. d. *Syr. Quum cœpiſſent diſcedere. Arab. Cum vellent diſcedere. Ar. M. Factum eſt in diſcedere ipſos.*
Præceptor. *Syr. Magiſter mi. Arab. Magiſter noſter.*
Bonum. *Ar. M. Pulchrum.*
Nos hîc eſſe. *Arab. Vt hîc ſimus.*
Neſciens. *Arab. Et non intellexit. Ar. M. Non ſciens.*

Verſ. 34.

Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

Hæc. *Arab. Hoc.*
Illo l. *Syr. Quum dixiſſet.*
Facta eſt. *Syr. Extitit. Arab. Ecce.*
Obumbrauit. *Syr. Operuit. Tert. Ambiuit.*
Et timuerunt. *Pagn. Timuerunt autem. Vat. Territi ſunt autem.*
Intrantibus i. i. n. *Syr. Quum ſpectarent Moyſem & Eliam, qui ingrediebantur nubem. Arab. Cùm intraſſent nubem.*

Verſ. 35.

Vulgata Editio.

Verſ.35.

Et vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.

Verſ.36.

Et dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

Verſ.37.

Factum eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

Verſ.38.

Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi.

Verſ.39.

Et ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum, cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum.

Verſ.40.

Et rogaui diſcipulos tuos, vt eiicerent illum, & non potuerunt.

Verſ.41.

Reſpondens autem Ieſus, dixit: O generatio infidelis, & peruerſa, vſquequò ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

Verſ.42.

Et cùm accederet, eliſit illum dæmonium, & diſſipauit.

Verſ.43.

Et increpauit Ieſus ſpiritum immundum, & ſanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Lectionum Varietas.

Facta eſt. *Syr. Extitit.*
Ipſum a. *Tert. Hunc audite.*

Dum f. vox. *Syr. Quum vox illa extitiſſet. Vat. Dum edita eſt vox.*
Tacuerunt. *Syr. Siluerunt.*
Dixerunt. *Arab. Nunciauerunt. Ar. M. Enunciauerunt.*
Quidquam ex his quæ. *Syr. Quod. Ar.M. Nihil eorum, quæ.*
Viderant. *Syr. Conſpicati fuerant.*

In ſ. d. *Arab. Poſt mane illius diei.*
Deſcendentibus i. *Fr.Luc. Cùm deſcendiſſent illi.*
Occurrit t. m. *Syr. Vt occurreret ei turba multa.*

Et ecce vir. *Syr. Et vir quidam. Arab. Et ecce homo.*
De t. *Syr. E turbâ.*
Exclamauit. *Arab. Clamauit.*
Magiſter. *Syr. Doctor.*
Obſecro te. *Syr. Peto à te.*
Reſpice. *Arab Vt reſpicias.*
In f. m. *Syr. In me pro filio meo. Theoph. Ad filium meum.*
Quia vnicus e. *Arab Vnicum. Pagn. Quia tantum vnicus eſt mihi. Fr.Luc. Quia vnigenitus eſt:*

Et e. ſ. *Syr. Spiritus autem.*
Apprehendit. *Syr. Arripit. Arab. Accipit. Vat. Corripit. Fr.Luc. Capit.*
Subito. *Syr. De repentè.*
Clamat. *Syr. Vociferatur.*
Elidit. *Syr. Frendet dentibus ſuis. Arab. Elidit illum cum impetu. Euth.* omittit.
Diſſipat e. c. ſ. *Syr. Diſcerpit. Arab. Spumare facit. Pagn. Diſcerpit eum cum ſpumâ. Vat. Conuellit eum cum ſpuma. Fr. Luc. Lacerans eum cum ſpumâ.*
Diſcedit. *Theoph. Diſcedit ab eo.*
Dilanians e. *Syr. Quin comminuat. Caiet. Conterens.*

Rogaui. *Syr. Efflagitaui. Euth. Oraui. Pagn. Ego rogaui.*
Diſcipulos t. *Syr. A diſcipulis tuis.*
Et non. *Syr. Neque.*

O. *Syr. O Vos.*
Generatio. *Theoph. Natio.*
Infidelis. *Vat. Incredula.*
Peruerſa. *Caiet. Diſtorta.*
Vſquequò. *Fr.Luc Quouſque tandem.*
Apud vos. *Arab. Vobiſcum.*
Patiar. *Syr. Suſtinebo.*

Et c. a. *Syr. Et quum adduceret. Ar. M. Adhuc autem accedente eo.*
Eliſit. *Syr. Proſtrauit. Pagn. Laniauit. Ar.M. Lacerauit.*
Diſſipauit. *Syr. Stridere fecit eum. Vat. Conuulſit. Caiet. Concerpſit. Fr.Luc. Diſcerpſit.*

Et increpauit. *Theoph. Increpauit autem. Fr. Luc. Sed obiurgauit.*
Spiritum. *Syr. Spiritum illum.*
Reddidit. *Arab. Dedit.*
Eius. *Pagn. Suo.*

Verſ.44.

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

Vers. 44.

Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibúsque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum.

Stupebant a. *Syr. Et admirabantur.*
In mag. *Syr. Ob magnificentiam. Arab. De magnitudinibus. Theoph. Super magnificentiâ. Caiet. In magnificentiâ. Fr. Luc. In magnificâ virtute.*
Omnibúsque m. *Syr. Quúmque vnusquisque percelleretur. Arab. Et ipsi mirati sunt. Euth. Omnibus verò admirantibus. Theoph. Sed omnibus mirantibus.*
In omnibus. *Arab. De eo. Euth. Super his. Vat. Omnia. Caiet. Super omnibus.*
Quæ. *Arab. Quod.*
Faciebat. *Arab. Fecerat. Euth. Faciebat Iesus.*
Ponite. *Syr. Reponite. Vat. Accipite.*
Sermones istos. *Arab. Hunc sermonem.*
In c. v. *Pagn. In auribus vestris. Ar. M. In aures vestras. Vat. Auribus vestris.*

Vers. 45.

At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: Et timebant eum interrogare de hoc verbo.

Ignorabant. *Syr. Non sunt assecuti cognitione. Arab. Non intellexerant.*
Verbum i. *Syr. Sermonem hunc.*
Et erat velatum a. e. *Syr. Propterea quòd erat occultus ab eis. Arab. Et erat absconditum eis. Theoph. Et erat absconditum ab illis. Caiet. Et erat velatum ab eis. Fr. Luc. Et erat occultum illis.*
Vt n. s. i. *Syr. Ne cognoscerent eum. Euth. Vt non sic intelligerent illud.*

Vers. 46.

Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

Intrauit. *Vat. Incidit. Fr. Luc. Ingressa est.*
Cogitatio. *Ar. M. Ratiocinatio. Vat. Disputatio.*
In eos. *Pagn. Inter eos.*
Quis. *Syr. Quisnam. Ar. M. Hac: quis. Fr. Luc. De hoc quis.*
Eorum. *Arab. Inter eos.*
Maior. *Vat. Maximus.*

Vers. 47.

At Iesus videns cogitationes cordis illorum apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis:

Videns. *Arab. Cognouit.*
Cogitationes. *Ar. M. Ratiocinationem. Vat. Disputationem. Caiet. Cogitationem. Fr. Luc. Hanc cogitationem.*
Cordis. *Arab. Cordium.*
Apprehendit. *Orig. Accepit. Euth. Assumpsit.*
Puerum. *Pagn. Puerulum. Caiet. Puellum.*
Statuit. *Orig. Posuit.*
Secus se. *Arab. In medio eorum. Theoph. Iuxta se.*

Vers. 48.

Quicunque susceperit puerum istum In nomine meo, me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Quicunque. *Orig. Si quis.*
Susceperit. *Syr. Exceperit. Orig. Acceperit. Pagn. Receperit.*
Puerum i. *Syr. Puerulum huic similem. Pagn. Puerulum hunc. Caiet. Puellum istum.*
In n. *Pagn. Nomine.*
Recipit. *Syr. Excipit. S. Chrys. Me suscipit.*
Quicunque. *Syr. Quisquis.*
Me receperit, r. *Syr. Me exceperit, excipit.*
Minor. *Syr. Minimus.*
Maior e. *Syr. Erit maximus. Theoph. Erit magnus.*

Vers. 49.

Respondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

Præceptor. *Syr. Magister noster.*
In n. t. *Theoph. Sub nomine tuo. Euth. Per nomen tuum. Pagn. Nomine tuo.*
Non s. n. *Syr. Post te non venit nobiscum. Arab. Sequebatur nos.*

Vers. 50.

Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersùm vos, pro vobis est.

Nolite p. *Arab. Ne prohibeatis eum. Vat. Illis ne prohibueritis.*
Aduersùm vos. *Ar. M. Aduersùs nos.*
Pro vobis. *Ar. M. Pro nobis.*

Vers. 51.

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

Vers. 51.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.

Dum c. *Syr. Quum Implerentur. Arab. Cùm complevisset.*
Assumptionis c. *Arab. Ascensionis suæ.*
Et ipse f. s. f. *Syr. Vultum suum præparauit. Arab. Vultu suo direxit. Euth. Et ipse vultum suum obfirmauit. Pagn. Et ipse faciem suam obfirmauerat.*
Vt iret. *Syr Vt proficisceretur. Arab. Iter.*
In Ierusalem. *Syr. Ad Ierusalem.*

Vers. 52.

Et misit nuntios ante conspectum suum: Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi.

Conspectum s. *Arab. Faciem suam.*
Euntes. *Pagn. Profecti.*
Ciuitatem. *Syr. Pagum. Euth. Oppidulum. Ar. M. Vicum. Caiet. Castellum.*
Pararent. *Syr. Præpararent. Euth. Pararent.*

Vers. 53.

Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem.

Facies eius erat. *Syr. Præseferebat speciem. Vat. Præseferebat.*
Euntis. *Syr. Proficiscentis. Euth. Pergens. Vat. Se ire. Caiet. Iens.*
In Ierusalem. *Syr. Ad Ierusalem. Vat. Ierosolymam.*

Vers. 54.

Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos.

Cùm v. *Ar. M. Videntes.*
Discipuli eius Iac. e. I. *Syr. Iacobus & Ioannes eius discipuli. Arab. Duo discipuli eius Iacobus & Ioannes.*
Domine. *Syr. Domine noster.*
Consumat illos. *Euth. Perdat illos, sicut etiam fecit Elias. Ar. M. Consumere illos, vt Elias fecit.*

Vers. 55.

Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

Et conuersus. *Pagn. Conuersus autem Iesus.*
Increpauit. *Syr. Obiurgauit.*
Nescitis. *Ar M. Non scíuistis.*
Estis. *Theoph. Estis vos.*

Vers. 56.

Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

Filius. *Theoph. Filius enim.*
Animas. *Ar. M. Animas hominum. Quidd. Codd. Homines.*
Perdere. *Theoph. Ad perdendum.*
Saluare. *Arab. Vt viuificaret. Theoph. Ad seruandum.*
Abierunt. *Arab. Profecti sunt.*
Aliud. *Vat. Alium.*
Castellum. *Syr. Pagum. Euth. Oppidulum. Vat. Vicum.*

Vers. 57.

Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: sequar te quocunque ieris.

Factum e. a. i. i. v. *Syr. Cùm iter facerent. Euth. Factum est, dum irent per viam. Vat. Euenit autem proficiscentibus illis in viâ.*
Dixit. *Vat. Vt diceret.*
Sequar te. *Syr. Post te ibo.*
Iëris. *Syr. Ieris, Domine mi. Arab. Iëris, Domine. Vat. Abiëris.*

Vers. 58.

Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

Vulpes. *Arab. Vulpibus.*
Foueas. *Syr. Lustra. Arab. Fouea. Euth. Latibula. Pagn. Cauernas.*
Habent. *Arab. Sunt.*
Volucres cæli n. *Arab. Volucribus cæli nidi.*
Filius. *Ar. M. Verùm Filius.*
Vbi. *Arab. Locum.*
Caput. *Tert. Caput suum.*
Reclinet. *Arab. Reclinandi. Tert. Collocet.*

Vers. 59.

Ait autem ad alterum: sequere me. Ille

Alterum. *Syr. Alium. Vat. Alij.*
Sequere me. *Syr. Post me venito.*
Domine. *Syr. Domine mi.*

autem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.

Primùm. i. *Euth. Vt priùs abeam. Ar. M. Abeunti primùm. Fr. Luc. Digresso primùm.*
Et s. *Euth. Ac sepeliam.*

Vers. 60.

Dixítque ei Iesus: sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

Dixítque. *Pagn. Dixit autem.*
Vt mortui s. *Syr. Mortuos sepelientes.*
Tu autem. *Pagn. Tu verò.*
Vade. *Syr. Ito. Ar. M. Abiens. Fr. Luc. Profectus Vbi abiueris.*
Annuncia. *Arab. Euangeliza.*

Vers. 61.

Et ait alter: sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his quæ domi sunt.

Et ait. *Ar. M. Ait autem. Vat. Dixit autem &.*
Alter. *Pagn. Alius.*
Sequar te. *Syr. Post te ibo.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Primùm. *Theoph. Priùs.*
Renunciare. *Syr. Vt proficiscar vale dicturus. Arab. Vt disponam. Caiet. Vt vale dicam.*
His q. d. s. *Syr. Filiis domus mea, & veniam. Arab. Familiaribus domus meæ. Ar. M. His, qui ad domum meam. Pagn. Iis, qui sunt domi meæ.*

Vers. 62.

Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

Ad illum. *Euth. Illi.*
Mittens. *Syr. Admouet. Arab. Est, qui ponit S Hil. Tenens. S. Aug. Ponens. Ar. M. Immittens, Theoph. Qui admouâ.*
Manum suam. *Theoph. Manu suâ.*
Ad a. *Syr. Ad aratrum paris boum. S. Greg. In aratrum. S. Aug. Super aratrum. Theoph. Aratro.*
Retrò. *Arab. Post se. Pagn. A tergo. Orig. Retrorsum. Ar. M. In qua retrò.*
Et respiciens. *Theoph. Respexerit.*
Regno D. *Syr. Ad regnum Dei. S. Aug. Regno cælorum.*

CAPVT IX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Hominum salutem *vt* Christus *quæreret.* 419
Ab omni auaritiâ *immunis* prædicator *sit.* 430
Virga *cur inhibita Apostolis.* 430
Dei amor *quanta præstet in iis, quos possidet.* 431
Apostolorum *sanctitas quàm vtilis hominibus.* 432
Rerum terrenarum *contemptus homines Angelos facit.* 432
Hospitalitas *sine tristitia exercenda.* 433
Mali *vt vitandi.* 434
Qui alterum salutem *quærit, sua non* obliuiscatur. 435
Auidè Dei verba *excipienda.* 436.
Beneficentia *vt commendata.* 436
Rerum temporalium *neglectus non negligendus.* 437
In omnibus Dei gloria *quærenda.* 437
Hospitalitas *quàm vtilis.* 438

Conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.

429. CONVOCATIS IESVS: vocat non tanquam magister & Dominus, sed tanquam Iesus, quia omnium salutem quærebat, dum Apostolos mittit ad prædicandum Dei Verbum. Benè Vgo Carensis. *Hic nominatur Iesus, non magister*, non Dominus, quia non ad docendum principaliter, neque ad dominandum, sed ad saluandum corpora, & animas misit Apostolos.

Omnes vocat, conuocat omnes, vt pares esse in prædicationis munere ostenderet, omnes eandem mentem circumferrent, eadem spectarent, eandem virtutem acciperent, & apostolicæ doctrinæ consignatio Apostolorum concordia esset.

Missurus ad prædicandum Apostolos, dat eis facultatem eiiciendi dæmones, morbosque curandi, vt scilicet audientium sibi fidem conciliarent, & vt, per illa opera, Dei in homines beneuolentiam homines viderent.

Et ait ad illos nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque pecuniam.

NIhil secum adferre Apostolis iubet, vt ad prædicationis munus obeundum essent expeditiores, & diuinæ prudentiæ magis fiderent, ac ab omni auaritiæ suspicione omninò liberi; vnde non mirum, si tam copiosum retulerunt fructum, quia nihil secum tulerunt. 430.

Neque virgam: Ne scilicet aliquem offenderent, aut se defenderent ab aliquo. Inermes voluit esse discipulos suos Christus, & omni armorum genere destitutos: cur ita? Vt vitæ innocentia, fortis armaturæ loco eis esset.

Dubium hîc oritur? quî cohæreat, quòd apud Marcum virga conceditur Apostolis: sic enim

ſcribit cap.6. *Precepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum.* Hîc vero apud Lucam prohibetur. Variæ ſunt Doctorum ſententiæ in Euangeliſtis conciliandis: hæc probabilis, & ſolidior. Virgam, quæ ad vindictam, & percutiendum conceditur, inhibitam Apoſtolis; virgam verò, quæ eſt ad ſuſtentandum, & veluti fulcimen quoddam, eſſe conceſſam.

431. *Neque peram, neque panem.* Omnem victus ſolicitudinem eos ponere iubet, vt toti ſcilicet prædicationi ſe darent, & diuinæ prouidentiæ ſe committerent. Pera ſacculus eſt, in quo cibus reponitur, & aſſeruatur. Sed cur vini mentio quoque non fit? An peræ nomine etiam vaſa quibus vinum continetur, ſignificantur? Vel vini mentio non fit, quia tanquam pauperes ſecum id non eſſent allaturi, aquâ contenti. *Neque panem*: Panis nomine omnis cibus hîc ſignificatur: quod frequens in diuinis litteris eſt.

Neque pecuniam: Ei, qui diuinæ prouidentiæ ſe committit, in eiuſque ſinu requieſcit, ſuperflua pecunia eſt; cuius aſſeruatio idcirco Apoſtolis prohibetur, vt ab omni auaritiæ ſuſpicione eſſent immunes, & vt omnem cupiditatis occaſionem illis amputaret.

Dignum eſt, quod expendatur, cur hæ rerum temporalium prohibitiones hîc fiant Apoſtolis, dum ad prædicandum mittuntur, & poſteà hæc, aut ſimilia illis ſecum ferre non prohibeantur, cùm in mundum vniuerſum, Euangelij ſeminandi causâ, miſſi ſunt; poſtquam ſcilicet Spiritum ſanctum acceperunt. Huius diuerſitatis ratio eſſe poteſt; quòd ante gratiam acceptam, diſcipuli, tanquam adhuc imperfecti, ab omni rerum temporalium ſolicitudine auocandi, & abſtrahendi erant; repletis verò Spiritu ſancto fruſtra hæc præcipiantur, cùm Spiritus ille diuinus mentem, quam poſſidet, ita ſatiet, & expleat, vt alia quærere non ſinat. Scilicet, vbi Dei amor regnat, fruſtrà prohibentur alia poſſidere, cùm ſine alio præcepto id ipſe amor præſtet: qui enim Deum amat, & amoris igne amburitur, terrena omnia contemnit, & infra ſe habet.

432. *Nihil tuleritis*; cæleſtibus donis onuſti, ab omni terrenâ paraturâ liberi iubentur eſſe. Satis ferebant Apoſtoli, quia ferebant, vt ita dicam, ſe; cæleſtes quodammodo effecti erant, vt à terrenis rebus non eſſent grauandi. Benè de illis Sanctus Thomas: *Mittit diſcipulos ad prædicandum ſic virtuoſos, ſic conſtantes, vt non minus propter eorum modum viuendi, quàm propter verbum euangelica doctrina propagaretur; & ideo cum aris, & baculi carentiâ, & amictus ſingularitate mittebantur.*

Nihil tuleritis; nihil ſecum ferre iuſſit Apoſtolos, vt neceſſaria omnia fideles offerrent; ſuperflua non requirentibus, debentur quæ non ſuperflua; quò promptiùs ſua relinquunt prædicatores Apoſtolici, eò promptiores ſua illis offerre auditores debent.

Nullâ rerum terrenarum curâ tangi debebant, qui lucrandarum animarum deſiderio tangebantur, vt Angelis quodammodo pares viderentur; vt totos ſe doctrinæ prædicandæ traderent; dum nihil ſecum habere iubentur, quod ferrent: nec peram, nec duas tunicas, nec baculum habere poterant. Cur prohibet? inquit Sanctus Thomas, *volebat excitare eos in qualibet diligentiâ*; &, vt ita loquar, *ex hominibus Angelos faciebat, dirimens à qualibet curâ vitæ, vt* VNA SOLA CVRA DETINEANTVR DOCTRINÆ.

In quancunque domum intraueritis ibi manete, & inde ne exeatis.

433. Monet, vt domum eligant, in quam ſe recipiant, nec in aliam diuertant hoſpitium mutantes. Hîc quærat aliquis, cur hanc à domo in domum migrationem inhibeat. In primis id fecit, ne domum mutantes eum contriſtent, à quo recepti ſunt. Scilicet tantâ perfundi lætitiâ debet, qui hoſpites recipit, vt triſtitiâ corripiatur, cùm diſcedũt. Nouerit, qui Dei ſeruos hoſpitio recipit, ſe magis in recipiendo gratiam accipere, quàm conferre.

Præterea, hoſpitij mutatio inhibetur, ne ipſi leues, & inconſtantes, aut ventri dediti aliis videantur, aut certè ne erraſſe credantur in electione, dum mutant domum, quam elegerant. Scilicet, qui docet Euangelium euagari non debet; &, qui abſtinentiam prædicat ventri ſeruire dedecet; imò, nec talis aliquo pacto videndus.

Et qui non receperint vos, exeuntes de ciuitate illâ etiam puluerem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſuper illos.

434. Ab his, qui Apoſtolos recipere nolunt, diſcedere eos monet, ne tempus ſcilicet ibi inutiliter inſumerent, quod aliorum ſaluti impendi poterat. Pulueris autem excuſſio Apoſtolorum laborem teſtabatur, & nihil ſe ab iis recepiſſe, qui Euangelium ſpreuerunt. Proiiciunt Apoſtoli puluerem, ac ſi infectus habitantium malitiâ eſſet.

Et reuerſi Apoſtoli narrauerunt illi quæcunque fecerunt.

Ad prædicandum miſſi Apoſtoli ad Chriſtum reuertuntur, omnia, quæ præſtiterant, renunciantes. Prædicatores, &, qui animarum ſalutem habent, ita ſe gerere debent, vt, poſt ſuum munus, Chriſto ſe ſiſtere non erubeſcant: quod ægrè præſtare poſſunt, qui indignè ſuum munus obierint.

435. *Quæcunque fecerunt*: cur non dictum, *quæcunque dixerunt?* Factorum maior habetur ratio, quàm dictorum. Sanctus Marcus eandem rem in hunc modum extulit: *Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.* Sanctus Lucas illud, *& docuerant*, omittit tanquam in verbo, *fecerant* totum clauderetur.

Et aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaida.

Poſt prædicationis laborem in deſertum locum ducuntur Apoſtoli, vt à turbis remoti quietiùs contemplationi vacarent: nimirùm qui aliorum ſalutem quærit, ſui obliuiſci non debet; ad ſe reuertatur, qui ob alios diſtractus fuerat.

Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in caſtella, villaſque quæ circa ſunt, diuertant, & inueniant eſcas.

436. Tanto deſiderio tenebatur turba Chriſtum audiendi, vt penè neceſſarij victus obliuiſceretur adeo, vt neceſſe fuerit accedere diſcipulos, & Chriſtum monere, vt dimitteret turbas: Proh quàm ſingularis horum auiditas & audiendi Chriſtum, &

cum

cum eo manendi! Amaori Christum adeò suauis Christi præsentia est, vt ab eo diuelli vix possit.

Ait autem ad illos, vos date illis manducare.

SCiebat Christus discipulos turbis victum ministrare non posse, cùm in deserto essent, & non haberent, nisi quinque panes, & duos pisces; cur ergo iubet Christus? An, vt illos erigeret ad diuinam virtutem considerandam? An prouocat his verbis Dominus discipulos ad largitatem, & beneficentiam adeò, vt velint etiam vltrà vires succurrere, tantum absit, vt intra?

At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes, & duo pisces.

437. NEqueunt discipuli Christi mandatum exequi, & ideo se excusant: non sunt nobis, inquiunt, nisi quinque panes, & duo pisces, qui tantæ multitudini satiandæ non sufficiunt. Apparet hic in Apostolis rerum temporalium neglectus, vt in duodecim hominibus quinque tantùm panes, & duo pisces reperti sint: adeò parsimoniæ amici erant Christi amatores, sectatoresque. Qui rebus spiritualibus operam dat corporalium ferè obliuiscitur.

Fatentur discipuli, se multitudinem satiare non posse: sed cur istud ab Apostolis Christus elicuit? Vt indigentia panis, à pluribus cognita, abundantia facta per ipsum, maiori gratiarum actione exciperetur.

Prætereà, id etiam fecit Christus, ne miraculum, miraculique partem sibi aliquis tribueret; néve alij, quàm Christo, tribueretur, cùm Apostoli, se satiare illos non posse, tantâ rerum penuriâ oppressi, apertè affirmarint. Scilicet in rebus omnibus gloria soli Deo offerenda est.

Et sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

438 PLura nimirùm supersunt, quàm panes essent ex quibus alij, aliique quodammodo Christi virtute pullularunt. *Vt addisceremus*, inquit Theophylactus, *quantum* HOSPITALITAS *potest, & quantum augentur nostra, cùm indigentibus subuenimus*, vt sibi subuenire videatur, qui indigentibus subuenit, & sua cumulet, qui non cumulat, sed dispergit.

Fragmentorum; cur fragmenta supersunt, non panes integri? *vt ostendat* inquit Sanctus Chrysostomus, *illorum panum esse reliquias*, qui diuinitus erant multiplicati, sicque miraculum firmius omnium memoriæ adhæreret; supersunt fragmenta, vt ingratitudo omnis frangeretur.

SECTIO II.

Et interrogauit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

NOn quærit, quid de ipso Pharisæi sentirent, quid scribæ, quid Iudæorum principes; hi enim præ inuidiâ, ambitione, & auaritiâ Christum tanquam seductorem, legis transgressorem, ac dæmonium habentem blasphemabant. Turbarum opinionem interrogat; hæ quippè, vt simplices, & ab ambitione, affectibusque remotiores, magis accedebant veritati. Docemur calumniantium, calumniarúmque nullam habere rationem, ac si illi non extent, hæ non inferantur. 439.

Quem me dicunt esse turbæ: Matthæus sic extulit: *quem dicunt homines esse filium hominis*; turbæ homines dici possunt: nam scribæ, & pharisæi vel hominis nomine erant indigni, qui blasphema de Christo euomebant, seductorem eum dicentes, potatorem, & in Beelzebub eiicere dæmonia; homo vocari non meretur, qui indigna de hominum Saluatore adstruit.

Quem me dicunt, cur à discipulis suis Christus quærit, quid de ipso homines sentiant? *Vt discipuli*, ait Origenes, *discant semper esse* CVRIOSI *sermonum, qui de ipso ab hominibus dicuntur; quod nobis facientibus ad hoc conducit, vt maledictorum quidem occasiones modis omnibus auferamus, rectè verò dictorum causas adaugeamus*; curemusque ne quidpiam indignum de Christo alij efferant, quæ verò digna protulerint recensione probemus.

At illi responderunt, & dixerunt: Ioannem Baptistam: alij autem Eliam; alij verò quia vnus propheta de prioribus surrexit.

REcensent discipuli turbarum censiones, & sine adulatione, sine mendaciis rem, vt res erat, referunt. Respondent omnes, quia omnes Christus interrogauerat. Notandum verò est, quòd Lucas *turbas* appellat, quos Matthæus, & Marcus *homines*; hîc enim habet Lucas: *Quem me dicunt esse turbæ?* Matthæus: *quem dicunt homines esse filium hominis?* Marcus *quem me dicunt esse homines?* Sed in sensu nulla discrepantia est; nam in diuinis litteris plerunque, *hominis* nomen de vulgaribus hominibus dicitur, qui nullâ dignitate fulgent. Nisi dicamus simplices turbas, quæ nudè sine vllâ inuidiâ, quid sentirent de Christo explicabant, *homines* dictos, vt à Pharisæis, & scribis discriminarentur, qui, cum inuidiâ correpti blasphemias euomerent, *hominis* nomen à ratione alieni mereri non videbantur. 440.

Apostoli blasphemantium non adducunt errores, sed eorum censiones in medium adducunt, qui benè de Christo sentiebant, & quia id tantùm videbatur quærere Christus, qui turbarum opiniones interrogauit, & etiam, vt ita disceremus; non esse aliorum detractiones, & calumnias ei, cui illatæ fuerunt, referendas.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.

441. NOn compellit, ſed inuitat: ſpontaneum amat Chriſtus obſequium, non coactum. Rectè autem hæc cum ſuperioribus nectuntur. Dixerat Petrus, omnium Apoſtolorum nomine, Chriſtum Dei Filium eſſe: ne autem ad ſalutem hanc confeſſionem ſufficere putarent, adiunxit, adhuc opus eſſe ſui abnegatione, crucíſque amplexu. Nimirùm non ſatis eſt verbis Chriſtum fateri, debemus operibus. Fides, rebus vidua, cadauerosa eſt.

Si quis vult: Non cogit, ſed liberos inuitat, àllicitque. Cur non compellit? Adeò magna ſunt, quæ tribuit ſuis Chriſtus, vt ſponte ad eum ituros homines, & vltrò ſecututos dubitare non debeamus: adeò ſuaue eſt Chriſti veſtigiis inſiſtere, Chriſto adhærere, vt ſatis inuitaſſe, nec opus imperio ſit.

Si quis vult venire post me: Non dixit, *post meа*, ſed, *post me*: Chriſto adhærere debemus, rerum cæterarum obliti.

Abneget semetipsum: Ille ſe ipſum abnegat, qui propriis deſideriis, & appetitibus contradicit. Porrò abnegare plus eſt, quàm negare; vt vehementiam, & conatus magnitudinem præpoſitio illa indicet, & perfecta abnegatio ſignificetur.

442. Non explicat, in quo quis abnegare ſe debeat, vt in omnibus ſe quiſque abnegare diſcat. Plerique in aliquâ re ſibi contradicunt, & ſuo appetitui ſe opponunt, non in omnibus: hi verè ſe non abnegant, quia non in omnibus.

Abneget semetipsum: Nulla temporis differentia adiicitur, nullum tempus ſignatur, nullum excluditur. Scilicet omni tempore propriam reſecare voluntatem debemus, proprias cupiditates: nulla ætas, tempus nullum ſine abnegatione ſitum ſit.

Non dixit Chriſtus, ne nimis quis ſibi indulgeret, ne nimis carni ſuæ parceret, ſed, vt, velut abiret in ſemetipſum, ſeipſum abneget, nihil cum ſe ipſo, nihil cum ſuâ carne commercij habens: adeò, vt alius à ſe ipſo quis eſſe videatur.

Abneget semetipsum; aliqui Græci codices legunt; *Abneget semetipsum sibi*; ſed quî abnegare ſe ſibi aliquis poteſt. An hoc eſt abnegare ſe ſibi, *nullius iam*, inquit Xiſtus, *humanæ voluptatis cupiditatibus subiacere? vt sibi non viuat; & vt omne hominis desiderium abdicet, vt vniuersam carnis, & corporis respuat voluptatem, vt moriatur penitùs sibi, & illi totus viuat, cuius morte redemptus est.*

Et tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

443. QVod cruciat, & torquet *crux* appellatur, vnuſquiſque ſuam crucem tollat, viribus ſuis parem; tempus autem indefinitum perpetuitatem quandam notat; vt ſemper, qui Chriſtum ſequitur, crucem tollat, nec ſine ea incedat, eam non reiiciat. Additum eſt, *quotidie*, variis enim tribulationibus, & aduerſitatibus iuſtorum tolerantia indeſinenter probanda eſt. Non ſemel, ac bis circumferenda crux eſt, ſed aſſiduè.

Et sequatur me; opportunè hoc adiectum eſt, vt ſcilicet diſceremus, non ſatis eſſe crucem ferre, & aduerſa pati, niſi id propter Chriſtum fiat, in eius obſequium, & gloriam; alioquin parum proderit aduerſa ſuſtinere, niſi ad Chriſti ſequelam dirigantur.

Tollat crucem suam, & sequatur me; tollenda eſt Crux, Chriſtum ſequuturo, & deponendum quicquid huic oneri ferendo poteſt eſſe impedimento; alioquin occinere ſibi quiſque illud poteſt Sancti Hieronymi, *Et ego onustus auro arbitror me Christum sequi?*

Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se ipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat.

LIcèt quis totum mundum lucretur, & omnibus mundi deliciis perfruatur, nihil verè proficit, ſi ob id ſe æternæ damnationi adiiciat, cum omnia temporalia bona, ſi ſpirituali ſaluti conferantur, quaſi nihil æſtimanda ſint. Dicitur autem homo ſe perdere, & detrimentum ſui facere, quia ipſe ſuæ damnationis cauſa eſt, vt fruſtrà cauſam in alios homines, qui eum perſequuntur, & in dæmones, qui ſemper infeſtant, reiiciat. 444.

Assumpsit Petrum: Cur hos tres præcipuè Apoſtolos aſſumit, relinquit alios? *Assumit hos*, inquit Theophylactus, *velut magis taciturnos, & silere valentes.* Silentij amici, amici ſolent eſſe Chriſti: gloriæ quendam guſtum illi iure ſentiunt, qui coërcere linguam poſſunt, & à ſuperfluo verborum fuſu illam continere.

SECTIO III.

Et ascendit in montem, vt oraret.

IN montem ſe Chriſtus cum diſcipulis ſuis contulit, ibique transfiguratus eſt, vt affirmant Matthæus, & Marcus; cur igitur hîc dicitur aſcendiſſe, vt oraret, & non potiùs, vt ſe transfiguraret? An, vt orationis prærogatiua ſignificaretur? & vt per hoc nobis innueretur reuelationes quidem ſpirituales eſſe quidem magnifaciendas, ſi à Deo ſint, non tamen quærendas eſſe; ſed potius orationes, virtuteſque cæteras? idcircò dicitur Chriſtus aſcendiſſe, vt oraret, non vt ſe transfiguraret. 445.

Optimè oratio transfigurationi præmittitur: nam orationis fuſu in alterum hominem transformamur, vt in Deum immigraſſe videri poſſimus; vnde & rectè ſubditur: *& facta est, dum oraret, facies vultus eius altera.* In oratione facies eius immutata eſt, non ſubſtantiâ, ſed qualitate; reſplenduitque facies eius ſicut ſol: vt ſignificaret corporis beatitudinem ab animæ fruitione emanaturam.

Ascendit in montem orare. Nec orationis locus myſterio

mysterio viduus: In montem oraturus ascendit, qui ima,& terrena deserit, Deum, & diuina quærit; nam (vt ait Sanctus Ambrosius ab aliquibus productus) *non omnis, qui orat, ascendit in montem; sed, qui bene orat, à terrenis ad superiora progrediens, verticem curiæ sublimis ascendit: at ille non ascendit in montem, qui de sæculi diuitiis, aut de honore sollicitus est: ascendit ille qui Deum quærit*, terrenarum rerum oblitus.

446. Ascendit in montem, vt oraret: In monte paupertatem, mititatem, misericordiam, cordis puritatem, & alia commendauit. Nimirum ille in montem oraturus ascendit, qui ea, quæ in monte prædicata, opere complet.

Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: Vt ex mutatione speciei colligeremus in nouum quodammodò hominem transformari, qui orationem ea formâ, qua decet, fundit. *Altera facta est corporalis Domini species, cùm oraret* (Gillibetti Abbatis verba sunt) *& voluit per hoc in monte tuã* ORATIONIS COMMENDARE VIRTUTEM, *quòd illa sit, quæ te in intimus alterum faciat & nouum commutet in hominem:* adeò vt in Deum, & in diuina immigret, qui orat.

Dicebant excessum eius: S. Chrysostomus pro excessu legit, τὴν δόξαν, *Gloriam. Loquebatur*, inquit, *de gloriâ, quam completurus erat in Hierusalem; de cruce videlicet, ac passione: sic enim ipsam semper appellabat.* Atque adeò, quod humanis oculis ignominia videbatur, erat apud Christum vera gloria.

Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno.

447. NOn bene se ad gloriam parat, qui dormit, sed qui vigilat; dormiunt tamen discipuli diurno fors labore fatigati; aut nocte intempestâ vrgente. Aliqui ex hoc somno coniiciunt nocte factam transfigurationem esse; non enim discipuli somno indulgebant nisi nocte.

Nesciens quid diceret: Verè nesciebat, bonum illud appellans, quod erat sibi soli, Coapostolorum oblitus: *neque enim*, ait Sanctus Paschasius, *de his aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas quam maximè commendabatur*; non est integrum bonum, atque perfectum, quod quis, suorum oblitus, sui commodi cupidus, possidet, nec aliis curat communicari.

Vsquequo ero apud vos? Quàm improba illorum vita Christo displicebat! *non illi graue crucis patibulum*, ait Sanctus Chrysostomus, *sed magis illorum conuersatio*, cùm penderet in cruce, non queritens dixit, *quamdiu in cruce ero?* cum libens ille affigeretur; at cum malis degens ait; *vsquequo ero vobiscum?* grauior enim quacunque cruce malorum consuetudo Christo est.

Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes dixerunt: Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? & conuersus increpauit illos.

448. IRâ accensi discipuli contra Samaritanos, quòd Christi aduentum intelligentes eum hospitio recipere noluerunt, eos perdendi facultatem sibi dari quærunt: *vis, inquiunt, dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Non putarunt, hanc facultatem sibi adesse, nisi Iesu concederet: signarè addunt, *Vis dicimus*; nec dicunt *Domine dic, aut iube, vt ignis descendat de cælo*; nouerant quippè Domini mansuetudinem, ac clementiam, vt per se id non esset facturus.

Dixit quidam ad illum: sequar te quocunque ieris.

HOmo iste, secuturum se Christum, spondet; sed à quo mouetur, vt sequatur? An, quia putabat, eum lautam, deliciisque plenam vitam agere, & sæculi commoditatibus abundare? Cùm enim multis beneficiis plerosque afficeret, insignia opera edens, à multis, gratitudinis causâ, multa eum accipere forsan existimabat. Hac de causâ promptum, facilémque se præbet ad sequendum.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.

VVlpes foueas habent, & volucres cæli nidos: 449.
Christus nec foueas habuit, nec nidum, non habet angulos, ignorat latebras, omnibus est expositus, personarum acceptionem respuit; Rem egregiè versat Sanctus Petrus Damianus serm. 43. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; ipse non habet nidum, foueam ignorat, angulum nescit: locum illum eligit, vnde pateat omnibus, exclusa personarum acceptione. Denique & natus, positus est in medio duorum animalium, & quæsitus inuenitur in medio Doctorum: & medius Iudæorum stat, quem ipsi nesciunt. Loquitur & ad discipulos: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et, Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Crucifixus est etiam in medio duorum latronum. Resurgens stetit in medio discipulorum suorum: & à Ioanne visus est in medio septem candelabrorum aureorum. Medius ergo medium sequere, nec angulorum sordibus, nec fouearum tenebris delecteris; sed dic cum illo: In medio Ecclesiæ laudabo te.*

Ait autem ad alterum, sequere me.

HIc non se voce offerebat, offerebat affectu, vt Christum sequeretur: primus voce duntaxat, *sequar te*, inquiens, *quocunque ieris*. Quid prodest verbis sanctitatem polliceri, perfectionem quærere, re ipsâ contemnere? Nulla ferè verborum à Christo habetur ratio, si verba tantùm sint, re, affectuque viduata. Non refert, quòd quis grandia polliceatur: refert, quòd re ipsâ cupiat, re ipsâ præstet, nec verbis fallat.

Ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.

ELucet hîc Christi sapientia, qui non priùs hunc hominem vocauit, quàm eius pater moreretur; quod in Iacobo, & Ioanne non præstitit: hos enim, adhuc patre viuente, ad se traxit: cur ita factum? An quia huius opera viuenti patri necessaria erat; ideo vocationem Christus distulit, ne honorem, qui patribus debetur, impedire videretur?

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.

NEmo mittens manum suam ad aratrum: Renunciare, & valedicere suis hic volebat, sed redarguit

redarguit illum Christus; sancto enim instituto suscepto ad seculum animum flectere non decet, nec retro respicere; sed cur iste increpatur, nec ei negatur, quod petit, quum nec reprehensus fuerit Elisæus, qui secuturus Eliam, & petens, vt sibi patrem, matremque priùs osculari liceret, obtinuit? id enim ei permisit Elias dicens: *Vade, & reuertere.* At maior Elia Christus est, & vocat ad maiora; plenior perfectio à Christo exigitur, quàm sub veteri testamento exegerit Elias; Euangelij tempore, & à maiori vocamur, & ad maiora.

451. Præterea Elisæus sola quadam parentum pietate mouebatur, vt istuc ab Elia peteret: Hic verò solicitudine quadam rerum mundanarum tenebatur, quæ Christi sequendi promptitudinem & inficere poterat, & impedire; quod notauit Christus cùm innuit eum retrò respicere.

Inspiciendum nobis, ne retrò respiciamus, sed multò cautius, ne redeamus retrò; *Si enim*, verba sunt B. Thomæ à Villanouà, *talis est pœna retrò respicientium; qualis erit vltio retrò redeuntium? Seculi huius flagrantem libidinibus, & curis æstuantem Sodomam, Dei beneficio euasimus; vt quid eum vltrò, vel à remotis, aspicimus?*

Quid sit manum ad aratrum mittere, & retrò respicere sic explicat Sanctus Gregorius hom. 3. in Ezechielem: *Manum in aratrum mittere, est quasi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retrò post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur quæ reliquit.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT X. LVCÆ.

Vers. 1.

POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos: Et misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus.

Post hæc a. *Arab. Et post hoc.*
Design. *Syr. Secreuit è discipulis suis. Tert. Adlegit.*
Dominus. *Syr. Iesus.*
Septuaginta duos. *Tert. Septuaginta Apostolos. Pagn. Septuaginta.*
Misit. *Euth. Emisit.*
Binos. *Ar. M. Per binos.*
Faciem suam. *Euth. Conspectum suum.*
Ciuitatem e. l. *Syr. Locum & ciuitatem.*
Erat i. v. *Syr. Futurum erat vt ipse veniret.*

Vers. 2.

Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Et d. *Ar. M. Dicebat igitur.*
Messis q. *Ar. M. Ipsa quidem messis.*
Multa. *Arab. Multa est.*
Operarij autem. *Vat. Sed operarij.*
Rogate ergo. *Syr. Petite igitur. Arab. Rogate.*
Dominum. *Syr. A Domino.*
Mittat. *Arab. Ducat. Euth. Producat. Caiet. Emittat. Theoph. Extrudat.*

Vers. 3.

Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Ite. *Vat. Abite.*
Agnos. *Syr. Oues.*
Inter l. *Caiet. In medio luporum.*

Vers. 4.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.

Nolite portare. *Ar. M. Ne portate.*
Sacculum. *Syr. Vobis marsupium. Arab. Sacculos. Fr. Luc. Crumenam.*
Peram. *Syr. Peras.*
Neminem salutaueritis. *Syr. Pacem vllius ne petieritis.*
Calceamenta. *Syr. Calceos.*
Per viam. *S. Ambr. In via.*

Vers. 5.

In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.

In q. *Fr. Luc. In quacunque autem.*
Huic domui. *Arab. Familiaribus huius domus.*

Vers. 6.

Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos reuertetur.

Si i. f. *Sanctus Aug. Si illic est. Ar. M. Si quidem fuerit ibi.*
Pacis. *Arab. Pacis vestra.*
Requiescet. *Arab. Habitauit. S. Aug. Requiescit.*
Sin autem. *S. Aug. Sin quo minus. Caiet. Sin minus.*
Ad vos. *Arab. Pax vestra ad vos.*

Vers. 7.

Vulgata Editio.

Verſ. 7.

In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum.

Verſ. 8.

Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.

Verſ. 9.

Et curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

Verſ. 10.

In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite:

Verſ. 11.

Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei.

Verſ. 12.

Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi ciuitati.

Verſ. 13.

Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.

Verſ. 14.

Veruntamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in iudicio, quàm vobis.

Verſ. 15.

Et tu Capharnaum vſque ad cælum

Lectionum varietas.

Manete. *Syr. Eſtote.*
Edentes & b. *Arab. Comedite & bibite ex illis.*
Apud illos ſ. *Syr. Ipſi habuerint. Euth. Ab illis offeruntur. Pagn. Dantur ab illis. Fr. Luc. Ab illis ſunt.*
Nolite t. d. d. in d. *Vat. Ne tranſeatis de domo aliâ in aliam.*

Ciuitatem. *Syr. Vrbem.*
Intraueritis. *Syr. Introieritis. Euth. Ingreſſi fueritis.*
Suſceperint. *Syr. Exceperint. Arab. Receperint habitatores eius.*
Manducate. *Arab. Comedite ex eis. Pagn. Edite.*
Quæ a. *Syr. Quod appoſitum fuerit.*

Curate. *Theoph. Sanate.*
Infirmos. *Vat. Ægros. Fr. Luc. Ægrotos.*
In vos. *Arab. Ad vos. Fr. Luc. Super vos.*

Intraueritis. *Syr. Introieritis. Euth. Ingreſſi fueritis.*
Suſceperint. *Syr. Exceperint. Arab. Receperint habitatores illius.*
Exeuntes. *Arab. Exite. Fr. Luc. Egreſſi.*
In plateas e. *Syr. In plateas. Arab. A plateis. Pagn. In plateis eius.*

Etiam puluerem. *Syr. Sed & Puluerem. Arab. Puluerem.*
Nobis. *Syr. Nobis in pedibus noſtris. Arab. Pedibus noſtris.*
De c. v. *Syr. Ex ciuitatibus veſtris.*
Extergimus i. v. *Tert. Excutimus in vos. Ar. M. Abſtergimus vobis.*
Quia approp. *Theoph. Quòd appropinquauit in vos. Vat. Appropinquaſſe vobis.*
Regnum. *Syr. Ad vos regnum. Euth. In vos regnum. Ar. M. Super vos regnum.*

Dico. *Ar. M. Dico autem.*
Quia S. *Syr. Sodomam. Pagn. Quòd Sodomitis. Vat. Cum Sodomis.*
Illa. *Theoph. Illo.*
Remiſſius erit. *Syr. Pacatiorem fore. Arab. Ei erit remiſſio maior. Vat. Tolerabilius agetur. Caiet. Tolerabilius erit.*
Quàm i. c. *Syr. Illa ciuitate. Vat. Quàm cum illa ciuitate.*

Factæ. *Syr. Edita.*
Virtutes. *Pagn. Potentia.*
Factæ. *Syr. Edita.*
Olim. *Syr. Iamdiu. Arab.* omittit. *Ar. M. Olim vtique.*
In c. *Syr. Cum ſacco. Arab. In ciliciis.*
Cinere S. *Syr. Cinere.*
Pœniterent. *Ar. M. Pœnituiſſent. Fr. Luc. Pœnitentiam egiſſent.*

Tyro & Sidoni. *Syr. Tyrus & Sidon. Vat. Cum Tyro & Sidone.*
Remiſſius erit. *Syr. Futura ſunt tranquilliores. Arab. Erit remiſſio maior. Vat. Tolerabilius agetur. Caiet. Tolerabilius erit.*
In i. *Syr. In die iudicij.*
Quàm v. *Syr. Vobis. Vat. Quàm vobiſcum.*

Vſque a. c. e. *Theoph. Quæ vſque ad cælum elata es. Pagn. Quæ vſque ad cælum exaltata es.*

Vulgata Editio.

exaltata, vſque ad infernum demergêris.

Lectionum varietas.

Ad i. *Syr. Ad inferos. Arab. In inferos.*
Demergêris. *Arab. Cades. Euth. Detrabêris. Fr. Luc. Deprimêris.*

Verſ. 16.

Qui vos audit, me audit: & qni vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.

Spernit m. ſ. *Euth. Reiicit, me reiicit.*
Spernit, ſpernit e. *Euth. Reiicit, Reiicit eum.*
Qui m. *Ar. M. Mittentem.*

Verſ. 17.

Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.

Autem. *Euth. Ergo.*
Sep. d. *Syr. Septuaginta illi, quos miſerat. Vat. Septuaginta.*
Gaudio. *Syr. Gaudio magno.*
Domine. *Syr. Domine noſter.*
Etiam d. *Ar. M. Dæmonia.*
Subiiciuntur. *S. Aug. Subiecta ſunt.*
In n. t. *Theoph. Per nomen tuum.*

Verſ. 18.

Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem.

Et ait. *Pagn. Ait autem.*
Videbam. *Syr. Conſpicabar. Arab. Vidi. Orig. Ecce video.*
Satanam. *Arab. Dæmonium.*
Sicut fulgur. *Syr. Inſtar. Fulguris. Euth. Tanquam fulgur.*
Cadentem. *Arab. Quod cecidit. S. Cypr. Deſcendentem. S. Greg. Nyſſ. Cecidiſſe.*
De cælo. *Syr. E cælo.*

Verſ. 19.

Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

Dedi. *Caiet. Do.*
Supra ſerpentes. *Arab. Serpentes. Tert. Super colubros.*
Scorpiones. *Tert. Scorpios.*
Super o. v. *Syr. Omnem vim.*
Vobis n. *Syr. Vos lædet.*

Verſ. 20.

Veruntamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

Nolite g. *Ar. M. Ne gaudete.*
Spiritus v. ſ. *S. Chryſ. Vobis obediunt dæmonia. S. Aug. Dæmonia ſubiecta ſunt.*
Gaudete a. *S. Aug. Gaudete potiùs. Orig. Sed gaudete.*
In cælis. *Orig. In libro vitæ.*

Verſ. 21.

In ipſa hora exultauit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.

Ipsâ. *Theoph. Eadem.*
Exultauit. *Ar. M. Exultauit Ieſus.*
Spiritu ſ. *Syr. Spiritu ſanctitatis. Euth. In Spiritu ſancto. Pagn. Spiritu Ieſum.*
Confiteor. *Pagn. Confitebor.*
Pater. *Syr. Pater mi.*
Cæli. *Arab. Cælorum.*
Prudentibus. *Caiet. Intelligentibus.*
Paruulis. *Syr. Infantibus.*
Etiam Pater. *Syr. Etiam Pater mi. S. Epiph. Ita Pater.*
Quoniam ſic p. *Syr. Quia talis fuit voluntas. Arab. Hoc placitum. Euth. Quoniam ſic beneplacitum fuit. S. Epiph. Beneplacitum eſt mihi. Ar. M. Quoniam ſic factum eſt beneplacitum Vat. Quoniam ſic complacitum eſt. Caiet. Quoniam ſic bona voluntas.*
Ante te. *Arab. Ante te. Et conuerſus eſt ad diſcipulos ſuos, & dixit. S. Epiph. Coram te. Et conuerſus ad diſcipulos dixit.*

Verſ. 22.

Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Omnia. *Theoph. Et conuerſus ad diſcipulos dixit: Omnia.*
Scit. *S. Epiph. Nouit.*

Verſ. 23.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 23.

Et conuerſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

Et. *Syr. Item.*
Diſcipulos ſ. *Arab. Diſcipulos ſuos proprios. Pagn. Diſcipulos.*
Dixit. *Vat. Seorſim dixit. Ar. M. Priuatim dixit.*
Beati. *Syr. Felices.*
Quæ. *Syr. Quod.*

Verſ. 24.

Dico enim vobis, quòd multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

Voluerunt. *Arab. Et S.Greg. Deſiderauerunt.*

Verſ. 25.

Et ecce quidam Legiſperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

Legiſp. *Syr. Scriba.*
Tentans. *Arab. Vt tentaret.*
Magiſter. *Syr. Doctor.*
Faciendo. *Syr. Faciam.*
Vitam æ. *Arab. Vita æterna.*
Poſſidebo. *Syr. Vt hæreditate poſſideam. Arab. Vt hæres fiam. Tert. Conſequar.*

Verſ. 26.

At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?

Quid ſ. *Syr. Quomodo ſcriptum.*
Quomodo. *Arab. Et quomodo.*

Verſ. 27.

Ille reſpondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.

Et omnibus. *S.Hil. Ex totis. Ar.M. Ex totâ.*
Viribus t. *S Hil Viſceribus tuis. Ar.M. Fortitudine tuâ. Caiet. Virtute tuâ.*
Omni mente. *Syr. Totâ mente. S.Hil. Totâ virtute tuâ. Ar.M. Omni cogitatione.*
Te ipſum. *Syr. Animam tuam.*

Verſ. 28.

Dixitque illi: Rectè reſpondiſti: hoc fac, & viues.

Reſpondiſti. *Syr. Dixiſti.*
Fac. *Syr. Age.*

Verſ. 29.

Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: & quis eſt meus proximus?

Volens. *Arab. Voluit.*
Se ipſum. *Syr. Semetipſum.*

Verſ. 30.

Suſpiciens autem Ieſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.

Suſpiciens autem I. d. *Syr. Subdit ei Ieſus. Theoph. Reſpondens autem Ieſus dixit.*
Homo. *Syr. Vir.*
Deſcendebat. *Arab. Erat deſcendens.*
Incidit. *Syr. Irruerunt in eum.*
In latrones. *Syr. Latrones. Arab. Inter latrones. Latronibus.*
Qui etiam. *Syr. Et.*
Deſpol. *Syr. Expoliarunt. Euth. Exuerunt. Vat. Deſpoliauerunt veſtibus.*
Plagis i. *Syr. Vulnerarunt. Arab. Affecerunt eum plagis. S.Chryſ. Vulneribus inflictis. Ar.M. Plagas imponentes.*
Semiuiuo r. *Syr. Et miſſum eum fecerunt, quum vix ſubſiſteret in eo anima. Arab. Et dereliquerunt illum prope mortem. S. Chryſ. Semimortuo relicto. Ar.M. Relinquentes ſemiuiuum exiſtentem.*

Verſ. 31.

Accidit autem, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem viâ: & viſo illo præteriuit.

Accidit. *Pagn. Caſu. Vat. Caſu fortuito. Ar.M Secundùm ſortem.*
Eadem viâ. *Syr. Per illam viam. Ar.M. In viâ illâ.*
Viſo illo. *Ar.M. Videns illum.*

Verſ. 32.

Similiter & Leuita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.

Cùm e. ſ. locum. *Syr. Veniens acceſſit ad illum locum. Arab. Venit in locum. Theoph. Cùm eſſet iuxta locum. Vat. Cùm eò loci perueniſſet.*
Videret. *Arab. Vidit. Euth. Veniſſet ac vidiſſet. Pagn. Acceſſiſſet ac vidiſſet.*
Pertranſiit. *Theoph. Præteriit.*

Verſ. 33.

Samaritanus autem quidam iter fa-

Quidam. *Syr. Vir.*
Iter f. *Arab. Tranſiens*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

ciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est.

Venit. *Arab.* omittit.
Secus e. *Syr. Quò loci erat ipse. Theoph. Ad eum.*
Vid. e. *Pagn. Viso eo.*
Miser. in. *Syr. Misertus eius. Ar. M. Visceribus commotus.*

Vers. 34.

Et appropinquans alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

Approprians. *Arab. Appropriauit illi. S Chrys. Accedens. Orig. Cùm accessisset.*
Allig. *S.Chrys. Obligauit.*
Infundens. *Arab. Et super ea fudit.*
Et i. *Ar. M. Ascendere faciens autem.*
In i. s. *Syr. Asino suo. Arab Super iumentum suum. Ar. M. In proprium iumentum.*
Duxit. *Syr. Adduxit.*
In stabulum. *S.Chrys. In diuersorium. Caiet. In hospitium.*
Egit. *Arab. Sumpsit.*

Vers. 35.

Et alterâ die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.

Et a. d. *Syr. Manè autem diei. Arab. Et sequenti die. Euth. Et postero die egressus. Ar. M. Et crastinum exiens.*
Protulit, *Euth Deprompros. Ar. M. Eiiciens.*
Dedit. *Pagn. Cedit.*
Stabulario. *Arab. Domino diuersorij. Ar. M. Tabernario. Caiet. Hospiti.*
Habe. *Syr. Age. Arab. Habe his duobus.*
Quodcunque sup. *Syr. Si quidem supra impenderis. Arab. Si pro eo plus istis duobus expenderis. S. Aug. Si quid amplius erogaueris. Pagn. Quodcunque praterea insumpseris. Ar. M. Quodcunque adinsumpseris.*
Cùm r. *Syr. Quum reuertar. S. Aug. In redeundo.*
Reddam. *Arab. Dabo. Euth. Persoluam.*

Vers. 36.

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

Quis. *Arab Quem autem. Vat. Quis ergo.*
Horum t. *Arab. Ex tribus.*
Videtur t. *Arab. Putas.*
Prox. *Arab. Proximum.*
Fuisse. *Arab. Factum fuisse.*
Qui incidit. *Arab. Cecidit. Ar. M. Incidentis.*
In latr. *Syr. In manus latronum. Arab. Inter latrones.*

Vers. 37.

At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Qui f. m. i. i. *Syr. Is qui misertus est eius. Theoph. Qui exercuit misericordiam in illum. Caiet. Qui fecit misericordiam cum illo.*
Ait. *Syr. Subdit. Euth. Dixit ergo.*
Vade. *Syr. Abi.*

Vers. 38.

Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.

Factum est autem d. i. *Arab. Et dum ambularent. Vat. Euenit autem iter faciendo.*
Quodd. c. *Ar. M. Vicum quemdam. Theoph. Quoddam oppidulum.*
Et. *Pagn. At.*
Mulier quædam. *Arab. Mulier.*
Nomine. *Arab. Nomen eius erat.*
In d. s. *Syr. Domi sua. Vat. Domum suam.*

Vers. 39.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

Nomine. *Ar. M. Vocata.*
Quæ etiam s. *Syr. Qua veniens consedit. Euth. Etiam assidens. Pagn. Qua etiam eum assedisset.*
Secus p. *Euth. Ad pedes.*
Domini. *Syr. Domini nostri. Caiet. Iesu.*
Verbum. *Euth. Sermones. Vat. Sermonem. Pagn. Verba.*

Vers. 40.

Martha autem satagebat circa frequens

Satagebat. *Arab Ministrabat. Caiet. Distrahebatur. Mald. Turbabatur.*

ministerium:

Vulgata Editio.

ministerium: quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare: dic ergo illi, vt me adiuuet.

Vers. 41.

Et respondens dixit illi Dominus Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.

Vers. 42.

Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Lectionum Varietas.

Cir f. m. *Syr. Multo ministerio. Arab. Diligenter plurimum. Orig. Circa multum ministerium. Caiet. Circa multam ministrationem.*

Quæ s. *Syr. Et veniens. S. Euth. Et astitit. Theoph. Qua assistens. Ar. M. Stans autem.*

Et ait. *Theoph. Ait.*

Domiue. *Syr. Domine mi.*

Non est tibi curæ. *Arab. Non grauat te res mea.*

Me a. *Syr. Opem mihi ferat. Ar. M. Mihi simul suscipiat.*

Dominus. *Pagn. Iesus.*

Solicita es. *Arab. Tu solicita.*

Turbaris. *Syr. Distraheris. Arab. Et turbata. S. Aug. Et occupata. Theoph. Tumultuaris.*

Erga plu. *Syr. Circa plurima. Arab. Erga res plurimas. S. Aug. Circa multa.*

Porrò v. e. n. *Syr, At vnum est, quod requiritur. Arab. Quod autem necessarium est, facilè est. S. Aug. Quando vnum est necessarium. Euth. Atqui vnum est necessarium. Pagn. Porrò vnum est necessarium tibi. Ar. M. Vnius verò est vsus. Corder. Porrò vno opus est.*

Maria. *Euth. Maria verò.*

Optimam. *S. Ambr. Bonam. S. Aug. Meliorem.*

Elegit. *Arab. Elegit sibi. Vat. Deligit.*

Ab eâ. *S. Ambr. Illi.*

CAPVT X.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Otiosus *minimè sit, qui Christum sequitur.* 452
Prædicationis *munus à Deo est.* 453
Prædicationis *munere se quisque putet indignũ.* 454
Ante Spiritus sancti aduentum cur agni *dicti sint* Apostoli. 455
Mansuetudo *fidelium commendatur.* 456
Prædicatoris *fiducia in Deum.* 456
Neminem per viam salutare *cur* prædicator *iubeatur.* 457
Quando tractantur Diuina, *humana sequestrentur.* 458
Attentè Dei verba *audienda.* 459
Omnia in Deum *referenda.* 460
Superbia *maximè cauenda.* 461
Hominum salus *& sanctificatio quærenda.* 462
Tumorem, *non acumen* Christus *damnat.* 463

Designauit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam.

452. BINOS discipulos Christus mittit, vt mutuo sibi auxilio, ac consilio esse possint, & vt ad operandum alter alterius exemplo exciretur, alterius præsentiâ prouocetur ad bonum, abstrahatur à malo.

In omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.

POst prædicatores suos se iturum affirmat Christus, vt hac cogitatione ad operandum vrgerentur, & eis bene operandi stimulum adiiceret; nam secuturum Christum expectantes, otiosi, desidesque reperiti nolebant.

Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci.

O*Perarij* dicuntur prædicatores, ne de nudis verbis sibi blandirentur. Ab operibus potiùs, 453.
quàm à verbali doctrinâ doctores denominantur, vt discerent, bonis moribus eis præire, quos verbis informant.

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

AD orationem discipulos suos Christus vocat, vt significaret, prædicationis munus à Deo esse; & magnum esse hoc officium, quod precibus à Deo impetrandum, & postulandum erat. Pende, quòd non ait: *Rogate Dominum messis, vt mittat vos,* sed, *vt mittat operarios*; quia nemo debet se obtrudere, nemo petere munera Ecclesiastica debet; hoc ipso indignus erit, quia petit.

Vt mittat operarios in messem suam: Græcè est, 454.
ἐκβάλῃ, eiiciat, sic enim & pleraque exemplaria antiqua habent; vbi innuitur, illos magis idoneos operarios ad colligendam messem ferè esse, qui hoc munere se putant indignos, vt vrgeri ad opus debeant; inepti ferè, qui sponte se obtrudunt.

Ne autem nimiùm molestus labor operariis videatur, messis mentio fit; nullus enim labor adeò magnus, qui leuis, colligendæ messis spe, non reddatur; ac si diceret, non ad arandum vos mitto, terramque ingenti labore proscindendam, sed ad paratam messem.

Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.

455. ETiam ſupra, ad prædicandum, diſcipulos miſit, & tamen, cùm multa eis dixerit, quæ hîc repetit, hanc ſententiam ibi in cautionem non adiecit: quæri ergo poteſt, cur illic omiſſa. An omiſſa, quia primà vice ad Galilæos mittebantur, apud quos ſecuriùs verſabantur; nunc autem ad Iudæos qui Chriſto, Chriſtique diſcipulis infenſiſſimi erant, & à quibus multæ illis inſidiæ parabantur, vt iurè agni ipſi dicantur inter lupos?

Sicut agnos: cur nunc diſcipuli agnis comparantur, poſteà verò oues dicuntur? cum poſt reſurrectionem mitterentur, *mitto vos*, inquit, *ſicut oues*, non *ſicut agni*. An, quia ouis perfectum animal eſt, agnus imperfectum, & nondum adultum? ſic & Apoſtoli poſt reſurrectionem perfectiſſimi erant, cum Spiritum ſanctum accepiſſent; at nunc, etiamſi ſancti, ac iuſti eſſent, robur tamen, ac plenitudinem Spiritus ſancti nondum acceperant, idcireò agni, non oues dicuntur.

Præterea priùs agni, poſtea oues dicuntur; quia ſcilicet quò ætate prouectiores ſunt, eò perfectiores Chriſti diſcipuli eſſe debent. Denique agni generationi inepti ſunt, oues autem aptæ, & diſcipuli nunc parum fructus erant allaturi, poſteà innumeros populos Chriſto, tanquam fœcundæ oues pepererunt; nimitùm quò plus proficimus, eò plures Chriſto acquirere debemus.

456. *Sicut agnos*; Fideles omnes referre agnos debent, ſed præcipuè prædicatores, vt ſcilicet malis inferre mala neſciant, nec lædentes de eadem paraturà repercutere: Præclarè Sanctus Petrus Damianus ſerm. 5. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare: vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget & peccatorum vulnera in aliis, ipſe afflictionibus vulneratus ſanet. Quem & ſi quando zelus rectitudinis exigit, vt erga ſubiectos ſæuiat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate, quatenus & iura diſciplinæ exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quos foris quaſi ſæuiendo caſtigat. Mali autem paſtores non ſicut agni inter lupos, ſed potiùs ſicut lupi inter agnos ſunt: quia dum à ſubditis ſibi nullum plerumque morſum læſionis excipiunt, ipſi in eos rapinæ ſuæ dentes crudeliter figunt.*

Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.

457. TAnta prædicatoris in Deum debet eſſe fiducia, vt terrenarum rerum penè obliuiſcatur, ſciens nihil ſibi neceſſariorum defuturum: Auocantur autem à temporalium rerum ſolicitudine prædicatores, ne dum mens petitutis occupatur, minus æterna cogitet.

Neminem per viam ſalutaueritis.

NEminem per viam ſalutaueritis: cur id inhibeatur, vtiliter explicat Sanctus Auguſtinus, rem ad Euangelij prædicationem flectens, ait enim: *Quid eſt neminem in viâ ſalutaueritis? QUI SALUTAT IN VIA PER OCCASIONEM SALUTAT, non ad eum ibat, quem ſalutat. Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat, aliud tranſuerſo, quod ageret, inuenit. Quid eſt ergo per occaſionem ſalutare? Per occaſionem ſalutem annunciare. Quid eſt autem aliud, ſalutem annunciare, quàm Euangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occaſionem. Sunt ergo homines, qui ſua quærentes, non aliud prædicant Euangelium: de quibus Apoſtolus gemens dicit: omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Et hi ſalutabant, hoc eſt, ſalutem annunciabant, Euangelium prædicabant, ſed aliud quærebant; & ideo per occaſionem ſalutabant. Et quid eſt hoc? Si talis fueris, quiſquis es, facis: imo non talis quiſquis facis, ſed fortè aliquis talis, qui facis. Si talis fueris, non facis; ſed fit de te.*

Neminem per viam ſalutaueritis. Sanctus Ambroſius legit *in viâ*, quod in idem recidit. Addit ſtatim: *Non ſalutationis officium aufertur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis aboletur; vt, quando Diuina mandantur, pauliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eò pulchrior, quò præceptorum maturior executio Diuinorum, quæ per moram ſæpè traxit offenſam. Ideo autem & honeſta prohibentur, ne ſolennis gratia obrepat officij, & impediat miniſterium, cuius mora culpa ſit.*

Non ſalutationis officium hîc prohibetur, ſed aufertur deuotionis obſtaculum, celeritatis impedimentum. Salutationem prohibet, non, quæ beneuolentiæ ſignum, ſed, quæ in amicas fabulationes deſcendit, ac proinde cogentem hærere in viâ, & impedientem miniſterium, quod per moram ſæpè trahit offenſam. Scilicet in Dei obſequio, & vbi de ſalute agitur, mora omnis amolienda, & cunctationis auferenda cauſa eſt. 458.

Qui vos audit, me audit, &, qui vos ſpernit, me ſpernit.

PEnde in poſteriori ſententiæ hemiſtichio non dici, *qui vos non audit, me non audit*, vt res exigere videbatur; ſed, *qui vos ſpernit, me ſpernit*; qua phraſi oſtenditur, non audire prædicationem, & eius verbis non obedire, contemptum quemdam eſſe adeò, vt contemnere videatur, qui non audit, & obtemperat: contemptus prædicatoris, & prædicationis eſt, ſi verbum, quod prædicat, attentè non audiatur, & opere non adimpleatur. 459.

Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes; Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.

A Prædicatione redeunt diſcipuli ad Chriſtum; bonus regreſſus, & dignus, qui in exemplum eat. Ad Chriſtum redit, qui prædicationis fructum non ſibi, ſed Chriſto tribuit. Quid in hac miſſione diſcipuli egerint, ſilet Euangeliſta; fructum aliquem in auditoribus ſuis feciſſe, oſtendit gaudium, quo repleti reuertuntur.

Etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis; illud *etiam* multa alia diſcipulos præſtitiſſe ſignificat, ac ſi dicerent: præter alia mirabilia, quæ edidimus, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis, dum ea expellimus. Gaudent de hac poteſtate, non tamen ſibi eam vſurpabant, tanquam propriam, ſed à Chriſto eſſe agnoſcebant, & fatebantur, cùm addunt *in nomine tuo*; alioquin, ſi aliquid ſibi tribuiſſent, in eo, quod dæmonia illis ſubiiciebantur, fuiſſent ipſi dæmoniis ſubiecti. 460.

Subiiciantur. Non vtuntur præterito tempore, *ſubiecta fuêre*, ſed præſenti, *ſubiiciuntur*; non quòd, cum hæc dicerent, expellerent dæmonia, ſed quia in eis eadem poteſtas perſeueraret.

Et

Et ait illis: videbam satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.

461. SVos Dominus admonet, ne de traditâ potestate eiiciendi dæmoues sibi blandiantur, aut sibi ob illam complaceant, ne in ruinam etiam ipsi incidant, sicut & satanas.

Videbam satanam. Superbientis satanæ exemplo à superbia suos auocat Christus. Rem bellè vrget Sanctus Petrus Damianus lib. 6. epist. 8. *Reuersi sunt autem, vt Lucas Euangelista testatur, septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Quid ad hæc ille, qui cordis attendis arcana, respondit? Videbam, inquit, satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ac si dicat: Videte, ne dum nequitia spiritus vestris subduntur imperiis, mentes vestræ iugo premantur elationis. Quia si satanas per superbiam cælum perdidit, quod tenebat: homo superbiens nequaquam valet inuenire, quod sperat.*

Nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur.

462. NOlite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: Et non istuc magni gaudij materia, illos vincere, à quibus homines vincebantur? Potiùs de hominum salute, quàm de spirituum subiectione lætandum erat. *Nec discipulos*, ait Tertullianus, *de subactione spirituum, sed de candidâ salutis gloriari volebat, dicebat enim Dominus discipulis; nolite gaudere, quòd spiritus vobis subiiciuntur*: non in depellendis dæmonibus, sed in sanctificandis hominibus lætari Christus Apostolos volebat.

Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus.

463. A*Bscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus:* Et quî prudentes, sapientesque esse poterant, quibus hæc occulta, & abscondita? *Ipsi quidem*, inquit Theophylactus, *apparebant sapientes, & intelligentes, sed non erant.* Absconduntur iustè illis mysteria, qui se sapientes putant, cùm non sint.

Et reuelasti ea paruulis: Cum superiùs dixisset *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus*: cur non dixit? *& reuelasti ea* INSIPIENTIBVS, *&* IMPRVDENTIBVS: quod exigere oppositionis ratio videbatur. An, vt se tumorem tantùm damnare ostenderet? *Sapientibus*, inquit Beda, *non insipientes, & hebetes, sed paruulos, id est, humiles, apposuit; vt probaret, se tumorem damnasse, non acumen.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

E*X toto corde tuo*: ac si apertiùs diceret; Quicquid est cordis, quicquid mentis, quidquid virtutis humanæ ita Dei amore possideatur, vt sibi de se nihil relinquat; & quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.

SECTIO II.

Homo quidam descendebat de Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.

ITer istuc obnoxium latronibus erat adeò, vt hæc parabola supponat, frequenter viatores spoliari à latronibus solere, dum in Iericho se conferrent. Non autem in vnum, sed in plures latrones incidit; idcircò, defendere se, non potuit: iuisset comitatus, & fors tanta à latronibus non esset passus, si comitem habuisset. Quæ cautio eos maximè tangit, qui in religiosas familias nomen dedere.

Incidit in latrones: Noxius descensus est; ascen- 464.
dendum nobis, non descendendum, ne in latrones, qui latent in insidiis incidamus; *Mementote*, verba sunt Sancti Augustini, *& nolite amare descendere, & non ascendere; sed & de ascensione cogitate: quia, qui descendebat de Hierusalem in Iericho, incidit in latrones. Nisi descenderet, non incideret in latrones.* In latrones incidit, qui descendit: Angelis occurrit, qui ascendit. Hic optimè cadunt verba Sancti Augustini: *Si non descenderet non incideret in latrones: quia verò descendendo incidit in latrones, ascendendo veniat ad Angelos.*

Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem viâ, & viso illo præteriit.

VIdit iacentem samaritanum prætetiens sacer- 465.
dos quidam; sed vidit tantùm; nullam ei opem tulit; & tamen sacerdos erat, cui ex officio, & dignitate magis, quàm aliis competit, aliis benefacere. Descendebat, sicut & samaritanus. Minùs excusabilis erat, quia descendebat; poterat siquidem sine itineris detrimento secum samaritanum ducere.

Viso illo; abfuisset à culpâ si non vidisset. *Viso illo*, non obiter tantum vidit, sed stetit, vt videret, & eius miseriam contemplaretur; nec tamen misericordiâ motus opem tulit. Vidit, & *præteriuit*, Græcè, ἀντιπαρῆλθε. *Ex aduerso præteriit*, velut deflectens à viâ, semimortuo accedere abhorrens: scilicet quò magis opem ferre tenebatur, eò magis ab eâ ferenda abfuit.

Similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

SEquitur sacerdotis vestigia minister, & Leuita, 466.
nec minùs immisericors est, quàm sacerdos fuerat: nimirùm qualis superior est, tales ferè inferiores sunt; ambo in templo ministrauerant; nullus misericordiæ litat, nullus beneficentiæ: fors à sacerdote didicerat Leuita, cùm superiorum mores facilè inferiores imitentur.

Nullus samaritano opem fert; sed, quod magis est, nullus consolationis verbum impendit: pietatis viscera penitùs exuerunt, qui miserum nec verbis solantur; tantùm aberant, vt re ipsâ præberent auxilium.

Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus viam, & videns eum misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius.

467. PLerunque ita accidit, vt viros Ecclesiasticos secularium arguant mores, dum ea à viris, qui mundi negotiis implicantur, fiunt, quæ à sacerdotibus, & diuino cultui deditis negliguntur.

Videns Samaritanus eum, qui in latrones eciderat humi iacentem, & tantùm animam non exhalantem, misericordiâ motus est; primus humanitatis hic gradus est, non est postremus; imo nec debet, si fieri potest. Accessit, manum admouit, medicum egit, obligat vulnera. Parum est misericordiam, & humanitatem affectu ostendere; effectu, quantum in nobis est, est ostendenda.

468. Magna Samaritani huius humanitas fuit, qui homini semimortuo auxilium attulit, nec à charitatis officio illum auocauit hæc cogitatio: Si mors sequeretur, mortis reum posse haberi. Rem egregiè vrget Sanctus Chrysostomus: *Non dixit apud sese. Quæ mihi est cura istius? Samaritanus sum: nihil mihi cum illo: procul absumus à ciuitate, & ille ne ingredi quidem potest. Quid autem, si ferre non possit via longitudinem, mortuum afferam? Capiendus sum ob eadem, obnoxius ero homicidio? His sanè de causis, multi sæpe prætereuntes, ac videntes homines vulneratos, prætereunt; non quod grauentur tollere, pecuniisque parcant; sed metuentes, ne & ipsi pertrahantur in iudicium, tanquam cædis Rei. Verùm humanus ille, ac mitis nihil horum metuit; sed his omnibus contemptis, imposuit eum asino, & in diuersorium perduxit, neque quicquam harum rerum reformidabat; non periculum, non pecuniarum impendium, non aliud præterea quicquam. Quòd, si Samaritanus adeò humanus, mitisque fuit erga hominem ignotum; quam habituri sumus nos veniam, si proprios fratres neglexerimus in malis grauioribus?*

Sed vnde Samaritano omnia vulneribus curandis parata? viator erat, oleum, vinum, & fascias reperire qui potuit, aut habere? Vni diuinæ prouidentiæ hæc omnia accepta referenda, non humanæ; *Vt autem scias*, inquit Origenes, *quod iuxta prouidentiam Dei Samarites iste descenderit, vt curaret eum, qui inciderat in latrones; manifestè doceberis ex eo, quòd secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum*; nimirum, vbi diuina prouidentia opem fert, etiam ea, quæ vix in mediis vrbibus reperirentur, in solitudine præsto sunt.

Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum.

469. CVm Christo comites essent eius discipuli, cur ipse tantum intrasse castellum dicitur, non etiam discipuli? *ipse*, inquit, *intrauit*, quasi cæteri non intrassent. Intrarunt, opinor, omnes; nam, cùm, cibi capiendi causâ, in castellum hoc diuertisset, secum discipulos suos duxit, ne sibi soli cæterorum cura neglectâ consulere (quod multorum dominorum est) videretur. Interfuerunt ergo conuiuio etiam discipuli: suorum Christus non obliuiscitur; quos in via comites habuit, voluit & in mensâ.

Sed cur solus intrasse dictus est, cum & discipuli cum eo fuerint? An dicitur ipse intrasse, non quòd illi non intrauerint, sed quod ipse solus in eum locum diuertere cogitauerit, discipulis de tali introitu minimè cogitantibus? Vel solus ipse nominatur tanquam viæ dux.

Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.

CVr Martha excepisse dicitur Christum in domum suam, non Maria? An, quia Martha natu maior erat, & idcircò illi tribuitur, quod commune erat vtrisque? An, quia domus Marthæ erat non Mariæ? Maria magis satagebat corde Christum excipere, quàm casuræ domus parietibus. 470.

Mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum suam; cum in domo sua esset Martha Dominum recepit hospitio; ægrè nostrum domicilium subit Christus, si foras mens vagetur; egregiè rem versat Beatus Thomas à Villanouâ huc spectans, dum ait: *Non hospitatur Iesus in cuiusquam domicilio sine hospitis beneplacito: si anima foris vagatur, ingressum differt, donec hospita redeat. Si ergo ipsum hospitari desideras, noueris, & ipse inhabitare eo ipsum.*

Cur Martha potiùs excepisse Saluatorem dicitur, quàm Maria? Martha excepit domo, corde in exteriora non nihil sparso: Maria toto illum corde exceperat. An dicitur excepisse Martha; quia actio, salutis initium? Sanctus Bernardus serm. 3. in Annunciat. B. Mariæ. *Quid est*, inquit, *fratres, quòd è duabus sororibus altera tantùm Dominum legitur excepisse; & ea ipsa, quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso, quem Martha suscepit: sed prior natu Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quàm contemplatio, noscitur vendicare. Laudat Christus Mariam, sed à Marthâ suscipitur. Amat Rachelem Iacob, sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude queritur, audit, non esse consuetudinis, vt iuniores prius tradantur ad nuptias. Quòd si luteam hanc cogites domum, facilè erit nosse, quemadmodùm in eâ Dominum Martha magis excipiat, quàm Maria. Quod enim ait Apostolus: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Martha dicitur, non Maria. Hæc nimirùm corporis vtitur instrumento, cùm illi potiùs sit impedimento. Denique corpus, inquit, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nunquid & operantem? Martha igitur in domum suam excepit Saluatorem in terris: Maria potiùs cogitat, quemadmodùm suscipiatur ab eo in domo non manufactâ, æternâ in Cælis. Fortè tamen & ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu; Dominus enim spiritus est.* 471.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.

ERant ambæ non solum sanguine, sed etiam religione germanæ, ambæ Domino cohæserunt. Maria autem sedebat secus pedes Domini. Ad pedes sedere habitus est discipuli: Hinc monitum illud sapientum Hebræorum. *Sede ad pedes sapientum, & verba eorum cum siti bibito*; sedet itaque ad Christi pedes Maria, tanquam discipula, vnde rectè subditur: *audiebat verbum illius*. Præterea sessio ista ad pedes discentis humilitatem ostendit, & eius erga magistrum reuerentiam declarat. 472.

Sedens; non stans; composito ad audiendum corpore, quietè, & attentè Christi verba exceptura. Quanto humiliùs ad pedes sedebat, tanto ampliùs capiebat.

Quæ

Qua etiam sedens. Illud, *etiam*, vt aliqui notauere, indicat etiam Martham ad Christi pedes consedisse, vt eius verbum audiret, licet frequenter ad præparandarum escarum ministerium diuerteret: Maria autem assidua, & permanens sedebat intenta doctrinæ, aliarum rerum oblita. Discant, qui actiuæ vitæ operam dant, sicut Martha, Dei verbum frequenter audire, licet assiduè non possint.

473. *Audiebat verbum illius.* Dum prandium parabatur docebat Christus, ne quid temporis abiret sine fructu; nimirum priùs hospites suos spirituali pascit alimoniâ, quam corporali ab ipsis pascebatur. Non sua commoda sectatur Christus, non delicias quærit, sed aliorum salutem, ac profectum: Exemplo suo nos docens, ne aliorum excepti domo supini, & otiosi iaceamus, sed potiùs sacris diuinisque doctrinis alios reficiamus.

Sedebat Maria secus pedes Iesu, auidéque & attentè illius excipiebat verba, ne illius otium desidiosum putares, sed sanctum; Iudæi & ipsi sedebant, sed iuxta ollas carnium; iuxta pedes Iesu sedent, audientes verbum illius, qui humiliter se Christo submittunt, eius vestigiis, & exemplis adhærentes.

SECTIO III.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

474. MAria quieta sedebat; Martha, tanto hospite excepto, erat sollicita, vt omnia pararet. *Satagebat*: Græcè, περιεσπᾶτο, *distrahebatur*, seu, *distinebatur*; sic enim aliqui vertunt. *Circa frequens ministerium*: Græcè, περὶ πολλὴν διακονίαν, *Circa multum ministerium*, seu *varium*; multa enim, & varia præparabat ad conuiuium tanti hospitis; vnde & Dominus postea dixit: *turbaris erga plurima*, seu *multa*. Interpres vertit, *frequens*, quia assiduè oportebat eam interesse iis, quæ præparabantur.

Quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit, me solam ministrare.

QVæ stetit, & ait. Quidam vertunt: *superueniens igitur ait. Et venit, & dixit.* Martha non laboris pertæsa ad Christum venit, sed vt impar omnibus obeundis, quæ erant hospiti paranda. Ministerium Martha non deserit, nec se à laborioso opere subducit, auxilium tantùm sororis poscit, vt pleniùs Iesu obsequium præstaretur. Scilicet dum Christo seruimus, nunquam laborem debemus excutere, nec opus, quod incepimus derelinquere.

475. Cùm ægrè omnibus obeundis sufficeret Martha, videretque sororem feriatam assidere pedibus Iesu, Iesum alloquitur; quòd illam suis sermonibus remoraretur. Sed cur verba ad sororem non dirigit, vt auocaret eam à Iesu? quia frustra id tentauisset. Qui Iesu adhæreret, eiusque sermonibus excipiendis attentè vacat, auelli à Iesu vix potest; Dominum igitur alloquitur Martha; *dic ergo*, inquit, *illi vt me adiuuet*; alioquin, nisi tu imperaueris, te non deseret; tanta dulcedo est verborum tuorum.

Maria accusatur à Marthâ: non tamen se excusat, non se coram Christo defendit; ne, dum verba, quibus se purgaret, parat, audientis intentionem interrumperet. *Maria*, ait Sanctus Augustinus, *neque in respondendo voluit laborare: si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem.* Magis è re suâ putabat, si attentè Christi verba exciperet, quàm si omnem culpam, quam in illam soror conniciebat, elueret, & abstergeret.

Dic ergò illi, vt me adiuuet.

NOn sororem alloquitur Martha, sed Christum. *Dic* iube; non iubet ipsa, aut rogat: cur ita? An, quia irritas suas preces futuras sciebat? nam soror ita Christi verbis audiendis addicta erat, vt ab eo diuelli nullis precibus posset: sciebat Martha, Christi præsentiam non relicturam Mariam, nisi ipsius Christi iussu. Felix qui à Christo diuelli non potest, nisi iubente Christo. 476.

Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima.

MAriæ taciturnitas meruit, vt Christum haberet defensorem, & aduocatum, fors non habitura, si respondisset, seque statim excusasset. Vide, quàm vtilis taciturnitas sit, & quàm Deo placeat is, qui cum accusatur non se excusat. Maria causam suam iudici committit, nec in respondendo laborare voluit, & idcirco eius partes Christus defendendas suscepit.

Martha Martha: nominis repetitio Indicium dilectionis est. Aut nomen repetit, vt attentiùs audiret, & altiùs Christi verba eius menti hærerent; aut denique ob familiaritatem, qua reprehensioni, vt leuior esset, admiscet. *Turbaris*, vel vt alij vertunt, *tumultuaris*, distraheris, *ergà plurima* περὶ πολλά *circa multa*: varia parabat ferculorum genera, vt diues tanto hospiti pararet conuiuium. 477.

Non se excusauit Maria, non se defendit; nimirum qui orationi vacant contentiosi esse non debent; contentionem fugiunt, ne animæ pax, & quies, quâ orationi vacantes perfruuntur, interturbetur.

Martha, Martha; valdè corporalibus ministeriis erat addicta, vt bis nominari deberet, quo ab illis auocaretur; *Cur bis ponitur Martha?* inquit Petrus Blesensis, *vt animus eius à solicitudine reuocetur*; sicut & dictum Abrahæ Patriarchæ filium immolaturo: *Abraham, Abraham.*

Vide consilium Domini: *Prius*, inquit Theophylactus, *nihil dixerat Martha*; *sed, postquam illa sororem ab auditu studebat auertere, tunc Dominus, occasione habitâ, increpauit eam.* Placet obsequio Martha, dum nullum cum sorore dissidium habet, dum minimè turbatur: vbi dissidet, & sororem iudici defert, reprehenditur; nec adeò gratum esse cœpit opus ab illâ præstitum, quod dissidium, & turbatio inficeret. 478.

Martha; Martha solicita es, & turbaris erga plurima: Ergo plurima turbabatur; sed ob vnum duntaxat;

dumtaxat; non amat turbationem pacis, non amat nimiam ſolicitudinem. Quòd ſi improbat ſolicitudinem illam, illámque turbationem, quæ ipſum reſpiciebat; probaret illam, quæ ob illum non eſſet, ſed contra illum? Qui ſapit, ſolicitus erit, ne talem ſolicitudinem habeat, quæ adeò non eſt propter Chriſtum, vt animum ab illo auocet, & mentem.

479. *Turbaris erga plurima*: Non damnat hoſpitalitatem, ſed contemplationi præfert: *Vide conſilium Domini*, inquit Sanctus Thomas hîc: *prius Dominus nihil dixerat Marthæ; ſed, poſtquam illa ſororem ab auditu ſtudebat auellere, tunc Dominus, occaſione habitâ, increpauit eam: vſque enim adeò* HONORATVR HOSPITALITAS, *donec ad neceſſariora nos attrahit; cum verò incipit ab vtilioribus impedire, manifeſtum eſt, quòd honorabilior eſt Diuinorum auditus*. Probandum Marthæ miniſterium eſt, quouſque Mariæ officio non officit.

Porrò vnum eſt neceſſarium.

SVperfluum eſt circa plura occupari, multa ac varia parare fercula; ad vſum vitæ vnum ſatis eſt ferculum. Non requirebat Ieſus lautam, & opiparam menſam, vulgari, ac parabili cibo contentus erat; exemplo docens, temperantiam vbique colendam. *Vnum*, inquit, *eſt neceſſarium*, ac ſi apertiùs diceret: non ea de causâ huc veni, vt ſuperuacuis ventrem implerem: natura paucis contenta eſt.

Vnum eſt neceſſarium; ergo neceſſitati conſulere vult, non luxui; Diſcat, qui animarum ſalutem quærit, deliciis non inhiare, non variis ferculorum generibus ventrem diſtendere, mentem occupare.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

NOn opus reprehendit, ſed munus diſtinxit; 480.
non damnat Marthæ partem, ſed præfert Mariæ. *Optimam*, inquit, *partem elegit*. Optimam Maria, ſed & Martha bonam. Quam partem? Non diuitias, non voluptates. Mariæ pars rerum diuinarum contemplatio erat.

Aderant hîc & diſcipuli: nullus Martham tuetur, nullus defendit. Nil mirum, cùm nullus menſæ deliciis addictus eſſet, nullus ferculis inhiaret, nullus luxui; vt nullus deliciarum affectu tangebatur, ſic nullus Martham in eo tuetur, quod corporis delicias tangit.

Cùm diſcipuli à pluribus eſſent hoſpitio recipiendi, hoſpitio Dominus exceptus eos informat, & inſtituit, & exemplo ſuo docet in verbi prædicatione, ſuperflua eſſe vitanda; dum de corporis ſuſtentatione agitur, neceſſariis contentos eſſe debere, qui Dei verba populis prædicant.

Commendat Ieſus Mariam, quæ ad eius pedes ſedebat, non commendauit Martham; quia illa mentem occupabat in re, quæ ſummè Deo placebat; hæc corpus exercebat, corpori nutriendo, quo Ieſus non delectabatur, à carnis deliciis abhorrens; appoſitè rem vrget Oleaſter: *Apud Lucam legis, Martham ſolicitam, vt Chriſto neceſſaria miniſtraret, Mariam verò otioſam ad pedes Domini ſediſſe, & à Domino commendatam, Martham verò redargutam. Sed quare? quoniam Martha ſeruiebat Domino in iis, quibus ipſe non delectabatur, nempe* IN CIBO, ET POTV; *Maria verò* IN AVDIENDIS VERBIS *illius, quod illi maximè cordi erat.*



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

C A P V T XI. L V C Æ.

Verſ. 1.

ET factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos.

Et f. e. *Euth. Accidit autem.*
Quodam loco. *Arab. Loco deſerto.*
Ceſſauit. *Syr. Abſoluit.*
Vnus. *Theoph. Quidam.*

Verſ. 2.

Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum.

Dicite. *Syr. Sic dicite.*
Pater. *Arab. Pater noſter, qui es in cœlis.*
Tuum. *Syr. Tuum. Fiat voluntas tua, vt in cœlis & in terrâ. Goth. Tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terrâ.*

Verſ. 3.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Noſtrum q. *Syr. Indigentiæ noſtræ. Arab. Noſtrum ſufficientiæ noſtræ. Fr. Luc. Superſubſtantialem.*
Hodie. *Ar. M. Iuxta diem. Caiet. Quotidie. Fr. Luc. In diem.*

Verſ. 4.

Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

Dimitte. *Theoph. Remitte.*
Peccata n. *Goth. Debita noſtra. Tert. Delicta noſtra.*
Et ipſi. *Arab. Nos. Vat. Et nos ipſi.*
Ipſi dimittimus. *Theoph. Nos remittimus.*
Omni debenti. *Arab. Eis, qui debent.*
Nos inducas. *Tert. Sinas induci.*
In tentationem. *Arab. In tentationem; Sed libera nos à malo.*

Verſ. 5.

Vulgatâ Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 5.

Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi. Amice commoda mihi tres panes,

Ait. *Syr. Subdit.*
Vestrum. *Ar.M. Ex vobis.*
Habebit. *Arab. Habet.*
Amicum. *Syr. Amice mi.*
Commoda. *Tert. Mutuò da.*
Tres. *S.Greg.Nyss. Aliquot.*
Panes. *Syr. Placentas. S. Greg. Nyss. Ex panibus tuis.*

Vers. 6.

Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum,

Amicus meus. *Orig. Amicus.*
Venit. *Orig. Superuenit.*
De viâ. *Syr. Ab itinero.*
Ad me. *Orig. Mihi.*
Ponam a. i. *Pagn. Apponam illi.*

Vers. 7.

Et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nec possum surgere, & dare tibi.

Ille. *Syr. Ille amicus. Arab. Ili.*
De intus. *Euth. Intus.*
Noli m. m. e. *Syr. Ne mihi molestiam exhibeas. Vat. Ne mihi molestus sis. Ar. M. Ne mihi molestiam exhibe.*
Iam. *Syr. Iam enim. Arab. Namque.*
Ostium c. e. *Arab. Ostium meum clausum est. Tert. Ianua clausa est.*
Pueri mei. *Syr. Filij mei. Tert. Infantes. Pagn. Pueruli mei.*
Mecum f. i. c. *Syr. Mecum sunt in lecto. Arab. Mecum sunt in cubili meo. Goth. Mecum sunt in cubiculo. Tert. Mecum cubant.*
Surgere. *Ar.M. Surgens.*
Dare. *Syr. Vt dem.*

Vers. 8.

Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

Et si ille perseuerauerit pulsans dico. *Syr. Dico.*
Et si non dabit illi f. *Syr. Etiamsi non dederit: Theoph. Etiamsi non daturus sit illi surgens.*
Eo q. a. e. f. *Arab. Ob amicitiam.*
Improbit. *Syr. Importaanitatem. Caiet. Impudentiam.*
Surget. *Ar.M. Excitatus.*
Dabit. *Caiet. Porriget.*
Quotquot h. n. *Syr. Quantum ei requiritur. Syr. Ea quibus opus habet. Euth. Quantum illi opus fuerit. Vat. Quotcunque habet opus. Ar. M. Quotquot habet opus.*

Vers. 9.

Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.

Et ego. *Arab. Ego etiam.*
Petite &. d. v. q. *Syr. Quærite. Arab. Petite, donabimini quærite.*

Vers. 10.

Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Omnis. *Syr. Quisquis.*
Accipit. *Arab. Donabitur.*
Aperietur. *Arab. Aperietur ei.*

Vers. 11.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

Quis. *Caiet. Qaem.*
Ex v. *Ar.M. Vestrûm.*
Patrem. *Arab. Et pater. Euth. Pater.*
Petit. *Syr. Si petierit ab eo filius. Arab. Quem petat Filius. Euth. A quo si petierit filius. Caiet: Petet filius.*
Nunquid dabit. *Syr. Nunquid porriget. Arab. Et det.*
Aut p. *Syr. Et si piscem rogauerit eum. Arab. Aut piscem petat eum.*
Nunquid dabit. *Syr. Nunquid porriget. Arab. Et det.*

Vers. 12.

Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem?

Petierit. *Syr. Petierit ab eo. Arab. Petat eum.*
Nunquid p. *Arab. Et det.*

Vulgata Editio. — *Lectionum varietas.*

Verſ. 13.

Si ergò vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

Cùm ſitis mali. *Arab. O mali. Ar.M. Mali ſubſiſtentes.*
Noſtis. *Arab. Benefacitis. S.Chryſ. Scitis.*
Data. *Syr. Munera. S. Chryſ. Dona. Fr.Luc. Dationes.*
Filiis. *Vat. Liberis.*
Magis. *Arab. Conuenientiùs.*
Pater v. *Euth. Pater.*
De c. *Syr. E cælo. Arab. Cæleſtis. Theoph. Qui eſt è cælo. Fr.Luc. Qui ex cælo.*
Bonum. *Syr. Sanctitatis. S. Ambr. Sanctum.*
Petentibus ſe. *Syr. Iis, qui rogauerint eum. Pagn. Poſcentibus ſe. Vat. Petentibus ab ipſo.*

Verſ. 14.

Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

Et e. e. *Syr. Quumque eieciſſet.*
Et illud. *Syr. Quod.*
Mutum. *Tert. Surdum.*
Et c. e. d. *Syr. Factum eſt poſtquam exiiſſet demonium illud. Euth. Factum eſt autem egreſſo dæmonio.*
Mutus. *Syr. Mutus ille.*
Loquutus eſt. *Euth. Vt loqueretur.*
Admiratæ ſunt. *Syr. Mirati ſunt.*
Turbæ. *Syr. Cœtus.*

Verſ. 15.

Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

In Beelzebub p. *Theoph. Per Beelzebub principem.*
Eiicit. *Syr. Eiicit iſte.*

Verſ. 16.

Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.

Et alij. *Euth. Alij autem.*
De cælo. *Fr.Luc. Ex cælo.*
Quærebant ab eo. *Arab. Quærebant. Euth. Petebant ab eo.*

Verſ. 17.

Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

Vt vi. *Syr. Qui ſciebat. Arab. Cognouit. Theoph. Cùm ſciret. Caiet. Sciuit. Fr.Luc. Sciens.*
In ſ. i. *Euth. Aduersùs ſeſe ipſum.*
Diuiſum. *Arab. Quod diuiditur.*
Deſolabitur. *Syr. Vaſtabitur. Theoph. Deſolatur.*
Domus ſupra domum. *Syr. Domus, quæ in ſe ipſam diuiſa eſt. Euth. Domus aduersùs domum.*
Cadet. *Theoph. Cadit.*

Verſ. 18.

Si autem & ſatanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? Quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia.

In ſe i. *Euth. Aduersùs ſe.*
Stabit. *Syr. Subſiſtet.*
Regnum. *S.Petr. Dam. Doctrina.*
In Beelzebub. *Euth. Per Beelzebub.*

Verſ. 19.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt.

Si autem. *Syr. Sin autem. Euth.* omittit.
Ego in Beelzebub. *Euth.* omittit. *Pagn. Ego per Beelzebub. Theoph. Beelzebub præſidio.*
Eiicio d. ſ. v. *Euth.* omittit.
In quo. *Euth.* omittit. *Theoph. Cuius præſidio. Pagn. Per quem.*
Eiiciunt. *Euth.* omittit.
Ideo ipſi. *Euth.* omittit.
Iudices v. e. *Syr. Vobis iudices erunt. Euth.* omittit. *Arab. Iudicabunt vos.*

Verſ. 20.

Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei.

Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia. *Euth. Si autem ego per Beelzebub. Pagn. Porrò ſi digito Dei eiicio dæmonia.*
Profectò peruenit. *Syr. Peruenit. Arab. Profectò appropinquauit. Tert. Ergone appropinquauit.*
In vos. *Arab. Vobis. Caiet. Ad vos.*

Verſ. 21.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium

Fortis a. *Syr. Strenuus quiſpiam armatus. Arab. Armatus fuerit fortis. Vat. Robuſtus armatus.*
Cuſtodit. *Arab. Cuſtodierit.*
Atrium. *Fr.Luc. Aulam. Palatium.*

suum,

Vulgata Editio.

fuum,in pace funt ea quæ poffidet.

Lectionum varietas.

In pace. *Vat. Salua.*
Sunt e. q. p. *Syr. Eſt poſſeſſio eius. Arab. Erunt bona ſua. Ar.M. Sunt obtingentia ipſius.*

Verſ. 22.

Si autem fortior eo fuperueniens vicerit eum, vniuerfa arma eius auferet, in quibus confidebat, & fpolia eius diftribuet.

Si autem. *Arab. Et quando. Pagn. Vbi verò. Ar.M. Poſtquam autem.*
Superueniens. *Arab. Venerit.*
Vicerit. *Arab. Vincet.*
Vniuerfa arma. *Syr. Vniuerſam armaturam. Arab. Arma. Ar.M. Omnem armaturam.*
Auferet. *Arab. Et accipiet. Theoph. Aufert. Ar.M. Tollit.*
In quibus. *Syr. Quia ipſe.*
Diftribuet. *Syr. Diuidit. Theoph. Diſtribuit.*

Verſ. 23.

Qui non eft mecum, contra me eft: & qui non colligit mecum, difpergit.

Qui n. e. *Ar.M. Non exiſtens.*
Contra. *Arab. Ipſe contra.*
Difpergit. *Syr. Spargit ſpargendo. Arab. Ipſe diſpergit.*

Verſ. 24.

Cùm immundus fpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquofa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.

Immundus. *Syr. Impurus.*
De homine. *Fr.Luc. Ab homine.*
Ambulat. *Syr. Profectus perluſtrat. Arab. Pertranſit. Orig. Vadit. Ar.M. Perambulat.*
Inaquofa. *Syr. Aquis carentia. Theoph. Arentia. Orig. Arida.*
Quærens. *Syr. Vt quærat ſibi. Orig. Quærit.*
Non inu. *Orig. Non inuenit.*
Dicit. *Arab. Tunc dicet. Orig. Tunc dicit.*
In d. m. *Vat. Domum meam.*
Vnde. *Arab. A qua.*
Exiui. *Syr. Sum egreſſus.*

Verſ. 25.

Et cùm venerit, inuenit eam fcopis mundatam, & ornatam.

Et c. v. *Syr. Si veniat autem. Arab. Et venit. Orig. Et ſi veniens.*
Inu. *Orig. Inuenerit.*
Scopis mundatam. *Syr. Eam ſcopatam. Arab. Eam mundatam. Orig. Vacantem mundatam. Ar.M. Scopis verſam.*
Ornatam. *Syr. Paratam. Arab. Ornatam & paratam.*

Verſ. 26.

Tunc vadit, & affumit feptem alios fpiritus fecum, nequiores fe, & ingreffi habitant ibi. Et fiunt nouiffima hominis illius peiora prioribus.

Vadit. *Syr. Profectus. Vat. Abiit.*
Affumit. *Arab. Aſſumit ſecum. Orig. Adducit.*
Nequiores f. *Euth. Nocentiores ipſo. Pagn. Peiores ipſo. Caiet. Maligniores ſe.*
Ingreffi. *Syr. Ingrediuntur. Arab. Ingreditur. Orig. Intrans in domum illam.*
Habitant. *Syr. Ac degunt. Arab. Et ſtat in illâ domo. Orig. Habitat in eâ.*
Fiunt. *Syr. Fit. Orig. Erunt. S.Pac. Fient.*
Nouiffima. *Syr. Finis. Theoph. Extrema.*
Peiora. *S.Pac. Deteriora.*
Prioribus. *Syr. Eius principio. Arab. Prioribus eius. Theoph. Primis.*

Verſ. 27.

Factum eft autem, cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ fuxifti.

Factum eft a. c. *Syr. Quumque. Vat. Porrò autem cùm.*
Diceret. *Syr. Loqueretur.*
Extollens. *Syr. Attollit.*
Vocem. *Syr. Vocem ſuam.*
De turbâ. *Ar.M. Ex turbâ.*
Venter. *Tert. Vterus.*
Qui te p. *Ar.M. Portans te.*
Suxifti. *S.Epiph. Lactarunt. Tert. Te educauerunt.*

Verſ. 28.

At ille dixit: Quinimò beati, qui au-

Quinimo b. *Syr. Beati. Arab. Quinimò beatus. Goth. Manifeſtiſſimè beati.*

Vulgata Editio.

diunt verbum Dei,& custodiunt illud.

Lectionum Varietas.

Audiunt. *Arab. Audit. Tert. Audiunt & faciunt.*
Verbum. *Tert. Sermonem.*
Custodiunt. *Arab. Custodit.*
Illud. *Arab. Illum. Tert.* omittit.

Vers. 29.

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

Turbis a. c. *Syr. Quúmque congregarentur cœtus. Arab. Et dum turba esset multiplicata. Vat. Turbis autem confluentibus. Ar. M. At turbis congregatis. Caiet. Turbis autem condensantibus se.*
Generatio hæc. g. n. e. *Syr. Generatio hæc scelesta. Euth. Generatio hæc praua est. Pagn. Natio hæc mala est. Ar. M. Generatio hæc mala est.*
Quærit. *Syr. Requirit.*
Ionæ. *Arab. Iona propheta.*

Vers. 30.

Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti.

Fuit. *Ar. M. Factus est.*
Erit. *Arab. Erit signum.*
Generatione. *Theoph. Nationi.*

Vers. 31.

Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius,& condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: Et ecce plus quàm Salomon hîc.

Regina. *Arab. Et Regina.*
Surget. *Ar. M. Excitabitur.*
Viris. *Syr. Hominibus.*
Generationis. *Pagn. Nationis.*
Condem. *Syr. Reos peraget.*
Finibus. *Syr. Vlterioribus. Ar. M. Terminis.*
Audire. *Euth. Ad audiendum.*
Sapientiam. *Arab. De sapientiâ.*
Salomonis. *Syr. Ipsius Salomonis.*
Et e. p. S. *Syr. Et ecce præstantior Salomone. Arab. Et excellentior Salomone. Ar. M. Et ecce plus Salomone.*
Hîc. *Arab. Hîc est. Pagn. Hoc in loco.*

Vers. 32.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac,& condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ & ecce plus quàm Ionas hîc.

Surgent. *Syr. Resurgent.*
Generatione. *Pagn. Natione.*
Condem. illam. *Syr. Peragent ream. Arab. Indicabunt eos.*
Pœnit e. *Euth. Ad pœnitentiam adducti sunt.*
Ad p. *Euth. Prædicatione. Pagn. In prædicatione. Vat. Ad prædicationem. Ar. M. Ad proclamationem.*
Ecce p. I. *Syr. Ecce præstantior Ionâ. Arab. Excellentior Ionâ. Ar. M. Ecce plus Ionâ.*
Hîc. *Arab. Hîc est. Pagn. Hoc in loco.*

Vers. 33.

Nemo lucernam accendit,& in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum,vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Nemo. *Arab. Et nemo. Ar. M. Nemo autem.*
Accendit. *Fr. Luc. Postquam accenderit.*
Abscondito. *Syr. Abdito. Fr. Luc. Occulto.*
Ponit. *Tert. Proponunt.*
Sub m. *Euth. Aut subter modium.*
Qui i. *Arab. Introeuntes.*
Lumen. *Syr. Lumen eius. Fr. Luc. Splendorem.*

Vers. 34.

Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit,etiam corpus tuum tenebrosum erit.

Corporis t. *Theoph. Corporis.*
Oculus t. *Theoph. Oculus.*
Si. *Euth. Quum igitur.*
Totum. *Theoph. Totum quoque.*
Erit. *Ar. M. Est.*
Si. *Caiet. Postquam.*
Nequam. *Arab. Oculus tuus nequam. Pagn. Malus. Ar. M. Sceleratus.*
Corpus. *Arab. Totum corpus.*
Tenebrosum erit. *Ar. M. Tenebrosum. Vat. Tenebrosum est.*

Vers. 35.

Vide ergo ne lumen, quod in te est tenebræ sint.

Vide. *Sy. Caue. Arab. Animaduerte. Ar. M. Aduerte.*
Sint. *Arab. Sit*

Vers. 36.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 36.

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Lucidum f. *Ar.M. Lucidum.*
Non h. *Arab. Et non fuerit.*
Aliquam p. *Arab. Pars. Euth. Vllam partem.*
Tenebrarum. *Arab. Tenebrosa. Euth. Tenebrosam.*
Erit. *Theoph. Sic erit. Arab. Profectò erit.*
Et sicut l. *Syr. Instar lucernæ. Vat. Vt quùm lucerna.*
Fulgoris. *Syr. Quæ ardendo. Arab. Ad modum fulgoris. Caiet. Fulgore.*
Illuminabit. *Syr. Illustrat. Vat. Illuminat te. Caiet. Illuminat.*

Vers. 37.

Et cùm loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

Et c. l. *Syr. Quum autem locutus esset.*
Rogauit eum. *Syr. Efflagitauit ab eo. Euth. Rogabat eum.*
Pranderet. *Syr. Epularetur. Arab. Comederet panem.*
Recubuit. *Syr. Discubuit. Pagn. Accubuit.*

Vers. 38.

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

Pharisæus a. *Vat. Quod Pharisæus.*
Cœpit i. s. r. d. *Syr. Quùm vidisset eum miratus est. Arab. Vidit & miratus est. Vat. Cùm vidisset admiratus est. Ar.M. Videns admiratus est.*
Quare. *Vat. Quòd.*
Non b. e. *Syr. Non priùs abluisset sese. Arab. Non lotus est. Pagn. Non priùs lauisset.*
Prandium. *Syr. Prandium suum.*

Vers. 39.

Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.

Dominus. *Syr. Iesus.*
Pharisæi. *Arab. O pharisæi.*
Quod deforis. *Syr. Exteriorem partem. Theoph. Exteriora.*
Calicis. *Theoph. Poculi.*
Mundatis. *Syr. Purgatis.*
Quod aut. i. e. v. *Syr. Quod intra vos est. Arab. Interius vestrum. Euth. Quod intus est vestri.*
Iniquitate. *Syr. Scelere. Caiet. Malignitate. Fr. Luc. Malitiâ.*

Vers. 40.

Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?

Stulti. *Syr. Expertes rationis.*
Deforis. *Arab. Exterius. Pagn. Foris.*
Id. *Syr. Idem.*
Deintùs. *Pagn. Intùs.*

Vers. 41.

Veruntamen quod superest, date eleemosynam: Et ecce omnia munda sunt vobis.

Verunt. q. s. *Syr. Verùm id quod est. Arab. Ante omnia. Vat. Veruntamen quæ suppetunt. Ar.M. Veruntamen inexistentia. Caiet. Veruntamen quæ adsunt.*
Date. *Caiet. Detis.*
Eleemosynam. *Syr. In eleemosynam. Arab. Eleemosynas.*
Munda sunt. *S.Chrys. Munda erunt.*

Vers. 42.

Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

Pharisæis. *Arab. Pharisæi.*
Quia. *Syr. Quippe qui.*
Decimatis. *Syr. Decimetis.*
Omne o. *Arab. Omnia olera. Theoph. Quoduis olus. Tert. Oluscula. Al. Quod olus.*
Et præ. *Syr. Præteritis autem.*
Iudicium. *Arab. Iudicium Dei.*
Charitatem D. *Arab. Charitatem ipsius. Tert. Dilectionem dei.*
Hæc autem. *Pagn. Immò hæc.*
Opor. f. *Arab. Oportebat, vt faceretis.*
Illa. *Arab. Alterum.*
Omittere. *Arab. Reiiceretis.*

Vers. 43.

Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas

Pharisæis. *Arab. Pharisæi. Vat. Scribæ & Pharisæi hypocritæ.*

cathedras

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

Diligitis. *Tert. Captatis.*
Primas cathedras. *Syr. Primos consessus. Arab. Primas sedes. Tert. Primatum locorum. Pagn. Primas cathedras. Al. Primam sessionem. Caiet. Præsidentiam.*
Salutationes. *Syr. Salutationem. Tert. Honorem salutationum.*
In f. *Syr. In plateis. Euth. In foris.*

Vers. 44.

Væ vobis, quia estis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt.

Vobis. *Syr. Vobis scribæ, & pharisæi acceptores vultus. Euth. Vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ.*
Quia. *Syr. Quippe qui.*
Vt monumenta. *Syr. Instar sepulchrorum.*
Non apparent. *Syr. Non innotescunt. Arab. Abscondita. Fr. Luc. Latentia. Occulta.*
Ambulantes. *Ar. M. Deambulantes.*
Supra. *Pagn. Super ea.*
Nesciunt. *Syr. Nec norunt.*

Vers. 45.

Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

Qui e. l. *Syr. Vnus è scribis. Ar. M. Quidam legisperitorum.*
Magister. *Syr. Doctor.*
Cont. n. f. *Syr. Nos probro afficis. Arab. Contumeliâ affecisti nos. Ar. M. Nos nota.*

Vers. 46.

At ille ait: Et vobis legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.

Vobis l. v. *Arab. Vos ô scribæ va vobis. Tert. Vobis Doctoribus legis va.*
Homines. *Tert. Alios.*
Quæ p. n. p. *Syr. Grauissimis. Arab. Grauibus. Goth. Quæ portari non possunt. Ar. M. Difficulter portabilibus. Pagn. Latu difficilibus. Caiet. Difficilibus portatu.*
Ipsi. *Arab. Vos.*
Vno d. v. *Syr. Ne vno quidem ex digitis vestris. Euth. Vno digitorum vestrorum.*
Non tangitis. *Tert. Non aggredi audetis. Fr. Luc. Non attingitis.*
Sarcinas. *Fr. Luc. Onera illa.*

Vers. 47.

Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.

Qui. *Arab. Quia.*
Ædificatis. *Syr. Extruitis.*
Monumenta. *Syr. Sepulchra.*
Proph. *Tert. Prophetis.*
Occiderunt. *Syr. Interemerunt.*

Vers. 48.

Profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.

Profectò t. *Syr. Vos igitur testes estis. Arab Videte: testificamini. Euth. Profectò testamini. Fr. Luc. Nempe testamini.*
Quòd c. *Syr. Et acquiescitis. Arab. Et gloriamini. Theoph. Quòd comprobatis. Fr. Luc. Et consentitis.*
Operibus. *Syr. Oneribus. Arab. In operibus. Theoph. Facta.*
Occiderunt. *Syr. Interfecerunt.*
Ædificatis. *Syr. Extruitis.*
Sepulchra. *Euth. Monumenta.*

Vers. 49.

Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur.

Sapientia Dei. *Syr. Sapientia.*
Mittam. *Arab. Ecce mittam. Euth. Mitto.*
Et e. i. o. e. p. *Syr. Quorum alios persequentur, alios trucidabunt. Fr. Luc. Et ex illis occident, & infestabuntur.*

Vers. 50.

Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum,

Inquiratur. *Arab. Vindictam sumant. Euth. Exquiratur. Caiet. Requiratur.*
Sanguis. *Arab. De sanguine.*
Effusus est. *Pagn. Effunditur.*

Vulgata Editio.

phetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista,

Lectionum Varietas.

A. c. m. *Syr. Ex quo conditus est mundus. Arab. A principio dicendi.*
A. g. i. *Arab. Vsque ad hanc generationem. Theoph. A natione istâ.*

Vers. 51.

A sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

Abel. *Arab. Abel iusti.*
Zachariæ. *Syr. Zachariæ illius.*
Qui periit. *Syr. Qui interfectus est. Ar. M. Perdit.*
Altare e. æ. *Syr. Templum & altare. Fr. Luc. Altare & domum.*
Ita. *Syr. Sanè. Vat. Profectò. Ar. M. Etiam.*
Requiretur. *Euth. Exquiretur.*
Generatione. *Theoph. Natione.*

Vers. 52.

Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

Legisp. *Arab. Scribæ. S. Hil. Legis doctores.*
Tulistis. *Arab. Vos accepistis. S. Hil. Abstulistis. Fr. Sustulistis.*
Clauem scientiæ. *Syr. Claues scientiæ. Arab. Claues cognitionis.*
Introistis. *S. Hil. Introitis.*
Et e. q. i. p. *Syr. Nec non ipsos qui introibant prohibuistis. S. Hil. Et introeuntes non sinitis introire. Tert. Nec aliis aditum præstatis. Orig. Et ingredientes prohibuistis.* vel! *Et alios intrantes prohibuistis. Vat. Et eos qui introituri erant, prohibuistis. Pagn. Et eos, qui introibant, vetuistis.*

Vers. 53.

Cùm autem hæc ad illos diceret cœperunt Pharisæi, & legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis,

Hæc. *Arab. Hoc.*
Ad i. d. *Arab. Dixisset.*
Pharisæi, e. l. *Syr. Scribæ & Pharisæi. Theoph. Legisperiti & pharisæi.*
Grauiter i. *Syr. Egrè ferre. Arab. Imputare illi malum. Pagn. Grauiter vrgere. Caiet. Grauiter imminere.*
Os e. o. *Syr. Corripiebantur furore & aucupabantur verba eius. Arab. Loqui cum illo. Euth. Ab ore interrogare eum. Theoph. Captiosè interrogare eum. Pagn. Cum obseruatione oris eius interrogantes eum. Ar. M. Obtundere ipsum. Caiet. Tentare.*
De multis. *Syr.* omittit. *Arab. De multis rebus.*

Vers. 54.

Insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.

Insidiantes ei. *Syr. Dolúmque ei nectebant in multis. Arab. Et conuenire contra eum. Euth. Insidiantes ei de multis.*
Et quærentes. *Syr. Dum quærerent. Arab Et.*
Aliquid. *Arab. Illum in verbo. Euth. Quidpiam.*
Capere de ore. *Syr. Carpere ex ore. Theoph. Venari ex ore.*
Vt. *Vat. Quo.*
Accusarent. *Syr. Possent deferre.*

CAPVT XI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Alterius oratio *non facilè interrumpenda.* 481
A pluribus orationem *fundi vt Christus amet.* 482
Temperantia *vt commendata.* 483
Vita *nostra diaria.* 484
In cibo *facilè peccatur.* 484
Etiam diues *mendicus est Dei.* 484
Verorum amicorum *exiguus numerus.* 485
Prouidus sit, qui hospites *recipit.* 486
Hospitalitas *vt exercenda.* 487

Et factum est, cùm esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis ad eum.

ORabat frequenter Christus, & vt orandi no- 481
bis præberet exemplum, & vt oratione sua nostræ conferret efficaciam. Prudentiam summam, summam pietatem ostendit discipulus iste, dum orantem Christum non interpellat; quo docemur, non facilè, neque quauis de causâ orationem alterius interrumpendam esse.

Domine,

Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.

A Christo, qui orauerat, orationis modum discere iste discipulus cupit: Orationis methodum benè docere alios potest, qui benè orat; alioquin ineprus orationis erit magister, qui orationem fundere negligit, orationis osor.

Doce nos orare: non sui tantùm solicitus hic discipulus est, sed aliorum quoque; orationis modum non sibi tantum, sed & condiscipulis tradi postulat: dignus est, qui doceatur orare, quùm charitatem ostendat, quæ orationi necessaria est.

Et ait illis, cùm oratis, dicite.

482. ANnuit tam iustæ petitioni Christus: nec petenti tantùm respondet, sed ob eum illis etiam, qui idem cupiebant. Vnus petiit, pluribus loquitur, vt plures orandi modum discerent, plures orationem funderent.

Pater, sanctificetur nomen tuum.

CVr non idem eisdem verbis exponit Lucas, sicut apud Matthæum, apud quem sic habetur. *Pater noster, qui es in cælis?* An verborum mutatio, & alteratio indicat in oratione affectus potiùs rationem haberi, quàm verborum?

Sanctificetur; nullum tempus præfigit, vt omni sanctificaretur: *nomen tuum*; cur non dixit, *tu sanctificeris*, sed *sanctificetur nomen tuum?* An quia in hoc seculo Denm non visu noscimus, sed auditu; idcirco dictum est *nomen tuum*, quod ad auditum spectat.

Adueniat regnum tuum.

483. PRætermisit Lucas, quod hîc habet Matthæus, nempè sententiam hanc, *Fiat voluntas tua*: cur prætermisit? An, quia clauditur in his verbis, *adueniat regnum tuum?* nam regni cælestis quidam gustus, quædam possessio est, diuinæ voluntatis adimpletio. *Adueniat regnum tuum.* Sanctus Gregorius Nyssenus lib. de orat. loco huius sententiæ hanc habet. *Adueniat Sanctus spiritus tuus super nos*; ac si regnum cælorum possideret, qui à Spiritu sancto possideretur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

TAcitè temperantia commendatur, dum panis solius, quo sustentemur hic mentio fit; licet panis nomine cibus quilibet significetur, qui idcirco panis dicitur, ne nimis exquisite sit cibus elaboratus, sed obuius, vt iutè panis nomine circumscribi possit.

484. *Da nobis hodie*; Diaria vita nostra est, in diem viuimus, ignorantes an crastina dies exceptura nos sit. Igitur quotidiè mortem cogitare debemus, dum crastinum nobis diem non promittimus, dum pro crastino non oramus. Pro præsenti die iubemur petere victum, non pro futuro; vt cibi necessitas, quæ quotidiana est, nos ad petendum vrgeret, mentesque nostras ad orationem prouocaret.

Præterea distinctiùs diuina cognoscimus beneficia, dum quotidie ea à Deo petimus, & obtinemus; atque adeo ad agendas gratias promptiores reddimur, & alacriores.

Rectè postquam dixerat, *adueniat regnum tuum*, adiicit, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; in longum tempus cibum non esse petendum indicans; nam qui regni cælestis, quod quærit, desiderio tenetur, huius seculi cibos negligit, & contemnit, vt per longum tempus desiderare, aut petere dedignetur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; Non pauper tantùm, sed etiam diues hanc quotidie solet orationem fundere; non ergo verè diues, qui panem petit, mendicus est Dei. Festiuè Sanctus Augustinus serm. 41. de verbis Domini: *Quid enim quantumuis habeas qui diues es,* DEI MENDICVS ES: *venitur ad horam orationis, & ibi te probo; petis: quomodo pauper non es qui petis? plus addo, panem petis; an non es dicturus: Panem nostrum quotidianum da nobis? qui panem quotidianum petis, pauper es an diues?*

Dimitte nobis debita nostra; post panis petitionem (quo omnis cibus promiscuè intelligitur) cur peccata nobis dimitti postulamus? An quia facilè in cibi vsu peccatur? *Benè post cibum*, inquit, hîc Vgo Carensis, *petitur venia peccatorum; quia* IN CIBO FACILE PECCATVR; *corpus dum reficitur, relaxatur animus; & dum caro nutritur, mens sæpe ieiunat, sæpè deficit.*

Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes.

POstquam orandi tradiderat formulam, docet quomodo orare debeant: scilicet non remissè, 485.
aut negligenter, sed ardenter, ac perseueranter; vt non continuò ab oratione desistant, si contingat eos statim non exaudiri.

Habebit amicum: signatè, *amicum*, dixit, non *amicos*; nam verorum amicorum exiguus numerus est; paucos reperire est, qui veri amici nomen mereantur.

Mediâ nocte; docemur hîc momentis omnibus posse nos orationem sternere, & vel intempestæ noctis tempore in diuinæ misericordiæ sinum posse nos orationis fusu recipere.

Commoda mihi, da mihi, mutua mihi; nam 486.
commodare propriè de illis rebus dicitur, quæ eædem numero restitui possunt; licet aliquando accipiatur de iis, quæ vsu consumuntur. *Tres panes.* Non satis erant duo, vnus amico, alter ipsi, qui petebat? Tres petit, vt, si fortè duo non sufficerent, alterum haberet, quem apponeret: prouidus esse debet, qui hospites recipit, nec patiatur aliquid hospitibus deesse, præsertim de rebus necessariis. *Tres panes*, cur non & obsonia postulabat? habebat fortassè apud se, quæ à superiore cœnâ relicta erant.

Vnius hospitis gratiâ tres panes petit; *commoda mihi*, inquit, *tres panes*, vnus vni sufficiebat: at non hospiti tantùm prouidit, sed & sibi. In omni perfectâ oratione, & sui profectum postulet, qui orat; quis tam demens, vt aliorum curâ tangatur, oblitus sui, suæque salutis immemor.

Quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.

EXcusat importunitatem suam, aduentu amici 487.
se coactum asserens, vt amicum alium adiret, & panes ab eo peteret. Commendatur hîc hominis huius

huius hoſpitalitas, qui mediâ nocte venientem ad ſe amicum non ſolùm libenter excipit, ſed etiam eius causâ ad alium amicum pergit neceſſaria ab eo requirens.

Et non habeo, quod ponam ante illum; qui indigentiam ſuam nouit, & fatetur, dona à Deo recipit, gratias acturus pro illis. Qui credit, ſe habere, indignus eſt, qui recipiat.

SECTIO II.

Et ille de intùs reſpondens dicat: noli mihi moleſtus eſſe; iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili; non poſſum ſurgere, & dare tibi.

488. AVdiens amicus, qui intùs erat amici, qui aduenerat, petitionem, repulſam dat, & nè durus, & immiſericors videatur, repulſæ rationem adiicit, quia oſtium clauſum eſſet, & peſſulis obfirmatum, & filij eius lecto decumberent, quos excitari nolebat.

Pueri mei, Syrus, *filij mei*. Græcus, *τὰ παιδία μου, pueruli mei*, de famulis, ac ſeruis etiam dicitur, ſed veroſimiliùs hîc pro filiis vſurpari, quos ſecum lecto cubare pater affirmat, vt ſe à ſurgendo excuſet, ne ſcilicet filiorum quietem interturbet, & eos expergefaciat. Prouidus pater, & filiorum amator magis ſuorum filiorum quieti conſuluit, quàm ſui.

In cubili: Syrus, in *lecto.* Græca vox, *κοίτη*, & cubiculum ſignificat, & cubile, ac lectum; opportunè poſteriorem notionem hæc vox hoc loco habet, præſertim ſi pueri pro filiis, non pro ſeruis ſumantur; nam apud pleroſque in vſu eſt, vt parentes, proleſque ſimul omnes non ſolum in vno cubiculo, ſed & cubili iacerent.

489. Precum perſeuerantia in his verbis commendatur: quod ſic colligebat B. Laurentius Iuſtinianus. PERSEVERANTIA IMPETRAT, QVOD VVLT: *unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, vt panem petat: Si perſeuerauerit pulſans; & ſi non dabit, eò quòd amicus ſit; propter improbitatem eius ſurget, & dabit, quotquot habet neceſſarios: ſi enim homo perſeueranter petenti dat ex tædio, multò magis Deus, qui ſine tædio largiſſimè donat, quod petitur perſeueranter petenti donat ex amicitiâ. Et quomodo non dabit perſeuerantibus in prece qui, vt gratis tribuat, nos hortatur, vt petamus, cui diſplicet, ſi non petamus?*

Et ego dico vobis; petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.

NVllum hîc tempus decernit; ſcilicet non mediâ tantum nocte exoratus ſupera concedet Deus dona, ſed omni temporis momento paratus eſt munera ſua petentibus exhibere. Dormitabundus amicus amico dedit, quod poſtulabat; dabit magis ille, qui nunquam dormitat, nec dormit, ſemper vigil, & cui nullæ preces importunæ, omnes gratæ ſunt.

Pulſate, & aperietur vobis: Non ſatis eſt petere: etiam pulſare debemus, vt orationi actio iungatur. *Per hoc enim, quod dicit, pulſate, inſinuat petitionem cum actione; pulſat enim aliquis manu dexterâ:* BONI AVTEM OPERIS *ſymbolum eſt manus dextera*, ait Seuerus.

Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis, bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

CVr *mali* homines dicuntur, qui bona exhibent petentibus filiis? An, quia hominum bonitas 490.
diuinæ bonitati comparata malitia eſt, & humanus amor reſpectu dilectionis malignitas eſt tanta, Dei clementia, Dei bonitas eſt, *cum ſitis mali*; Græcè *πονηροὶ ὑπάρχοντες, cum maligni ſitis*, nomen *πονηρὸς*, malignum ſignificat, qui malum infert.

Dabit ſpiritum bonum; id eſt omnium bonorum fontem; hunc ſpiritum, ſi quis habeat, habet in illo, quicquid boni deſiderare mens poteſt. Pro, *ſpiritum bonum*, Sanctus Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 5. teſtatur in quibuſdam exemplaribus legi, *bonum datum*, Sanctus Auguſtinus epiſt. 128. cap. 8. legit, *bona*; ſic & Matthæus cap. 8. habet *bona*, abſque alio addito. In concordiam vocari hæ variæ verſiones poſſunt, ſi dicamus: *ſpiritum bonum & bona* cohærere; quia nihil bonum eſt, quod à diuino ſpiritu non emanet adeò, vt temporalia bona bonorum nomen non mereantur, ſi ſpiritualibus bonis comparentur.

Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: &, cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

M*Vtum* dæmonium dicitur, quia mutum il- 491.
lum volebat, quem obſidebat. *Cum eieciſſet*, Græcè, *ἐξελθόντος, cum exiiſſet*; & fors interpres ita vertit. *Locutus eſt mutus*; ſed quid locutus ſit non refertur: non dubium quin in gratiarum actionem, Deique laudem eruperit: nimirum exiiſſe dæmonem oſtendit, qui in diuinis laudibus occupatur, & linguam diuinæ laudi ſacrat, non inquinat noxiis, aut ſuperfluis ſermonibus, alioquin dæmonium acceſſiuiſſet, nec oſtendiſſet eiectum.

Admiratæ ſunt turbæ. Inſigne hoc miraculum videntes turbæ in admirationem rapiuntur; nil mirum, cum ab inuidiæ, odiique affectu eſſent immunes; alioquin blaſphema in Chriſtum verba euomuiſſent; quod præſtiterunt Phariſæi, & Scribæ.

Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

492. MAli in malam partem omnia rapiunt, etiam bona: nullum scelus adeò graue, quod ab illo non facile committitur, qui inuidiâ corripitur. *Quidam ex eis dixerunt.* Hanc blasphemiam pharisæos protulisse affirmat Matthæus, Marcus scribas; Dicendum est vtrosque protulisse. Grande malum, cum docti, & superiores, quorum esset, exemplo, & exhortationibus idiotas, ac simplices ad Christum vocare, cæteros in Christum armant, à rectâ viâ omnes auocant.

Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis.

REspondet primò iis, qui calumniabantur eum in Beelzebub eiicere dæmonia, vt ex iis, quæ statim affert, apparet. Hic singularis elucet Christi mansuetudo, qui tam graui affectus iniuriâ, nec irâ commotus est, nec calumniatores veritatem docere abhorruit; quin ab impiâ mente eos argumentis auocare studet, pro calumniâ vtilia exhibens monita.

493. Porrò in hoc, quòd priùs respondet iis, qui blasphema in eum verba euomuerant, quàm iis, qui tentantes signum de cælo quærebant (ac si citiùs illis succurreret, à quibus grauiùs offendebatur) docet anteà medicam illis esse manum admouendam, qui magis indigere videntur; licèt alioquin grauiùs nos, nomenque nostrum læserint.

Vt vidit cogitationes eorum. Hi calumniatores non tantùm cogitatione, sed etiam verbo calumniam protulerant; quod indicat Euangelista in illis verbis: *Quidam dixerunt: in Beelzebub eiicit dæmonia*, verbum, *dixerunt*, non cogitasse tantùm, sed etiam ore blasphemiam euomuisse significat; cur ergo cogitationes vidisse Christus dicitur? An, quia, licet quidam eorum verbo calumniam protulerint, alij tamen siue ab his seducti, siue propriâ malitiâ excitati, eandem calumniam tantum corde conceperunt, eamque mente retinebant? Vides quàm fœcunda malitia sit: vt facilè malum, quod quis ore seminauerit, in audientium cordibus pullulet! tantùm nocent inconsultè prolata verba, & impiè ore emissa blasphemia.

494. *Vidit cogitationes*; ad cogitationes respondet Christus, fors quia plus malitiæ mente retinuerint, quàm verbo expresserint. Ad cogitata respondet, vt vel sic eius potentiæ crederent, quem cordis occulta, tanquam Deum, non latebant.

Nec sola cogitationum notitiâ, sed tantâ clementiâ, ac mansuetudine probat Christus, se dæmonis virtute miracula non fecisse; non est dæmonis tantâ humanitate, & mansuetudine in tantis, tamque grauibus calumniis vti. Dei spiritum ille habet, qui, iniuriis impetitus, ita placidè respondet, ac si calumniis, ac ludibriis ictus non esset.

Vt vidit cogitationes eorum; nũ satis erat blasphema eorum verba audiuisse, dixerant enim: *In Beelzebub principe demoniorum eiicit dæmonia.* Quid fuit opus ad cogitationes recurrere? An, quia non plenè peccatum cognoscatur, iustéque pendatur, nisi prius affectus videatur, & intentio committentis? Nullum scelus est, quod ex intentione aut non crescat aut non decrescat. Respondet ergo potiùs ad cogitationes, quàm ad verba; quòd hæc vt excusabiliora essent, si ab ignorantiâ proficiscerentur, ita pessimum illis inerat virus, cùm ab inuidiâ, ac liuore essent nata.

Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

REgnum discordiâ, & dissensione non diu stabit, sed *desolabitur*, Græcè est *desolatur* & hanc lectionem plerique codices habent, & conformiter huic lectioni, pro *cadet*, habent, *cadit*; scilicet tam certa à discordiâ, & contentione ruina est, tam certum à dissensionibus exitium; vt non tam casurum regnum, non tam ruitura domus sit, quàm excidat illud, ruat ista. 495.

Domus supra domum; id est contra se ipsam diuisa; neque enim intelligendum est, quasi domus sint multæ, & vna contra aliam sit, sed vna sit contra se diuisa; quod apertè colligitur ex cap. 12. Matthæi, vbi hæc eadem sententia ita effertur. *Omnis ciuitas, vel domus aduersùm se diuisa non stabit*; si domus vnius partes inter se non cohæreant, cito domus corruet, & sui sepulchrum fiet.

SECTIO III.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt?

RVrsus alia ratione calumniatores arguit, & 496.
perstringit Christus: argumentatur autem sic: etiam plerique ex vobis dæmones eiiciunt, nec tamen calumniam illis inuritis; cur ergo idem opus in illis probatis, in me autem damnatis? non ergo rem, sed personam respicitis, atque adeò non rectè iudicatis.

Filij vestri: Per hos filios exorcistas, qui apud Hebræos dæmonia eiiciebant, plerique intelligunt: alij, per filios, interpretantur, Apostolos. Signatè ait, *filij vestri*, non, *discipuli mei*, aut *Apostoli mei*; vt, si ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnam hinc opportunitatem nanciscantur. Præterea inuidiæ fomitem aufert, dum Apostolos, eorum filios vocat.

Alij tentantes signum de cælo quærebant.

NOua signa petunt, quasi, quæ facta, signa non 497.
fuissent. Sed cur de cælo miracula fieri postulant?

lant: An, quia credebant, Christum talia signa non posse facere, sicque etiam, quæ facta, calumniarentur. Terræ inhiantes, & terrenis, cælique, & cælestium obliti signum è cælo quærunt; impij tunc cæli sunt memores, cum illis illa præstanda, quibus è cælo proscribi mereantur.

Porro, si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

DIgitus Dei metaphoricè dicitur Spiritus sanctus, vnde Matthæus pro *in digito Dei*, legit, *in Spiritu Dei*; sed cur spiritus digito significatur? An, quia eo rectà via monstratur, vt solet extenso digito fieri? An, quia legem scribat in fidelium cordibus? An, vt operum bonorum sit amicus, qui huius spiritus dona diligit: manuum quippe digitis solet exquisita actio designari.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.

498. FOrtis vocatur dæmon ob magnam eius virtutem, quâ homines aggreditur; fortis dicitur nostræ imbecillitati, ac infirmitati comparatus; hominum scilicet torpor, ac segnitia facit, vt satanas *fortis* appareat; alioquin, si nos fortes essemus, ipse imbecillis esset, imbecillis appareret.

Armatus; quibus armis? non explicat; vt omnibus eum esse armatum colligeremus; armis munitus est quibus noceat, & quibus se defendat, ne lædatur. Præcipua arma sunt ea, quæ in Deum committimus peccata; his contra nos pugnat; hisce nos euertit; his fortis redditur, vt reddimur nos imbecilles.

Cùm immundus spiritus exierit de homine ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui.

499. CVr dæmon in locis inaquosis, & inhabitatis requiem quærit, & non inuenit? an, quia ab hominum consortio remotus, hominibus nocere nequit? nimirum quiescit dæmon, cum nobis nocet; quiescere non potest, quum nocere non potest; tanto nocendi desiderio satanicus hostis corripitur, vt requiem suam putet in homines sæuire.

Reuertar in domum meam, vnde exiui; cur non in aliam? In eundem reuerti hominem tentat; facilem scilicet in eum sibi pollicetur ingressum, quem semel subiecit, & vincere rursus sperat, quem semel vicit. *Reuertar in domum meam*: numquid liberum est in eum reuerti, à quo exire compulsus est? non est liberum; sed tentat, & conatur, & Deo permittente id efficere sperat; & adeò laborat, ac si certus reditus esset, miniméque impeditus.

Et, cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam.

500. NOn statim dæmon domum ingreditur, non statim hominem inuadit, sed statum eius prius considerat; vbi negligentem, ac vitiis incumbentem viderit, intrat; his quippè aditus ei aperitur, vt ingrediatur; domus, mundata, est anima dæmonis habitationi præparata, virtutibus destituta, vitiis, ac sceleribus madida.

Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

TVnc vadit: Videns dæmon eiectus dispositionem in homine, à quo eiectus est, non moras trahit, statim abit, vt secum alios spiritus se ipso sæuiores ducat, & secum in hominem illum ingrediantur. Damnat ista dæmonis celeritas torporem nostrum: citissimus in nostri perniciem dæmon est; nos tardi, ac testitudinei in nostrâ salute procurandâ; vtinam in bona celeres essemus, vt celer in malo malus dæmon est.

Et ingressi habitant ibi: statim alia dæmonia annuerunt; non sinunt se diu rogari, vt homini nocéant; dæmones non essent, nisi ad nocendum paratissimi essent: concordes in hominis exitium dæmones sunt, qui alioquin discordiæ seminatores sunt, & concordiæ hostes. 501.

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus; quia scilicet liberatori gratus non extitit, nec liberationis beneficium agnouit, vt debebat; scilicet ingentia timeri mala possunt, cum, beneficiorum oblitus, ingratus benefactori aliquis est.

Factum est autem, cùm hæc diceret extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.

FRuctum, quem in calumniatoribus Pharisæis, & scribis non fecit Christi sermo, fecit in quâdam muliere, quæ aderat; hæc quippè inter calumniatores vocem extollens, clamore affectum prodens, Christum miris extollit laudibus, quem impij dæmoniacum blasphemabant: nimirum docet exemplo suo hæc mulier, tunc magis à nobis Deum laudibus efferendum, cum impij blasphema in eum euomunt verba; similiter eò sanctiori vitâ à nobis laudandum, quò sceleratiori eum iniqui blasphemant. 502.

Beatus venter, qui te portauit: commendat hæc mulier matrem, non virum: matris ventrem, & vbera felicia vocat, viri nullam mentionem facit, scilicet Spiritus sanctus, qui in eâ loquebatur, indicare voluit, Christum matrem habuisse, non verum patrem.

Beatus venter. Mens huius mulieris erat Christum laudibus euehere, quem calumniis à pharisæis, & scribis peti audierat; cur ergo matrem laudat, filium laudatura? An matris laudes pro suis Christus habet? Habet. Matris laudes redundant in filium; Virginis elogium resilit in Christum tandem; si beata mater propter filium est, consequens, vt multò magis beatus ipse filius sit.

At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

MVlieri respondet Christus, laudem eius non reprobat, ne veritati aduersetur; sed nec disertis verbis probat, ne se, matrémque suam laudare videatur; vt videant, quàm essent iactantiæ mancipia, & arrogantiæ serui, qui oblatas laudes 503.

non solùm libenter admittunt, & extento excipiunt sinu, sed oblatas exsculpunt, & venantur.

Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Beatitudinem, ac felicitatem in eos Christus transfert, qui audiunt, & custodiunt verbum Dei: opportunè autem nunc hæc verba protulit, cum multi aderant, qui nec audiebant, nec custodiebant, quales erant illi, qui eius miracula blasphemabant.

Audiunt, qui credunt; custodiunt, qui opere implent, quod audierunt; non sufficit audire, non sufficit credere, nisi opera adiungantur. *Denique*, inquit Sanctus Bernardus, *non qui audiunt, sed beati, qui audiunt, & custodiunt verbum Dei*; non merentur custodiri, nisi custodierint; nec merentur audiri, qui audiunt tantùm.

Verbis præsentis temporis vtitur dicens, *audiunt, custodiunt*, non præteriti: vt perseuerantia in bonis operibus commendaretur: scilicet Dei verba audire, & custodire debemus, vt iugiter, & assiduè vtrumque præstemus.

Et, cùm loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se. Iesus autem ingressus recubuit.

504. A Pharisæo inuitatur Christus ad prandium; ire non recusat; domum illius ingreditur; recumbit ad mensam; cur tam facilem se præbuit, cur statim annuit? vt monendi eum, & instruendi occasionem arriperet, quod postea fecit: non ferculorum lautitias quærit Christus, quærit hominum salutem.

Vix mensæ Christus accubuerat, quòd statim pharisæum arguit, & cæteros cum illo; quia scilicet in corde suo eum notauerit, quod illotis manibus ad conuiuium accessisset: *Vos Pharisæi*, verba sunt Christi arguentis, *quod foris est calicis, & catini mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapinâ, & iniquitate.* Itane beneficio respondet Christus? Conuiuio excipitur, & gratitudinis loco, eius vitia perstringit, à quo recipitur? Nunquid inciuilitatis nota inuretur Christo? Minimè: non est cælestis medici conniuere ad vitia eius, à quo inuitatus fuerat, nec, ventris, & ciborum causâ, ægrotantis hospitis sanitatem negligere, & gulæ consulere, non Euangelio.

Excipitur conuiuio Christus, & seuerè increpat, qui eum recipit; non poterat pro conuiuio meliores gratias referre, quàm, corripiendo, hospitem ab animi languoribus sanare: non parcit pharisæo à quo inuitatus fuerat; imo maximè parcit, quia non parcit: obiurgando pepercit, vt correcto in iudicio parceret. Malè parcit, qui non corripit, quem, corripiendo, posset emendare.

Rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se; & ingressus recubuit.

NOn fuit ex amore hospitalitatis, quòd Pharisæus Christum ad prandium inuitauerit, sed; vt aliqui volunt, ex hypocrisi; vt bonus videretur bonos excipiens. Sed cur iuit Christus ad eum, à quo sciebat se non sincero affectu inuitatum? Iuit; 505.
quia *hic Pharisæus non erat*, vt ait Vgo Carensis hîc, *apertè malus*; vtque doceret pro bonis habendos, qui apertè mali non sunt, ne aliorum fama apud alios minuatur.

Inuitatus ad prandium à Pharisæo in Pharisæorum vitia acriter Christus inuehitur; *nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini, mundatis; quod autem intùs est vestrum, plenum est rapinâ, & iniquitate; sed væ vobis Pharisæis*; audis quàm fortiter increpet! cur non parcit ei, à quo inuitatus? itane pro ferculis exhibitis dura reponit verba? reponit; sed hoc singularis mercedis loco est. Pharisæo parcit, quia non parcit. *Quomodo non pepercit ei*, inquit Sanctus Augustinus, *à quo fuerat inuitatus? magis obiurgando pepercit, vt correcto, in iudicio, parceret*; sæuus exstitisset si minimè in peccatorem sæuisset.

Veruntamen quod superest date eleemosynam.

QVod superest date eleemosynam: Non est sensus, quod superest ex necessariis in eleemosynam distribuite; non enim est, [illegible], sed, τὰ ἐνόντα, hoc quod reliquum, quod restat faciendum. 506.
Theophylactus facultates intelligit, quæ, τὰ ἐνόντα, non ab re dicuntur, *quæ insunt, non, ὄντα, quæ sunt*; quòd PECVNIÆ SINT IN CORDE AVARI, *atque insident: quare & Dauid monet, non apponere cor diuitiis.* Nimirùm, maximè diuitias pauperibus erogare illi debent, qui corde diuitiis adhærent, vt à diuitiis possideri videantur.

Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ.

T*Vlistis clauem scientiæ*; non vt clauderent, sed vt cæteris aperirent; sed nec ipsi intrare voluerunt, nec introitum permiserunt aliis; quod inuidiæ fuit, & liuoris; *dum seducit alios, se ipsum ianitor inuidiosus exclusit, acceperat clauem Pharisæus, sed, vt intrare desiderantibus aperiret; sed, ne intraret alter, ipse manere foris voluit per liuorem*; nimirum sibi prius nocet inuidus, quàm aliis; hæc inuidi amentia est, quòd, vt damnum aliis inferat, priùs ipse patitur.

CAPVT XII.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XII. LVCÆ.

Verſ. 1.

MVLTIS autem turbis circumſtantibus, ita vt ſe inuicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.

Multis a. t. *Syr. Quum autem multitudines plurium coetuum. Arab. Cum multitudines turbarum. Theoph. Quum autem innumera turba multitudo. Ar. M. In quibus, myriadibus turba.*
Circumſt. *Syr. Congregata eſſent. Theoph. Conueniſſet. Ar. M. Adcongregatis. Caiet. Simul aggregatis.*
Se i. *Syr. Alij alios.*
Attendite. *Syr. In primis cauete vobis ipſis Arab. In primis cauete voſmetipſos. Theoph. Primùm attendite vobis ipſis.*
Hypocriſis. *Syr. Valtus acceptio.*

Verſ. 2.

Nihil autem opertum eſt, quod non reueletur: neque abſconditum, quod non ſciatur.

Nihil a. o. e. *Arab. Quoniam non eſt abſconditum. Ar. M. Nihil enim coopertum eſt. Vat. Nihil autem contectum eſt.*
Quod non reueletur. *Arab. Quin manifeſtetur. Tert. Quod non pateſiet. Caiet. Quod non reuelabitur. Vat. Quod non ſit detegendum.*
Abſconditum. *Arab. Opertum. Euth. Occultum.*
Sciatur. *Syr. Innoteſcat. Euth. Cognoſcetur. Tert. Dignoſcetur. Caiet. Scietur.*

Verſ. 3.

Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

Quæ d. *Arab. Quæ dicitis. Vat. Quæcunque dixiſtis.*
Lumine. *Syr. Luce.*
Dicentur. *Pagn. Audietur.*
In aurem. *Arab. In aures. Ar. M. Ad aures.*
Cubiculis. *Goth. Cubilibus. Theoph. Conclauibus. Vat. Cellis. Caiet. Penetralibus.*
In tectis. *Syr. Supra tecta. Ar. M. Supra domos. Fr. Luc. Super tecta.*

Verſ. 4.

Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant.

Amicis m. *Arab. Amici mei.*
Ne t. *Arab. Ne timeatis. Tert. Nolite terreri.*
Ab his. *Arab. Eos.*
Occidunt c. *Syr. Interficiunt corpus. Tert. Nos ſolummodò occidere poſſunt.*
Et poſt hæc non. *Tert. Nec poſt hæc.*
H. a. q. f. *Arab. Eſt eis facultas faciendi ampliùs. Tert. Vllam in nobis poteſtatem habent. Ar. M. Habentibus abundantiùs, quid facere.*

Verſ. 5.

Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.

Oſtendam. *Arab. Docebo. Tert. Demonſtrabo. Fr. Luc. Præmonſtrabo.*
Vobis. *Arab. Vbi.*
Occiderit. *Syr. Interfecerit.*
Habet p. *Syr. Potens eſt. Arab. Eſt ei poteſtas. Ar. M. Auctoritatem habentem.*
Mittere. *S. Greg. Nyſſ. Vt coniciat. Ar. M. Iniicere.*
Gehennam. *Arab. Gehennæ ignem. S. Greg. Nyſſ. In gehennam ignis.*
Ita. *Euth. Vtique. Tert. Itaque. Pagn. Gerd. Fr. Luc. Etiam.*

Verſ. 6.

Nonne quinque paſſeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo?

Paſſeres. *Caiet. Paſſerculi.*
Dipondio. *Euth. Paruis aſſibus duobus. Theoph. Minutis aſſibus duobus. Caiet. Duobus aſſiculis. Fr. Luc. Aſſariis duobus.*
Non eſt i. o. *Syr. Non datur obliuioni.*

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

Verſ. 7.

Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt: Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos.

Sed &. *Syr. Quinimo.*
Capilli. *Syr. Pili coma. Pagn. Pili.*
Capitis v. *Arab. Capitum veſtrorum.*
Nolite e. t. *Syr. Ne igitur timueritis. Vat. Ne igitur metuatis.*
Multis p. *Syr. Multitudine paſſerum. Arab. Quia multis paſſeribus. Caiet. Multis paſſerculis.*
Pluris e. v. *Syr. Præſtantiores eſtis. Arab. Vos pluris eſtis. Ar.M. Præſtatis vos.*

Verſ. 8.

Dico autem vobis: Omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.

Omnis q. *Syr. Quicunque. Arab. Quia quicunque.*
Me. *Ar.M. In me.*
Et F. h. c. i. *Ar.M. Confitebitur in illo.*

Verſ. 9.

Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

Negauerit. *Syr. Abnegauerit. Ar.M. Negans.*
Negabitur. *Syr. Abnegabitur ipſe. Arab. Negabo eum. Tert. Denegabo.*
Coram A. D. *Tert. Coram Deo.*

Verſ 10.

Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur.

Omnis qui. *Pagn. Quiſquis.*
Dicit. *Syr. Profert. Tert. Dixerit. Theoph. Loquitur.*
Verbum i. F. *Syr. Sermonem aduersùs Filium. Tert. In Filium. Theoph. Dictum in Filium.*
Ei autem qui blaſphemauerit. *Euth. Conuicium verò ingerenti. Theoph. Et verò qui conuicium dixerit. Tert. Ei autem, qui dixerit. Pagn. Ei autem qui blaſphemiam dixerit.*
In Spir. ſ. *Syr. Aduersùs Spiritum ſancti ratis. Euth. Contra Spiritum ſanctum.*
Non remittetur. *Arab. Non remittetur ei. Pagn. Non remittitur.*

Verſ. 11.

Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus, & poteſtates, nolite ſoliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.

Inducent vos. *Syr. Siſterint vos. Arab. Ducti fueritis. Clem. Alex. Induxerint vos. Euth. Adduxerint vos. Tert. Perducent vos. Caiet. Adducunt vos.*
In ſ. *Syr. In ſynagogis. Euth. Ad ſynagogas.*
Ad m. *Syr. Coram principibus. Arab. Ad principes. Ar.M. Et principatus.*
Nolite ſoliciti eſſe. *Tert. Nolite cogitare. Clem. Alex. Ne priùs ſoliciti ſitis. Ar.M. Ne curate.*
Qualiter aut quid r. a. q. d. *Syr. Quomodo deprecemini ſpiritum aut quid dicetis. Arab. Quid dicatis neque quid loquamini. Tert. De reſponſione. Ar.M. Qualiter aut quid excuſetis aut quid dicatis. Fr. Luc. Qualiter aut quid pro defenſione veſtra adferatis.*

Verſ. 12.

Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.

Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
In ipſâ. *Tert. Ipsâ. Vat. Eâdem.*
Quid. *Euth. Qua.*
Oporteat. *Arab. Expediat. Tert. Debeatis.*
Vos dicere. *Tert. Eloqui. Clem. Alex. Loquamini.*

Verſ. 13.

Ait autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.

Quidam. *Arab. Vnus.*
De t. *Syr. De turbâ illâ.*
Magiſter. *Syr. Doctor.*
Vt diuidat. *Ar.M. Partiri.*

Verſ. 14.

At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?

Homo. *Syr. Heus tu.*
Diuiſorem. *Syr. Partitorem.*
Super vos. *Ar.M. Vobis.*

Verſ. 15.

Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab

Ad illos. *Syr. Diſcipulis ſuis.*
Videte c. c. *Syr. Cauete. Euth. Videte & cauete vobis.*

omni

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omni auaritia : quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.

Omni a. *Arab. Omni malo. Pagn. Auaritiâ.*
In abund. cuiusquam ex his, quæ possidet. *Syr. Abundantiâ diuitiarum. Arab. In multis bonis suis. Ar.M. In redundare cuiquam ex substantiâ ipsius. Vat. In eo, vt supersit cuipiam de facultatibus suis.*
Vita eius est. *Syr. Vita est. Arab. Est vita homini.*

Vers. 16.

Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis, vberes fructus ager attulit.

Similitudinem. *Mald. Parabolam.*
Ad illos. *Vat. Illis, his verbis.*
Hominis. *Syr. Viri. Arab. Homini.*
Cuiusdam d. *Arab. Cuidam diuiti.*
Vberes f. *Syr. Multos prouentus. S.Aug. Successus magnos. Ar.M. Benè.*
Ager. *Syr. Terra. S.Aug. Regio.* vel: *Possessio. Euth. Prædium. Mald. Latifundium.*
Attulit. *Syr. Protulit. Arab. Attulit ei. Ar. M. Tulit.*

Vers. 17.

Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?

Cogitabat. *Syr. Versabat. Arab. Cogitauit. Ar.M. Ratiocinabatur.*
Intra se. *Syr. Animo. S.Aug. Apud se. Ar.M. In se ipso.*
Quia n. h. *Arab. Cùm non sit mihi.*
Quò c. *Syr. Vbi cogam. Arab. Vbi ponam. S.Aug. Quò colligam.*
Fructus m. *Syr. Prouentus meos. Arab. Triticum meum.*

Vers. 18.

Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea,

Dixit. *Syr. Subdit. Arab. Dixit sic.*
Hæc. *S.Aug. Hoc.*
Destruam. *Euth. Diruam.*
Horrea m. *S.Aug. Apothecas meas & horrea. Orig. Apothecas.*
Maiora f. *Syr. Ædificabo ac dilatabo ea. Arab. Ædificabo ea, & capaciora ea faciam. Theoph. Maiora extruam. Orig. Maiores ædificabo. Ar.M. Maiora ædificabo.*
Illuc. *Syr. Illic. Arab. Ibi.*
Omnia quæ nata sunt m. *Syr. Omnes fructus meos. Arab. Omne triticum meum. S.Aug. Fructus meos. Vat. Omnes prouentus meos. Ar.M. Nata mea.*
Et bona m. *S.Aug.* omittit. *Pagn. Bona mea.*

Vers. 19.

Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

Anima. *Syr. Anima mea.*
Habes. *Sunt tibi.*
Multa. *Syr. Plurima.*
Posita. *Clem. Alex. Reposita.*
Plurimos. *Clem. Alex. Multos.*
Requiesce. *Clem. Alex.* omittit.
Comede. *Syr. Ede. Orig. Manduca.*
Epulare. *Clem. Alex. Lætare. Pagn. Gaude. Ar.M. Oblectare.*

Vers. 20.

Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?

Stulte. *Syr. Expers rationis.*
Animam t. *S.Aug. Anima tua.*
Repetunt. *S. Chrys. Accipiunt. S.Aug. Auferetur. Leo reposcunt. S.Cyp. Expostulatur. S.Bach. Exposcetur. Tert. Reposcent. S.Valerian. Requiretur. Orig. Repentè auferetur. S Paul. Expostulabitur.*
Quæ a. p. *S.Aug. Quæ preparasti. B. Laurent. Iust. Et bona quæ præparasti. Cath. Quæ autem parasti præsenti vitâ.*
Cuius erunt. *Syr. Cuiusnam futura sunt. Theoph. Cui cedent. Pagn. Cui erunt.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Verſ. 21. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.	Sic eſt. *Vat. Sic.* Sibi theſaurizat. *Syr. Reponit ſibi theſauros. Arab. Congregat bona. Theoph. Recondit ſibi. Ar. M. Theſaurizans ſibi ipſi.* Et non eſt diues. *Euth. Nec diteſcit. Ar. M. Et non diteſcens.* In Deum. *Arab. In Deo. Euth. Apud Deum. Pagn. Erga Deum.*
Verſ. 22. Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.	Nolite ſ. e. *Tert. Nolite curam agere. Vat. Ne ſoliciti ſitis.* Animæ veſtræ. *Syr. De animâ veſtrâ. Arab. Animabus veſtris. Vat. Pro animâ veſtrâ.* Quid m. *Syr. Quid eſuri ſitis. Tert. De victu. Theoph. Quid edatis.* Corpori. *Syr. De corpore veſtro. Arab. Corporibus veſtris. Vat. Pro corpore.* Quid i. *Tert. De veſtitu.*
Verſ. 23. Anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum.	Anima. *Syr. Quandoquidem anima.* Plus eſt. *Syr. Praſtantior eſt. Tert. Potior. Vat. Pluris eſt.* Quàm eſca. *Syr. Cibo. Tert. Eſcâ. Ar. M. Alimento.* Pluſquam v. *Syr. Indumento. Tert. Potius tunicâ. Vat. Pluris quàm indumentum.*
Verſ. 24. Conſiderate coruos, quia non ſeminant neque metunt, quibus non eſt cellarium neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis?	Coruos. *Arab. Pullos coruorum.* Quia. *Arab. Qui.* Quibus n. e. c. *Syr. Quibus nec eſt cella. Tert. Neque in apothecâ abſcondunt. Pagn. Quibus non eſt panarium. Caiet. Quibus non eſt penus.* Et Deus. *Tert. Et tamen à Deo.* Paſcit illos. *Tert. Aluntur.* Magis vos p. e. *Syr. Igitur vos praſtatis.* Illis. *Arab. Auibus. Euth. Quàm volucres. Cajet. Volucribus.*
Verſ. 25. Quis autem veſtrum cogitando poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?	Veſtrum. *Syr. Ex vobis.* Cog. *Syr. Quum ſolicitus fuerit. Arab. Cùm cogitauerit. Pagn. Solicitudine ſuâ. Ar. M. Cogitans ſolicitè. Vat. Solicitus.* Poteſt. *Arab. Poterit.* Adiicere. *Syr. Addere. Ar. M. Apponere.*
Verſ. 26. Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?	Neque q. *Theoph. Ne id quidem, quod.* Quid. *Arab. Quomodo.* Cæteris. *Arab. Reliquis.*
Verſ. 27. Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex iſtis.	Lilia. *Arab. Flores.* Non laborant. *Arab. Et non laborant. Tert. Non texunt.* Nent. *Arab. Operantur.* Nec Salomon. *Syr. Ne Salomonem quidem. Arab. Quia nec Salomon.* Omni. *Syr. Tota.* Veſtiebatur. *Syr. Amictum fuiſſe. Ar. M. Circumamiciebatur. Fr. Luc. Coopertus eſt.* Ex iſtis. *Vat. Iſtorum.*
Verſ. 28. Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos puſillæ fidei?	Fœnum q. *Syr. Herbam quæ. Vat. Gramen quod.* Cras. *Arab. In Craſtinum.* Mittitur. *Syr. Conicitur.* Veſtit. *Syr. Circumueſtit. Ar. M. Circumamicit.* Vos. *Pagn. Vos veſtiet.* Puſillæ fidei. *Syr. Medicâ fide praditi. Theoph. O paruum fidentes. Ar. M. Exigua fides. Fr. Luc. Minima fidei.*

Verſ. 29.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verſ. 29.

Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime tolli.

Et v. *Syr. Vos itaque. Clem. Alex.* omittit.
Nolit q. *Clem. Alex. Ne quærite.*
Manducetis. *Euth. Edatis. Clem. Alex. Comedatis. Pagn. Eſuri ſitis.*
Aut. *Clem. Alex. Et.*
Bibatis. *Pagn. Bibituri.*
Et n. i. ſ. t. *Syr. Nec immoretur mens veſtra in iſtis. Arab. Et ne ſolicitꝰ ſitis. Euth. Et ne extollamini. Clem. Alex. Et ne ſublimes efferamini. Ar. M. Et ne ſuſpendamini ex ſublimi. Caiet. Et ne tollamini. Vat. Neque curis ſuſpendamini.*

Verſ. 30.

Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis.

Hæc enim omnia. *Arab. Hoc totum.*
Gentes. *Tert. Nationes.*
Mundi. *Syr. Huius mundi.*
Quærunt. *Euth. Requirunt. Fr. Luc. Inquirunt.*
Scit. *Euth. Nouit.*
Quoniam h. i. *Syr. Et vobis hæc deſiderari.*

Verſ. 31.

Veruntamen quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Veruntamen. *Fr. Luc. Quin potiùs.*
Quærite primùm. *Goth. Quærite.*
Regnum Dei. *Arab. Regnum illius.*
Adiicientur. *Arab. Dabuntur.*

Verſ. 32.

Nolite timere, puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.

Nolite t. *Euth. Ne timueris. Ar. M. Ne time.*
Puſillus. *Euth. Puſille. Fr. Luc. O parue.*
Grex. *Caiet. Gregule.*
Complacuit. *Syr. Vult. Pagn. Complacitum eſt. Ar. M. Benè viſum eſt. Mald. Placuit.*
Patri v. *Syr. Pater veſter.*

Verſ. 33.

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.

Quæ p. *Syr. Poſſeſſionem veſtram. Euth. Poſſeſſiones veſtras. Ar. M. Subſtantias veſtras. Fr. Luc. Bona veſtra omnia.*
Facite. *Theoph. Parate.*
Vobis. *Euth. Vobis ipſis.*
Sacculos. *Ar. M. Crumenas. Fr. Luc. Marſupia.*
Qui n. v. *S. Aug. Non veteraſcentes.*
Theſ. *Syr. Et theſaurum. Arab. Theſauros.*
Non deficientem. *Syr. Qui non præterit. Arab. Qui non deficiunt. Vat. Inexhauſtum. Fr. Luc. Qui nunquam deficiat.*
Appropriat. *Syr. Appropinquat. S. Aug. Accedit.*
Corrumpit. *Arab. Corrumpit illos. Euth. Corrodit.*

Verſ. 34.

Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.

Theſaur. v. e. *Arab. Theſauri veſtri ſunt.*
Cor v. e. *Arab. Sunt corda veſtra.*

Verſ. 35.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.

Sint. *Clem. Alex. Sint enim.*
Præcincti. *S. Proſp. Accincti. Tert. Succincti.*
Ardentes i. m. v. *Syr. Veſtræ accenſæ. Pagn. Accenſæ.*

Verſ. 36.

Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis: vt, cùm venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.

Vos ſimiles. *Arab. Vos ſimiles eſtote. S. Epiph. Eritis tanquam.*
Hominibus. *Syr. Viris. S. Epiph. Boni ſerui.*
Expectantibus. *Syr. Præſtolantibus. S. Epiph. Expectantes.*
Quando reuertatur. *Syr. Reuerſurus ſit. S. Cypr. Quando veniat. Tert. Redeuntem. Clem. Alex. Quando redibit.*
A nuptiis. *Syr. A domo conuiuij. Arab. De nuptiis.*

Verſ. 37.

Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico

Beati. *Syr. Felices.*
Cùm v. *Clem. Alex. Veniens.*
Dominus. *Syr. Dominus ipſorum.*
Præcinget ſe. *Syr. Præcinctus lumbos. Arab. Cinget vobis.*

Vulgara Editio. | *Lectionum Varietas.*

vobis,quod præcinget se,& faciet illos discumbere,& transiens ministrabit illis.

medium suum. Ar. M. Circumcingetur. S. Ant. Circumcinget.
Transiens. *Arab. Stabit. Ar. M. Prodiens.*
Ministrabit. *Arab. Ministrare.*

Vers. 38.

Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit,& ita inuenerit,beati sunt serui illi.

Et si in tertiâ. *Syr. Aut tertiâ. Theoph. Et in tertiâ. Vat. Siue in tertiâ.*
Inuenerit. *Arab. Inuenerit eos facientes sic.*
Beati sunt. *Syr. Felices. Arab. Beati.*

Vers. 39.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.

Sciret. *Pagn. Sciuisset.*
Paterf. *Syr. Dominus domus.*
Qua h. *Syr. Quanam vigiliâ. Arab. In qua horâ.*
Veniret. *Syr. Venturus sit. Arab. Veniat. Pagn. Venturus fuisset.*
Vigilaret. *Pagn. Vigilasset.*
Sineret. *Euth. Permisisset. Pagn. Passus fuisset.*
Perfodi. *Tert. Suffodi.*

Vers. 40.

Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Et v. *Theoph. Et vos igitur.*
Qua h. *Arab. In qua horâ.*
Veniet. *Arab. Veniat. Tert. Veniet. Euth. Venturus sit.*

Vers. 41.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes?

Petrus. *Syr. Simon Petrus.*
Domine. *Syr. Domine noster.*
Ad nos. *Arab. Causâ nostri. Vat. Nobis. Tert. In nos.*
Dicis. *Tert. Dixisti.*
Et ad o. *Arab. Omnibus. Vat. Etiam omnibus. Tert. Et in omnes.*

Vers. 42.

Dixit autem Dominus: Quis,putas,est fidelis dispensator, & prudens,quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?

Quis p. *Arab. Qui videtur. Pagn. Quisnam.*
Dispensator. *Syr. Præfectus domus. Fr. Luc. Oeconomus.*
Prudens. *Orig. Sapiens.*
Constituit. *Euth. Præficiet. Vat. Præficiat. Caiet. Constituet.*
Dominus. *Arab. Dominus eius.*
Supra f. s. *Arab. Supra seruos suos. Euth. Famulitio suo. Ar. M. Super famulitio suo. Pagn. Super famulatum suum.*
Vt det illis. *Orig. Daro conseruis suis.*
Tempore. *Syr. Tempore suo.*
Tritici mensuram. *Arab. Escas suas. Theoph. Demensum cibum. Vat. Demensum. Orig. Cibaria.*

Vers. 43.

Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus,inuenerit ita facientem.

Beatus. *Syr. Felix. Arab. Beatus autem.*
Dominus. *Fr. Luc. Dominus eius.*
Venerit. *Ar. M. Veniens.*
Inuenerit. *Arab. Inueniet.*
Facientem. *Arab. Fecisse.*

Vers. 44.

Verè dico vobis,quoniam supra omnia quæ possidet,constituet illum.

Verè. *Arab. Amen.*
Supra o. q. p. *Syr. Super vniuersam possessionem suam. Arab. Super omnia, quæ habet. Pagn. Omnibus, quæ possidet. Ar. M. Super omnibus substantiis ipsius.*
Constituet. *Pagn. Præficiet.*

Vers. 45.

Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: &

Quòd si. *Syr. Sin autem. Orig. Si autem.*
Dixerit. *Orig. Incipiat dicere.*
Seruus ille. *Arab. Seruus ille malus. Orig. Malus seruus.*
Moram facit. *Syr. Tardat. Arab. Retardat. Euth. Cunctatur. Orig. Moratur. Vat. Differt.*
Venire. *Syr. Aduentum. Arab. Aduentus eius. Vat. Reditum.*

cœperit

Vulgata Editio.

cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere,& bibere,& inebriari.

Vers. 46.

Veniet dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Vers. 47.

Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis:

Vers. 48.

Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

Vers. 49.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?

Vers. 50.

Baptismo autem habeo baptizari: &

Lectionum varietas.

Cœperit. *Arab. Assumet.*
Percutere. *Orig. Cadere.*
Seruos. *Arab. Seruos Domini sui. Fr. Luc. Pueros.*
Ancillas. *Syr. Ancillas domini sui.*
Edere. *Arab. Comedat.*
Bibere i. *Arab. Bibet, inebriabitur.*

Veniet. *Arab. Et veniet.*
Qua. *Theoph. Quo.*
Sperat. *Syr. Putat. Arab. Sperat illum. Ar. M. Expectat.*
Qua nescit. *Syr. Quam non nouit. Arab. Quam nescit. S. Hil. Quã ignorat. Ar. M. Qua non cognoscit.*
Diuidat e. *Syr. Separabit eum. Arab. Diuidet eum per medium tius. Caiet. Dissecabit eum.*
Infidelibus. *S. Hil. Hypocritis. Pagn. Infidis.*

Qui c. *Euth. Qui nouit. Ar. M. Noscens.*
Præparauit e. n. f. *Syr. Se comparauit. Arab. Præparat & facit. Ar. M. Apparans, neque faciens Vat. Se præparauit, nec se gessit.*
Secundùm v. *Arab. Voluntatem. Ar. M. Ad voluntatem.*
Vapulabit. *Tert. Cedetur. Orig. Dignè vapulabit.*
Multis. *Tert. Plagis multis.*

Non cognouit. *Arab. Nescit. Euth. Non nouit. Ar. M. Non noscens.*
Et f. *Arab. Et facit. Ar. M. Faciens autem.*
Digna. *Arab. Quæ sunt digna.*
Plagis. *Arab. Verberibus.*
Vapulabit. *Tert. Cedetur.*
Paucis. *Syr. Plagis paucis.*
Omni a. c. *Syr. Nam cuicunque. S. Epiph. Cui. Theoph. Porrè cuicunque.*
Multum datum. *Arab. Donatus multis. S. Epiph. Amplius. S. Ant. Donatum est.*
Multum q. *Syr. Multùm repetetur. Arab. Multa quærentur. S. Epiph. Ampliùs repetent.*
Cui c. *Syr. Apud quem depositum est. Arab. Ille cui multa cõmendata. Vat. Cui commiserunt. Sunt.*
Plus. *Vat. Ampliùs. Arab. Multa. Ar. M. Abundantius.*
Petent ab eo. *Syr. Reposcent ab ipsius manu. Arab. Quærentur. Ar. M. Reposcent eum. S. Ant. Repetent.*

Mittere. *Syr. Proiecturus. Ar. M. Iacere. Pagn. Vt mitterem.*
In t. *S. Aug. In mundum. Orig. Super terram.*
Quid volo. *Orig. Vtinam.* vel: *Quàm volo.*
Nisi v. a. *Arab. Nisi accensionem eius. S. Hil. Si iam accensus est. Orig. Iam ardeat. S. Petr. Dam. Nisi vt ardeat. Ar. M. Si iam accendatur.*

Baptismo a. *Arab. Et baptismus est mihi. S. Epiph. Baptismo alio.* vel: *Calicem. S. Hil. Adhuc alio baptismo. Orig. Baptismum. Theoph. Sed baptismo.*
Habeo b. *Syr. Baptizandus sum. Arab. Baptizabor eo. S. Epiph. Habeo bibendum. Tert. Habeo tingi. Orig. Habeo baptizari, quod vos nescitis. Vat. Opus est me baptizari.*
Quomodo c. *Syr. Multùm constringor. Arab. Ego coarctor. S. Epiph. Et ad illum omnino.* vel: *Et quid festino. Eut. Quodammodo coarctor. S. Ambr. Quomodo angor. Orig. Vrgeor.* vel: *Aliquo modo constringor.*

quomodo

Vulgata Editio.

quomodo coactor vſque dum perficiatur?

Lectionum Varietas.

Vſque dum perficiatur. *Syr. Vſque dum adimpleatur. Arab. Ad perficiendum. S. Epiph. Feſtino.* vel : *Donec bibam illum. Orig. Vt perficiatur.* vel : *Donec perfectum fuerit.*

Verſ. 51.

Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem.

Putatis. *Arab. An putatis.*
Quia pacem v. dare. *Pagn. Quod venerim vt pacem mitterem. Vat. Me pacem veniſſe datum.*
In terrâ. *Syr. In terram.*
Non. *Syr. Minimè.*
Sed ſeparationem. *Syr. Sed diſſidia. Fr. Luc. Immò diſſidium.*

Verſ. 52.

Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres

Ex hoc. *Syr. Poſthac. Ar. M. Ex nunc. Vat. Ab hinc.*
Diuiſi, tres in duos. *Syr. Diſſidentes, tres aduersùs duos. Arab. Aduerſabuntur tres duobus. Ar. M. Diſpartiti, tres in duos. Fr. Luc. Diſpartiti, tres duos.*
Duo in tres. *Syr. Duo aduersùs tres. Arab. Duo tribus. Pagn. Duo contra tres.*

Verſ. 53.

Diuidentur: pater in filium, & filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filia in matrem, ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.

Diuidentur. *Syr. Si quidem diſſidebit. Arab. Aduerſabitur. Theoph. Diuidetur. Ar. M. Diſpartietur. Fr. Luc. Diſparabitur.*
In f. *Syr. Aduersùs filium ſuum. Arab. Filio ſuo.*
In patrem ſuum. *Syr. Aduersùs patrem ſuum. Arab. Patri ſuo. Theoph. Aduersùs patrem.*
In filiam. *Syr. Aduersùs filiam ſuam. Arab. Filiæ ſuæ.*
In matrem. *Syr. Aduersùs matrem ſuam. Arab. Matri ſuæ.*
In nurum ſ. *Syr. Aduersùs nurum ſuam. Arab. Nurui ſuæ.*
In ſocrum ſ. *Syr. Aduersùs ſocrum ſuam. Arab. Socrui ſuæ.*

Verſ. 54.

Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

Dicebat a. *Arab. Dixit deinde.*
Et ad. *Theoph. Ad.*
Orientem. *Syr. Exorientem.*
Occaſu. *Ar. M. Occaſibus.*
Nimbus. *Caiet. Imber. Fr. Luc. Pluuia.*
Venit. *Arab. Veniet.*
Fit. *Arab. Fiet.*

Verſ. 55.

Et cùm auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit, & fit.

Auſtrum f. *Arab. Flauerit ventus auſtri. Vat. (Videritis) auſtrum flantem. Fr. Luc. Notum flantem.*
Æſtus. *Ar. M. Æſtas.*
Fit. *Arab. Erit.*

Verſ. 56.

Hypocritæ, faciem cæli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

Hypocritæ. *Syr. Acceptores vultus.*
Cæli & t. *Vat. Terra & cæli.*
Probare. *Syr. Diſcernere. Vat. Iudicare. Fr. Luc. Explorare.*
Hoc a. *Arab. Et hoc.*
Quomodo. *Pagn. Quî fit.*
Non probatis. *Syr. Non diiudicatis. Arab. Non probatis illud. Pagn. Vt non probetis.*

Verſ. 57.

Quid autem & à vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt?

Quid. *Theoph. Cur.*
A. v. i. *Syr. Per voſmetipſos. Caiet. Ex vobis ipſis.*
Quod i. e. *Syr. Veritatem. Arab. Iuſtum.*

Verſ. 58.

Cùm autem vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam liberari

Cum a. v. *Syr. Quum enim proficiſceris. Arab. Quoniam tu cùm ieris. Clem. Alex. Et vadens. Vat. Cùm enim abis.*
Aduerſario tuo. *Clem. Alex. Aduerſario tuo amicus.*

ab

Vulgata Editio.

ab illo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

Vers. 59.

Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

Lectionum Varietas.

Principem. *Pagn. Magistratum.*
In via. *Syr. Interca dum es in viâ.*
Da operam. *Syr. Da mercedem. Arab. Da quod debes. Clem. Alex. Conare. Pagn. Das operam.*
Liberari. *Arab. Liberaberis. Clem. Discedere.*
Fortè trahat. *Syr. Adducat. Arab. Ducat. Fr. Luc. Pertrahat.*
Mittat. *Theoph. Conüciat. Ar. M. Iaciat.*

Dico. *Syr. Equidem dico. Arab. Quia dico.*
Non. *Vat. Nequaquam.*
Exies. *Ar. M. Egredieris.*
Nouissimum m. *Syr. Vltimum obtanum. Arab. Nouissimum minutum, quod debes. Euth. Extremum minutum. Pagn. Vltimum minutum.*
Reddas. *Vat. Reddideris.*

CAPVT XII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Multis autem turbis circumstantibus ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos.

507. MVltis turbis: Græcè, τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, *myriadibus turbæ.* Definitus numerus pro infinito positus est, ac si diceret: infinita, & immensa turbarum coacta multitudo est, vt & videret, & audiret Christum. Conabantur pharisæi, tanquam inuidi, turbas arcere à Christo; sed turbæ eò ardentiùs ad eum currunt. Scilicet tunc ad Christum pergere maiori promptitudine, & alacritate debemus, cùm impedimenta nobis homines obiiciunt, ne ad eum cordis pedibus nos conferamus.

511 *Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.*

COram turbis discipulos monet, vt à pharisæorum simulatâ iustitiâ sibi cauerent. Sed cur coram turbis. Vt & turbæ ipsæ sibi cauerent, ne à pharisæorum fictâ sanctitate, fictoque zelo deciperentur. Discipulos autem, non turbas, Christus alloquitur; quia Doctorum est, impiorum hominum errores detegere, & turbas, idiotasque monere, vt ab illis sibi caueant. Hypocrisis fermento comparatur; quia, more fermenti, vitiat quicquid in homine boni est: non implet sanctitate; sed inflat inani sanctitatis specie.

Nihil autem opertum est, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur.

HYpocritarum vitium hîc notat, qui secreta cordis sui occultant; cumque intùs mali sint, boni apparere procurant. Porrò ad idem referri non videtur, opertum reuelandum, & absconditum sciendum, sed ad diuersa; vnum enim mentis actus, qui ab hypocritâ occultantur, respicit; aliud exteriora opera mala quæ in secreto fiunt. 508.

Dico autem vobis amicis meis; ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.

AMicos discipulos vocat, non solùm quia eos diligebat, & ab iis diligebatur; sed, vt indicaret idcircò, quia amici erant, eos tribulationibus, & persecutionibus esse probandos. Verus Christi amicus est, qui quælibet pro Christo patitur, æquo animo aduersa omnia sustinet.

Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.

DEi timor hominum timori præponendus est. 509.
Ostendam vobis, quem timeatis. Cur non simplicius ait: *Timete?* Præmisit, *ostendam vobis, quem timeatis,* innuens supra humanam cognitionem, & humani intellectus captum, esse cognitionem eius mali, illiusque pœnæ, quam peccatoribus iustus ille iudex illaturus suo tempore est.

Ita dico vobis; hunc timete.

EAndem, quam præmiserat, sententiam Christus confirmat; quæ confirmatio vim auget, & indicat, Deum maximè supra omnes timendum esse. Perfectius est, Dei amore à malo auocari, quàm timore. Christus autem nunc de timore loquitur? quia, quod perfectius est, ante insinuauerat, cum discipulos *amicos* dixit: amici autem nomen, & amicitiæ amorem claudit. Benè ergo post

amoris mentionem fit & timoris; vt, non timor seruilis, sed, qui ab amore prodit, sic probari, ac suaderi intelligatur.

Hunc timete. Timorem discipulis suadet; quia in discipulis eos omnes instruebat, qui eum secuturi erant, quorum multi imbecilles, & imperfecti, quique magis timore, quàm amore excitantur. Denique de timore Dei loquitur, quia priùs de hominum timore fuerat loquutus; vt ostenderet, hunc illi per omnia postponendum.

Ait autem ei quidam de turbâ: magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.

510. IVstam hic homo causam habebat; non rapere aliena studebat, sed sua à parentibus derelicta quærebat. Frater totum patrimonium abstulerat, & partem fratri dare nolebat. Sed cur ad Iudices non se contulit, qui dari sibi suam partem decernerent? An, quia frater, cùm ditior, & locupletior esset, iudices muneribus corrumpebat? Sic ferè fit, vt non iustitiæ ratio habeatur, sed personarum. Ad Christum igitur se contulit, tanquam ad iustum iudicem, & muneribus flecti nescium. *Magister dic:* magistrum vocat, quem diuisorem esse volebat, & iudicem. Competit iudici magistri nomen; scire quippè debet, quid inter iustum, & iniustum intersit, & vnum ab alio discernere, ne iudicando decipiatur.

Dic fratri meo. Summum eum iudicem fatetur, rogans eum, vt fratrem imperio, & potestate cogeret ad diuisionem. *Dic*, inquit, *fratri meo:* iube, impera. Non vtitur multis precibus, non blanditiis, ac promissis, sed causæ bonitati confisus, confisus iudicis rectitudini, donis corrumpi nesciæ, simpliciter petit diuisionem fieri.

Ait ei quidam de turbâ; non de primoribus erat, sed plebeius. Ignobilis, ac rusticanus est, qui terrenis inhiat diuitiis. Vnus de turbâ erat. Cur non in turba, quem turbulentæ rerum temporalium curæ turbabant?

At ille dixit ei: homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos.

511. DIuisor facultatum audire non vult Christus, cuius est vnire corda. Tacitè hominem perstringit, quòd, postpositis rebus spiritualibus, quæ præcipuè à Christo petendæ erant; ea quærat, quæ minima sunt. *Homo.* Hominem vocat, qui terrenam quærebat hæreditatem. Audire *Angelus* debet, qui cælestia postular, cælo inhiat. Qui pro magno perituram habebat hæreditatem, plusquam homo esse non videbatur. Christus volebat, eum facere plusquam hominem, ab eius mente auferens auaritiam.

Homo. quis me constituit diuisorem super vos? Iurè homo appellatur, qui à fratre fuerat diuisus; alioquin non homo, sed Dei filius diceretur. *Quare*, inquit Sanctus Augustinus, *vis diuidere, nisi quia homo?* Plusquam homo esse videtur, qui vnitatem amat, diuisionem odit.

Quis me constituit diuisorem super vos? Quid magis præposterum, quàm eum qui ad vniendum, & congregandum venerat, quæ erant dissita, atque disiuncta diuisorem constituere? *Praceps cupiditas*, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *& incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipsum seculi conditorem, qui ad restituendum venerat humani generis vnitatem.* Huc homines cupiditas adigit, vt, fraternæ dilectionis restem, & auctorem fieri, velit, fraternæ vnitatis diuisorem.

Dixitque ad illos: videte, & cauete ab omni auaritiâ.

VNi homini respondens, ad omnes monitum 512.
porrigit, omnes qui aderant monet, & in illis nos omnes. Viderat hominem illum ob repulsam pusillanimem iam factum: ne igitur nimiùm eum deijceret, & ad alios sermonem conuertit; docens, non esse grauiùs premendos eos, quos corripimus, quàm ferre queant; & in vnius correctione cæteros omnes moneri. Scilicet, dum vnius errorem damnari audimus, redire ad nos debemus, ac nostros lapsus considerate, non alienos dumtaxat.

Videte, & cauete ab omni auaritiâ: Innuit, horum fratrum discordiam ab auaritiâ profectam esse. Monet igitur omnes, vt ab immodicâ rerum terrenarum cupiditate mentem auocent. Sed aliquis hîc reponat: frater iste hæreditatis partem, quæ sibi contingebat, postulat; alienæ non inhiat; alienam non inuadit: cur ergo notatur auaritiæ? Quia id auidiùs, quàm par erat cupiebat. Fortè quis auarum, & cupidum diceret, quia aliena cuperet, parum istuc: & auidè sua petere auaritiæ quoddam genus est. Non solùm auarus est, qui rapit aliena, sed etiam, qui cupidè seruat sua.

Videte: Videre, & cauere nos Dominus iubet; sæpè quippè in eorum computatione fallimur, quæ nobis necessaria sunt. *Videte:* cæcitatem habendi cupiditas, inducit. *Cauete:* Græcè, φυλάσσεσθε, *custodite vos*, tanquam à ferâ, & serpente; nam cupiditas auari mentem ita mordet, morsúque eum inficit, vt ab eâ non secùs, ac à serpente, cauendum sit.

SECTIO II.

Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.

PArabolâ vtitur, ac similitudine, vt res firmiùs 513.
menti hæreret, nec facilè elaberetur; res quippè ista, cum de habendi cupiditate agitur, multos tangit, multis cautio necessaria est. Vt igitur rerum terrenarum neglectus perfectiùs persuaderetur, similitudinem, ac parabolam adiicit; nam, cùm de auaritiâ ab animis tollendâ agitur, cùm res difficilis admodum sit, multâ industriâ, arteque opus est.

Diuitis cuiusdam ager copiosos prouentus attulit, vt ditior fieret. Locupletior fieri potuit, noluit melior fieri; euasit magis auarus: nam diuitiæ, irritare auari cupiditatem, possunt, non explere.

Malis

Malis prospera succedunt, & reprobis obueniunt, Deo volente, secunda, vt, ob conditoris benignitatem erubescentes, ad meliorem redeant mentem; aut, non redeuntes, iustiùs, puniantur.

514. *Ager:* Græcè, *χώρα*, *regio*, *latifundium:* non vnus tantum agellus, sed regio; vt videas, quàm magnas hic diues possessiones haberet, licèt eo latiùs extenderet cupiditatis terminos, quò magis extendebat limites agrorum.

Vberes fructus ager attulit: Quò diuitis ager fertilior fuit, eò diues fuit sterilior: à fructuum copiâ didicit, fructum nullum ferre. *Noli diues*, inquit Vgo hîc, *esse deterior insensibili elemento. Terra fructus, quos affert, non suis vsibus vindicat, sed tuis ministrat: tu verò fructus illius solus inuadis?* solus reseruas tibi, negas aliis? Verè non es fructuum custos, qui soli tibi fructus seruas. Seruares, si non seruares.

Et cogitabat intra se dicens: quid faciam; quia non habeo, quò congregem fructus meos?

515. COgitat intra se hic dioes: Sytus legit *in animâ suâ:* non alios consulit; in consilium alios non aduocat. Non solent facilè auari in consilium alios homines adhibere, vt dispiciant, quî diuidere diuitias suas possint; nulli se credit auarus; sed tantùm auaritiæ suæ, suæ cupiditati.

Cogitabat intra se. Mirum, qui extra se exierat nimio externorum amore, quòd intra se cogitare potuerit. *Digno* CONSILIARIO *se vsus*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 104. *qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam*

Quid faciam? Hæret, tanquam anxius, atque solicitus. Diuitiarum copia curas parturit, ac solicitudinum spinas. *Quid faciam?* Angitur, tanquam admodum pauper; quia scilicet nimiùm locuples. Talem vocem edit, ac si, propter paupertatem, angustæ ei res essent. Auarus, quò ditescit magis, eò magis pauper fieri videtur; crescit quippe cum prouentu cupiditas, quæ diuitiarum copiâ, tantum abest, vt extinguatur, vt potiùs magis irritetur.

516. *Quid faciam*, ac si alterum interrogaret. *Quem putas* (inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 104.) *interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam* DIABOLVS POSSESSOR INSEDERAT. Possidebatur, à diabolo, qui totus in possessionum prouentibus augendis, & conseruandis erat.

Fructus meos: nondum fructus collegerat, & suos vocat: perire poterant, qui adhuc in agro multis periculis erant expositi. Suos vocat; iudicium auaritiæ est, & auari votum: limites cupiditas porrigit, futurum in præsens contrahit.

Meos dixit, qui suus non erat; erat fructuum, fructibus inhians, à fructibus futuris in præsenti possessus. Antequam fructus auarus demetat, fructuum, ac prouentuum messis est; diu miser ante prouentus, affectu magis, quàm prouentibus diues.

517. *Cogitabat intra se;* iurè stultus dicitur. Meritas stultitiæ suæ pœnas iste diues dedit, qui nullum, præter se ipsum, in consilium vocauit, alios non consuluit: suæ sententiæ fidit, suo iudicio, vt non mirum, si diues iste, se vtens consiliario, & sua perdidit, & se ipsum.

Quid faciam? Anxius est, quia diues: pauper quiete erat, quia opibus erat diues. Bellè hunc diuitem, & in hoc diuites omnes auaros perstringit Sanctus Petrus Chrysologus, dum infit: *Miserum! Quem vbertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecêre mendicum. Humanum ager inhumanum dominum sustinebat; &, quod terra fundebat largiter, concludebat, & congregabat angustè; vt esset alienorum custos, qui esse suorum noluit prerogator; ingratus Deo, sibi nequam, hostis pauperum, diuitum nota, carcer naturæ.* Diues fuisset, si non fuisset diues.

Quid faciam: Auaris abundantior, vberiorque prouentus non maiorem tranquillitatem affert, & felicitatem, sed maiorem solicitudinem, maiores curas. Hinc iste: *quid faciam*, inquit. Diceres terram illi, non fructus, sed curas edituram, nec segetes germinaturam, sed gemitus. Quis non misereatur hominis tantoperè obsessi, implicatique & ipsa agri felicitate infelicis, præsentibus bonis miseri, futuris miserioris? 518.

Quid faciam? Quem auarus iste consulit? nunquid se ipsum? Malo vtitur consiliario, qui consulit se ipsum, & multò magis, si non sui iuris sit, qui se consulit, sed diuitiarum sit, sit vitiorum.

Quid faciam? Suam hic diues consulit auaritiam, & cupiditatem! consulendi sacri codices erant; consulendi pauperes, & diuitiarum contemptores. Non potuit non noxium esse consilium, quod à cupiditate quærebatur. *Dicens, quid faciam?* inquit Sanctus Gregorius, *profectò indicat; quia, votorum suorum effectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat.* 519.

Non habeo, quò congregem fructus meos: Falleris diues. Haberes, si velles. Pauperum ventres, indigentium domus vacuæ, horrea tibi esse poterant; in quibus fructus reponeres, qui in multos tibi annos, quin & in perpetuum, sine vllo iacturæ timore, seruarentur.

SECTIO III.

Omnia amittit, qui gratus Deo non est. 520
Hominis auari *cæcitas est stultitia.* 521. 522
Anima, *quid significet.* 524
Terrena bona *verè bona non sunt.* 525
A diuitiis *nulla* quies. 527
Omnium reddenda est ratio. 528
Diuitum *stultitia expenditur.* 529. 530
Stultus *qui terrena* bona *vocat bona.* 530
Auaro *semper nox est.* 530
Quid timere *debeant, qui aliena inuadunt.* 531
Misericordiæ *lucem fugiens, auaritia tenebris facilè obsidetur.* 532
Temporalibus *rebus inhærere quàm noxium.* 533
Auaritiæ *tenebra quàm densa.* 533
Inuiti & reluctantes moriuntur auari. 534
Nimia fiducia in diuitiis *quanta afferat damna.* 535

Et dixit hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam.

DEstruam horea mea: Iniquitatis horrea digna sunt, quæ diruantur. A fundamentis excidendum cupiditatis tectum: muri euertendi auaritiæ custodes. Benè est, dum dicit; *destruam*, sed malè; dum subiicit; *& maiora faciam.* Auaritia hoc suasit, quæ quandoque sumptus non detrectat, modò adsit spes lucri maioris. 520.

Destruam, & maiora faciam: consulentius fuisset

intactis veteribus noua ædificare. Plerunque auarus auaritiæ studio, sed ab auaritiâ excæcatus, maiores sumptus facit, quàm alioquin ab auaritiâ impiuois fecisset.

Destruam horrea mea. Post terræ prouentus, cum gratias largitori deberet hic diues reddere, de conseruandis frugibus est tantùm solicitus. Meruit omnia amittere, & cum omnibus, etiam se, qui benefactori gratias tuoc minimè egit, cum maximè deberet. Omnis alia res istius diuitis mentem pulsabat, quàm gratitudo: hanc ille à suo corde penitùs excluserat, vt non mirum, si omnibus destituatur, & pereat, qui, perire in se omne grati animi signum, fecit.

521. *Destruam horrea mea:* Satiùs erat de auaritiâ destruendâ cogitare, quàm de horreis. *Horrea mea.* Non erant tua; quia nec tuæ diuitiæ; sed tu potiùs diuitiarum. Destrue auare auaritiam, antequam destruatis. Auaritia facit, vt horrea velis destruere; eadem faciet, vt tu destruaris, etiam si noles.

Destruam horrea mea: De auaritiâ, & cupiditate extirpandâ cogitandum erat, non de veteribus horreis destruendis. Pulchrè Sanctus Augustinus: *Stulte, quia videris esse cordatus; nosti enim destruere vetera, & ædificare noua, & tu in vetustate ruina remansisti, qui vetera in te ipso destruere debuisti, vt iam terrena non saperes.*

Destruere horrea cogitabat, qui iam se destruxerat, euerterat se nimio diuitiarum amore. Falleris diues; destruenda cupiditas diuiarum est, non horrea: Vrgent diuitem diuitiæ: timebat, ne fluerent ad indigentes, quæ horreis contineri non poterant. Pende, quàm auarus sit iste diues; *horrea crepabant præ copiâ conductorum*, inquit Sanctus Thomas hîc: *nequaquam tamen animus implebatur*; sed non esset auarus si posset impleri. Aperire horrea debueras, non euertere; distribuere opes, non congregare.

Destruam; destruit horrea, qui frumenta nescit diuidere, sed claudere. *Rectè destruit*, inquit Sanctus Ambrosius; *quia rectè ædificare non nouit. Destruit sua diues, qui nescit æterna.* Vbertate cruciatur auarus; horrea destruit. Rebus destruendis natus auarus est: totum eius ædificium destructioni destinatur.

522. *Destruam horrea mea:* ingens auaro supplicium, sua diruere, hanc tamen pœnam spontè hic subit auaritiæ seruiens. Hæc peccati pœna, vt sibi ipsi peccator inferat supplicium, dum suis cupiditatibus paret.

Destruam horrea mea: Destruenda sunt, quia sunt tua. Destruam *horrea mea: Benefacis*, inquit Sanctus Thomas hîc; *nam digna destructione nequitiæ promptuaria: dissolue horrea, ex quibus* NVLLVS CONSOLATIONEM ACCEPIT. Destrue horrea, ne horrea destruant te. Euerte illa, ne ab illis euertaris.

Destruam horrea mea: Bene dixisset, si dixisset ista dumtaxat: digna enim erant, quæ destruerentur horrea iniquitatis, quæ auaritiæ seruiebant: solo æquanda erant, vt diuitiæ exponerentur pauperibus, quæ in horreis illis velut in carceribus claudebantur. Malè subiecit: *& maiora faciam.* Destruere auaritiam debebat, non maiora fouendæ auaritiæ ædificare.

Maiora faciam; satius esset, minorem reddere cupiditatem, quàm horrea reddere maiora. Miser dum maiora vis facere horrea, te ipsum minorem facis. Non est magnum horrea facere maiora; est magnum maiorem se facere se ipso.

Et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.

523. Iste diues horrea ædificare cogitauerat, vt in ea vberes agri fructus conueheret. Vitam sibi certam promisit non minùs, quàm prouentus. Dixisset; congregabo, si Deus voluerit, & vitam mihi concesserit. Habendi cupiditas, hoc illum cogitare, non permisit.

Quæ nata sunt mihi: Falleris diues; non tibi tantùm nati fructus sunt, aliis quoque nati sunt. Debebas illos communes pauperibus facere: in hunc finem Deus illos produxit: non vt irritarent cupiditatem tuam, sed, vt aliorum indigentiæ illis succurreres.

Illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi. Demeos? Non cogitauit aut fructus perire posse antequam colligerentur, aut ipsum mori antequam fructus in aream veherentur. Omnia se, dicit congregaturum; scilicet nec pauperibus, nec sacerdotibus portionem aliquam etiam debitam relinquens. Omnia amittere merebatur; quia omnia possidere cupiebat, pauperum oblitus, & sacerdotum.

Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos.

524. Animam alloquitur iste diues, animæ salutem pro nihilo habens. Hîc anima non pro toto homine sumitur, sed pro præcipuâ hominis parte, in quâ residet ratio. Putari poterat, si diuitis verba spectentur, & habendi cupiditas, illum ratione penitùs carere. Ad animam, principem hominis partem, & rationis fontem, se conuertit; vt vel sic colligeremus, eum animâ, ac ratione non esse destitutum. Scilicet, qui terrenorum affectu nimiùm occupatur, rationis vsu se carere probat, licèt aliunde, se animam ratione præditam habere, indicet.

Anima: compellatio ista Hebræis familiaris est, quâ animam suam, vt eam excitent, alloquuntur. Hinc illud Prophetæ regij: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Psal 42. & illud: *Benedic anima mea Dominum.* Psal. 102. Indicat autem hæc phrasis affectum vehementem, quo homo ad aliquid se ipsum excitat, & vrget; vt vel à loquendi formulâ colligatur, quàm ardenti cupiditatis, & auaritiæ affectu diues iste teneretur.

525. *Habes multa bona:* quàm demens, quàm fatuus! Corporis bona animæ bona censet. Nimirùm, animam adeò corpori deditam fecit, vt, quæ corporis bona sunt, animæ quæ spiritualis est, conuenire, auarus putet.

In annos plurimos. Cum diuitiis abundet, & vitam sibi diuturnam pollicetur; ac si multæ diuitiæ multum adiiciant vitæ, & vita, tanquam reliqua humi nascentia, ex terrâ decerperetur. Diuitiæ ab auaro diuite mentem surripiunt.

526. *Anima habes multa bona:* Ista bona, bona non sunt nimis ea cupide amanti, spemque suam in illis ponenti. A multis bonis transitum fecit ad multa mala. Benè Laurentius Iustinianus: *Diues ille, qui, multa congregare cogitans bona, horrea ampliare disponens sua, atque per plurimos annos ipsis terrenis frui opibus sperans, dicebat intra se: Ecce anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce; comede, bibe, & epulare. Sed diuinâ repente vltione percussus, subsequenti nocte, cum graui mærore, defunctus est: iustoque Dei iudicio factum est, vt, qui temporali substantiâ solummodò gaudere curabat,*

vno

vno momento, & temporalem pariter, & æternam amitteret gloriam. Dignum quippè fuit, vt talis feriretur sententiâ; quia in creaturâ potius, quàm in Creatore lætari volebat. Non enim dati commodum, sed dantis diligi debet affectus. Meritoque iudicandus est, qui, vanâ seductus spe, temporalibus rebus inhæret amore.

Anima habes multa bona: Animam suam alloquitur iste diues de animâ suâ minimè solicitus. Habebat multa bona, sed non erat ille bonus; non erant illa bona. Nihil refert habere bona, nisi bonus ille sit, qui habet. Non sunt bona, quæ bonum non reddunt habentem.

In annos plurimos. Frustra es, diues: fructus quidem in horreis habes; sed annos vbi habes? Quis tibi annos plurimos est pollicitus? Decepisti te, dum tibi annos multos promisisti. Deus, qui tibi fructuum copiam dedit, non est daturus annorum multitudinem, quia nec dierum. Perdidit se iste diues, dum vitæ longitudinem sibi promisit. Voluptatibus se totum dedit, quia dandos sibi plures æui annos temerè credidit.

Requiesce: comede, bibe, epulare.

527. STultissima verba stultus euomit diues: *Requiesce; comede, bibe, epulare.* Aliquis Epicurus hic loqui videtur. *Requiesce:* Frustrà es: non quies à diuitiis, sed curæ ac solicitudines sunt.

Epulare: Græcè, *εὐφραίνου, lætare, oblectare, gaude.* Hoc verbo libidinosas affectiones hîc significari plerique putant, inter alios Theophylactus. Rectè igitur, postquam præmiserat, *comede, bibe,* subiungit, *oblectare;* libido quippe ex ciborum satietate, ac nimio potu nascitur.

Comede, bibe, epulare: Diues iste mente pauper est. *O absurditatem,* inquit ad hæc huius diuitis verba Sanctus Basilius! *si nullam haberes animam, quid aliud, quàm hæc ipsi annunciare potuisses? Adeò bestialis es, adeò bonorum animæ non gnarus, vt carnalibus edulijs ipsam excipias.*

Dixit autem illi Deus.

528. DIues oblitus Dei fuerat; sed Deus, diuitis non oblitus, eum alloquitur, ne impunita eius auaritia abeat. *Dixit illi Deus:* Diues ille apud se in statu suo loquebatur, & eius verba examinabantur in cælo; vt videas omnium reddendam rationem esse, & nihil indiscussum abiturum.

Dixit: Immissâ febri, aut alio læthali morbo nunciauit. *Dixit:* per conscientiam: tunc enim conscientia, mortem sentiens, talia disserit diuino instinctu adeò, vt conscientiæ voces ipsius Dei sint. Ergo, qui conscientiæ voces audire negligit, grauissimè punietur, vt, qui Dei voces contempserit, cuius instinctu loquitur conscientia.

529. Stultus iste diues, prudentiâ maximè pauper, de destruendis horreis cogitat, non de erogandis diuitiis: *& Deus ad illum* (inquit Sanctus Augustinus) *qui nec stultis loqui dedignatur: Aliquis vestrum fortè dicat: Et quomodo Deus cum stulto locutus est? O fratres mei, cum quantis hîc loquitur, quando Euangelium recitatur! Quando lectum est; qui audiunt, & non faciunt,* STVLTI NON SVNT? *Quid ergo ait Dominus? Quia ille sibi iterum in inueniendo consilio sapiens videbatur; stulte, inquit, stulte, quid tibi sapiens videris? Stulte, qui dixisti animæ tuæ, Habes multa bona reposita in annos plurimos: hodie repetitur, & nullum habet bonum. Contemnat hæc bona, & sit ipsa bona, vt, quando repetitur, exeat secura. Quid enim est iniquius homine, qui multa bona vult habere, & bonus ipse esse non vult? Indignus es, qui habeas, qui non vis esse, quod vis habere.*

Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.

STulte: Cum diues iste, prudentissimum consilium se inuenisse, arbitraretur, de nouis horreis ædificandis, condendis prouentibus aptis, stultus audit, idque ab eo, qui falli nequit. Nimirùm vbi sapere diues apud diuites videtur, ibi stultitiam, Deo iudice, prodit.

Hunc locum ita legit S. Valerianus homil. 10. quæ est de Auaritiâ: *Stulte, hac nocte requiretur à te anima tua. Hæc, quæ parasti cuius erunt?* addit ad explicandam diuitum similium stultitiam: *Et verè nihil est* STVLTIVS, *quærere dubia, & adquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solùm congregantur, vt pereant? Certè, te moriente, remanet cespes auaritiâ propagatus: relinquitur ampliata possessio; & quamuis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris seruatura.* 530.

Stulte: & cur stultus, hic diues dicitur? An quia bona vocauerat, quæ verè bona non sunt? *Habes,* inquit, *multa bona posita in annos plurimos.* Falleris, diues, eò minùs bona sunt, quò maiora bona illa putas; Peritè Origenes homil. 12. in Ieremiam; *Animaduertis,* inquit, *quomodo ea etiam putet bona esse,* QVÆ NVLLA SVNT, *dicens, dicam animæ meæ, habes multa bona reposita; frumentum, & vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascantur in maledicta terra, sed in cælestibus regionibus; si quis autem thesaurizat sibi in cælo, non dicitur ei: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.*

Stulte hac nocte; signatè *hac nocte* dictum, non *hac die;* cùm de auaro sit sermo, cui veræ notitiæ sol non oritur, tenebris inuoluitur luce viduus. *Nocte anima auari reposcitur,* inquit Sanctus Ambrosius, *quæ à* TENEBRIS *incipit, & in tenebris perseuerat.* AVARO SEMPER NOX EST. Diem auri amor aufert; cæcam & caligine inuolutam relinquunt opes noctem nimis auido possessori.

Suis lætari volebat hic diues, sua volebat condere non aliena inuadere; & tamen stultus audit; 531.
quid hîc illi, qui de alienis inuadendis cogitant, alienis toti inhiant! Item grauiter vrget Sanctus Augustinus serm. 19. de Verbis Apostoli, nequeo hîc eius verba præterire; *Nunquid,* inquit, *diues ille, cui successerat regio, & non inueniebat vbi poneret fructus suos, & se consilium inuenisse gaudebat destruendi veteres apothecas, & construendi nouas ampliores, vt impleret eas, & diceret animæ suæ: Anima habes multa bona in multum tempus, lætare, iocundare, satiare. Nunquid ergo iste diues aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat, vbi poneret consulebat non de cuiusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumuento simplice, sed tantummodo de suis colligendis cogitabat. Audite quid audierit qui tenaciter seruabat sua: & hinc intelligite quid expectent qui rapiunt aliena. Cum ergo se prudentissimum consilium inuenisse arbitraretur, de apothecis veteribus angustis deiiciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atque rapiendis; ait illi Deus: Stulte, vbi tibi sapiens videris, ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte*

repetunt à te animam tuam,hæc quæ præparasti cuius erunt? Si seruaueris, tua non erunt; Si erogaueris tua erunt. Quid,inquit,reponis,qui relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens: Si stultus est qui recondit sua, vos inuenite nomen ei qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, vlcerosus est raptor alienorum.

532. Diuitis huius stultitiam in aliorum cautionem egregiè carpit Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 4. de Oratione Dominicâ, vbi ait: *Quid diuiti illi profuit multus commeatus & apparatus, qui vanæ spei frustrà inhærescebat & inhiabat, diruens, ædificans, congregans, genio indulgens, longos annorum ambitus, spei vanitate, in horreis simul concludens? An non vna nox illam* SOMNIATAM SPEM CONFVTAVIT, *quasi vanum quoddam insomnium super re vanâ confictum?*

Hac nocte. Qui auaritiæ tenebris obsidebatur, non mirum, si nocte repetenda ab eo eius anima dicatur. CONVENIENTER HAC NOCTE (inquit, Sanctus Petrus Chrysologus serm. 104.) *quia fugiens* MISERICORDIÆ LVCEM, AVARITIÆ TENEBRIS SE MANCIPARAT.

533. Bona congregare cogitans hic diues in bona se diuisit. Augere bona cupiebat, non bonitatem: & bona perdidit & se, quia bonus esse non studuit. *Diuinâ repentè vltione percussus* (inquit B. Laurentius Iustinianus cap. 4. de Perfect. monast.) *subsequenti nocte cum graui mœrore defunctus est: iustoque Dei iudicio factum est, vt, qui temporali substantiâ solummodò gaudere curabat, vno momento & temporalem pariter & æternam amitteret gloriam. Dignum quippe fuit, vt tali ferretur sententiâ, quia in creaturâ potius, quàm in Creatore lætari volebat. Non enim dati commodum, sed dantis diligi debet affectus: meritóque iudicandus est, qui, vanâ seductus spe, temporalibus rebus inhæret amore.*

Hac nocte. Rectè nocte abire iubetur, qui à probitatis luce se subduxerat & auaritiæ tenebras amauerat; tenebrarumque rectoribus nimio terrenorum amore seruiebat; Peritè Sanctus Petrus Damianus opusc. 42. cap. 2. *Non sine causa meretur audire: stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Hic itaque non die, sed nocte perimitur, sicut primogenita Ægyptiorum. Nimirum qui non spreuit Ægyptum, sed obsequium præbuit rectoribus tenebrarum, qui & ipsi nocte animam eius repetunt, quoniam odiuit lucem, nec iustitiæ conscientus est veritatem.*

534. *Hac nocte:* Nimirum nocte hæc, quæ dicta sunt, animo secum versabat diues. Auarorum hominum hoc propositum est, vt noctes insomnes præ solicitudine ducant. Nullam vitæ partem animæ saluti concedunt: diem negotiis tractandis, quibus lucra augeantur, transigunt; noctem insomnem agunt, iis cogitationibus occupati, quæ circa res terrenas sunt.

Repetunt: præsenti tempore mors imminens significatur. Repetendi verbo indicatur alieni iuris animam esse, quam sui esse putabat iste diues. Scilicet, cum auarus esset, etiam in animam exercet auaritiam.

535. Non dicitur: *morieris*; sed, *repetunt*. Inuiti enim, & reluctantes solent auari hanc vitam relinquere, vt anima ab illis vi quodammodo auferenda sit, non sponte eam Creatori offerant. Commodatur nobis vita ista: nostra non est. *Repetunt:* Quinam? Dei ministri, Angeli, qui sunt, velut Dei exactores, in hominum iudicio.

Hunc diuitem non diuitiæ damnauerunt, sed nimia fiducia in diuitiis, nimius amor. Quod sic expendebat, huc spectans, Sanctus Laurentius Iustinianus. *Diuitem illum, quem Dominus reprobatum fuisse commemorat, non damnauerunt pecuniæ. Non enim reprehenditur, quòd terram coluerit, vel fructus in horrea congregauerit; sed,* QVOD FIDVCIAM IN EIS POSVERIT, *nec pauperibus erogauerit, vt ab eis reciperetur in æterna tabernacula.*

SECTIO IV.

Quæ autem parasti, cuius erunt?

QVæ *parasti:* quæ parare, ac recondere decreuerat ex nouâ messe, pro paratis habentur. Nimirum auari votum, pro facto, Deus & irridet, & punit, vt in diuitiis cumulandis affectus potius, quàm rei habeatur ratio. 536.

Cuius erunt? Nec frui illis tu poteris, quæ parasti, nec ea tecum asportare. Cuius igitur erunt? Nec tibi manifestum est, cui cedent, verum hæredi, peregrinis, amicis, aut inimicis; quod diuiti mœrorem augebat.

Etiam hic diuinæ bonitatis, ac clementiæ elucet magnitudo, dum diuitem irridet, & minatur ei mortem. Potuisset Deus animam diuitis, nullo diuiti verbo facto, ab eo repetere, pœnisque æternis statim adiicere: poterat in ipsâ eius cogitatione eum abripere; sed noluit, ne tempus pœnitentiæ denegaret, quod concedit, diuitem alloquens, & imminentem mortem ei prædicens.

Quæ autem parasti, cuius erunt? Hæc diuitis auari infelicitas; vt cumulet diuitias, & nesciat cui. Nescit cuius futuræ diuitiæ sint, nescit & cuius ipse futurus sit, qui parauit, vt Vgo his verbis addiderit. *Et, qui parasti, cuius eris?* Nimirum, qui parans diuitias, erat diuitiarum, moriens, sine diuitiis erit, sub satanæ imperio erit, qui ad diuitiarum cupiditatem illum vrsit. 537.

Dixitque ad discipulos suos: Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.

SVperiùs etiam turbas alloquutus fuerat Christus; nunc ad discipulos sermonem coërcet, vt tanquam perfectioribus perfectioris doctrinæ monita eis traderet, vt scilicet, vel de necessariis ad vitam, minimè essent soliciti. Signatè Apostolos alloquitur; nam ij præcipuè, qui Euangelium cæteris annunciant ab omni rerum terrenarum affectu, ac solicitudine debent abesse, vt bene suum munus exercere valeant.

538. *Nolite soliciti esse*, Græcè *μὴ μεριμνᾶτε, ne anxiemini, ne soliciti sitis*. A cura, & solicitudine suos auocat, non à labore; nam & Paulus victum sibi suis manibus quærebat. Non opus tollitur, nec operandi studium, sed anxietas, & perturbatio. Scilicet laborem non damnat Christus, sed nimiam curam.

Magis acutum, quàm solidum est, quòd aliqui hîc notant: dicunt scilicet esse dictum *nolite solicitis esse*, non verò, *ne soliciti sitis*; vt prohiberet eam solicitudinem, quam spontè, ac liberè sibi homo assumit. Hoc, vt verum sit, ex verbis non colligitur; nam Græcè habetur, *μὴ μεριμνᾶτε*, id est, *ne soliciti sitis*. Interpres ex suo addidit, *nolite*; quod illi frequens, vt sæpè etiam in Matthæo videre est, quæ suo loco aliquando notauimus.

Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos: quantò magis vos pluris estis illis?

539. Considerate coruos. Cur coruorum potiùs meminit, quàm aliorum volatilium? An, vt Dei prouidentia magis probaretur. Voracissimi corui sunt; & tamen Deus illos prouidè pascit; quanto magis nutriet homines, quorum est, ab omni rapacitate, ac voracitate abesse?

Præterea corui multiplici escarum genere vtuntur: vescuntur quippè carnibus, arborum fructibus, seminibus, aliisque in quo maximè Dei elucet prouidentia, qui multiplices illis cibos tribuit? Hoc indicat ipse Dominus cum ait: *quibus non est cellarium, neque horreum*: hoc ad semina, & terræ fructus spectat, illud ad carnes, & alia huiusmodi. Opponit coruos hominibus, vt & in victu dispares essent; vt scilicet disceremus, non multiplicibus epulis inhiare, sed paucis contenti essemus; ne gulæ potiùs, quàm necessitati seruiremus.

Considerate coruos. Coruorum mentio fit, vt statim discipuli illius recordarentur, quod Eliæ, tempore famis, Dei prouidentiâ, accidit; cum scilicet sine vllâ eius curâ, ac solicitudine per coruum abundanter eum pauit, qui singulis diebus carnem, ac panem Eliæ, Dei iussu, deferebat, sicut scriptum est 4. Reg. 17. Quo facto indicat, Dei beneficia; etiam aliis collata, esse diligenter consideranda, cauendumque, ne excidant à memoriâ.

540. Aues cæli speciale nihil sibi vindicant, nihil tribuunt; fructus communes ad escam sibi datos sciunt; idcirco, inelaborati pabuli vsus illis exuberat. Pabulis indigere nesciunt, qui nesciunt aliis inuidere. Nos communia amisimus, cùm propria vindicauimus. Tantum auaritia nocet, & habendi cupiditas! Cur igitur diuitias æstimemus, cum Deus, nobis victum cum volatilibus, voluerit, esse communem, ne opes, quibus victus paratur, magnum aliquid esse putaremus?

Non Moysem, non Eliam, non Ioannem; non alios, qui sine cibi solicitudine vixerunt, in exemplum adducit, sed cæli aues, coruosque: ne dicerent discipuli. Nos non sumus his similes, sed inferiores: non meremur hos diuinæ prouidentiæ effectus. Hunc prætextum Christus anteuertit, auium, & signatè coruorum, adducens exemplum; his enim in multis erant discipuli superiores.

Nolite timere pusillus grex; quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

Habes, quæ solicitudinis radix sit; quis curarum fons; scilicet timor quidam carnalis, & humanus, quo homines timent ne eà illis desint, quæ ad vitam traducendam necessaria sunt. Solicitudinis ergo radicem amputat, cùm dicit *nolite timere*. Addit *Pusillus grex*: Gregem suos vocat, vt se pastorem prodat, & discipuli ouium simplicitatem haberent, & innocentiam. 541.

Nolite timere, pusillus grex: Pusillum gregem vocat, non vt deiiceret, sed vt tacitè vrgeret ad magna; nec in pusillitate maneret, sed *ad regni sui infulas, incrementis cælestibus, veniret*, ait Sanctus Petrus Chrysologus.

Vendite quæ possidetis: Regno donati iubentur vendere, quæ possident. *Plebeium cultum regia non admittit potestas*, ait Sanctus Petrus Chrysologus. *Abiicere debet habitum seruitutis, qui se regem credit diuinitus consecratum.* Seruile est, quicquid mundus obtulerit, & regiæ dignitati contrarium. Terrena omnia abiiciat, qui regni libertate vult potiri.

Sint lumbi vestri præcincti.

Lumbos præcingere, plerisque est carnis luxuriam, per continentiam, coarctare; sed est etiam habitus se ad opus parantis, vt promptè, & expeditè illud obeat. Quo docemur, qui luxuriam refrænare vult, debere otium fugere, & labori incumbere; nam otiositas libidinis fomes est. Iurè ergo præcinctio ista laborem respicit, quem expeditè quis suscipit, & continentiam, ac puritatem; quia scilicet assiduus labor libidinis frænum est. 542.

Sint lumbi præcincti. Lumborum præcinctio fugam arripientis habitus est; laciniosæ vestes cursum impediunt. Lumbos præcingunt, vestesque contrahunt, qui sine vllo impedimento fugere volunt: qui habitus optimè cum amore continentiæ cohæret; nam qui puritatem amant, fornicationem, & omnem lapsus occasionem defugiant. Nimirum, cùm de luxuriâ agitur fuga maximè necessaria est, à qua ferè victoria pendet.

Sint lumbi vestri præcincti: Nimirum in Dei obsequio omnia Impedimenta amolienda sunt, cunctatio omnis auferenda. Qui Deo seruit, moras tollat, alacer, celerque sit; testudineus non incedat. 543

Plerique de militiæ Cingulo hæc accipiunt: Solent enim milites, ad bellum ituri, præcingi, vt fiot expeditiores, nam euntes Apostoli per vniuersum mundum Euangelium prædicantes contra diabolum, eiusque potentiam, pugnandum illis erat; vt Euangelica prædicatio militia quædam sit; & vt desiot alij hostes, ipse, qui alios edocet, contra se ipsum, suasque concupiscentias, tanquam contra hostes assiduè pugnare debet.

Sint lumbi vestri præcincti: Cur signatè lumborum fiat mentio, peritè, vt solet, explicat Sanctus Petrus Chrysologus dum ait: *Dixisse suffecerat; estote præcincti: cur lumbos potissimùm nominat? Cur tanta iubentis reuerentia lumborum fecit magnoperè mentionem? Quæris quare? Quia in lumbis tota est corporis causa; ex lumbis tota carnis negotia suscitantur; in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros reddit, efficit segniores. Hinc est ergo, quod principaliter Dominus lumbos nostros astringi iubet balteo castitatis: & totum carnis nostræ pendulum, flui-*

dum resolutum, constringi mandat continuâ zonâ virtutis.

Et lucerna ardentes in manibus vestris.

NOn sufficit nobis, lumbos esse præcinctos, vt expoditè operemur; & lucernas ardentes habere debemus: lumen nobis necessarium est, vt hoc ipsum, quod agimus, rectò fine, & rectâ intentione præstemus.

544. *Et lucerna ardentes*; Vt lucernæ ardeant lumbi priùs debent esse præcincti, luxuriæ fluidum prius est restringendum, quàm bonorum operum exempla monstrentur aliis; alioqun lucere nequit, quem libido collutulat. Hunc verborum ordinem ad hanc mentem premebat Sanctus Gregorius Magnus, dum ait: *Iubentur ergo, lumbos accingere, & lucernas tenere ac si apertè audiant: Prius in vobismetipsis* LVXVRIAM *restringite; & tunc, de verbis, aliis bonorum operum* EXEMPLA *monstrate.*

Lucerna ardentes in manibus vestris. Quæ lucernæ tenendæ sint, & quinam sint, qui in manibus lucernas portent explicat Sanctus Petrus Chrysologus, dum ait: *Verè portant lucernas suas, verè fomentis operum, verè misericordia vagante inflammant lampades suas, qae, cùm loco, proposito, studio lactitant, opere, virtute corascant, ac splendeat toto orbe terrarum.*

SECTIO V.

Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.

545. SEruí, qui antiquo ritu Dominos expectabant à conuiuio nuptiali redituros, vigilabant cauebántque ne desides, ac dormientes reperirentur. Respicit ad antiquorum consuetudinem, quâ conuiuia, præsertim nuptialia, noctu celebrabantur. Congruit conuiuio tempus, tenebræ quippè luxus comitantur.

Quando reuertatur à nuptiis: vult Dominus à discipulis expectari cum gaudio, ac lætitiâ, tanquam liberalis, ac beneficus, quales solent sponsi dumum redire, excipique à seruis.

Vt, cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

SIgnificat his verbis Christus, suos semper paratos esse debere, vt, cùm mors aduenerit, non sit necesse, ad bona opera se tunc demum conuertere. Iudici pulsanti confestim aperit, qui cor, amore iudicis, rebus terrenis non aperuerit.

Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & transiens ministrabit illis.

BEati serui sunt, qui à Domino vigilantes inueniuntur. Num sufficit vigilare? Operari etiam debet: qui autem non operatur, dormire se ostendit. Qui experrectus vigilat, operi manum admouet, otio non torpet. *Vigilantes* dixit, vt in metaphorâ, quâ vsus fuerat, sisteret. 546.

Præcinget se: Quia in beatitudine Deus à beatis non comprehenditur, ideo præcinctus dicitur: *Præcinget se:* quia & in eius obsequium se seruus præcinxit. Addit: *transiens ministrabit illis.* Cur transit? Vt singulis ministret, & nihil alicui desit; vtque multiplicia fercula vnicuique porrigat. Dicitur autem ministrare, non quòd serui, famulique munus in cælo sustineat; sed, vt explicaret, ad supremam, & inexplicabilem celsitudinem, ac dignitatem seruos suos esse prouectos.

Præcinget se: Qui superiùs dixerat: *sint lumbi vestri præcincti*, se præcingit; *Ex quo percipimus,* inquit Sanctus Thomas; *quòd similia nobis retribuet, dum* SVCCINCTIS *se præcinget.* Non vult à suis vinci: talem se suis exhibet, quales se sui illi exhibuerint. 547.

Transiens ministrabit illis: In suos facit, quod sui in illum fecerunt. *Quasi vicem æqualem eis reddens,* ait Sanctus Thomas; *vt, sicut ipsi ministrauerunt ei, ita & ipse eis ministret.* Nihil est, quod seruos suos honoret, euehatque & id Dominus non præstet.

Transiens ministrabit illis; Ita ne ministrabit, qui Dominus est? Proh summa Dei dignatio, summa dignitas hominis? demittit se, vt nos efferat: *Ministrabit,* inquit Sanctus Thomas *quasi esset* SERVVS *eorum emptitius, & quilibet eorum esset Dei Deus*; nihil potest de homine grandius dici.

Et, si venerit in secundâ vigiliâ, & in tertiâ vigiliâ venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

ERat apud antiquos nox in quatuor partes diuisa, singulæque tres horas continebant. Sed cur secundæ vigiliæ, & tertiæ meminit, non primæ, non quartæ? An, vt in similitudine à nuptiis desumptâ perseueraret. Non tam citò, nec tam serò redire à nuptiis mos erat; & ideo nec primæ mentio fit, nec quartæ vigiliæ. Quartam signatè omittit; vt innueret, paucissimos esse, qui, ad extremum vitæ differentes bene operari, veram inire pœnitentiam soleant. Denique quartæ non meminit, ne pigros, ac desides eos redderet. 548.

Si in tertia vigiliâ venerit: Cur nulla primæ, & quartæ vigiliæ mentio fit? *Quia nec primæua ætas,* ait Drogo, *sensum recipit vigilandi; nec vltima spem prolixiùs dormiendi.*

Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur?

IGnem veni mittere in terram. Per ignem, charitatem hîc intelligit B. Laurentius Iustinianus tract. 4. 549.

tract.4.cap.3.aitque: *Meritò igni comparatur: quia, sicut ignis imperiosè ferrum quasi ignem efficit; ita charitas igneam reddit animam, quam possidet. Mens enim, quam semel affecerit charitas, sui iuris esse non potest. Metuit, quod nescit: dolet, quod non oportet: solicitatur, plusquam voluerit: compatitur nolens, miseretur inuita. Ignis quoque nunquam est otiosus: sic nec charitas; amor enim Dei nunquam otiosus est: operatur magna, si est: si autem operari renuit, amor non est: Splendorem adducit ignis, quod facit charitas. Non enim clarescet anima in fulgore æternæ pulchritudinis, si non arserit in officinâ charitatis.*

550. *Ignem veni mittere in terram.* Vitiorum quoque sentibus comburendis, vt virtutes deinde in mentis agro pullulent. *Inchoaturus* (inquit Sanctus Paulinus epist.2.ad Seuerum) *agriculturam ut nobis suam dicit: Ignem veni mittere in terram, quò videlicet cor nostrum peccatis obsitum, quasi agrum spinis horridum, purget, vrens nos in vitiis, & in sentibus luminans: veterumque in nobis actuum stirpes salutari falce pius cultor insequitur, vt residuam messis vetustæ stipulam sermo ignitus accendat, & animam nostram quasi campum nouæ sationi præparet, qui lætam virtutum segetem eradicatis impresso Diuini verbi vomere spinis, liber effundat; dignasque cælestibus horreis fruges, peremptâ graminum noxiorum stirpe, multiplicet.*

Ignem veni mittere in terram. Sanctus Augustinus in Psal.59. legit: *Ignem veni mittere in Mundum:* additque statim: *Si ergo Christus venit mittere in Mundum ignem, vtique salubriter atque vtiliter: non quomodo missurus est Mundum in ignem, sed quomodo ignem in Mundum?*

551. Nimirum, feruorem magis amat, quàm splendorem; vt feruere potiùs quisque studeat, quàm lucere. *Ignem* (verba sunt Sancti Bernardi serm.3. de Verbis Isaiæ) *Christus exhibuit dicens: Ignem veni mittere in terram. Dicas fortassis, in igne ut feruorem, sic & splendorem esse. Non contendo, licèt feruor ei quodammodò substantialior videatur: ipsum potiùs audiamus, quid magis in igne commendet. Ignem* (*ait*) *veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt ardeat? Cognouisti certè, quid velit. Sed, nè illud quidem ignoras, quòd vita in voluntate eius, & seruus sciens nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare. Quid lucere festinas? Nondum illud aduenit tempus, in quo fulgebunt iusti sicut sol in Regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi: feruere enim multò melius. Denique, si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato, & primùm quære feruorem; nec dubium, quin & splendor adiiciatur tibi: alioquin incassum laboras; quia vanus splendor absque feruore.*

Ignem veni mittere in terram: sed quînam misit Dominus ignem in terram quando è Cælo ignem detulit in terram? an non ignem diuinum in cuiuslibet corde, amori excitando, misit quando pro nobis est passus? Pulchrè Albertus Magnus serm.2. de Euch. *Quia causam amoris misit Dominus in mundum beneficio Passionis quæ si piè recogitata fuerit* AMORE MAGNO COR ACCENDIT; ignem magnum misit, cùm sanguinem pro nobis effudit; nimiò frigore corripitur, qui hoc igne non incalescit, imo non totus ardet. 552.

Ignem veni mittere in terram; vt hoc igne nos accendere posset nostram naturam induit homo factus; Præclarè philosophatur Ioannes Eusebius lib.4. cap. 3. dum ait: *Ignis ignem accendit, amor amorem suscitat: amor tuus, ô Domine, me accendat ad amandum te, ignem venisti mittere. Sed nunquid Domine non poteras absque aduentu tuo & incarnatione mittere? quid opus erat, vt fieres homo, vt accenderes homines? an quia ignis non efficit nisi in coniunctam materiam? Ignis enim in sua natura puritate, & spherâ circa cælum dicitur non vrere, nec vllam materiam solidam accendere: necesse est, vt in alienâ materiâ sit, & fiat visibilis: sic tu Domine in sinceritate purissima tua natura tametsi amor es, & ignis comburens, non ita accendebas homines, ni factus homo; vt ignis cæli non accendet lignum, nisi cum ignis factus est in ligno, aut aliâ crassiori materiâ quàm ætheris, alia ligna tunc accendet conspicuam, & visibilis flāma. Tam amor visibilis, cùm factus es homo, non potest non accendere, & vrere homines.*

Baptismo autem habeo baptizari.

Baptismum vocat mortem suam, vt eam ipse hac de causâ se obire innueret, vt sanguine suo nos puros redderet, & mundos, non secus ac recens baptizatos. *Baptisma dicit sui occisionem, tanquam nostri purificationem,* ait Euthymius.



Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XIII. LVCÆ.

Vers. 1.

ADERANT autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

Aderant. *Syr. Venientes. Arab. Venerunt ad eum.*
Ipso. *Theoph. Eodem.*
Nunciantes. *Syr. Renunciarunt. Vat. Nuncium afferentes.*
De Galilæis. *Syr. De Galilæis illis. Arab. Nouum Galilæorum.*
Miscuit. *Vat. Miscuerat.*

Vers. 2.

Et respondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis pecca-

Respondens. *Vat. Respondens Iesus.*
Dixit. *Pagn. Iesus dixit.*
Præ omnibus Galilæis. *Arab. Magis, quàm omnes Galilæi. Euth. Præ cunctis Galilæis.*
Peccatores. *Syr. Sceleratiores.*

tores

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

tores fuerint,quia talia passi sunt?

Quia t. p. s. *Arab. Cùm isti dolores peruenerint ad eos.*

Vers. 3.

Non,dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis,omnes similiter peribitis.

Sed nisi. *Syr. Immò verè nisi vos omnes.*
Pœnitentiam h. *Theoph. Resipueritis. Ar.M. Pænitecamini. Caiet. Pænitentiam egeritis.*
Omnes s. *Syr. Similiter.*
Peribitis. *S.Aug. Moriemini.*

Vers. 4.

Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë,& occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem.

Sicut. *Ar.M.Vel. Caiet. Aut.*
In Siloë. *Ar.M. In Siloam.*
Occidit. *Syr. Necauit.*
Quia & ipsi debitores f. *Syr. Flagitiosiores. Arab. Quia ipsi plus fuerint culpabiles. Vat. Eos culpam commeritos fuisse.*
Præter omnes h. *Syr. Omnibus hominibus. Arab. Quàm cuncti homines. Euth. Super omnes homines. Theoph. Vltra cunctos homines. Caiet. Præ omnibus hominibus.*
Habitantibus. *Syr. Qui degunt. Arab. Qui habitant.*
In Ierusalem. *Euth. Hierosolymis.*

Vers. 5.

Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis,omnes similiter peribitis.

Non. *Syr. Minimè.*
Dico. *Syr. Dice autem.*
Sed. *Theoph. Immo.*
Si p. n. *egeritis. Theoph. Nisi resipueritis. Vat. Nisi pænituerits.*
Omnes. *Arab. Vos omnes.*

Vers. 6.

Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa,& non inuenit.

Similitudinem. *Euth. Parabolam.*
Arborem fici. *Arab. Arbor fici. Ar.M Ficum.*
Hab. q. *Arab. Erat cuidam.*
Plantatam. *Arab. Plantata.*
Fructum. *Syr. Fructus.*

Vers. 7.

Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac,& non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat.

Ad c. v. *Syr. Agricola. Ar.M. Ad viniterem.*
Ecce. *Arab. Hac.*
Anni tres sunt. *Vat. Per tres annos.*
Ex quo v.q. *Arab. Venio & quæro. Vat. Venio quærens.*
Fructum. *Syr. Fructus.*
Ficulneâ. *Arab. Arbore. Pagn. Ficu.*
Succide ergo. *Syr. Excinde. Theoph. Succide.*
Vt quid e. *Arab. Ne frustra. Vat. Quoniam vel. Pagn. Ad quid vel.*
Occupat. *Syr. Otiosam detinet. Arab. Occupet. Caiet. Onerat.*

Vers. 8.

At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam,& mittam stercora:

Ille. *Syr. Agricola.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Dimitte. *Theoph. Sine. Ar.M. Relinque.*
Et h. a. *Arab. In iste anno. Ar.M. Et hunc annum.*
Vsque dum f. *Syr. Vsquequo excoluero. Arab. Vt colam. Pagn. Donec fodero. Vat. Donec ablaqueauero.*
Circa i. *Syr. Eam.*
Mittam ster. *Syr. Stercorauero. Arab. Bonam reddam eam. Pagn. Misero fimum. Vat. Adiecero stercus. Caiet. Mittam fimum. Al. Misero stercus.*

Vers. 9.

Et siquidem fecerit fructum: Sin autem,in futurum succides eam.

Siquidem f. f. *Syr. Si ediderit fructum, dimittes. Arab. Forsitan ipsa fructum afferet in anno venturo: ipsa namque attulit fructum.*
Sin a. *Theoph. Sin minus. Pagn Sin verò.*
In f. s. e. *Syr. Cur viueret? Excinde eam. Vat. In posterum succides eam.*

*Vers.*10.

Vulgata Editio.

Vulgata Editio.

Verſ. 10.

Erat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis.

Erat a. d. *Arab. Et dum ipſe doceret.*
In ſ. e. *Theoph. In vnâ ſynagogarum. Pagn. In vnâ è ſynagogis.*
Sabbathis. *Syr. Sabbatho.*

Verſ. 11.

Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.

Et ecce. *Syr. Erat illic.*
Quæ h. *Arab. In qua erat. Euth. Erat habens. Vat. Qua laborabat.*
Spiritum. *Arab. Spiritus. Vat. Spiritu.*
Annis. *Syr. Ab annis. Arab. Per annos. Ar. M. Annos.*
Inclinata. *Arab. Incuruata. Pagn. Contracta. Ar. M. Concuruata. Caiet. Deflexa.*
Omninò. *Arab. Vllo modo. Ar. M. In omninò.*
Poterat. *Ar. M. Potens.*
Surſum r. *Syr. Extendi. Arab. Erecta ſtare. Theoph. Erigere caput. Vat. Erigere ſe. Ar. M. Recuruare. Caiet. Reflecti.*

Verſ. 12.

Quam cùm videret Ieſus, vocauit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua.

Quam cùm v. *Syr. Vidit eam. Arab. Reſpexit autem eum. Euth. Intuitus autem illam. S. Petr. Chryſ. Cum vidiſſet.*
Vocauit e. a. ſ. *Syr. Et eam aduocauit.*
Dimiſſa. *Theoph. Liberata. Ar. M. Abſoluta.*
Ab i. t. *Syr. A valetudine tuâ. Ar. M. Infirmitate tua.*

Verſ. 13.

Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.

Manus. *Syr. Manum. Arab. Manum ſuam.*
Confeſtim. *Euth. Continuò.*
Glorificabat. *Arab. Glorificauit.*

Verſ. 14.

Reſpondens autem archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet Ieſus, dicebat turbæ. Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non die ſabbati.

Reſpondens a. *Arab. Reſpondit.*
Archiſynagogus. *Pagn. Princeps ſynagogæ.*
Indignans. *Syr. Cùm excanduiſſet. Arab. Et indignatus erat. Euth. Admodum ægrè ferens.*
Curaſſet. *Arab. Curaſſet eam. Vat. Sanaſſet.*
Turbæ. *Syr. Turbis. Vat. Multitudini.*
Sunt. *Arab. Sunt vobis.*
In quibus. *Euth. Quibus.*
Oportet. *Arab. Conuenit. Euth. Licet.*
Et c. *Syr. Sanitatem recepturi. Arab. Et curabimini. Vat. Vt ſanemini.*

Verſ. 15.

Reſpondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ vnuſquiſque veſtrûm ſabbatho non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare?

Reſpon. a. *Ar. M. Reſpondit ergo.*
Dominus. *Syr. Ieſus.*
Hypocritæ. *Syr. Acceptor vultus. Vat. Hypocrita.*
Non ſoluit. *Pagn. Nonne ſoluit.*
Bouem ſuum, aut aſinum. *Al. Bouem ſuum m.*
Ducit. *Syr. Abit. Ar. M. Abducens.*
Adaquare. *Arab. Et potat illum. Tert. Ad potum. Ar. M. Potum dat. Caiet. Aquatum.*

Verſ. 16.

Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit ſatanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati?

Hanc f. *Arab. Hæc eſt filia. Ar. M. Hanc filiam exiſtentem.*
Alligauit. *Syr. Vinxerat. Ar. M. Ligauit.*
Satanas. *Syr. Criminator.*
Ecce decem & octo a. *Syr. Iam ab octodecim annis. Arab. Per decem & octo annos.*
Oportuit. *Arab. Licebat.*
Die. *Arab. In die.*

Verſ. 17.

Et cùm hæc diceret, erubeſcebant

Diceret. *Arab. Dixiſſet.*
Erubeſcebant. *Syr. Pudore ſuffuſi ſunt.*
Aduerſ. e. *Syr. Qui adſtabant ex aduerſo eius. Arab. Qui aduerſabantur ei. Ar. M. Oppoſiti ei.*
Et omnis. *Syr. Totus verò.*
Populus. *Euth. Turba.*

omnes

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

Gaudebat. *Syr. Plaudebat. Arab. Gaudebant.*
In vniuersis. *Syr. Super omnibus. Arab. De operibus. Theoph. Super vniuersis.*
Quæ g. f. *Syr. Miraculis, quæ fiebant. Arab. Bonis, quæ fiebant. Euth. Rebus gloriâ plenis, quæ fiebant. Vat. Quæ cum gloriâ fiebant. Ar. M. Gloriosis factis.*
Ab eo. *Syr. Per manus ipsius.*

Vers. 18.

Dicebat ergo: cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud.

Dicebat e. *Arab. Et dicebat. Caiet. Dicebat autem.*
Simile est. *Arab. Assimilatur.*
Regnum Dei. *Euth. Regnum cælorum.*
Simile æst. *Euth. Assimilabo. Caiet. Simile faciam.*

Vers. 19.

Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.

Simile est. *Arab. Assimilatur.*
Sinapis. *Syr. Sinapi.*
Homo. *Syr. Vir.*
Misit. *Syr. Proiecit. Tert. Seminauit. Fr. Luc. Iecit.*
In h. s. *Tert. In horto suo.*
Et f. e. *Pagn. Et euasit.*
Volucres. *Syr. Volatile.*
Requieuerunt. *Syr. Nidificauit. Arab. Requiescunt. Euth. Nidificabant. Theoph. Nidulabantur. Fr. Luc. Habitarunt.*

Vers. 20.

Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

Et. *Arab. Deinde.*
Cui. *Syr. Cuinam.*
Simile æ. *Syr. Simile est. Euth. Simile dicam. Ar. M. Similabo. Caiet. Simile faciam. Fr. Luc. Assimilabo.*

Vers. 21.

Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

Simile est. *Arab. Assimilatur.*
Abscondit. *Syr. Abdidit.*
Sata tria. *S. Aug. Mensuris tribus.*
Donec. *S. Aug. Quoadusque.*
Fermentaretur. *Theoph. Fermentaretur. Euth. Fermentatum est.*
Totum. *Syr. Tota.*

Vers. 22.

Et ibat per ciuitates, & castella, docens, & iter faciens in Ierusalem.

Et ibat. *Syr. Cæterum peragrabat. Euth. Et pertransibat. Vat. Et transibat.*
Per c. e. c. *Syr. Per pagos & vrbes. Euth. Ciuitates & vicos.*
Docens. *Syr. Dum doceret. Arab. Docebat.*
Iter f. *Syr. Et proficisceretur. Arab. Et applicuit.*
In Ierusalem. *Syr. Ad Ierusalem. Pagn. Ierusalem.*

Vers. 23.

Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos:

Domine. *Syr.* omittit.
Si. *Syr. Nam. Arab.* omittit. *Caiet. An.*
Sunt q. s. *Syr. Sint qui seruentur. Theoph. Sunt, qui salutem consequuntur. Ar. M. Seruati.*
Ipse autem. *Theoph. Ipse verò.*

Vers. 24.

Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

Contendite. *Caiet. Certate.*
Quærent. *Syr. Studebunt. Arab. Volent.*
Intrare. *Orig. Ingredi.*
Poterunt. *Orig. Valebunt.*

Vers. 25.

Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis:

Cùm a. *Syr. Ex qua horâ. Caiet. Ex quo vtique. Fr. Luc. Postquam.*
Intrau. *Arab. Steterit. Theoph. Experrectus fuerit. Pagn. Surrexerit.*
Paterfam. *Syr. Dominus domus.*
Clauserit. *Syr. Occluserit.*
Incip. f. *Syr. Eritis stantes. Arab. Et interim stabitis. Euth. Cœperitis stare.*
Pulsare o. *Syr. Pulsantes ad ostium. Euth. Pulsare.*
Dicentes. *Syr. Cœperitis dicere:*

Lectionum Varietas. | Vulgata Editio.

nobis : & respondens dicet vobis : Nescio vos vnde sitis.

Domine. *Syr. Domine noster, Domine noster. Ar. M. Domine, Domine.*
Et r. *Syr. Tum is respondebit.*
Nescio. *Syr. Dico vobis, non noui. Arab. Non cognosco.*
Vos v. s. *Syr. Vnde vos sitis.*

Vers. 26.

Tunc incipietis dicere : Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.

Tunc. *Syr. Et.*
Manducauimus. *Eut. Comedimus. Tert. Edimus.*

Vers. 27.

Et dicet vobis. Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.

Et d. v. *Pagn. Et dicet, dico vobis.*
Nescio. *Syr. Non noui. Arab. Non cognosco. S. Epiph. Nunquam enim noui.*
Vos v. s. *Syr. Vnde vos sitis. S. Epiph. Vos.*
Discedite. *Ar. M. Abscedite. Tert. Et S. Euch. Recedite.*
Omnes operarij. *Syr. Operatores. Goth. Operarij. Euth. Omnes qui operamini. Theoph. Omnes, qui patratis.*
Iniquitatis. *Syr. Mendacij. Euth. Iniustitiam. Theoph. Iniquitatem. Fr. Luc. Iniustitia.*

Vers. 28.

Ibi erit fletus, & stridor dentium : cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

Cùm v. *Arab. Cùm enim videritis.*
Omnes pro. *Fr. Luc. Omnes illos prophetas sanctos.*
Regno Dei. *Euth. Regno calorum.*
Expelli. *Syr. Eiiciemini. Arab. Expellemini. Ar. M. Expulsos.*

Vers. 29.

Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.

Oriente e. o. *Ar. M. Orientibus & occidentibus.*
Aquilone e. A. *Syr. Meridie & Aquilone.*
Accumbent. *Syr. Discumbent. Ar. M. Recumbent.*

Vers. 30.

Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt nouissimi.

Et ecce s. *Arab. Et erant.*
Nouissimi qui erunt p. *Syr. Vltimi, qui erunt primi. Arab. Primi nouissimi. Euth. Postremi, qui erant primi.*
Et s. p. q. e. n. *Syr. Et sunt primi, qui erunt vltimi. Arab. Nouissimi primi. Euth. Primi, qui erant postremi.*

Vers. 31.

In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

In ipsâ. *Theoph. Eodem.*
Accesserunt. *Arab. Venerunt ad eum.*
Pharisæorum. *Syr. Ex Pharisæis. Vat. Pharisæi.*
Vade. *Vat. Abi.*
Occidere. *Syr. Trucidare.*

Vers. 32.

Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi : Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

Ite. *Clem. Alex. Abite. Pagn. Profecti.*
Et dicite. *Syr. Et renunciate. Pagn. Dicite.*
Vulpi illi. *Clem. Alex. Vulpi huic.*
Sanitates. *Clem. Alex. Ægros. Vat. Sanationes.*
Perficio. *Clem. Alex. Curo. Vat. Perago.*
Tertiâ die. *Euth. Tertio die. Clem. Alex. Tertio. Ar. M. Tertiâ.*
Consummor. *Syr. Consummabor.*

Vers. 33.

Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Ierusalem.

Cras. *Syr. Cras operari.*
Sequenti die. *Theoph. Proximo die. Pagn. Perendie.*
Ambulare. *Syr. Iter faciam. Theoph. Proficisci.*
Non capit perire. *Arab. Non peribit. Caiet. Non contingit perire.*
Prophetam. *Pagn. Propheta.*
Extra I. *Euth. Alibi quàm Hierosolymis.*

Vers. 34.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te,

Quæ o. *Syr. Trucidans. Arab. Mactatrix. Caiet. Qua occidis.*
Prophetas. *Arab. Prophetarum.*
Lapidas e. *Syr. Lapidibus obruens eos. Arab Lapidatrix eorum. Caiet. Qua lapidat.*

Vulgata Editio.

quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis,& noluisti?

Vers. 35.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Lectionum Varietas.

Mittuntur. *Vat Missi sunt. Fr. Luc. Missi fuerint.*
Ad te. *Caiet. Ad se.*
Filios. *Vat. Liberos.*
Auis. *Clem. Alex. Gallina.*
Nidum suum. *Arab. Quo congregat pullos suos. Clem. Alex. Congregat pullos suos. Ar. M. Suam pulliciem.*
Sub pennis. *Syr. Subter alas suas. Pagn. Sub pennas. Fr. Luc. Sub alis.*
Noluisti. *Theoph. Noluistis.*

Relinquetur. *Ar. M. Relinquitur.*
Donec v. *Syr. Quousque. Arab. Amodo donec. Vat. Donec veneris tempus.*
Cùm d. *Syr. Dicatis. Vat. Quo dicatis.*

CAPVT XIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Homines curiosi *vt alienas res narrent.* 553
In aliorum calamitatibus *rebus nostris consulamus.* 554
Debita *cur peccata dicantur.* 555
Pœnas *cur sæpè* Deus *minetur.* 556
De aliorum sanctitate *nemo sibi blandiatur.* 557
Dei vinea *vt excolenda.* 558
Superiores *in se culpam transferant, quod subditi fructus non producant.* 558. 559
Religiosi *vt informandi & exercendi.* 560

Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

553. CVR hos Galilæos, sacrificiis offerendis occupatos, occidi Pilatus iusserit adeò, vt occisorum sanguis hostiarũ sanguini misceretur, ferè non constat. Plerique id factum putant; quia, tanquam Iudæ Galilæi sectatores, docebant, nullum tributum debere dari Cæsari, nec pro Cæsare, & imperio Romano sacrificium offerendum esse. Vbi de tributis agitur sæuiunt homines in homines: Si de Dei cultu, & honore ageretur, nihil curarent. Ita agunt, qui à verâ pietate exules sunt.

Nuntiantes: Tanquam rem nouam, &c, quæ recenter accidisset; ac si illi ignota esset, qui omnia nouerat. Hoc Pilati facinus Christo nuntiant, non tanquam rem nouam, & crudelem; sed, vt audirent, quid Iesus de Galilæis sentiret; videbantur enim plerisque Deo admodum fuisse exosi, quòd sacrificia ipsa, quæ, ad Deum sibi placandum, offerebant, in ruinam ipsis essent versa, & in interitum. Homines curiosi ita res alienas narrant, vt aliorum famam, nomeoque inifici studeant.

Et respondens dixit illis: putatis, quòd hi Galilæi, præ omnibus Galilæis, peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

554. HOc ferè hominum iudicium est; ex rebus aduersis, & calamitatibus, quæ alicui accidunt, illius peccata colligere, & illos peiores censere, quibus insueta contingunt. Falluntur, cum aliis de causis aduersa hominibus Deus immittat, & plerunque secunda sint, quæ hominum opinione sunt aduersa; sicut & sæpè aduersa sunt, quæ secunda putantur.

Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis.

IPse sibi respondet Christus, & vulgi censionem corrigit. Quorundam scelera nunc Deus punit, vt prouidentiam suam cum iustitiâ coniunctam ostendat, &, vt alij, exemplo territi, ad pœnitentiam prouocentur: & ideo ait; nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Nimirum, vbi in aliis diuinæ iustitiæ signum viderimus, aut audierimus, statim quisque ad se redeat, de se cogitet, pœnitentiam ineat, peccatorum suorum recordetur; vt ex aliorum calamitatibus, rebus nostris, discamus, consulere, consulere saluti.

Sicut illi decem, & octo, supra quos cecidit turris Siloë, & occidit eos. Putatis, quia & ipsi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ierusalem.

POterat casu, & fortuito oppressio ista videri accidisse: non accidit tamen, si Deum respiciamus, cuius nutu, ac prouidentiâ omnia, quæ casu accidere videntur, fiunt. Et isti Ierosolymitæ, quemadmodum & illi Galilæi, non soli fuere peccatores, sed in reliquorum terrorem puniti sunt, & per paucorum interitum omnes vocati ad pœnitentiam. 555.

Debitores; Syrus legit, *peccatores;* nam & peccata *debita* dicuntur, vt alibi notauimus. Hinc illud apud Matthæum: Dimitte nobis debita nostra, id est peccata. Grande debitum, cui soluendo nullus par, vt solùm debiti nomen mereri videatur.

Ex eo, quòd decem, & octo perierint; qui illæsi remanserant, vt vitâ functos peccatores putabant, ita se credebant innocentes. Hic malorum hominum mos: in aliorum calamitate, à calamitate immunes, immunes se à scelere credunt, cum ferè grauioribus opprimantur.

Dicebat

Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ; & venit quærens fructum in eâ, & non inuenit.

556. ARbori homo solet comparari; vt, ad ferendum fructus Deo gratos, se natum esse, statim moneatur. Venit Dominus, non quia, fructum ficulneæ deesse, nesciret; sed, vt ostenderet, quia fructum in synagogâ iam habere deberet. *Venit*, Græcè, ἦλθε: frequenter scilicet venit, vt vineam inuiseret, & fructum in ficulneâ quæreret: sæpè venio sciens, superioris præsentiam multum subditis ad fructum prodesse.

Succide ergo illam: Vt quid etiam terram occupat?

FIculneam succidi iubet: cur non ipse succidit? *Prouocare cultorem voluit ad eius culturam*, ait Sanctus Thomas hîc. Sæpè pœnas nobis Deus minatur; vt, quod donis non potuit, obtineat minis.

Non statim euulsit ficulneam, vt in arbore doceret: non facilè proximos à nobis feriendos; sed expectandum, donec fructus producant. *Igitur*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, *nec nos feriamus subitò; sed præualeamus misericordiâ, ne secemus ficum, potentem adhuc fructum facere, quam forsitan curabit periti custodis studium.*

557. *Succide ergo illam*: tres annos expectauerat, nec fructus produxerat ficulnea. Ne igitur frustra terram occuparet, iubet Dominus vineæ, ficulneam succidi, quam vinearum fertilitas arguebat: *forsitan ficulneam illam sterilem*, inquit Gilbertus Abbas, *quam Dominus iussit succidi* FERTILES DE VICINO VINEÆ CONDEMNABANT: *periniquum est in* SANCTA CONVERSATIONE *plantatum nil sanctum moliri, & excusationem prætendentem, cognatis exemplis, conuinci.* Fatuum est de aliorum sanctitate, bonisque aliorum operibus sibi blandiri; cùm hæc torpentium ignauiam arguant, & aliorum feruor, ad feriendam, debito supplicio, ignauorum desidiam, iudicem prouocet.

Vt quid etiam terram occupat? Grauius percelli homo potest; qui non tam terram occupat, sed terrâ quoque ac terrenis occupatur; locum terræ exhibet, qui terræ conditori esset exhibendus.

Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.

558. PRobi coloni munus obit: studet, ne vinea nudetur arboribus, ne extirpetur, quam ipse plantauerat, arbor. *Vsque dum fodiam*: in se culpam sterilitatis colonus transfert, quasi non satis diligentiæ adhibuerit. Hoc animo præditi esse debent, qui Dei vineam excolunt, vt in se culpam transferant, si contingat sine fructibus homines esse, qui disciplinæ sarculo excoluntur.

Præterea bonus dominicæ vineæ cultor est, qui animarum sibi subditarum infœcunditatem negligentiæ suæ tribuit, itamque ab iis auertere studet; qui virtutibus steriles sunt; adeò, vt maiorem diligentiam promittat pleniorem curam spondeat.

Vsque dum fodiam, & mittam stercora; non imbres, solem, aëremque incusat, quòd ficulnea fructus non produxerit, sed se negligentiæ velut insimulat, accuratiorem diligentiam in futurum promittens. Nimirum superior, & præsul, qui spirituales plantas excolit, in alios culpam infœcunditatis non facilè transferat: transferat in se ipsum, semetipsum accuset.

Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam. Apparet boni coloni diligentia, qui ita ficum excusat, vt videatur culpam omnem in se ipsum conijcere; quòd fortassè non antè benè coluerit, & idcirco ait: *Vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Boni pastoris, præsulisque hæc vera consignatio est; qui licèt culpâ careat, si ouis pereat, si subditus aberret, præ sua humilitate, id suæ negligentiæ adscribit, suæ culpæ. *Fuerit certè*, inquit Sanctus Bernardus ad Robertum, qui ab eo defecerat, scribens; *mea culpa quod discessisti.* Agnoscit culpam, vbi non erat, vt ouem lucraretur. 559.

Quod de hac ficulneâ hîc legitur, peritè iis, qui Diuino se cultui in religiosis familiis mancipariunt, aptat Sanctus Bernardus serm. 2. in die Apostol. Petri & Pauli: *Sic ea*, inquit, *quæ in Euangelio sterilis ficulnea legitur, si postea quam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inuenta fuerit: nonne iam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Et ego dico vobis: si minus boni in secularibus inuenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam, quàm in nobis, quibus Cœlestium consolationum pluuiam voluntariam segregauit: quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora planè vilia ad aspectum; sed ad fructum vtilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatem desiderat; siquidem ex deformi stercorum aceruo, qui portatur in agrum, formosus surget aceruus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas pretiosa; sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti Christi improperium æstimate.* 560.

SECTIO II.

Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

SPiritus infirmitatis dicitur, qui infirmitatem, & inualetudinem effecerat. Afflixerat ergo spiritus hanc mulierem, vt non mirum, si desperata à medicis eius salus fuerit, & decem, & octo annis infirma fuerit; non probare nos dæmon quærit, sed diruere, quòd, si de animæ morbis agatur, nollet, nos vnquam ab illis liberari. 561.

Et erat inclinata: toto corpore incurua, & prono vultu in terram deflexa, more bruti. Hoc diabolus quærit, vt, infirmitatibus pressi, terram

dumtaxat respiciamus,&,cælestium rerum obliti, à cælo auocemus intuitum.

Quam quum videret Iesus, vocauit eam ad se,& ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tuâ.

MIsericordiâ motus mulierem ad se aduocat, vt ei conferret sanitatem. Nullus rogat, rogabat eius clementia,& innata pietas. Poterat absentem sanare; sed voluit, ad Dei gloriam, omnibus miraculum manifestum fieri.

Respondens autem Archisynagogus, indignans, quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: venite, & curamini;& non in die sabbati.

562. INgratæ synagogæ præsul, vt vidit fœminam in terrâ deflexam,& curuam,solo tactu erectam, & Dei magnalia celebrantem, irritatur inuidiâ,miraculum arguit,quasi videretur pro sabbati violatione solicitus. Non mouit hunc Archisynagogum religio sabbati, sed inuidia, qua torquebatur ob gloriam Iesu. Hoc multorum vitium est; vt fraudolenter passiones suas religionis prætextu, & velamine operiant.

Venite,& curamini; & non in die sabbati. Miracula,coram populi multitudine edita, Christi gloriam augebant; vnde ea in alios dies reiicere inuidus Archisynagogus voluisset, quibus homines, aliis negotiis occupati, miraculorum spectatores esse non possent. Expressâ hæc inuidiæ imago est, religionis tecta similitudine.

Et ibat per ciuitates, & Castella docens, & iter faciens in Ierusalem.

563. VT communis omnium Dominus, communis omnium medicus loca omnia percurrit, omnia visitat; *non solas ciuitates*, inquit Theophylactus, *visitabat, vt ostentatores faciunt, & gloriam quærentes.*

In Ierusalem sæpè se conferebat; ne scilicet *inuisi peritorum reprehensiones timere videretur, aut mortem,quæ inde*, vt loquitur Sanctus Thomas, *poterat contingere*; quin frequens in Ierusalem ibat, corporis oculis ea loca visurus, in quibus passurus erat.

In Ierusalem iter faciens: Indigentium multitudo Christum vocabat. *Vbi plures iacebant ægroti*, inquit hîc Sanctus Thomas, *ibi se medicus magis ingerebat.* Plures illi calumnias licèt ibi obiicerent scribæ, ac Pharisæi, tanto omnium erigendorum desiderio tenebatur, vt teneri calumniantium impudentiâ non posset, quin iret.

Contendite intrare per angustam portam.

ANgusta est porta,quæ suos ad vitam admittit. 564.
Angusta est; sed, quò est angustior porta est, eò ad maiorem latitudinem peruenitur. Angusta est porta,quia salutis via, introitu, est difficilis; facilior redditur,& latior,cum quis per eam currit.

Contendite intrare per angustam portam. Non dixit *intrate*, sed, *contendite intrare*, vt torporem omnem excutiat, omnem desidiam; qui alibi dicebat.*Iugum meum suaue est,& onus meum leue*,angustam portam dixit, quod ibi facilè prædicabat, hic difficile indicans; qui hæc inter se cohærent? Cohærent; si Christum sequentium varietatem respicias: *molestum natura facile reputatur*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quando id affectanter amplectimur.* Facilis amanti Dei via est; non amanti difficilis: angusta ei est porta,qui dilatato per eam corde non currit.

Contendite intrare. Intrare non meretur qui non contendit; vsus porrò hoc verbo est, vt desidiam, torporémque in se salutis amoliendum sciremus; *Dicturus*, verba sunt Sancti Gregorij lib. 11. moral. cap. 26. *angusta porta introitum, præmisit, contendite: quia nisi mentis* CONTENTIO FERVEAT, *vnda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima reuocatur.*

Angusta est porta: de via nulla mentio fit: de portà dumtaxat. Nimirum,qui per salutis viam incedit, licèt initio difficilis, asperaque videatur, quò celeriùs tamen per eam ambulat, eò faciliorem reperit,& quodammodo facit: Dei via per eam ambulanti facilis fit: difficilem sibi eam facit, qui difficilè per eam ambulat, aut etiam non ambulat.

Ibi erit fletus,& stridor dentium.

STridere dentibus est indignantis, & irascentis. Sed cui irascentur, qui in gehennâ? Sibi præcipuè, quòd serò ad pœnitentiam cogitauerint. *Stridor dentium*, inquit hîc Sanctus Thomas, *prodit indignantis affectum; quòd, qui serò pœnitet, serò sibi irascatur.*

Ibi erit fletus. Oculi,qui ad culpas præcipui du- 565.
ces fuère, plectuntur. *Flebunt oculi*, inquit Sanctus Thomas, *qui hic per concupiscentias vagabantur.*

In inferno stridere dentibus damnati dicuntur; quia nimirum, *hic*, vt ait Glossa, *de edacitate gaudebant.* Ibi in dentibus peculiaris pœnæ eduntur signa,quòd dentibus voracitati litabant. Incipiunt illic esse instrumenta doloris,quæ hîc fuere instrumenta voluptatis.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XIV. LVCÆ.

Verſ. 1.

ET factum eſt cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum ſabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

Factum eſt. *Vat. Accidit.*
Cùm i. I. *Syr. Quum ingreſſus fuiſſet. Theoph. Cùm intraret. Ar. M. In venire eum.*
In d. *Syr. Domum.*
Cuiuſdam. *Syr. Vnius.*
Principis ph. *Syr. Ex primoribus phariſæis. Ar. M. Principum Phariſæorum.*
Sabbatho. *Syr. Die Sabbathi.*
Manducare panem. *Syr. Vt ederet panem. Euth. Ad capiendum cibum. Pagn. Ad comedendum panem.*
Obſeruabant. *Syr. Obſeruarent. Vat. Vt obſeruarent. Ar. M. Erant obſeruantes.*

Verſ. 2.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Hydropicus e. *Syr. Qui congregauerat aquas, erat. Arab. Qui habebat hydropiſim erat. Ar. M. Erat hydropicus.*
Ante i. *Syr. Coram eo.*

Verſ. 3.

Et reſpondens Ieſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare?

Et reſpondens. *Goth. Intuens.*
Ad legiſperitos. *Arab. Scribis.*
Phariſæos. *Arab. Phariſæis.*
Si licet. *Syr. Licet nè. Euth. An licet. Pagn. Num licet.*
Curare. *Arab. Curare, an non. Theoph. Sanare.*

Verſ. 4.

At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.

Apprehenſum. *Syr. Prehendit. Ar. M. Apprehendens.*
Sanauit. *Arab. Curauit.*
Dimiſit. *Arab. Dimiſit illum.*

Verſ. 5.

Et reſpondens ad illos dixit: Cuius veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?

Et. *Arab. Deinde.*
Reſpondens a. i. d. *Syr. Subdit eis.*
Cuius veſtrum. *Syr. Quis eſt ex vobis.*
Aſinus ā. b. *Syr. Si filius eius aut bos eius.*
Cadet. *Syr. Ceciderit die ſabbathi.*
Et n. c. *Syr. Qui non ſtatim. Vat. Vt non continuò.*
Extrahet i. d. ſ. *Syr. Hauriens educat eum. Vat. Extrahat illum die ſabbathi.*

Verſ. 6.

Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

Ad hæc. *Syr. Super hac re. Arab. Circa hoc.*
Reſpondere. *Syr. Dare reſponſum.*

Verſ. 7.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

Ad i. *Syr. His, qui fuerant illic inuitati. Ar. M. Ad vocatos.*
Intendens. *Syr. Eò quòd conſpiceret. Arab.* omittit. *Ar. M. Attendens.*
Quomodo p. a. e. *Syr. Eos eligentes loca primorum accubitorum. Arab. Quia illi eligebant primos accubitus.*

Verſ. 8.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè hono-

Cùm i. f. *Arab. Quando vocauerit te aliquis. Theoph. Quum inuitatus fueris ab aliquo.*
Ad n. *Syr. Ad domum conuiuij. Pagn. Ab aliquo ad nuptias.*
Non d. *Syr. Ne ambieris accubitum. Arab. Ne ſedeas. Euth. Ne accumbas.*
In primo loco. *Syr. Primo conſeſſu. Arab. Primâ congregatione. Clem. Alex. Primo loco.*
Ne fortè. *Ar. M. Ne quando.*
Honoratior. *Arab. Honoratiorem aliquem.*

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

ratior te, sit inuitatus ab illo.

Sit inuitatus. *Syr. Illic sit inuitatus. Arab. Vocet.*
Ab illo. *Arab. Apud se.*

Vers. 9.

Et veniens is, qui te & illum vocauit dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

Qui. t. e. i. v. *Euth. Qui te & illum inuitauit. Ar. M. Te & illum vocans.*
Da. *Arab. Cede.*
Tunc c. r. *Syr. Pudore suffunderis, quum assurrexeris. Arab. Pudore afficieris, & surges. Vat. Tunc cum dedecore.*
Incipias nouissimum l. t. *Syr. Et alium locum obtineas. Arab. Et in loco nouissimo sedebis. Euth. Incipias postremum locum tenere. Pagn. Incipias extremum locum tenere.*

Vers. 10.

Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt, cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

Sed. *Theoph. Quin potiùs.*
Vocatus. *Euth. Inuitatus.*
Recumbe. *Syr. Discumbe in. Theoph. Accumbe.*
Nouissimo l. *Syr. Vltimum locum. Euth. Postremo loco.*
Qui inuitauit. *Syr. Is, qui vocauit. Ar. M. Inuitans.*
Amice. *Syr. Amice mi.*
Tunc. *Syr. Et.*
Simul d. *Syr. Omnibus, qui tecum discumbunt. Ar. Simul discumbentibus tibi.*

Vers. 11.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Se e. *Euth. Sese extollit.*
Humiliabitur. *Syr. Deprimetur. Euth. Deiicietur.*
Et qui. *Clem. Alex. Omnis, qui.*
Se h. *Syr. Sese depresserit. Euth. Sese deiicit. Clem. Alex. Se ipsum humiliat.*
Exaltabitur. *Euth. Extolletur.*

Vers. 12.

Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio.

Se inuitauerat. *Arab. Ipsum vocauerat.*
Cùm facis. *Clem. Alex. Cùm feceris.*
Noli v. *Ar. M. Ne voca.*
Fratres. *Syr. Etiam fratres.*
Neque cognatos. *Syr. Aut cognatos tuos.*
Neque vicinos diuites. *Arab. Neque diuites vicinos tuos. Vat. Neque vicinos diuites.*
Ne fortè. *Caiet. Ne quando.*
Reinuitent. *Arab. Vocent. Theoph. Vicissim inuitent.*
Fiat r. r. *Syr. Fiat tibi hæc compensatio. Euth. Rependatur beneficium.*

Vers. 13.

Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.

Sed. *Theoph. Imma.*
Facis. *Clem. Alex. Feceris.*
Conu. *S. Aug. Epulum.*
Voca. *S. Aug. Conuoca.*
Pauperes. *Clem. Alex. Mendicos, propter quos cœna maximè facienda est.*
Debiles. *Syr. Afflictos.*
Et cæcos. *Pagn. Cæcos.*

Vers. 14.

Beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Non h. *Arab. Non est eis. S. Aug. Non habentes. Caiet. Non possunt.*
Retrib. *Syr. Vnde rependant. Arab. Quod retribuant. S. Aug. Vnde reddant.*
Retribuetur. *Syr. Fiat tua retributio. Arab. Tua retributio erit. Euth. Rependetur.*

Vers. 15.

Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui

Hæc. *Arab. Hoc. Vat. Hac autem.*
Cùm a. *Arab. Audiuit autem.*
Quidam. *Arab. Vnus.*
De s. d. *Pagn. De simul accumbentibus. Ar. M. Recumbentium.*
Manducabit p. *Syr. Comedet panem. Euth. Sumit*

manducabit

Vulgata Editio.

manducabit panem in regno Dei.

Verſ. 16.

At ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

Verſ. 17.

Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia.

Verſ. 18.

Et cœperunt ſimul excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.

Verſ. 19.

Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum.

Verſ. 20.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire.

Verſ. 21.

Et reuerſus ſeruus nuntiauit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſeruo ſuo: exi citò in plateas, & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

Verſ. 22.

Et ait ſeruus: Domine, factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt.

Verſ. 23.

Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes; & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Verſ. 24.

Dico autem vobis, quod nemo virorum

Lectionum varietas.

prandium. Ar. M. Manducabit prandium. Pagn. Comedit panem. Caiet. Manducat panem.
Regno Dei. *S. Epiph. Regno cælorum.*

Ac ipſe. *Syr. Ieſus.*
Homo. *Syr. Vir.*
Fecit. *Theoph. Apparauerat.*
Cœnam m. *Arab. Conuiuium magnum.*
Vocauit. *Syr. Conuocauit.*

Seruum ſ. *Arab. Seruos ſuos. Euth. Illum ſeruum ſuum. Ar. M. Seruum.*
Hora. *Syr. Tempore.*
Dicere. *Arab. Vt dicerent.*
Inuitatis. *Syr. Iis, qui conuocati erant. Arab. Vocatis.*
Vt venirent. *Pagn. Venite.*
Quia iam. *Syr. Ecce.*
Parata ſunt. *Syr. Parata ſunt nobis.*

Excuſare. *Caiet. Recuſare.*
Villam. *Tert. Agrum.*
Neceſſe h. *Syr. Conſtringor. Arab. Neceſſitas vocat me. Euth. neceſſitas mihi eſt. Pagn. Neceſſe mihi eſt.*
Exire. *Arab. Vt exeam ad eam.*
Rogo te. *Syr. Peto à te. Arab. Et rogo.*
Habe m. e. *Syr. Concede mihi, vt ſim excuſatus. Arab. Vt parcas mihi, & non veniam.*

Iuga boum. *Tert. Boues.*
Emi. *Tert. Mercatus ſum.*
Eo. *Arab. Ego vado.*
Rogo te. *Syr. Peto à te.*
Habe m. e. *Syr. Concede mihi, vt ſim excuſatus. Arab. Vt parcas mihi, & non veniam.*

Ideo. *Ar. M. Propter hoc.*

Et reuerſus. *Syr. Itaque venit. Theoph. Et veniens. Ar. M. Et adueniens.*
Seruus. *Theoph. Seruus ille.*
Nunciauit. *Euth. Renunciauit.*
Hæc. *Arab. Hoc.*
Iratus. *Syr. Excanduit. Arab. Iratus eſt.*
Paterf. *Syr. Dominus domus.*
Citò. *Arab. Feſtinans.*
Plateas. *Arab. Vias.*
Ciuitatis. *Syr. Vrbis.*
Debiles. *Syr. Dolore affictos. Ar. M. Mancos.*
Cæcos & c. *Vat. Claudoſque & cæcos.*
Introduc. *Arab. Voca.*

Domine. *Syr. Domine mi.*
Factum eſt. *Arab. Feci.*
Vt imperaſti. *Syr. Vt præcepiſti. Arab. Quod imperaſti.*
Locus eſt. *Vat. Locus ſupereſt.*

Seruo. *Syr. Seruo ſuo. Euth. Ad ſeruum.*
Compelle. *Syr. Coge. Arab. Compelle illos.*
Intrare. *Arab. Quouſque intrent.*
Vt. *Arab. Et.*

Dico autem. *Pagn. Dico enim.*
Quod nemo v. i. *Syr. Ne vnum quidem ex illis hominibus.*
Vocati ſunt. *Syr. Vocati fuerant.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.	Gust. *Pagn. Gustabunt.* Cœnam m. *Syr. Ex cœnâ meâ.*
Vers. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos:	Ibant a. *Arab. Et erat abiens. Vat. Comitabantur autem.* Turbæ multæ. *Syr. Cœtus multi. Arab. Turba multa.* Cum eo. *Vat. Eum.*
Vers. 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus.	Si quis. *Syr. Qui. Arab. Quicunque.* Odit. *S.Hil. Oderit.* Patrem suum. *Clem.Alex. Patrem.* Matrem & vxorem & filios e. f. e. s. *Syr. Matrem suam, & fratres suos, & sorores suas, & vxorem suam, & liberos suos. Clem.Alex. Vel matrem, vel vxorem, vel filios.* Adhuc a. e. a. *Syr. Atque adeo animam. Arab. Etiam vsque ad animam. Pagn. Praterea autem & animam suam.* Potest esse. *S. Epiph. Est.* Meus. *Syr. Mihi.*
Vers. 27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.	Qui. *Theoph. Quisquis. Pagn. Si quis. Fr. Luc. Quicunque.* Baiulat. *Fr.Luc. Portat.* Venit p. m. *S.Epiph. Sequitur me. Vat. Subsequitur me.* Meus. *Syr. Mihi.*
Vers. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt si habeat ad perficiendum.	Quis. *Euth. Quis est. Orig. Si quis vestrum.* Volens. *Euth. Qui velit.* Non priùs s. c. *Arab. Non sedet primùm & computet. Euth. Quin sedens computet. Orig. Non priùs sedebis & computabit.* Sumptus. *Syr. Sumptus suos.* Qui n. s. *Syr.* omittit. *Arab. Eius.* Si h. a. p. *Syr. An habeat vnde perficiat eam. Arab. An sit ei, quo perficiat illam. Pagn. An habeat quibus opus est ad perficiendum. Vat. Num habeat quibus opus est ad consummationem.*
Vers. 29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,	Ne p. *Ar.M. Vt ne quando.* Posuerit. *Ar.M. Ponente ipso. Pagn. Fuerit.* Fundamentum. *Arab. Fundamenta.* Non potuerit. *Ar.M. Non potente.* Perficere. *Arab. Super perfectionem illius.* Qui v. *Syr. Spectatores. Arab. Aspicientes. Euth. Qui viderint.* Incip. i. *Syr. Illudant.*
Vers. 30. Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.	Ædificare. *Arab. Ædificationem.* Consummare. *S.Chrys. Perficere.*
Vers. 31. Aut quis rex iturus committere bellum aduersùs alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?	Iturus. *Arab. Exiit. Theoph. Proficiscens.* Committere bellum. *Syr. Vt decernat bello. Arab. In bellum. Theoph. Vt committat prælium. Ar.M. Comittere in bellum. Caiet. Vt congrediatur prælio.* Aduersùs a. r. *Syr. Cum rege socio suo. Arab. Regis alterius. Theoph. Aduersùs alterum regem. Ar. M. Alteri regi.* Non. *Euth. Nonne.* Sedens p. *Syr. Priùs. Arab. Sedet prius.* Cogitat. *Arab. Cogitabit. Euth. Consultat. Vat. Consilium init.* Si possit. *Syr. Num possit. Theoph. An possit. Ar. M. Si potens est.* Cum d. *Vat. Decem. Ar.M. In decem.* Qui venit. *Arab. Venientibus. Vat. Qui adoritur.* Ad se. *Pagn. Contra se. Vat. Eum.*

Vers. 32.

Vulgata Editio.

Verſ. 32.

Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt.

Vulgata Editio.

Alioquin. *Syr. Sin minùs. Ar. M. Si autem non.*
Adhuc i. l. a. *Syr. Dum adhuc eſt procul ab eo. Arab. Dum expectat longè ab eo. Vat. Dum ille adhuc longè abeſt.*
Legationem m. *Syr. Mittit caduceatores. Arab. Mittit nuncios. Theoph. Legatione miſsâ.*
Rogat. *Syr. Expoſtulat. Pagn. Petit.*
Ea. q. p. ſ. *Syr. Pacem. Arab. Pacem eius. Vat. Ea quæ ad pacem pertinent. Ar. M. Quæ ad pacem.*

Verſ. 33.

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Sic ergo omnis. *Syr. Ita quiſquis. Arab. Sic vnuſquiſque.*
Qui non r. *Syr. Non relinquit. Arab. Si non renunciauerit. Orig. Qui non abrenunciauerit. Caiet. Qui non vale facit.*
Omnibus. *Syr. Omnem.*
Quæ p. *Syr. Poſſeſſionem ſuam. Arab. Quæ ſunt ei. Ar. M. Suis ſubſtantiis.*
Meus. *Syr. Mihi.*

Verſ. 34.

Bonum eſt ſal. Si autem ſal euanuerit, in quo condietur?

Bonum. *Euth. Bona res. Pagn. Bonus.*
Si a. ſ. *Syr. Si verò & ipſe ſal.*
Euanuerit. *Syr. Inſipidus fuerit factus. Euth. Inſulſus fuerit. Caiet. Infatuatum fuerit.*
In quo. *Syr. Quo. Theoph. Per quod. Pagn. Per quid.*

Verſ. 35.

Neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

In t. *Arab. Terram.*
In ſterq. *Arab. Sterquilinium. Pagn. In fimum.*
Vtile eſt. *Syr. Abit. Arab. Bonificat. Euth. Vtilis eſt. Caiet. Eſt accommodum. Fr. Luc. Eſt appoſitum.*
Sed foras. *Theoph. Foras.*
Mittetur. *Syr. Eum abiiciunt. Arab. Expelletur. Euth. Proiiciunt illum.*
Qui habet. *Arab. Cui ſunt.*
Audiendi. *Arab. Audientes. Pagn. Ad audiendum.*
Audiat. *Arab. Audiant.*

CAPVT XIV.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Quanto lucrandarum animarum *deſiderio* Chriſtus *teneretur.* 566
Mali *quum benè agere videntur, machinantur mala.* 566
Tumor *maximè cauendus.* 567
In iis, qui alios notant, *ſemper aliquid noui pullulat, quod notetur.* 569
Inanis gloriæ *inimicus, omnium facile amicus redditur.* 570
Ignominia *incipit eſſe ad gloriam, ſi ametur.* 570
Qui ſe humiliat *vt exaltetur.* 571
Plures humiliatos *videmus, quàm humiles.* 571
Beneficentia *vt exercenda.* 571

Et factum eſt, cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum, ſabbato, manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

NVLLIVS conſuetudinem deſpicit Ieſus; omnibus ſe familiarē exhibet, ac domeſticum, vt omnes lucrifaceret. Intrat ad conuiuium, haud dubiè, quin inuitatus: ſciebat, quam vtilitatem eſſet ſuâ præſentiâ allaturus; & licet calumniis impetendus, æquo tamen eas animo deuorauit, animarum lucrandarum deſiderio.

Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum.

QVî huic homini aditus patuit in domum principis Phariſæorum? An ab ipſis Phariſæis admiſſus, vt Chriſto occaſionem præberent faciendi, quod carpere poſſent? Maligni etiam, bonum alioquin, opus in malum dirigunt, &, cùm benè agere videntur, tunc mala machinantur. Fors, ſponte ſuâ, ſe hic homo Chriſti conſpectui obtulit, tanquam domeſticus illius principis Phariſæorum, vel certè ipſius familiæ notus. Sed cur ſanitatis beneficium ipſe à Chriſto non poſtulauit? Ne præſentes Phariſæos offenderet, qui, tanquam inuidi, id ægtè tuliſſent.

Homo quidam hydropicus: Suo morbo, auaritiæ 567
morbum indicabat; vt eius viſu cognoſcere Phariſæi poſſent quid intùs eſſent, eiuſque ſanatione ſanarentur. *Vitium,* inquit Vgo, *quod iſte geſtabat in* CORPORE, *phariſæi geſtabant in* CORDE, *id eſt auaritiam; & ideo coram ipſis curauit eum corporaliter;*

raliter, vt hoc exemplo discerent curari spiritualiter.

Ecce homo quidam hydropicus: Non casu accidit, quòd hydropicum ante Pharisæi domum tūtat; vt per illius corporis ægritudinem, cordis morbum, quo Pharisæus laborabat, ipsemet videret, cogitaret; & à corporis tumore, quem in hydropico abhorrebat, disceret ipse mente detumescere.

Et respondens Iesus dixit ad legisperitos, & pharisæos dicens: Si licet sabbato curare?

CVm nosset Iesus, se obseruari: legisperitos, quorum erat scire, quæ legis, & iuris erant, ac Pharisæos rigidos legis obseruatores, qui omnes erant ad conuiuium inuitati, & fors etiam inuidia eos obtruserat, interrogat, ac quærit: an sabbato curare liceat; non quòd id nesciret, sed, vt eorum errorem tolleret, & eorum occurreret calumniæ.

At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.

568. REspondere non audent; ne, si id negarent, argumentis refellerentur; quæ soluere non possent; quod alias illis acciderat. Saluator, qui libenter miseris succurrebat, hydropico sanitatem confert.

Vbi sanitati restituit iussit eum abire. Sed cur dimittit? Ne ipso, apud se detento, ad ostentationem vti videretur, a quâ humilitatis magister longissimè aberat, & abesse suos hoc exemplo docuit. Præterea aliam ob causam dimisit: ne scilicet eius aduersarij nimio pudore opprimerentur, quibus alia documenta in hoc ipso conuiuio tradere, decreuerat.

Ioan. 9. 16. Licèt hic tacuerint; sciebat nihilominùs Christus, aliquos acclamaturos: *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Hoc etsi non ignoraret, non tamen omisit hominem restituere sanitati; vt exemplo suo nobis ostenderet, non esse prætermittenda bona opera propter impiorum hominum calumnias, & dicteria.

Frequens in sabbato curabat ægrotos cælestis medicus; nec pharisæorum, qui scandalizabantur, vlla habita ratio est. *Decet enim nos*, inquit Theophylactus, *cum magna resultat vtilitas, non curare si stulti scandalizentur.*

Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illam die sabbati?

569. QVam apto suos calumniatores exemplo conuincit Christus! Quo adeò illos pressit, vt nec vllum verbum reponere ausi fuerint. Aptum exemplum, *in quo*, inquit Venerabilis Beda, *sic obseruatores suos pharisæos conuincit, vt eosdem etiam auaritia condemnet, qui, in liberatione animalis*, SVÆ AVARITIÆ CONSVLEBANT. *Eosque violare sabbatum in opere cupiditatis, qui eum violare arguerunt in opere charitatis.* Nimirum in iis, qui alios iniustè norant, semper aliquid noui pullulat, quod iustè noretur.

Cùm vocatus fueris vade, recumbe in nouissimo loco; vt, cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi; Amice ascende superius.

ILle prudens, & cordatus est qui non digniorem eligit locum; sed, cum primæ sedis honorem meteatur, adeò illum non ambit, vt vltrò aliis deferat. Magnum, ac præclarum donum est, suis se limitibus coërcere; & humilitati, vltimi loci electione, seruire, non vltima viri iusti laus est: inter primas censeri debet.

Dicat tibi, Amice ascende superius: Humilitas omnibus placet, omnium rapit animos: humilis amicus omnibus est; superbus omnibus hostis, etiam sibi. Suprà, qui inuitauerat, eum, qui in locum digniorem se ingessit, ita alloqui posse, narratur: *& veniens is, qui te inuitauit dicat tibi: Da huic locum.* Amici titulum omittit, quo hic, humilem alloquens, vtitur. *Amice*, inquit, *ascende superius*: quo discrimine docetur, modestum, ac inanis gloriæ inimicum, amicum omnibus esse; superbum, ac fastuosum, & cæteris se anteferentem omnibus inuisum, omnibus inimicum, & exosum esse. 570.

Amice ascende superius: Ita tamen, vt amicus esse non desinat, qui ascendit. Plures, antequam ad culmen honoris ascenderent; amicos habuit Christus; qui, in culmine positi, hostes euaserunt. *Loquere ergo tibi*, inquit Sanctus Bernardus, *abiectus eram in domo Dei mei. Quale est hoc, de paupere, & abiecto leuari super gentes, & regna? Sanè, qui dixit mihi; amice ascende superius, amicum fore fidit.* Ascensum qui suadet, amicitiam & perennare cupit, & crescere.

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

ERit tibi gloria; vera gloria est, quæ datur, non quæ ambitur. Gloria incipit esse ad ignominiam, si quæratur. Ignominia incipit esse ad gloriam, si ametur.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

DIgna efferendæ humilitati, & premendæ superbiæ sententia est. Sed hic aliquis reponat: multos, dum superbè se efferunt, ad culmina ferri; contemni ideò, si se contemnant. Nodum in hunc modum soluit hîc Sanctus Thomas: *Quod dicitur intelligendum est secundum diuinum iudicium, non secundum humanam consuetudinem, secundum quam plures concupiscentes honorem consequuntur; alij verò, se humiliantes, ingloriј remanent.* 571.

Qui se humiliat; non dixit, *qui humiliatus fuerit* exaltabitur; sed, *qui se humiliat*, ne sit necessitatis, sed virtutis. Etiam superborum est humiliari; humilium, humiles se præbere: plures humiliatos videmus, sed non humiles.

Voca pauperes, & debiles.

VOca pauperes, ac debiles: cur pauperes? *Ne humanitatis istius* VICEM *retribuere possent*, ait Tertullianus. Beneficentia ita exercenda est vt retributio non cogitetur; alioquin non liberalitas exercetur, sed auaritia; nec misericordia, sed nundinatio.

SECTIO

SECTIO II.

Solus Deus ſatiare *animam poteſt.* 572
Summa Chriſti manſuetudo *expenditur.* 572
Vnitas *& concordia* prædicatorum. 573
Fictam ſummiſſionem ſuperbi *plerunque præferunt.* 574
Hominum *ſtultitia qui ſe iumentis pariant.* 575
Vnum Chriſti iugum *qui fugit, pluribus ſe ſubiicit.* 576
Notata curioſitas. 576
Carnis *laſciuia quàm noxia,* 577

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

572. COenam potius, quàm prandium paraſſe hic homo dicitur; vt nullam aliam refectionem ſecuturam expectaremus, cum hæc fruitio æterna futura ſit, cui & æterna quies coniungetur. *Magnam* cœnam dicit; quia Deus, quo nil maius, cibi loco erit, ſolus ſufficiens, ac potens animam humanam ſatiare, quam nulla alia bona ſaturare poſſunt, aut implere.

Et vocauit multos: ſtupe hîc Domini manſuetudinem! *Quando, grauiſſima eos ſupplicia luere oportebat; tunc ad nuptias trahit, & ſummo paratus eſt honore afficere:* ait Sanctus Chryſoſtomus.

Et miſit ſeruum ſuum horâ cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia.

573. SEruum ſuum; ſingulare loco pluralis poſuit; miſit quippè Apoſtolos, & alios Euangelij prædicatores, vt inuitatis dicerent omnia parata eſſe, & opportunum menſæ accumbendi tempus adeſſe. *Seruum ſuum* ſeruos omnes dicit, fors quia, licèt plures re ipsâ eſſent, vnus affectu, & animorum concordiâ eſſe omnes videbantur, ac ſi in vnum prædicatorum mentes charitatis vinculo coaluiſſent.

Horâ cœnæ: horâ, quâ iam accumbere licebat: cur non miſit ante? An, quia antè inuitati erant, nunc monendi tantùm, vt venirent. Præterea horâ ipsâ cœnæ vocantur, cum anteà poſſent; ne videntes, ipſam horam cœnæ non adueniſſe, rem in aliud tempus differrent, & moras necterent. Scilicet nihil cunctandum eſt, cum Deus nos ad ſe, ſuumque conuiuium vocat.

Et cœperunt ſimul omnes excuſare.

574. OMnes, quaſi ex condicto, communique pacto, ac conſenſu, ſe excuſare incipiunt; negotia ſua prætexunt, ne ad cœnam inuitati ſe conferant. Porrò *omnes*, ſe excuſare, dicuntur, id eſt maior pars.

Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum.

EXiſſet, & vidiſſet empturus. Exit, & videt poſtquam emerat: vel exit, vt villam diſponeret. *Rogo te:* rogat, & tamen venire contemnit. Humilitas in voce ſonat, in actione ſuperbia. Sic plerunque fit, vt fictam ſubmiſſionem præferamus, ſuperbiâ pleni: *Habe me excuſatum:* Excuſat ſe apud ſeruum, cum apud Dominum deberet. Villæ addictus, ruſticitatem ſuam prodit, omni vrbanitate viduus.

Et alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum.

PRiùs emit, & poſtea it probare, an valida ſint ad aratrum trahendum, terramque colendam. Diuitiarum cupidus, diuitias augere volebat. Quàm fatuus! Excolere terram volebat, & excolere animum neglexit. 575.

Iuga boum emi quinque: Diceres, bouem ad boum iuga feſtinare. *An verò* (verba ſunt Sancti Bernardi) *comparatum iumentis, quis dubitet, qui ſibi iuga emerit iumentorum? niſi quòd eò ſanè ipſis quoque iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur; quia iuga neceſſitatis eorum,* PROPRIA *ipſe ſubeat* VOLVNTATE. Spontè homo ad iuga currit, à quibus boues refugiunt.

Emi: non oblata accepit, ſed pretio quoque emit; vt eius fatuitas proderetur, qui, quod pretio auertere deberet, pretio ſubit, vt pretioſior ruina pretioſior labor ſit, pretio comparatus.

Quinque, quis bos ad tot iuga collum porrigeret, iſte boue ſtolidior ad quinque iuga ſuſtinenda feſtinat, adeo inſanit malus, vt nec ſibi parcere ſciat. 576.

Iuga boum emi quinque: Qui à Chriſti iugo, ac conuiuio ſe abiunxerat, quinque ſuſcipit, eaque pretio empta. *Quale hoc ipſum eſt? Eligere potius quinque quàm vnum?* inquit Sanctus Bernardus. Nimirum multos dominos habet, qui vnum defugerat.

Eo probare illa: Non ait paſcere, ſed probare; vbi *notatur curioſitas*, inquit Sanctus Auguſtinus; non neceſſitas. Qui Deum, & Dei delicias contemnit, vt curioſitati litet, indignus eſt, qui ad Dei delicias vnquam admittatur.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.

HIc non rogat, vt habeatur excuſatus, ſicut duo primi fecerunt: abſolutè ait, ſe venire non poſſe; quia ſcilicet carnis laſciuia ita animam obruit, vt cæleſtes faſtidiat delicias, Dei ſui oblitus, oblitus æternorum. 577.

Et, reuerſus ſeruus, nuntiauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſeruo ſuo.

SEruus nunciaſſe Domino dicitur, non quòd Deus excuſationem eorum, eum Diuinæ beneficentiæ contemptu coniunctam, ignoraret; ſed, vt parabolæ conſequentiæ reſponderet. Solent enim, qui ad vocandos aliquos mittuntur, reuerti, ac renunciare, quid præſtiterint. Fors reuerſio, & renunciatio indicat: Deum puniendi tempus diſtuliſſe; vt illi, qui ſe excuſauerant, reſipiſcerent.

SECTIO

SECTIO III.

Dei *mititas & clementia.* 578
Dona *sua aliis exhibere quàm* Deus *cupiat.* 578
Pauperes *faciliùs ad Christum pergunt.* 579
Deus *quàm aliquid iubet, & vires tribuit.* 579
Vera obedientiæ *nota.* 580
Animarum *salus procuranda.* 580
Facilè suam crucem *fert, qui Christum cruci affixum cogitat.* 581
Rerum terrenarum *cohærentia cum exercitu.* 583
Nostra quoque opes *contra nos pugnant.* 583
Bellorum & discordiarum *negotia sæpè in* Principum *aulis tractantur.* 583

Iratus paterfamilias dixit seruo suo: exi citò in plateas, & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

578. VIde Domini huius clementiam, & mititatem etiam in iracundiâ. Putari poterat, cùm renuerent inuitati ad cœnam venire, conuiuium dissoluendum, obserandas fores, aditum præcludendum, ne postea alicui, vel roganti, pateret. Non ita fit. Ab hominibus, qui, in aliquos irati, in omnes sæuiunt, facile id factum. Deus inter iras non obliuiscitur beneficia in alios serere: iratus in vnum, quin ab illo contemptus, se se beneficum aliis exhibet.

Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

EXi citò: quis Dominum vrget, vt tantam celeritatem seruo iniungat? Quia cœna iam parata erat. Sed magis vrgebat illum sua misericordia, & suas delicias communicandi ardens desiderium.

579. *Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc:* non iubet inuitari; iubet introduci, voluntate nimirum suâ ad cœnam pronos. Diuites terrenis rebus addicti, vxoris vinculis adstricti, inuitantur, & renuunt, aut excusationum leuia velamina obtendunt: carent his impedimentis pauperes debilesque; quare faciliores, promptioresque ad cœnam sunt.

Debiles, & cæcos, & claudos introduc huc: Ita ne ad tam diues conuiuium pauperes, debilesque vocantur, quin & cæci? Citò venire nequibunt, qui claudi, nec tutò qui cæci. An sanati sunt, dum vocati? Cùm Deus aliquid iubet, & vires tribuit, vt ritè fiat, quod iubet. *Illi, qui vocati ad cœnam,* inquit Sanctus Ambrosius, *priùs vocando sanantur. Si* CLAVDVS *fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit. Si lumine priuatus oculorum, domum vtique Domini, nisi* REFVSA LVCE *intrare non potuit.* Nemo, cum ad munus aliquod à Deo vocatur, animum, si se ineptum videat, despondeat; satis est, si à Deo vocetur: nihil illi deerit; omnia tollentur impedimenta.

Et ait seruus: Domine, factum est, vt imperasti: & adhuc locus est.

580. SEdulus hic seruus erat, & dictis domini sui parens: non se excusat, nec defugit laborem, non primorum recusationem obtendit, imperium non expendit, ac diiudicat; sciens, sui muneris esse promptè obedire; non parentiæ impedimenta obiicere.

Et adhuc locus est: Magno feruet hic seruus zelo, multos ad Dominum suum adduxit; sed plures adducere optabat. Laboris, quem subiuit, oblitus, ad nouum se tacitè offert, dummodo multos ad Dominum adducat. Hæc vera Prædicatorum, & pro Christo laborantium nota; vt in animarum salute procurandâ ita laborent; vt, præ alienæ salutis zelo, laboris sui obliuiscantur, & nouis se offerant difficultatibus, noui lucri spe.

Et ait Dominus seruo: exi in vias, & sepes; & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

COmpellendi verbo ardens Domini desiderium, & summa liberalitas significatur, cupientis delicias suas, opesque spiritales multis communes facere. Porro, hoc præcepto dato, non dicitur seruum reuersum esse, qui diceret: *Domine factum est vt imperasti;* quod superius factum. Cur ita? An, quia adhuc vocatio gentium, ac intratio viget, & durat, & vsque ad seculi finem perdurabit? 581.

Qui non baiulat crucem suam: Ille facilè suam crucem baiulabit, qui Christum sequitur, & in Christum cruci affixum oculos coniicit, vt eius amore trahatur, quem, ob amorem, videt tam grauia pro se sustinuisse; huc spectabat Beatus Laurentius Iustinianus. *Non armis carnalibus, sed faciliùs amoris inflammas tuorum mentes fidelium, ad currendam viam mandatorum tuorum, atque ad capescendam perfectionem consiliorum tuorum. Quis verò auderet terrena relinquere, temporalia oblectamenta spernere, carnem assidua maceratione edomare, & crucem suam (sicut mandasti) quotidie baiulare post te, si tuo non traheretur amore? Intuetur quippè fidelis, & deuotus homo, bis grauiora te sustinuisse pro se, & hac contemplatione edoctus, hoc amoris fulgore irradiatus, se totum exponit pro te; indignum arbitrans fore, vt floreat in seculo seruus, Domino crucifixo.*

Quis enim ex vobis, volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.

TVrris exemplum adducit; nam, qui se discipulum Christi constituit, ædificationem turris spiritualis, cuius culmen ad cælum, Deique conspectum persurgat, aggreditur. Dum turris mentio hîc fit, Babelis turrim quisque cogitet, quæ confusionis occasio fuit; quia ad fastum, & inanem gloriam ædificabatur. Nos non nostri nominis celebritatem debemus in spiritali fabricâ quærere, sed diuini. 582.

Volens turrim ædificare: & sumptus cogitet, & necessariam concordiam esse sciat; alioquin perfici hæc fabrica non poterit, sicut & in Babelis turri accidit.

Sedens: per quietem scilicet, & per otium res cogitanda est, non aliud agens, & tumultuariò; alioquin ratio sumptuum ritè subduci nequibit. Quod multò verius si ad spirituale ædificium res vocetur.

Aut

Aut quis rex, iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.

583. BElli, & militum similitudine nos docet Christus, vt omnibus renunciemus, terrena relinquamus, sic enim statim similitudinem applicat: *Sic ergò omnis ex vobis qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed dicat hic aliquis: quæ rerum terrenarum cum exercitu cohærentia? Summa est; terrenæ quippe opes contra nos pugnant magis quàm hostium exercitus; & grauius à rerum terrenarum vi exitium timendum est, quàm ab hostibus ipsis. Hinc apud Hebræos חיל *chail*, & de opibus, & de exercitu dicitur: nomine conueniunt, conueniunt re.

Quid? non alienæ tantum opes contra nos pugnant, sed præcipuè nostræ, res, quas possidemus, in nos sæuiunt, & idcirco Christus vt omnia quæ habemus contemneremus copiosi exercitus similitudine vtitur, vt innueretur, quàm ingens nobis à nostris opibus periculum immineat, non secus ac si exercitus in nos ingrueret.

Quis Rex iturus committere bellum: pleraque alia in Regum aulis tractantur, quæ magnâ consultatione indigent; cur igitur belli signatè meminit? Quia Regibus nihil magis familiare, quàm prælia, atque dissidia. Nihil magis in Principum aulis frequens, quàm bellorum, & discordiarum plerumque inconsulta consultatio.



Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XV. LVCÆ.

Vers. 1.

ERANT autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

Erant appropinquantes. *Arab. Appropinquauerunt. Theoph. Accedebant.*
Ei. *Theoph. Ad eum.*
Publicani. *Pagn. Omnes publicani.*

Vers. 2.

Et murmurabant Pharisæi, & scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Pharisæi, & s. *Syr. Scribæ & Pharisæi.*
Recipit. *Syr. Suscipit.*
Manducat. *Syr. Essitat. Euth. Cibum capit. Pagn. Edit.*

Vers. 3.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens.

Et ait a. i. *Vat. Dicebat autem illis.*

Vers. 4.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: Et si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam.

Quis ex vobis. *Orig. Quis.*
Homo. *Syr. Est vir. Orig. omittit.*
Qui h. *Arab. Cui sint. Orig. Habens.*
Et si perdiderit. *Syr. Et perdiderit, Arab. Perdat autem. Orig. Cum perisset.*
Vnam ex illis. *Orig. Ex quibus vna.*
Nonne d. *Syr. Qui non relinquat. Orig. Relictis.*
Deserto. *Orig. Montibus.*
Et vadit. *Syr. Et proficiscatur. Orig. Descendit. Vat. Et vadit.*
Ad i. q. p. *Syr. Quæsiturus eam, quæ periit. Orig. Quærere eam. Ar. M. Ad perditam. S. Seph. Quæ aberrauerat.*
Inueniat. *Syr. Inuenerit.*

Vers. 5.

Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

Et c. I. e. *Orig. Quamque inuentam.*
Imponit. *Syr. Baiulat eam. Arab. Portat eam. Orig. Humeris suis reportauit.*
In h. s. *Syr. Super humeros suos.*
Gaudens. *Syr. Lætatur.*

Veniens. *Arab. Venit cum eâ.*
Domum. *Arab. Domum suam.*

Vers. 6.

Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat?

Conuocat. *Arab. Et vocat.*
Amicos & vic. *Syr. Amicos suos & vicinos suos.*
Congr. m. *Theoph. Gaudete mecum. Caiet. Congaudete mihi.*
Quia i. *Arab. Ob inuentionem meam.*
Ouem m. *Arab. Ouis mea.*
Quæ p. *Arab. Perdita. Euth. Quam perdideram. Vat. Quæ perdita est.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 7.

Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.

Quod ita. *Clem. Alex. Magnum enim. Orig. Magnus enim.*
Gaudium e. *Syr. Gaudium maius erit. Euth. Gaudium magis erit. Clem. Alex. Gaudium eſt.*
In cælo. *Clem. Alex. Apud patrem. Orig In cælis.*
Super vno. *Arab. De vno peccatore. Clem. Alex. Vno peccatore ſeruato.*
Pœnit. a. *Syr. Qui pœniteat. Euth. Reſipiſcente. Vat. Pœnitente.*
Quàm. *Theoph. Magis quàm.*
Qui. *Orig. Quibus.*
Indigent. *Syr. Egent. Orig. Eſt opus. Ar. M. Opus habent.*

Verſ. 8.

Aut quæ mulier habens drachmas decem: ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?

Quæ m. *Syr. Quænam eſt mulier.*
Habens d. *Syr. Habens zuſim. Arab. Cui ſint drachmæ.*
Et p. d. v. *Arab. Perdat vnam ex eis.*
Nonne accendit. *Syr. Quæ non accendat.*
Euerrit. *Syr. Scopet. Arab. Mundat. Euth. Verrit.*
Quærit. *Syr. Quærat ſibi.*
Diligenter. *Syr. Accuratiſſimè. Arab. Fatigans.*
Inueniat. *Arab. Inueniat eam.*

Verſ. 9.

Et cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram?

Conuocat. *Arab. Vocat.*
Amicas. *Arab. Dilectas ſuas.*
Vicinas. *Syr. Vicinas ſuas.*
Congr. m. *Syr. Lætamini mihi. Caiet. Congaudete mihi. Theoph. Congaudete mecum.*
Quia i. *Arab. Ob inuentionem. Arab. Ob inuentionem meam.*
Drachmam. *Arab. Drachma mea.*
Quam p. *Syr. Quæ perdita fuerat. Arab. Perdita.*

Verſ. 10.

Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Ita. *Vat. Tale.*
Gaudium erit. *S. Greg. Nyſſ. Siquidem gaudium fit.*
Coram Angelis. *S. Greg. Nyſſ. Angelis.*
Super vno p. *Arab. De vno peccatore. S. Greg. Nyſſ. Super his.*
Pœnit. a. *S. Greg. Nyſſ. Qui ex peccato reſipiſcentes ſalui fiunt. Euth. Reſipiſcente. Vat. Pœnitente.*

Verſ. 11.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios:

Ait a. *Syr. Et dicebat eis rurſum Ieſus.*
Homo q. *Syr. Vir quidam. Arab. Homo quidam erat.*
Habuit. *Arab. Cui erant.*
Duos f. *Arab. Duo filij.*

Verſ. 12.

Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam.

Adoleſc. e. i. p. *Syr. Filius eius minor natu. Arab. Minor ex illis patri ſuo. Ar. M. Iunior eorum patri.*
Pater. *Syr. Pater mi.*
Portionem. *S. Aug. Partem.*
Subſtantiæ. *Syr. Ex domo tuâ. Arab. De facultatibus tuis. S. Aug. Patrimonij.*
Quæ me contingit. *Syr. Quæ mihi contingit. Arab. Meam. Euth. Quæ mihi obuenit. Theoph. Quæ ad me redit. Vat. Quæ mihi cedit. Ar. M. Adiectam.*
Et. *Syr. Itaque.*
Subſtantiam. *Syr. Poſſeſſionem ſuam. Vat. Facultates. Ar. M. Vitam.*

Verſ. 13.

Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè pro-

Et n. p. m. d. *Syr. Paucis autem poſt diebus. Pagn. Et poſt dies non multos.*
Congr. *Syr. Collegit. Theoph. Cùm contraxiſſet.*
Omnibus. *Syr. Quæcunque ad ſe peruenerant. Theoph. Omnia.*
Adoleſcentior f. *Syr. Filius ille minor. Euth. Adoleſcentior*
fectus

Vulgata Editio.

fectus est in regionem longinquam, & ibl dissipauit substantiam suam viuendo luxutiosè.

Vers. 14.

Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

Vers. 15.

Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

Vers. 16.

Et cupiebat implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat:

Vers. 17.

In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo!

Vers. 18.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te.

Vers. 19.

Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

Vers. 20.

Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

Vers. 21.

Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

Vers. 22.

Dixit autem pater ad seruos suos: Citò

Lectionum varietas.

lescentior Ar. M. Maior filius.

Peregrè profectus est. *Arab. Peregrinatus est.*

Et ibi. *Pagn. Et.*

Dissipauit. *Syr. Dilapidauit. S. Aug. Effudit.*

Viuendo. *Arab. In vitâ.*

Luxuriosè. *Syr. Profusè. Arab. Luxuriosâ.*

Et a. *Syr. Abiit itaque. Vat. Et profectus.*

Et adhæsit. *Syr. Et sese adiunxit. Orig. Quia accessit. Vat. Adiunxit se.*

Vni. *Orig. Ad quendam.*

Ciuium. *Syr. Ex filius ciuitatis. Arab. Ex maioribus. Orig. Primarium ciuitatis.*

Region. i. *Orig. In regione illâ.*

Et mis. i. *Orig. A quo receptus mittitur. Pagn. Atque is misit.*

Villam s. *Syr. Villam. Arab. Agrum suam. Orig. In agrum. Ar. M. Agros suos. Caiet. Villas suas.*

Cupiebat. *Syr. Concupiscebat. Ar. M. Desiderabat.*

De filiquis. *Syr. Ex filiquis illis.*

Quas. *Theoph. Quibus.*

Manducabant. *Syr. Edebant. Theoph. Vescebantur.*

Et nemo i. d. *Arab. Et non donabatur illi. Theoph. Nec quisquam illi dabat.*

In se a. *Syr. Quumque ad se. Arab. In semetipso autem.*

Reuersus. *Syr. Rediisset. Arab. Cogitauit.*

Quanti. *Pagn. Quàm multi. Caiet. Quot.*

Mercenarij. *Arab. Et mercenarij sunt.*

In d. p. *Syr. Nunc in domo patris. Ar. M. Patris.*

Abundant. *Arab. Quibus abundat.*

Panibus. *Syr. Pane. Arab. Panis.*

Ego autem. h. *Pagn. Ego verò.*

Surgam. *Euth. Surgeas.*

Et i. *Syr. Proficiscar. Euth. Ibo.*

Pater. *Syr. Pater, mi.*

Et coram te. *S. Paul. Et in te.*

Iam non. *Syr. Neque ampliùs. Euth. Nec posthac.*

Tuus. *Arab. Tibi.*

Fac. *Arab. Sed fac.*

Sicut vnum. *Arab. Sicut vnus.*

De m. t. *Arab. Mercenariorum tuorum. Al. Ex mercenariis.*

Esset. *Theoph. Abesset.*

Misericordiâ m. e. *Syr. Misertus est eius.*

Accurrens. *Arab. Festinauit. Euth. Occurrens. Ar. M. Currens.*

Cecidit s. c. e. *Syr. Incidit in collum eius. Arab. Complexus est illum. Euth. Ruit in collum eius. Vat. Se coniecit in collum eius.*

Osculatus. *Vat. Deosculatus.*

Filius. *Arab. Filius eius.*

Pater. *Syr. Pater mi.*

Iam non. *Pagn. Neque Posthac.*

Tuus. *Arab. Tibi. Goth. Tuus. Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.*

Pater. *Syr. Pater ipsius.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.

Citò proferte. *Syr. Depromite. Pagn. Proferte. Ar. M. Afferte.*
Stolam. *Vat. Stolam illam.*
Date. *Syr. Ponite.*
In manu. *Vat. Manui.*
Calceam. i. p. e. *Syr. Calceate eum soleis. Vat. Calceamenta pedibus. Ar. M. Calceamenta in pedes.*

Vers. 23.

Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.

Et adducite. *Orig. Citò adducite. Vat. Et eductum. Ar. M. Et afferentes.*
Vitulum. *Syr. Bouem. Euth. Vitulum illum.*
Occidite. *Theoph. Mactate.*
Manducemus. *Syr. Edamus. Euth. Epulantes. Ar. M. Comedentes. Pagn. Sumptis epulis.*
Epulemur. *Ar. M. Oblectemur. Pagn. Lætemur.*

Vers. 24.

Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

Perierat. *Arab. Erat perditus.*
Epulari. *Euth. Lætari. Ar. M. Oblectari.*

Vers. 25.

Erat autem filius eius senior in agro: & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum:

Filius. *Syr. Ipse Filius.*
Senior. *Arab. Maior.*
Agro. *Syr. Villâ.*
Veniret. e. a. *Arab. Venisset & appropinquasset. Theoph. Veniret & appropinquasset.*
Audiuit. *Arab. Et audisset.*
Symphoniam. *Syr. Vocem concentus. Arab. Concentum vocum. Pagn. Concentum.*
Chorum. *Syr. Multorum. Caiet. Choros.*

Vers. 26.

Et vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent.

Et vocauit. *Syr. Et aduocauit. Arab. Vocauit. Euth. Et accersito.*
Vnum d. s. *Syr. Vnum ex pueris. Arab. Vnum de seruis suis. Euth. Vno de seruis.*
Interrogauit. *Syr. Sciscitatus est ab eo. Arab. Interrogauit illum.*
Hæc essent. *Syr. Istud esset. Vat. Sibi vellent illa.*

Vers. 27.

Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.

Isque. *Pagn. At is.*
Frater. *Ar. M. Quia frater.*
Occidit. *Euth. Mactauit.*
Vitulum. *Syr. Bouem illum. Theoph. Vitulum illum.*
Saluum. *Syr. Sanum. Ar. M. Valentem. Pagn. Incolumem.*

Vers. 28.

Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

Indignatus. *Vat. Iratus.*
Et nolebat. *Arab. Et noluit. Pagn. Nec volebat.*
Introire. *Vat. Ingredi.*
Egressus. *Arab. Exiuit.*
Cœpit r. i. *Syr. Efflagitabat ab eo. Ar. M. Aduocabat illum. Caiet. Rogabat illum.*

Vers. 29.

At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer.

Patri suo. *Theoph. Patri.*
Ecce tot annis. *Arab. Quot annis. Orig. Ego semper.*
Seruio tibi. *Syr. Seruio tibi seruitutem. Orig. Tecum fui.*
Et n. m. *Euth. Nec vnquam preceptum.*
Præteriui. *Theoph. Trangressus sum.*
Hœdum. *Arab. Vnum hœdum.*
Epularer. *Arab. Epularer illo. Ar. M. Oblectarer. Caiet. Lætarer.*

Vers. 30.

Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretrici-

Hic. *Orig. Hic iunior.*
Qui d. *Syr. Quum profuderit. Orig. Qui dilapidauit.*
Subst. s. *Syr. Possessionem tuam. Orig. Omnem substantiam suam. Vat. Facultates tuas. Ar. M. Tuam vitam. Caiet. Substantiam tuam.*
Cum m. *Orig.* omittit.

bus,

Vulgata Editio.

bus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.

Verſ. 31.

At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt:

Verſ. 32.

Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.

Vulgata Editio.

Occidiſti. *Euth. Mactaſti.*
Vitulum. *Syr. Bouem illum. Euth. Vitulum illum.*

At ipſe. *Syr. Pater ipſius.*
Fili. *Arab. Fili mi.*
Semper. *Syr. In omni tempore.*
Mea tua ſunt. *Arab. Quæ ſunt mihi.*

Epulari. *Theoph. Lætari. Ar.M. Oblectari.*
Frater. *Pagn. Iſte frater.*
Perierat. *Vat. Perditus erat. Ar.M. Periens erat.*

CAPVT XV.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

584. CVR publicani, & peccatores audent ad Chriſtum accedere? Eius humanitate freti, qua neminem faſtidiebat, neminem repellebat. *Vt audirent illum.* Peccatores, & publicani non adeunt Chriſtum, tanquam ſuorum ſcelerum fautorem, ſed, tanquam ad medicum, à quo ſanarentur.

Et murmurabant Phariſæi, & ſcribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

CArpunt, quod oportebat laudare. Aderant phariſæi, qui Chriſtum obſeruabant, ſi quid in eo notare poſſent, calumniâ dignum; quòd cùm non poſſent, reprehendunt, quod laude dignum.

Hic peccatores recipit: Ac ſi dicerent: ſi vir ſanctus eſſet, id non præſtaret, & talem ſe eſſe oſtendit, quales ſunt ij, cum quibus conſuetudinem habet: ſimilis quippe ſimili gaudet, & paris vtitur libenter contubernio. Et verò Chriſtus peccatores recipit vt deſinerent eſſe peccatores, vt peccata excluderent, quæ exceperant.

Manducat cum illis: Probabile eſt Chriſtum 585.
ab iis conuiuio exceptum, quibus prædicauerat, vt eum ferculis illi paſcerent, quibus concio placuiſſet; ſpiritali eos cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus. Manducat cum peccatoribus, Manducat cum iniuſtis, vt iniuſti diſcerent eſurire iuſtitiam.

Et ait ad illos parabolam iſtam dicens.

INdigni hi calumniatores reſponſo erant; reſpondet tamen pro ſuâ manſuetudine Chriſtus, factique ſui rationem reddit, ac ſi docendi deſiderio iniuriæ obliuiſceretur, & calumniæ. Scilicet impiorum dicteria audienda non ſunt, modò peccatores ad meliora conuertantur.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?

ELucet hîc paſtoris in perditam ouem amor, 586.
elucet ſolicitudo. Rectè dictum, *vadit*, non, miſit, qui quæreret; iuit ipſe, nullius inquiſitioni credidit, nullius diligentiæ fidit. Habent, quod imitentur Præſules, & promiſcuè ſuperiores: ſubditorum curam, qui à recto tramite aberrarunt, non aliis facilè committant. Laborent ipſi in ſuorum ſalute procurandâ, onus, aliorum tantùm humeris, non imponant.

Nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat. Exemplum iſtuc ferè exemplo caret. Non facilè inter homines eſt reperire, qui maiora relinquat, quærat minora. *Hæc parabola*, inquit Sanctus Petrus Chryſologus, *plus* DIVINÆ PIETATIS, *quàm* CONSVETVDINIS HVMANÆ *loquitur, & exprimit veritatem; magna relinquere, amare minora, Dei poteſtatis eſt, non cupiditatis humanæ.*

Nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto? Itáne tot deſerit, vt vnam quærat? An non deſerit, cùm tuto eas loco committat, ab hominum frequentia remotas. Scilicet, quò quis ab hominum conſortio longiùs aberit, eò tutior erit, eóque minus periculis ſubiacebit. Ipſa loci ſolitudo paſtoris vicem ſubire poteſt.

Et, cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.

PAſtor ouem inuenit, quam quærebat. Celer, & feſtinus fuit paſtor, vt quæreret: non diu tar-

dauit. Ouis perditæ amor non fuit, cum moras nectere, cunctari. Præsul, qui subditos amat, diu quempiam aberrare non permittit: accurrit statim, vt inueniat, ne palans ouis pereat.

Imponit in humeros suos: Nullus adiuuat, nullus onus eius humeris aptat; ipse sibi superimponit. Amor ouis, & gaudium vires addidere; &, licet alioquin itinere lassus esset, ouis tamen inuentio eum erexit, vt ouem suis ipse humeris posset imponere. Superior, qui subditos amat, laborem sentire non videtur, cùm in tuto illorum salutem sitam esse videt. Amanti labor non est labor, dummodo eius, quem amat, saluti consulatur.

Imponit in humeros suos. Apparet hîc summa pastoris istius mititas, non in ouem sæuit, non eam punit, percutit, non ictibus ad gregem vrget, sed humeris imponit suis; quod expendens Sanctus Gregorius Nyssenus in catena hæc habet: *Cùm pastor inuenisset ouem,* NON PVNIVIT, *non duxit ad gregem vrgendo, sed superponens humero, & portans clementer annumerauit gregi.* Satis pœnæ ouis subiit tanto pastore vidua, dum procul à reliquo grege aberraret.

588. *Gaudens*: non ità percitus, quòd ouis errauerit, sed gaudio delibutus, quod errantem inuenerit. Cùm pastor ouem inuenisset, non duxit ad gregem vrgendo; virgâ non vtitur, non minis; sed humero superposuit. Nempè pastorum, præsulumque est, peccatoribus (vbi resipuerint) compati, non irasci, non nimis terrere, non grauiùs punire: commendanda clementia est; & benignitas sæuitiei anteferenda. Plerunque peccatores inuenti redire ad Domini gregem noluerunt; quia duris modis cum eis agitur, & asperis verbis: mitioribus agendum est.

589. Humeris ouem imponit; vix poterat meliori loco, tutiorique. *Inuentam ouem iisdem humeris, quibus & crucis lignum, sustulit*; ait Sanctus Gregorius Nazianzenus. Nimirum, vt disceremus, per crucem nobis salutem super pastorem peperisse; quietem, pacem, securitatem.

Ouem perditam humeris suis bonus pastor imposuit. Luc. 14. Cur non in sinum reposuit? an vt rectè doceremur sui humilitate peccatores à Domino erectos? Sanctus Augustinus: *Ouem perditam omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo, quam humeris suis portas, quia, humiliando se, talq; erexit.*

Imponit in humeros suos gaudens: Poterat inuentam ouem bonus pastor stimulis, & baculo vrgere ad gregem, sed noluit. Humeris imponit, ne nimis terreretur. *Ipse est bonus pastor*, verba sunt Ruricij, *qui ouem perditam ad caulas dominicas maluit propriis humeris reportare solicitus, quàm* STIMVLIS VRGENTIBVS *reuocare districtius.* Humeros supposuit, vt lassam benignè sustentaret; sicque doceremur peccatorem ad Deum redeuntem benignitate, ac humanitate recipiendum, non truci vultu, nec nimis asperis verbis.

Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.

590. *Et veniens domum*: Domum pastor venit, inuentâ oue; vt intelligeretur inueniendæ ouis desiderium fecisse, vt domo discedens hùc illùc cursitaret. *Conuocat amicos.* Magnum gaudium intra se continere non potuit, quin aliis communicaret.

Congratulamini mihi: Cur non oui, quæ perierat? Vetus ille pastor, & Præsul qui suum lucrum computat subditi salutem. *Notandum, quod non dicit*, inquit Zacharias Chrys. *Congratulamini oui, sed mihi, quia vita nostra gaudium est eius.*

Quia inueni ouem meam, quæ perierat: Non iactat nonaginta nouem sibi saluas: de vnâ inuentâ gloriatur, ac si eâ solâ locupletior esset, quàm cæteris omnibus. Quâ re Dei amor in peccatores ostenditur.

Inueni. Quos labores, inquirendo, subierit, hic pastor non explicat. Tam magno gaudio inuentâ oue affectus est, vt laboris omnis oblitus fuerit. 591.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem: Quam? *Quæ perierat.* Ergo cur non potius oui inuentæ congratulandum, quàm pastori, qui eam inuenerat? *Quia*, verba sunt Sancti Gregorij magni, *videlicet* EIVS GAVDIVM EST VITA NOSTRA; *& , cum nos calo reducimur, solemnitatem lætitiæ eius implemus*, de hominis bono, atque salute magis Deus gaudet, quàm homo ipse, qui saluti restituitur, & bonis cumulatur.

SECTIO II.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.

CVr adeò, qui in Cælo degunt, gaudent de peccatore conuersio? An, quia ipsi, erga homines benigni, hominum salutem amant? Gaudent, quia sciunt peccatoris conuersionem esse rem Deo gratissimam. 592.

Gaudium erit in calo. Cur non & in terrâ? Cælum nominat, terram non excludit. Sed cur potissimùm cæli mentio? An, quia vbi exulat inuidia, verum plerumque gaudium regnat?

Gaudium

Gaudium erit in cælo. Vbi futurum gaudium sit explicatur. In quibus futurum non dicitur. Angeli intelliguntur; hi enim soli, cum Christus hæc diceret, Cælum incolebant. Sed cur Deum non nominat? An, quia, cùm sit immutabilis, noua illi gaudij affectio non oritur, sicut Angelis, quorum accidentarium gaudium intendi potest? An Deum non nominat, sed absolutè ait, *in Cælo:* quia ibi, quod Deus amat, amant cæteri; quod Deo gaudij materia est, est etiam aliis; cùm ibi vna Dei voluntas omnes beet?

Aut quæ mulier, habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?

593. MVlierum est minutam pecuniam reseruare vsui necessariam, & eleemosynæ, si necesse sit, largiendæ. Hæc mulier, si ex decem drachmis vnam perdiderit, totam domum euerrere perhibetur, & diligenter omnes angulos domus inuestigare; &, adhibitis scopis, totius domus sordes vertit, mouet, excutitque, ne inter sordes lateat. Pende mulieris hanc sedulitatem, quæ extra domum non porrigitur. Cur domum tantùm euertit? Cur non foras exit, quòd fors foris amiserat? Non amisit; secreti amans, domi se continuerat: quod magnæ laudi mulieri dandum. Non vt drachmam tantùm inueniat, sed & puritatis thesaurum mulier seruet, extra domum ne facilè vagetur.

Accendit lucernam, vt perditam drachmam inueniat; &, vbi inuenerit, vicini congratulentur. Rem elegantissimè flectit Sanctus Augustinus ad Christum in Cruce pendentem; ait enim: *Nonne accendit lucernam carnis suæ, dum penderet in cruce, & quæsiuit perditam drachmam? Quæsiuit, & inuenit, vicinis congratulantibus, id est omni creaturâ spirituali, quæ Deum proximè attingit. Vicinis congratulantibus inuenta est drachma: Angelis lætantibus inuenta est anima humana.*

Euerrit domum: Domi quæsitura, mulier, quam perdiderat, drachmam, lucernam accendit. Nimirum non est, quod foris, & in externis rebus regni cælestis, & veri gaudij imaginem quæramus. *Si accendas lucernam*, inquit Origenes; *si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti; inuenies intra te drachmam; intra te namque est collocata imago regni cælestis.* Frustrà es, si in externis eam rebus quæras.

Et, cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.

594. PAstor amicos, & vicinos conuocauerat, vt illis gaudium communicaret; mulier non amicos, & vicinos vocare dicitur, sed amicas, & vicinas. Congruè vtrumque factum; viri quippè est mulieris consortium vitare; mulieris verò à viri consuetudine abhorrere: alioquin, si viros aduocasset mulier amicos, vicinosque inuentâ vnâ drachmâ, alias nouem cum istâ perdere metuisset. Certè castitatis thesaurum fors in pœnam amisisset, aut inficere nomen, & honestati notam aliquam inurere potuisset.

Cùm drachmam inuenisset amicas conuocauit; non legimus conuocasse cùm amisisset; lætitiam suam in alias deriuat, non deriuat mœrorem; sola tristabatur, sed noluit sola gaudio ob inuentam drachmam frui; diligentius amissam drachmam quæsiuit, nec amicarum strepitu voluit impediri.

Congratulamini mihi: Inuentâ drachmâ, tantâ lætitiâ correpta mulier est, vt cæteros inhortetur, sibi congratulandum, quasi sola tantam lætitiam ferre non queat. Vbi de animarum, quæ perierant, lucris agitur, qui Deum amat, lætitiâ tantùm non obruitur.

Inueni drachmam, quam perdideram: Inuentâ drachmâ conuocat amicas mulier, nihilque aliud de eâ edisserit, quàm eam esse, quam antea perdiderat. Nimirum & his iam ante patuerat drachmæ perditio; quî namque inter mulieres potuisset hoc esse secretum, cùm nihil ferè tacere mulieres sciant, nihil supprimere.

Homo quidam habuit duos filios; & dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.

ADolescentior filius ad patrem accedit; portionem, quæ ad illum spectabat, postulat. 595.
Ætatem suam hac petitione prodit hic filius. Rectè iunior, & adolescentior erat; minor ætate, minor prudentiâ erat. Minùs iuniores sapiunt, & inde magis sunt inconstantes; magis adspirant ad libertatem, alienum imperium minùs ferunt.

Et dixit adolescentior. Non ætate tantùm immaturus, sed & prudentia fuit: *Quis est hic adolescentior filius*, inquit Sanctus Chrysostomus orat. 4. in parabolam de filio prodigo, statimque sibi ipsi respondet? *Qui mente fuit instabili præditus, & iuuentutis turbinibus agitatus. Patrem agnouit natura eum, qui se condiderat, licèt honore non prosecuta sit voluntas libera Creatorem suum.*

Dixit adolescentior. Non lego, rem secum cogitasse; & ea, quæ dicturus, & facturus, expendisse. Imprudens adolescens rerum inexpertus patrem adit, vt à patre discederet. Rem cum aliis consuluisset: credidit se sibi. Res malè se habent, cùm adolescentes prudentiores non consulunt, & magis rerum expertos.

Pater: Patrem vocat; sed ipse filij nomen vix meretur, qui ea, quæ patris erant, noluit possidere cum patre. *Da mihi:* Fastum, & superbiam sonat hoc verbum; non rogat, sed imperat. *Da mihi*, inquit: dixisset: rogo, vt des mihi; nec tibi displiceat exhibere filio, quæ filio præparasti.

Da mihi: Expectare non potest patrem decedere. Viuendi libertate ditari volebat, facultatibus inhiabat. Cupiditas opum, deliciarum affectus moras ferre non potest. Nimis molesta quælibet dilatio auaro est. Nolebat ditari facultatibus decedentis: fors nec suam, nec patris mortem cogitabat: si cogitasset, non adeò rebus terrenis fuisset addictus.

Et diuisit illis substantiam.

VNus petit, sed pater ambobus diuidit; vt statim proderetur, quòd pater vtriusque substan- 596.
tiam teneret, non fuisse auaritiæ, sed amoris, prouidentiæ, non inuidentiæ: Verus pater, qui auaritiæ vitio non possidebatur, nec exemplo transfudit in filios.

Et diuisit: substantiam filiis diuidit pius pater: non contendit cum filio. Nimirum, ne corda diuideret, nec secaret affectum, diuidere substantiam voluit.

Substantiam: Græcè, *βίον*, quæ vox & vitam significat, & id, quo vita sustentatur, victum, pecunias, facultatem. Pecuniæ, & facultates vita dicuntur: à pluribus vitæ pariantur. Vita pecunia, & possessio vocetur; at frequentet mortis occasio est.

Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam.

597. ACceptâ suâ parte, filius statim discessum cogitat. Nimirum facultates vnitatem scindunt, charitatem violant, fraternitatem separant.

Et non post multos dies: Feruet iuuentus in iis perficiendis, quæ temerè cogitauit. Paucis post diebus, abire à patre adolescentior voluit: citius iuisset, nisi rebus colligendis, & consarcinandis fuisset occupatus. Res magis amabat, quàm patrem, deserere patrem potuit, non facultates. Audire filius non debet, qui opum amorem patris amori præfert.

Peregrè profectus est: Vide, quid cupiditas fecerit, quid auaritia. Ciuem mutauit in peregrinum, liberum miseræ subdidit seruituti: exemit domo, spoliauit famâ, exuit castitate.

In regionem longinquam: Longè abiit plus mente, quàm loco. Discessit à paternâ domo, & in longè sitam regionem se contulit, vt à patris conspectu distans liberiùs viueret; nullo paternæ præsentiæ fræno coërcitus, nullâ patris reuerentiâ cohibitus. Infelix timeri exitus potest, cùm prouidi patris conspectum imprudens filius vitat.

Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.

598. PRodegit filius facultates, quas pater custodierat, & seruauerat. Se à patris conspectu filius subduxerat, vt liberiùs viueret; meruit omnia amittere qui à patre discedit. Regio longinqua, Dei obliuio est; ad illam se recipit, qui à Deo suo, non loci segregatione, abit, sed virtutis. Scilicet, vbi quis se à Dei timore, à Deique præsentiâ elongauerit, diuina dona deprauat, & consumit, omnia perdit.

Ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè: Rem magis explicat Sanctus Chrysostomus orat. 4. in parabolam de filio prodigo: *Ibi*, inquit *anima diuitias omnes perdidit; ibi in deliciis agens naufragium fecit: ibi ludens & delusus pauper est factus: ibi corruptricem animæ voluptatis mercatus, & risum emens extrema lacrymarum accepit: ac virtutes quidem, quas habuit, abiecit.*

Viuendo luxuriosè: Mortalis vita est, quâ quis virtutibus moritur, sceleribus viuit. *Viuendo*, Græcè, *ζῶν*, *viuens*. Hoc verbum de animantibus ratione carentibus propriè dicitur, vnde &, *ζῶα*, bruta dicuntur: vt statim intelligeremus, eum, qui libidini vacat, qui deliciis obruitur, bruti potius agere vitam, quàm hominis.

Extra paternæ domus claustra factus adolescens, & luxus, & luxuriæ, aliorumque vitiorum mancipium euasit. Cur in hæc scelera non lapsus, cùm domo paternâ contineretur? Patris in filium custodiæ id tribuendum. Inter parentum oculos, si verè parentes sint, non valent delicta versari. Virtutum duces parentes sint; & vitiorum tenebræ filiorum mentes non facilè obsidebunt. A patre discedens in fœdissima scelera labitur, quæ sub patris custodiâ, ob patris reuerentiam, ac timorem, vitauisset.

599. In patris domo his sceleribus non fœdabatur filius: patris nimirum exemplo auocabatur à lapsu: vix abiit, & cecidit: vt statim colligeremus quantum in filiorum mentes exemplum patris, matrisque possit.

Et, postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illâ, & ipse cœpit egere.

LVxuriæ, & ventris tortor, carnifexque fames est. Vbi luxuriosè filius vixit, ibi vehemens dæsæuit fames, & egestas. Ad talem finem voracitas tendit; tali termino voluptas concluditur.

Et ipse cœpit egere: Exhibita substantia filium fecit egere, quæ diuitem negata reddebat. Eget filius, penès se diuitias habens, qui penès patrem abundauerat, cum non haberet. Nimirum minùs diuitiis indiget, qui minùs diuitias possidet. Possessio egestatis mater est, nisi moderationi iungatur.

600. *Cœpit egere:* Audio hunc filium substantiæ portionem accepisse à patre, quæ larga, & copiosa erat, vtpote à diuite, & diligenti custode seruata, & in dies aucta. Non lego quidpiam pauperibus à prodigo filio exhibitum, nihil indigentibus datum. Non mirum, si, diues factus, egere cœpit, qui locuples factus, egenorum oblitus est adeò, vt totam facultatem in luxus, in meretrices insumpserit. Discat diues, egenis diuitias suas distribuere, ne, si egenis sua neget, incipiat indigere.

Fames totam regionem occupauerat, sed præcipuè iste filius egere refertur. Magis torqueri fame debuerat, qui magis vixerat luxuriosè. Eius luxus, & effusio famem quodammodo aduocauerat, vt iure, ipse præcipuè, egestate premi debuerit.

Facta est fames valida: Famem incipit pati, vt discat esurire iustitiam, quem iniustitia penè saturauerat, cum luxu difflueret. *Luxuria*, verba sunt Sancti Petri Chrysologi, *ventri, gula fames* TORTOR *apponitur: vt ibi vltrix pœna sæuiat, vbi pœnalis reatus exarserat.*

SECTIO III.

Dei præsentia *quàm vtilis.* 609
Amor & *affectus* patris *quàm oculatus in filios.* 610
Filiorum *magnam curam parentes habeant.* 610

Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius.

601. QVærit ipse herum, cui seruiat, non ab hero quæritur; non conductus fuisse dicitur, sed adhæsisse: quia scilicet omnibus modis se insinuauit, vltrò se offerens ad quoduis munus obeundum, licèt vile, & abiectum esset. Ab aliquo receptus non fuisset, nisi suâ importunitate ciuem illum compulisset, ad se recipiendum. Iustâ pœnâ punitur; vt, qui clementi patri subesse noluit, cogeretur in seruitutem se tradere hospiti extraneo ac peregrino.

Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

TEmpore famis famuli dimittuntur; at ciuis iste hunc nouum recepit, eius precibus victus, eius improbitate. Non audio de mercede quicquam pactos. Quid mercedem quæreret? Pro magno beneficio habendum erat si reciperetur, & pascendorum porcorum ministerio addiceretur, dum aleretur, ne periret. Hic mundi imaginem habes, & mundanorum. Mundani mundo seruiunt, mercedem nullam referunt, nisi nudos labores. Pascantur, sed cibis, qui & porcis communes.

602. *Vt pasceret porcos*: Rerum mira, miseraque vicissitudo! Qui in domo paternâ ab hominibus honorabatur, nunc porcorum socios, imo & seruus fit? Multos diuite mensâ exceperat iste filius, cum viueret luxuriosè, & quotidie aut sæpè splendidè epularetur: cur igitur in tantâ famis angustiâ neminem reperit, qui eum reciperet hospitio, & gratum animum, ob exhibitas à filio prodigo delicias, ostenderet? Hæc eorum merces, qui bona sua in luxibus prodigunt, & effundunt; vt ad egestatem redacti, nullum inueniant, qui opem eis ferre velit. Hic mundanorum mos: diuites domos adeunt, felicium se comites faciunt, quousque læta fortuna arriserit: vbi aduersa præsterit, & felicitas vnà cum diuitiis abierit; tunc nec cognoscere videntur, quem priùs ob diuitias honorabant; te scilicet ipsâ prodentes, se non hominem, sed diuitias honorasse, & felicitati obsequium, non homini præbuisse.

Vt pasceret porcos: Huc euasit, qui seruire patri noluit. Cœnoso pecori seruit, qui pietati paternæ subiici noluit. A maiorum obedientiâ qui discedit, à natuæ suæ nobilitate videtur abire, & aptus, qui brutis animantibus seruiat.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

603. APtè famelicum his verbis exprimit. *Cupiebat*, inquit, *implere ventrem suum*: non dixit, *cupiebat saturari*; quia etiam, qui magnâ fame non premuntur, edere, ac saturari cupiunt; sed dicens, *cupiebat implere ventrem suum*, ostendit valdè famelicum fuisse, vt vacuum haberet ventrem, quem impleret.

Et nemo illi dabat: Ille opes suas promiscuè in omnes effuderat; nunc, exhaustis opibus, ab omnibus contemnitur, nec quisquam adest, qui vel siliquas ei subministret. Hoc referunt, qui sua dilapidant, & in luxuriosos effundunt, cùm in pauperes possent.

Prodigus iste filios in tot calamitates, miseriasque ceciderat, quia discesserat à patre. Nimirum ij, qui, cùm primùm pietatem coluerint, in peccata labuntur, pluribus malis subiacent, quàm ij, qui nunquam virtutem fuerint amplexati. Minùs impius, misérque fuisset, si à minus pio patre, à minùs bono statu discessisset.

In se autem reuersus dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?

AD se redit, vt rediret ad patrem; nam & à se ante recessit, quum recessit à patre. Scilicet à se abit, & ab homine quodammodo abit, qui parentum oblitus, à genitorum custodiâ se subducit. *A se migrat*, inquit hìc Sanctus Petrus Chrysologus, *& ab homine totus transit in bestiam, paterna pietatis immemor, gratia genitoris oblitus.* 604.

Quanti mercenarij patris mei abundant panibus. Cur tandiu distulerat hoc cogitare, cùm egere cœpit & esurire, tunc quid in patris domo mercenarij habeant, animo secum voluit; fames & penuria huic filio contulit, quod copia non contulerat; Benè rem versat Sanctus Eucherius lib. 1. in lib. Regum, si tamen illius hoc opus est. *Hos eligit Deus, quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ, quam perceperat, prodigè expendit, postquam esurire cœpit in se reuersus dixit: Quàm multi mercenarij patris mei abundant panibus. Longè quippe a se recesserat, quando peccauit: & si non esurisset, in se minimè rediisset. Qui postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit, quid de spiritualibus amisit.*

In se reuersus: Luxus, & deliciæ fecerant, vt extra se iret. Ventre cibis pleno, mens prudentiâ fit vacua; quin ipse mente viduus. Fame premitur, & redire ad patrem cogitat adeò vtilis aduersitas est. Fames dedit patrem cognoscere, qui copiâ didicerat contemnere genitorem.

Pende: tamen profuit filio, vel inuita fames. Quid voluntarium ieiunium prodesit? Oneratus venter ad vitia cor deponit, & mentem premit. Ieiunijs animos ad virtutes conscendit, ad sublimia euolat, & cælestia. Quàm vtile ieiunium erit, quod quis spontè amplectitur, si tam vtilis fuit fames, quæ & nolentem aggressa est? *Fames reuocat*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *quem saturitas exulerat. Fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Et si tantum præstitit, vel inuita fames, probate quid voluntarium possit conferre ieiunium. Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem.*

605. Felicitas prodigi filij mentem à Deo, à patre, quin à se abalienauerat: aduersitas ad omnes reuocat. Ergo non crudeliter nobiscum Deus agit, cùm nos ærumnis vrget; nam his nos ad meliora traducere studet, ad obedientiam erudire.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te.

SVrgam & ibo: Iacentem se cognouit, qui dixit *surgam*. Strauerat eû luxus, luxuria deprestterat. *Ibo ad patrem*: Cur non aliquem præmittit, qui reditum

reditum nuntiaret patri, & animum patris, qui filij discessu exasperatus fuerat, deliniret. Apud patrem non intercedit extraneus. Patris affectus patrem filio flectit, patrem rogat. Plus filius præstitit, cum iuit, & se patris oculis obiecit, quam præstitisset, si absens alium direxisset ad patrem. Disce tu ipse facere, quod in Dei obsequium potes; nec aliorum precibus pro te fusis te solùm committas.

Vide, quàm vtilis rerum terrenarum penuria. Filius iste prodigus, quem copia saturitásque erexerat, fames demittit, & ad patrem mittit ac vrget: *Filius minor* (inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 70.) *qui voluit in suâ potestate habere substantiam suam, quæ illi apud patrem optimè seruabatur, factus sua potestatis, profectus est in regionem longinquam: hæsit principi malo, porcos pauit. Fame correctus est, qui saturitate superbus abscesserat.*

606. In egestate iacuerat; *surrexit in desiderio panis.* Panis alas addidit, vt non tam incederet, quàm leuis aduolaret. Tantum cogitatus panis in filij prodigi mente potuit! quid non poterit Eucharisticus panis, si quis illum ardenter esuriat? Pennas adiiciet, adiiciet alas.

Dicam ei: pater peccaui in cælum, & coram te: Patrem vocat filius, qui à patre discedens, & deliciis viuens, patris affectum exuerat. Non multis vtitur verbis, nec prolixo agit cum patre sermone; se paucis expedit. Nimirum nouerat patris sui clementiam, nouerat pietatem, cui, ne diffidere videretur, sine longis præludiis, fatetur errorem suum, veniam poscens, quam vix compositis sermonibus, fucatisque verbis, aut ne vix quidem, obtinuisset; cùm fucatos sermones vera pœnitentia ignoret.

Dicam ei: pater peccaui: Accusatorem præuenit confitendo: non legimus, a patre filium scelerum argoitum; gaudens, ac lætus clementiæ sinu excepit, filij errores tacuit. Scilicet, si nos sponte, ac dolentes nostra peccata prodiderimos, Deum iudicem præuenientes, nos ipse non arguet, sed recipiet.

607. *Peccaui:* Innocens fit, qui nocentem se fatetur. Non excusationum velamina affert: non adolescentiæ feruorem, & rerum in illâ ætate ignorantiam obtendit: non malorum amicorum consuetudinem in excusationem obiicit: crimen suum, se ipsum accusat; culpam in alium non transfert. Quid; si non accusetur a patre, qui se accusat? Nempe peccans, qui culpam suam in alios transfert, culpam non eleuat, sed maiorem facit.

Surgam: Nouit se iacere, qui dixit. *Surgam.* Erectionis quodammodo initium est, intelligere se lapsum. *Iacebat,* inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *qui dixit surgam. Intellexit lapsum, sensit ruinam; iacere se turpis luxuria respexit in lubrico, & ideo exclamat: surgam & ibo ad patrem meum.*

Ibo ad patrem meum: Pater adhuc erat, & patris circumferebat affectum, licèt filius à suo debito abiisset. *Ibo,* inquit, *ad patrem. Qua spe, qua fiducia? Illâ, qua pater est. Ego perdidi, quod erat filij; ille, quod patris est, non amisit,* ait Sanctus Petrus Chrysologus. Patrem, paternamque pietatem pater non exuit, licèt filius filij in patrem reuerentiam exuisset.

Et surgens venit ad patrem suum.

608. ET *surgens:* Dixerat, se surrecturum, & iturum ad patrem; & surgit, & venit. Bono voluntatis proposito opus adiunxit. Nimirum dicere non satis est: facienda statim, quæ diximus, vt verba operatio comitetur. Vera conuersio, vera pœnitentia non est, quæ in verba incipit, & sistit in verbis.

Et surgens venit: Non de reditu ad patrem diù apud se, aut apud alios consultauit: iuit statim. Fors, si aliquos consuluisset, dissuasuros habuisset. Non diu consultandum est de iis, quæ Deo placent; præsertim, cum ferè mora in bono cuique noxia sit.

Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius.

PRiùs pater filium vidit, quàm videretur à filio; ob amoris scilicet vehementiam quâ in filium ferebatur, vidit prior, ac si pater de filij reditu cogitaret, & redeuntem è speculâ quapiam intueretur. Paternæ solicitudinis hîc exemplum habes. Parentum est, cum de filiorum salute agitur, diligentiam omnem adhibere, & modis omnibus lapsos erigere. Durus aliquis pater, redire degenerem filium intelligens, aut longiùs fugisset, aut viscera misericordiæ claudens, se domus parietibus inclusisset, ne videret filium. 609.

Cùm esset longè vidit illum pater: A longè vidit. Acutè videbat pater iste. Fors visum, quem grauis ætas reddiderat imbecillem, acutum amor reddidit. Vidit filium, vt à filio videretur, & patris aspectu recreatus non ampliùs à patre abire posset. Vidit à longè; & à longè videri voluit pater, vt mutuo aspectu, nec filij tæderet viæ conficiendæ, & pater ad oscula, ad amplexum pararetur. Cogita te à patre cælesti, qui omnia videt, videri; nec vllum viæ laborem senties, ne de regressu audebis cogitare.

Et misericordiâ motus est.

VIdens pater redeuntem filium, miserabili præditum specie, nudum, squalidum, ac macie confectum, intimis visceribus commotus est. 610. Verum patrem se prodidit; quia filij miseriam tanquam propriam sensit.

Mirum est, patrem potuisse filium cognoscere, & habitu, & formâ adeò deformatum, vt alter videretur rediens, ac fuerit abiens. Cognouit tamen pater, ipsum suum esse filium. Amor, & affectus prodidit, quod habitus occultabat, & corporis habitudo.

Quid? prouidus pater, & de salutis curâ solicitus, vbi filius discesserat ab eo, filij obliuisci non potuit: multos de filij sui statu interrogabat, & iam fors audierat, ad miserum hunc statum filium deuenisse; vt prorsus sibi nouum non esset, hoc videre, cùm antea id per alios cognouerit. Quo ostenditur, quàm magnam filiorum curam habere parentes debeant, vt, licèt illi à patre abierint patris obliti, isti tamen filiorum non obliuiscantur, nec curam eorum omninò negligant.

SECTIO IV.

Tarda molimina verus parentum *amor nescit.* 611
Quàm clemens in peccatores Deus. 611
Quam velox ad nostram salutem Deus *currat.* 611
Rationale iugum *amplectendum.* 612
Mortis *memoria quàm vtilis.* 612
Leuius Christi onus *quàm Mundi.* 613
Diuina pietatis *magnitudo expenditur.* 613
Delicta *vix videt vis* amoris. 614
Pœnitentis *confessio quàm Deo grata.* 614

Et accurrens cecidit super collum eius.

611. EXpectare pater non potuit, vt filius adueniret; sed, vt amoris vehementiam ostenderet, occurrit; quin & accurrit filio. Tarda molimina amor nescit. Discunt patres, cum de filiorum salute procuranda agitur, cunctationem omnem tollere, omnia impedimenta auferre. Vt periclitanti filio succurrat pater, statim aduolet, nec testitudineo incedat gradu.

Cecidit super collum eius : Adeo non reiecit, vt rueret in amplexus : non exprobauit fugam, non dissipatæ substantiæ obiecit flagitia, nec grauia anteactæ vitæ peccata, nec minatur pœnam. Supplicium paternus amor, iniurias altâ obliuione insepelit. Verus pater filij emendationem quærit, non filij confusionem.

Cecidit super collum eius: Necdum filij preces audierat, cùm super collum filij cecidit. Preces expectare non potuit vehemens amor. Preces pater anteuenit, ne pietas in filium filij precibus, non paternæ clementiæ tribueretur.

Et osculatus est eum : Peccanti filio dat oscula pater, non flagella : Peccauerat filius, sed pœnitentiam inire constituerat. Pœnitentes adeò non arcet Deus, vt amplectatur, exosculetur, omnia eis clementiæ signa exhibens.

612. *Accurrens cecidit super collum eius :* Cùm de filio sermo est, eundi, & veniendi verbum vsurpatur. *Ibo*, inquit, *ad patrem meum* ; &, *surgens venit ad patrem suum.* Pater verò non ire ad filium dicitur, sed accurrere : *Accurrens cecidit super collum eius.* Nimirum velocius Deus ad peccatorem currit, quàm peccator festinet ad Deum.

Cecidit : non cecidit, cùm curreret : cecidit, cum cucurrisset, sed super collum filij ; vt videas, rem non casus fuisse, sed mysterij. Nimirum cecidit super filium, vt eum erigeret, qui ceciderat, & in sceleribus iacuerat.

Cecidit pater super redeuntis filij collum, vt, quàm suaue illius esset iugum, indicaret. *Osculo*, inquit Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. de Oratione Dominicâ, *collum appetit, quod rationale iugum significat, per Euangelij traditionem hominem, qui primum præcepti iugum exuerat ; & legem custodem repudiauerat per os imellam.*

Cecidit super collum eius ; Cecidit Pater, vt filius erigeretur, sed cur super collum ? vt ceruicem eius inclinaret terramque aspiceret, & in puluerem se rediturum cogitaret ; Pulchrè Rupertus lib. 8. de Spiritu sancto cap. 10. *Non vanè dicere potest, quòd cecidit pater super collum eius, &* PONDERE SVO CONFREGIT CERVICEM CORDIS EIVS, *vt fixis oculis terram aspiciat, commemorans sibimet, quia puluis est, & in puluerem reuersurus.*

613. Cecidit super collum filij pater, vt eum, qui ceciderat erigeret. Cecidit super collum, vt re ipsâ experiretur, leuius patris onus esse, quàm iugum, quod secularis vita illi imposuerat. *Cecidit super collum eius*, inquit Sanctus Chrysologus, *non lapsu viscerum, sed compassionis. Vt erigeret sic iacentem, cecidit super collum eius. Vt amoris onere, onus tolleret peccatorum. Venite ad me, inquit, omnes, qui laboratis, & onerati estis : Tollite onus meum super vos, quia leue est. Videtis quia filius iuuatur istius patris onere, non grauatur.* Non est graue onus, quo cætera onera, etiam alioquin grauia, redduntur leuia.

Osculatus est eum : Vt spiritum vitæ illi inhalaret. Vt sibi, suisque membris eum insereret, qui meretricibus adhæserat, & vnum cum illis corpus erat effectus. *Cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Cùm sic super eum affectabat* (verba sunt Guarrici) *quid agebat amplectens, & osculans, nisi illum sibi, vel se ipsum illi insinuabat ? Se illi inspirabat, vt, adhærendo sibi, vnus secum fieret spiritus ; sicut, adhærendo meretricibus, vnum cum eis corpus fuerat effectus. Parum erat illi summa misericordia viscera sua miserationis non claudere miseris. In ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris.*

Osculatus est eum : Pro flagellis exhibet oscula, vt quanta in hoc patre sit vis amoris ex patris osculo diluceat. *Sic pater*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris; & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater, sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, næuum filio ne relinquat.* 614.

Cecidit super collum eius, & osculatus est eum: Non casu id factum. *Osculatur eo*, ait Sanctus Chrysostomus, *per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat.* : tam grata pœnitentis vox summo Patri est !

Dixitque ei filius : pater peccaui in cælum, & coram te?

HÆc verba priùs constituerat coram patre pronunciare. Sed, in tot paternæ beneuolentiæ signis, cur ea tanquam superflua non omisit? Osculo, & amplexu exceptus, & in gratias patris se receptum tot argumentis videns, cur filius sua peccata recenset, veniam petens ? Patris clementia, Dei pietas veræ pœnitentiæ mater est adeo, vt ob commissa crimina dolere magis debeamus, & nos peccatores fateri, quo maiora in nos diuinæ beneuolentiæ signa videmus. Fallitur, qui, Dei clementiam considerans, pœnitentiam negligit. 615.

Sed cur illud omisit filius, *fac me sicut vnum ex mercenariis tuis?* nam hoc quoque patri dicere apud se superiùs constituerat ? An inter patris amplexus stupor adeò filij mentem corripuit, vt sermonem interruperit ? Vel prætermisit, quòd ei, inter tot beneuolentiæ signa, superfluum videretur?

Prodigum filium in pœnitentia quoque peragenda prodigum quodammodo fuisse asserit Sanctus Chrysostomus orat. 4. in hanc parabolam; *Neque verò*, inquit, *his contentus fuit prodigus ille filius, sed in iis quæ ad pœnitentiam pertinent prodigus fuit. Non enim sufficere tantam humanitatem pro tanta multitudine peccatorum arbitratus est ad perfectam salutem obtinendam ; sed, quæ meditatus fuerat antea, & patri conuenienti habitu compositus dixit : Pater, si quidem omnino licet patrem, te appellare, nisi fortè & in hoc præter alia mea delicta peccem, dum te patrem voco ; nisi nomen illud contumelia afficio, quod extra omnem contumeliæ aleam positum est.*

In cælum se peccasse fatetur, cogitans patriam suam esse cælum, quâ peccando se indignum reddiderat. Pulchè Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. de Oratione Dominicâ : *Dicebat ille : Pater peccaui in cælum, & coram te, non adiecturus confessioni peccatum in cælum, nisi persuasus sibi, patriam esse cælum,*

cælum, quo relicto peccauerat: quapropter etiam eiusmodi confessionis meditatio aditu facilem et patrem efficit; adeò vt etiam accurreret ad eum, & osculo collum appeteret.

616. *Pater peccaui in cælum:* Patrem eum vocat, & tamen subdit: *iam non sum dignus vocari filius tuus.* Si filij nomine se putat indignum, cur patrem eum appellat? nam pater non est nisi filij? An indicare voluit, se filij nomen demeruisse. Patrem verò paterna nunquam viscera amisisse? *Hoc quippè,* ait Sanctus Paschasius, *insinuat filius ille prodigus; qui, quamuis non audeat, nec dignetur, se filium vocare, tamen nihilominùs patrem eum appellat, quem scierat non posse mutari, ac si patenter clamet: Si ego peccaui in cælum, & non sum dignus vocari filius tuus; tu nunquam pater fore desistis, neque viscera paterna affectus vnquam pretermittis.* Semper ipse pater est; nos tamen non semper filij, cum sceleribus in patrem sæuiamus.

Peccaui in cælum & coram te: Vereor, sic eum loquentem facit Sanctus Chrysostomus orat. 4. in hanc parabolam, *oculos meos in cælum tollere. Etenim firmamenti speciem vt accusatoris vocem reformido. Vereor in luce Deitatis figere obtutum, cùm mentis oculos habeam sordidatos.*

Pater peccaui: Gratum Dei auribus nomen patris magis, quàm Domini. *Neque enim sic ille lætatur,* ait idem Sanctus Chrysostomus, *cùm Dominus, vt cùm Pater audit; neque, cùm seruum, vt cùm filium habet.* Magis amat, vt Pater, amari, quàm, vt Dominus, timeri.

Peccaui in cælum, & coram te: Satis erat dixisse, *peccaui coram te,* cur adiicit, *in cælum?* An cælum, vt sui sceleris testem, respiciebat? *Haud secus firmamenti faciem metuit, atque accusatoris cuiuspiam voces:* ait Titus Bostrenus.

Iam non sum dignus vocari filius tuus.

617. HVmilis ista confessio filium commendat, qui humilitate viduus patris iugum superbus excusserat. Dignus est vocari filius, cùm se indignum putat qui vocetur. Non dixit, *non sum dignus esse filius tuus,* sed, *non sum dignus vocari:* vel ipso filij titulo se indignum reputans. Nimirum humili sui demissione acquirit, quod elatione amiserat priùs.

Non sum dignus. Incipit dignus esse, dum se vocat indignum. *Infelix* (inquit Sanctus Augustinus in Psal. 18.) PER HVMILITATEM *impetrat felicitatem; & eo se ostendit dignum, quò confitetur indignum.* Priuilegium hoc est humilitatis; vt eò quisque se alicui dignitati propiorem reddat quò se ab eâ longiùs abesse, vicinus factus humilitati, credit.

SECTIO V.

Pietas *factis probatur non nudis verbis.* 618
Patris *est,* iniurias *obliuisci, si filius resipiscat.* 618
Nullius est desperanda salus. 619
Peccatores *duris minimè terrendi.* 620
Anulus *quid significet.* 620. 621
Vita nuda prædicationi *præstat.* 622
Prædicationi *opera substernenda.* 622
Vnius familiæ vna mens *esse debet.* 623
Diuina pinguedo charitatis. 623
Deliciæ *vilescunt, quas Deus non exhibet.* 624
Parentes *tanquam mortuos doleant filios, qui ab eorum disciplinâ abierunt.* 624
Inuidiæ *venenum omnia inficit.* 625
Citò per inuidiam *aliquis consenescit.* 626

Dixit autem pater ad seruos suos.

NOo respondet filio pater. Imo plenè respondet, non verbis, sed factis, non sermone, sed opere. Si verbis filij pater verbis respondisset, dum inuicem loquerentur, succurrere filio pater distulisset. Maluit verba seponere, quàm differre auxilium ferre. Hæc veræ pietatis, & solicitudinis nota est: vbi pauca, aut nulla funduntur verba, opera exhibentur. Probanda pietas est, quæ non nudis verbis, sed factis se prodit. 618.

Ad seruos suos: Conuertit sermonem pater ad seruos, vt filio ministrarent. Non vnum seruum alloquitur, sed plures, ac si vnus non sufficeret, qui filio seruiret. Elucet hîc patris benignitas, qui non solùm in gratiam recipit filium, qui se abdicauerat à patre, sed in pristinum restituit honorem, in pristinam dignitatem; ne, si non restitueret, iniuriarum memor videretur. Patris est iniurias obliuisci, si filius resipiscat; ne, si duriùs puniret, rursus filius discedendi occasionem arriperet.

Citò proferte stolam primam, & induite illum.

AD veniam, non ad iustitiam cogitat pater: 619.
citò, inquit, *proferte stolam primam:* non dixit: Vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt, quæ tecum tulisti? an omnia dissipasti? Quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutasti? Nihil horum dixit; sed statim filij tegi nuditatem studuit. Vides, quia delicta non videt vis amoris. Patrem se esse cogitabat, non iudicem. Iudicis sit aliorum crimina in apertam lucem proferre, non est patris.

Citò proferte: Tardam misericordiam nescit, qui pater est: omnia iubet citò fieri, ne videatur ex animo non præcipere. Qui miseris opem ferre differt, videtur nolle, cum statim possit.

Stolam primam. Græcè, *τὴν στολὴν τὴν πρώτην, stolam illam; illam primam. Primam* dicit pro *pristinam,* quali ante vti consueuerat filius, cum in domo paternâ maneret. Ergo seruauit vestem pater, non vendidit, aut in alios vsos transtulit. Nimirum rediturum filium sperabat, qui filij conseruabat vestem. Impij, & disciplinæ osores filij sint; non ita de eorum salute desperet pater, vt resipiscere tandem, si eorum mentibus Diuina lux affulserit, non possint.

Pater prodigo filio reuertenti occurrit, osculum 620.
porrigit, parari ornamenta iubet, ac conuiuium. Cur non magis cilicium parari mandat, abstinentiam indicit, tanquam pœnitenti? An, quia pater, cuius est benignitatem prius exhibere? inquit Sanctus Ephrem: *non prius, quod* AVSTERVM *est, offert peccantibus; verum, quod* GRATVM, *&* PLACIDVM *est, simulque suaue, ac facile. Non mox seiunium imposuit; non abstinentiam, ac temperantiam poposcit; non vigilias demonstrauit; sed à facilioribus ducit principia.* Nimirum, qui ad meliorem frugem alios vocat, terrere nimis eos non debet, sed humanitate allicere.

Date anulum in manu eius.

DE hoc anulo sic philosophatur Sanctus Chrysostomus orat. 4. in parabolam de filio prodigo: *Date etiam anulum in manum eius, vt spiritus*

ſpiritûs pignus gerat, & ipſum ferens cuſtodiatur à ſpiritu, vt meum ſignum circumferens formidabilis omnibus hoſtibus aduerſariiſque appareat, vt a longe cuius patris ſit filius intelligatur.

Anulus ornatus eſt hominis liberi. In ſignum ergò, quòd ſeruituti, qua premebatur, filium eximebat pater, dari ei anulum iubet. Antea, quia liberum ſe eſſe putabat, libertatem amiſerat.

Præterea anulus *fidei ſignaculum* eſt: vt igitur fidem datam vitæ emendandæ ſeruet filius, anulum geſtare debebat. Anulum ille pœnitens manu non geſtat, qui ab iis, quæ præſtare propoſuerat, citò recedit.

621. *Date anulum in manu eius:* Anulus fidei ſymbolum eſt: cur igitur illum pater filio redeunti exhibet? An, ne ampliùs de diſceſſu cogitaret? *Dat anulum*, ait Ruricius, *ne rurſus à patre perfidia duce diſcedat.* Hoc prouidi paſtoris eſt, vt oui, quæ perierat, redeunti aditum iterùm aberrandi claudat. Antenertendus pœnitentis eſt lapſus.

Date anulum in manu eius: Ornamentum manus anulus eſt, & ornamenta operum ſignificat. Nimirum opera, non ſolum ab omni ſpecie mali aliena eſſe debent, ſed palàm omni decore, ac pulchritudine refecta.

Et calceamenta in pedes eius.

622. QVàm pauper redit, qui tam diues diſceſſerat! De tota ſubſtantiâ nec calceamenta in pedibus habebat. Exhibentur filio redeunti calceamenta, vt, inoffenſo in Dei via pede, incederet.

Et calceamenta in pedes eius: Anulus operum ornatum ſignat; calceamentum ſignum prædicationis. Quantum manus pedem excedit, & anulus calceamentum; tantùm vita, & mores nudæ prædicationi præſtant.

Priùs pater iubet anulum in redeuntis filij manum aptari, deinde calceamenta in pedibus: vt colligeremus, prædicationem ſine operibus bonis eſſe non debere, & hæc illi ſubſternenda.

Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite; & manducemus, & epulemur.

623. NE quis è domo filium, ob præterita adoleſcentiæ crimina, vilipenderet, pater, mactato vitulo ad generaliter epulandum ſaginato, vniuerſam familiam ad communem lætitiam inuitat. Gaudium patris in alios deriuari etiam debet, cùm vnius familiæ, vna mens eſſe oporteat vnus animus, vnum cor.

Vitulum ſaginatum: Non ſatis erat quemlibet adduci: pinguis quæritur, qui teſtaretur, vt ait Sanctus Petrus Chryſologos, *paternæ pinguedinem charitatis.* Omnia amorem redolent; pietatem omnia ſapiunt. Communis vitulus non ſufficit oſtendendæ charitati, quæ non communis ſed ſingularis.

624. *Manducemus, & epulemur:* Non dicit, *manducate, & epulamini*, ſicut ſuperiùs, cum de ſeruorum miniſterio loqueretur. *Citò*, inquit, *proferte ſtolam primam, date anulum in manu eius:* & de vitulo; *adducite vitulum ſaginatum.* Alia omnia aliorum curæ pater commiſerit; ſe ipſum à conuiuio non eximit; non excludit ab epulis. Edit etiam pater ad lætitiæ communicationem. Ad cæleſtem hæc referri patrem debent; & diſcimus, nullam nobis poſſe eſſe veram iucunditatem, nullis nos veris delicijs perfrui poſſe, niſi pater cæleſtis nobiſcum conuiuium celebret. Deſipiunt omnes deliciæ, omnes epulæ viléſcunt, quas Deus non exhibet, Deo præſente non offeruntur.

Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.

IVſtas gaudij cauſas ſubnectit pater; *quia*, inquit, *hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Diſcant parentes, tanquam mortuos, ac defunctos, dolere filios, qui à patris diſciplinâ abeuntes, omnium vitiorum generibus ſe dederunt.

Erat autem filius eius ſenior in agro.

DE iunioris filij reditu dum pater cum totâ familiâ gauderet, ſenior filius agris colendis occupatus erat; aut certè ſeruis, & mercenariis laborantibus præſidebat, vt eos ad laborem vrgeret. Sedulus iſte filius erat, & otij oſor; ſed, qui ſentes eradicabat ex terrâ, inuidiæ ſtimulos, qui in eius mente eruperant, non euulſit: terram percolebat, ſui cordis culturam negligens. Satiùs fuiſſet, ſi eradicandis vitiis, & virtutibus plantandis incubuiſſet, quàm ſi, ſui oblitus, terram, colligendis fructibus, excoluiſſet. 625.

In agro: Laborem non fugiebat hic filius, adeò frugalis, vt menſam videretur non cogitare, non delicias. Sed, miſer! qui ſummum frugalitatis bonum, aſſiduumque induſtriæ laborem inuidiæ veneno infecit, & externo liuoris malo perdidit.

Erat filius eius ſenior in agro: Senior eſt, non ſolùm, quia grauior annis, ſed etiam oris exoſa, rugoſáque ſpecie maiorem quandam præferebat ſenectutem. Nihil mirum: tanta huic deformitas inerat, cum inuidiâ laboraret, ac contabeſceret. *Ideo*, inquit Sanctus Ambroſius, *& ſenior dicitur eo, quod cito aliquis per inuidiam conſeneſcat.* Non *maior* dixit Euangeliſta, ſed *ſenior*, vt ad canitiem triſtémque vultum, quem ob inuidiam referebat, reſpiceret. 626.

In agro: Iure de villâ venire dicitur, *ignorans, quæ ſunt ſpiritus Dei*, terræ, & terrenis addictus rerum cæleſtium cognitione deſtitutus.

SECTIO VI.

Et, cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam, & chorum.

CVm ſub veſperam domum rediret filius ſenior, ſymphoniam, & concentum audiuit, 627.
Vocum concentus animorum vnitatem, & con-

cordiam significabat. Displicuit concordia ista inuido fratri, qui damnum suum putabat, quicquid in alterius fratris reditu à patre efficiebatur.

Et vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent.

ADuocans vnum de pueris, quid sibi vellet in domo concentus ille, inuidus exquirit filius. Cur ipse non intrat, vt communis lætitiæ ipse quoque particeps fieret? Liuor, & inuidia non patitur eum introire.

Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo egressus cœpit rogare illum.

628. INdignatio ista demonstrat, quod tantam Deus in eos, qui resipiscont clementiam ostendit, & tàm magnum gaudium, vt quodammodo cæteris inuidiam mouere possit.

Pater ergò egressus: Magna patris benignitas, singularis humanitas, qui egreditur, vt senioris filij animum flecteret, rogaos, vt introeat, communisque gaudij fiat particeps. Poterat, seruatâ maiestatis suæ grauitate intùs manere, & seruos ad filium mittere, & seruorum ministerio eum rogare, vt ingrederetor. Ipse ire voluit: aliis rem, quæ tam grauiter eius premebat animum non committit. Scilicet, vbi de filiorum salute, & emendatione agitur, parer ipse, quod potest, per se præstet. Res nun ita feliciter accidet, si aliis pater vtator.

Cœpit rogare illum: Poterat seruis dicere pater: Ite, iubete nomine meô, meo filio, vt intret; quod, si recuset, abeat, & mœrore tabescat, & inuidiâ. Non hæc, aut similia pius pater protulit verba; sed vtriusque filij amator, & custos, ita gaudebat rediisse, qui abscesserat, & perierat, vt solicitos etiam esset, ne abiret, & periret senior filius, qui à patris latere, à paternis præceptis non discesserat. Nollet bonus pater, alterius filij salute, sibi alterom filium mox perire. Omnium gaudium vnius liuor turbat.

629. Filius iste Hebræum populum refert, qui, inuidiâ correptus, eligit potiùs foris manere, quàm domum patris ingredi, & filij prodigi, hoc est Gentilis populi, iam conuersi videre priuilegia. *Venit Iudæus*, inquit sanctus Petrus Chrysologus, *ad domum patris, id est, ad Ecclesiam: stat foris per inuidiam. Audit Dauidicam citharam personare: audit ex consensu prophetico symphoniam: ex populorum vario concentu choros audit; & introire non vult, per inuidiam stans foris.* Non èxtra domum tantùm stat; stat extra se ipsum, imo etiam contra, qui inuidiâ tabescens, frui patris donis, ac præseotia non vult, ne alios, iisdem fruentes, videat.

At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.

NOn flectitur pij patris benignitate senior filius; in suâ duritie persistit; arroganter eum eo expostulat; arrogans merita sua iactat, beneficiorum oblitus, quæ à patre acceperat. Hypocritarum hæc nota est, qui suam seruitutem, opera sua efferunt, ac si non plura, non maiora dona à beneficâ Dei manu quotidie acciperent. Quidni tam durus hic filius sit, tam inuidus, cùm opera sua consideratet, accepta beneficia altâ obliuione sepeliens?

Nunquam mandatum tuum præteriui: Mentitur. In hoc ipso patris mandatum negligit, quòd fratris inuidet saluti. Produnt impudentiam suam plerique dum se iustificant, se laudant.

Nunquam dedisti mihi hœdum: Nónne gratior munus erat, nónne suauiores epulæ, audite fratrem, qui perierat, rediisse, & à patre tam clementer, tanto gaudio exceptum? Si senior sapuisset filius; magis gauisus fuisset ob fratris reditum, quàm si hœdum ei ad epulas dedisset pater. 630.

Nunquam dedisti mihi hœdum: Inuidus animus gratus esse nescit. Hœdum sibi datum negat, qui totam substantiæ partem, tempore diuisionis, accepit. Dictum superius de patre est: *Et diuisit illis substantiam.* Inuidus dissimulat, & se accepisse auarus negat.

Vt cum amicis meis epularer: Volebat cum amicis epulari non cum patre, ac fratre. Extraneos amicorum loco habet, parentes loco extraneorum. Epulari cum amicis volebat, ac si pater amicus non esset, non amicus frater. Ingredi domum poterat, & cum epulantibus epulari; sed liuorem velare studet, inuidiam hoc prætextu tegere.

Cum amicis suis epulari volebat, qui sui erat inimicus. Cum patre nisi epuleris, omnis conuiuij iucunditas vertitur in amaritiem. Dixisset, *vt tecum pater epularer*; obliuiscitur patris, memor est amicorum, qui sinè patre non aliud esse poteraot, quàm hostes. *Vt cum amicis meis epularer*: Idem ad Iudæos flectit sanctus Hieronymus, dum ait: *Erras Israel. Dic potius, vt tecum epularer. Non potest tibi esse aliqua iucunditas, nisi patre tecum celebrante conuiuium.* 631.

Nunquam dedisti mihi hœdum: Inuidia à Christi meritis, & passione exors esse videtur. Hœdus mactatus figura est Christi pro omnibus occisi, cuius mortis fructu inuidia (suâ culpâ) caret; quæ ita loquitur in seniore fratre: *Nunquam dedisti mihi hœdum: non enim pro inuidiâ, sed pro veniâ mundi agnus est immolatus*; ait sanctus Ambrosius. *Vt cum amicis epularer*: Amicos habebat, qui, sui hostis? epulari cum externis volebat qui epulari cum fratre, qui redierat, inuidiâ correptus, noluit?

Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

INuidus, & indignabundus ita loquitur, vt fratrem suum agnoscere erubescat. *Filius tuus hic*: dixisset, *frater meus hic.* Indignum habuit, quem fratrem agnosceret moribus planè contrariis præditum. Scilicet inuidia affinitatis, consanguinitatisque vinculum nullum nouit. 632.

Substantiam suam: Græcè, *cũ τὸν βίον*, *Facultates tuas, substantiam tuam.* Crimen fratris frater exaggerat, cùm eleuare deberet, aut tegere. Patris substantiam dilapidatam dicit, quia à patre promanauerat. Peius autem, alienam substantiam, & alianis laboribus partam abligurire, quàm propriam. Vt igitur patrem in filium senior filius exacuat, & ad odium exciter, *substantiam tuam*, dixit; ac si apertiùs hoc vellet: Ego, totâ meâ vitâ, seruio tibi, & vt facultates tuas seruem, & augeam, de tuis potiùs solicitus, quàm de rebus meis: alter tuus filius (fratrem nominare non ausi moribus à me adeò alienum)

alienum) quæ illi liberaliter dedisti, prodegit io meretrices. His frater in fratrem inuidiam suam prodit, prodit liuorem. Non quærit emendationem fratris; tabescit, quòd redierit, & receptus à patre sit. Inuidia affectum omnem inficit, & deprauat, etiam fratris in fratrem, & filij in patrem.

633. *Deuorauit substantiam suam*: seu, vt Græcè legitur, & probat etiam sanctus Ambrosius, *tuam*. Fors senior frater damnum suum putauit, quòd substantia iunioris perierit. Inuidus semper auarus: quicquid alter habet, se putat perdidisse.

Cum meretricibus: Superiùs modestiùs dictum erat, *viuendo luxuriosè*. Frater fratris crimen exaggerat. Addit, *cum meretricibus*. Eius vitam magis infamat, qui ab infamia tueri magis tenebatur. Nulli parcit, qui inuidus est: io omnes pariter grassatur.

Qui deuorauit substantiam suam: Liuoris zelo frater in fratrem ardet. Inuidus fratri obiicit, quod substantiam suam prodegerit. Sed quid hoc ad ipsum? substantiam frater prodegit, sed suam. Si hæc iniuria erat, ipsius erat. Certè inuidiâ enutriebatur simul, & auaritiâ. *Et quando* INVIDVS NON AVARVS? *quando, quicquid habet alter, se computat perdidisse?* ait sanctus Petrus Chrysologus.

At ipse dixit illi: Fili tu semper mecum es; & omnia mea tua sunt.

634. INiustâ filij senioris querimoniâ nō mouetur ad iram pater, nec commemoratis multis, & magnis suis in eum beneficiis superbam, ac falsam obmurmurationem redarguit. Patienter eum fert, ne eum duris verbis exasperet. Lucrum suum pius pater putat, suam victoriam, si fratris inuidiam auferat, & fratrem fratri concilier. Blandè loquitur pater, vt filij inuidentiam, tam grandi mansuetudine vinceret. Digna res, quæ in exemplum eat. Parentes ita se gerant cum filiis, vt non se vindicare offensi videantur, sed peccantes emendare. Inordinatæ filiorum passiones, inordinatis passionibus, verbisque, quæ mentem commotam è suâ sede indicent, non eŭercendæ; sed lenitate, suauitate, mansuetudine.

Fili: Vocat filium, qui à filij officio degenerauerat insurgens in fratrem, simul & in patrem. *Tu semper mecum es.* Non exprobrat pater filio exhibita beneficia; laudat, quòd à patre non abierit, perseuerauerit cum patre. Nihil omittit, vt filium flectat, & eius animum irâ exasperatum molliat.

Et omnia mea tua sunt: Parum ést, quod filio reuertenti exhibui; tibi maiora dedi; in tuâ potestate omnia posita sunt. Quid quereris me vitulum saginatum mactasse fratri? Greges vniuersi tui sunt. Illis vti pro libito potes, & semper potuisti. Cùm tàm liberalis in filium esset pater, cur conqueritur filius, non exhibitum sibi hœdum? Inuidus, & auarus etiam, quæ habet, habere non videtur. Verè non possidet diuitias, diuitiarum ipse mancipium factus. 635.

Omnia mea tua sunt: Itane omnia, quæ patris erant seniori tantùm filio seruabantur? Nihilne traditurus alteri filio, qui abierat? Non, quæ patris, quærebat resipiscens filius, & rediens, sed patrem. *Nec aliud, quàm patrem, quæsiuit*, ait sanctus Petrus Chrysologus: *sint alteri omnia*; ILLI SVFFICIT PATER. Qui Deum amat, non aliud præter Deum requirit: in Deo sistit, in Deo quiescit; nec diuinum amorem, aliarum rerum amore, polluit, inficitque.

Omnia mea tua sunt: Quî omnia istius esse possunt, quæ sunt etiam fratris? *sic à perfectis*, respondet sanctus Thomas hic, *& immortalibus filiis habentur* OMNIA; *vt sint & omnium singula, & omnia singulorum.*



Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVI. LVCÆ.

Vers. 1.

DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidem erat diues qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

Dicebat autem. *Syr. Porrò dixit parabolam.*
Qui h. *Arab. Et erat ei.*
Villicum. *Syr. Præfectum domus. Arab. Administrator. Euth. Oeconomum. Theoph. Dispensatorem.*
Diffamatus. *Pagn. Delatus. Caiet. Denunciatus.*
Apud illum. *Ar. M. Et.*
Quasi. *Arab. Quod. Vat. Vt qui. Ar. M. Vt.*
Dissipasset. *Syr. Profunderet. Vat. Dissiparet. Ar. M. Dissipans.*
Bona. *Syr. Substantiam. Ar. M. Substantias. Caiet. Facultates. S. Pet. Chrys. Substantiam eius.*

Vers. 2.

Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

Et. *Syr. Itaque.*
Quid hoc. *Arab. Quid est hoc, quod.*
Redde. *Arab. Redde mihi.*
Villicationis. *Arab. Administrationis. Theoph. Dispensationis.*
Iam. *Arab. Vlteriùs. Euth. Posthac.*
Non poteris. *Arab. Tu non eris.*
Villicare. *Syr. Mihi esse præfectus domus. Arab. Mihi administrare. Theoph. Dispensare. Vat. Fungi dispensatione.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 3.

Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem: fodere non valeo, mendicare erubesco.

Villicus. *Syr. Præfectus domus. Arab. Administrator. Theoph. Dispensator. Caiet. Oeconomus.*
Intra se. *Syr. Apud se. Ar.M. In se ipso.*
Quia aufert. *Syr. Quùm auferat. Arab. Cùm abstulerit.*
Villicationem. *Arab. Administrationem. Theoph. Dispensationem.*
Fodere. *Syr. Quia fodere.*
Non valeo. *S. Aug. Non possum.*
Erubesco. *Syr. Pudet. S. Aug. Confundor.*

Vers. 4.

Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

Scio. *Arab. Iam scio. Caiet. Noui.*
Amotus fuero. *Syr. Exierim. Arab. Recesseris à me.*
A v. *Arab. Administratio. Pagn. Dispensatione.*
Recipiant. *Vat. (sint qui) recipiant.*

Vers. 5.

Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

Conuocatis. *Arab. Vocauit. Euth. Aduocato. Ar. M. Conuocans. Caiet. Accersitis.*
Sing. d. *Arab. Singulos debitores. Euth. Vnoquoque debitorum. Ar.M. Vnumquenque debitorum.*

Vers. 6.

At ille dixit: Centum cados olei: Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta.

Cados. *Syr. Metretas. Theoph. Batos.*
Cautionem tuam. *Arab. Librum tuum. Vat. Libellum tuum. Ar. M. Tuum scriptum. Caiet. Litteram tuam.*
Quinqua. *Syr. Quinquaginta metretas.*

Vers. 7.

Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi. Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

Alij. *Pagn. Alteri.*
Debes. *Syr. Debes domino meo.*
Litteras t. *Arab. Librum tuum. Euth. Cautionem tuam. Caiet. Litteram tuam.*
Octoginta. *Syr. Octoginta coros.*

Vers. 8.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Dominus. *Syr. Dominus noster.*
Villicum. *Syr. Perfectum domus administratorem. Theoph. Dispensatorem. Caiet. Oeconomum.*
Iniquitatis. *Theoph. Iniquum. Ar.M. Iniustitia.*
Huius seculi. *Syr. Eius seculi.*
Prudentiores. *S. Aug. Astutiores. Vat. Sunt prudentiores.*
Filiis. *Ar.M. Super filios.*
In g. s. *Arab. In generatione eorum hac. Pagn. In natione suâ. Ar.M. In generationem suam.*

Vers. 9.

Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Et e. *Syr. Sed & hoc.*
Facite a. *Arab. Accipite vobis. Ar. M. Facite vobis ipsis.*
De mammonâ. *Syr. Ex hoc mammonâ. Arab. De bonis. S.Chrys. Ex mammonâ.*
Iniquitatis. *Euth. Iniquo. Tert. Iniustitia. Pagn. Iniusto.*
Defeceritis. *Syr. Defecerit.*
Recipiant. *Syr. Illi recipiant.*
Æterna. *Syr. Sempiterna.*
Tabernacula. *S.Chrys. Sua tabernacula.*

Vers. 10.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.

Minimo. *Syr. Modico.*
Maiori. *Theoph. Multo.*
Modico. *Theoph. Minimo.*
Maiori. *Theoph. Multo.*
Iniquos. *Ar.M. Iniustus.*

Vers. 11.

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?

Iniquo m. *Arab. Bonis iniquitatis. Tert. Mammonâ iniusto.*
Non fuisti. *Tert. Non extitistis.*
Quod verum est. *Syr. Verum. Arab. In veritate.*

Vers. 12.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 12.

Et ſi in alieno fideles non fuiſtis: quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?

Si in alieno. *Syr. Si in eo, quod veſtrum non erat? Arab. Si in eo, quod non eſt veſtrum.*
Fuiſtis. *Syr. Eſtis inuenti.*
Quod v. e. *Ar. M. Veſtrum.*
Quis. *Arab. Quis ergo.*
Dabit. *S. Greg. Credet.*

Verſ. 13.

Nemo ſeruus poteſt duobus Dominis ſeruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.

Nemo. *Arab. Non.*
Seruus. *Syr. Eſt ſeruus. Arab. Vnus. Euth. Miniſter.*
Poteſt. *Syr. Qui valeat.*
Aut enim. *Arab. Quin.*
Odiet. *Arab. Odio habeat. Pagn. Odio habebit.*
Diliget. *Arab. Diligat.*
Aut v. a. *Syr. Aut vnum honorabit. Arab. Et vni obtemperet.*
Contemnet. *Arab. Contemnat.*
Mammonæ. *Arab. Bonis.*

Verſ. 14.

Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant auari: & deridebant illum.

Audiebant. *Syr. Quum audiſſent.*
Phariſæi. *Theoph. Et phariſæi.*
Qui e. a. *Syr. Propterea quod amabant pecuniam. Arab. Amatores argenti. Ar. M. Auari ſubſiſtentes.*
Deridebant. *Syr. Irridebant. Arab. Deridere cœperunt. Caiet. Subſanabant.*

Verſ. 15.

Et ait illis: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum:

Eſtis. *Vat. Eſtis ij.*
Iuſtificatis. *Syr. Iuſtificant.*
Vos. *Syr. Seipſos. Arab. Vosmet ipſos. Pagn. Vos ipſos.*
Nouit. *Pagn. Cognouit.*
Hominibus. *Arab. Inter homines. Ar. M. In hominibus.*
Altum. *Syr. Elatum. Arab. Magnificatum. Theoph. Excelſum.*
Abominatio. *Syr. Abominationi. Arab. Abominatum. Vat. Abominandum.*
Ante D. *Theoph. Coram Deo. Vat. Deo.*

Verſ. 16.

Lex & prophetæ, vſque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.

Prophetæ. *Syr. Propheta.*
Ex eo. *Pagn. Ab eo tempore. Ar. M. A tunc.*
Euang. *Euth. Annuntiatur.*
Omnis. *Pagn. Quiuis. Arab. Vnuſquiſque.*
In i. v. f. *Syr. Ipſum corripit, vt introeat. Arab. Vim ſibi facit propter illud.*

Verſ. 17.

Facilius eſt autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.

Facilius. *Arab. Facilior.*
Cælum e. t. *Arab. Cœli, & terra.*
Præterire. *Syr. Tranſire. Arab. Remotio.*
De lege. *Syr. E lege. Fr. Luc. Legis.*
Vnum a. *Syr. Vnum elementum. Arab. Vna litera.*
Cadere. *Syr. Præterire. Arab. Euaneſcat. Vat. Intercidere.*

Verſ. 18.

Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.

Omnis q. *Euth. Quiſquis.*
Dimittit. *Euth. Repudiat. Ar. M. Abſoluens.*
Alteram. *Syr. Aliam.*
Mœchatur. *Arab. Profectò ipſe mœchatur. Theoph. Adulterium committit.*
Qui. *Syr. Quiſquis. Arab. Omnis qui.*
Dimiſſam. *Syr. Derelictam. Euth. Repudiatam.*
A viro. *Syr.* omittit. *Arab. A viro ſuo.*
Mœchatur. *Arab. Ipſe profectò mœchatur. Theoph. Adulterium committit.*

Verſ. 19.

Homo quidam erat diues, qui indue-

Homo quidam. *Syr. Porrò vir quidam. Orig. Homo.*
Diues. *Clem. Alex. Valdè diues.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

batur purpura, & bysso: & epulabatur quotidie splendidè.

Qui i. *Syr. Et amiciebatur.*
Purp. e. b. *Syr. Bysso & purpurâ. Ar. M. Purpuram & byssum.*
Epulab. q. *Syr. Quotidie sese oblectabat. Arab. Iucundè vitam ducebat. Ar. M. Oblectatus quotidie.*
Splendidè. *Syr. Magnificè. Arab. Et splendidè viuebat.*

Vers. 20.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus,

Et erat. *Clem. Alex. Autem.*
Quidam m. *Arab. Pauper. Orig. Mendicus.*
Nomine Lazarus. *Goth. Nomine Eleazarus. Orig. Lazarus.*
Iacebat. *Syr. Proiectus fuerat. Arab. Proiectus erat. Clem. Alex. Abiectus erat. Ar. M. Eiectus erat. Caiet. Porrectus erat.*
Ad ianuam. *Arab. Ad portam. S. Chrys. In vestibulo. Orig. Pro foribus.*
Eius. *Clem. Alex. Diuitis. Orig.* Omittit.
Vlcer. p. *Syr. Quum esset affectus vlceribus. Arab. vlceribus percussus. Pagn. Vlcerosus. Clem. Alex. Vlceratus.*

Vers. 21.

Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

Cupiens. *Syr. Et desiderabat.*
Saturari. *Syr. Explere ventrem suum. Clem. Alex. Repleri.*
De m. *Syr. Ex fragmentis. Clem. Alex. Iis.*
De Mensâ. *Euth. A mensâ.*
Diuitis. *Arab. Illius diuitis.*
Et nemo i. d. *Vat.* omittit.
Veniebant. *Orig. Venerunt. Ar. M. Venientes.*
Lingebant. *Syr. Lambentes. S. Chrys. Circunlingebant. Orig. Lingentes.*
Vlcera. *Orig. Vulnera.*

Vers. 22.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

Factum est. *Pagn. Accidit. Orig. Euenit.*
Mendicus. *Syr. Pauper ille. Orig. Lazarus.* vel: *Mendicus. Lazarus.*
Portaretur. *Syr. Attulerunt eum. Arab. Assumpserunt eum. Euth. Deportaretur. Orig. Adductus est. Ar. M. Asportari eum.*
Ab A. *Syr. Angeli.*
Mortuus est a. *Syr. Quin etiam mortuus est. Orig. Similiter autem.* vel: *Mortuus simul. Clem. Alex. Sed quidem.*
Et diues. *Clem. Alex. Diues ille.*
Sepultus est in i. *Syr. Sepultus est. Orig. Abductus est ad infernum in locum tormenti. Clem. Alex. Puniebatur apud inferos.*

Vers. 23.

Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

Eleu a. o. s. c. e. i. t. *Syr. Quumque torqueretur in inferis eleuauit oculos suos. Euth. Atque sublatis oculis cùm esset in tormentis. Theoph. Atque in tartaro sublatis oculis suis, cùm esset in tormentis. Ar. M. Et in inferno eleuans oculos suos existens in tormentis.*
Vidit. *Pagn. Videt.*
A longè. *Euth. Eminùs.*
Sinu. *Ar. M. Gremiis. Caiet. Sinibus.*

Vers. 24.

Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt re-

Clamans. *Syr. Clamauit altâ voce.*
Pater. *Syr. Pater mi.*
Extremum. *Arab. Extremitatem.*
Dig. s. *Syr. Digitum suum.*
In aquam. *Ar. M. Aquâ.*
Vt. *Pagn. Et.*
Refrig. *Syr. Humectet. Arab. Refrigeret cum eâ. S. Chrys. Instillet. S. Aug. Stillet.*

frigeret

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas*

frigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Liog. m. *Syr. Lingnam mihi. S. Chryſ. Lingua mea. S. Ang. In lingnam meam.*
Quia. *Syr. Ecce enim.*
Crucior i. h. f. *S. Chryſ. Flammis vror.*

Verſ. 25.

Er dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

Fili. *Syr. Fili mi.*
Recordare. *S. Cypr. Commemorare. Orig. Memento.*
Recepiſti. *S. Cypr. Percepiſti.*
Bona. *Pagn. Bona tua.*
Similiter mala. *Syr. Mala ſua. Arab. Fuit in afflictionibus ſuis.*
Conſolatur. *Syr. Ecce requieſcit. S. Chryſ. Sic conſolatur. S. Cypr. Rogatur. Theoph. Solatio fruitur. Orig. Requieſcit. Pagn. Solatio afficitur.*
Tu verò c. *S. Cypr. Tu autem doles.*

Verſ. 26.

Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.

In h. o. *Syr. Cum his omnibus. Orig. Ad hæc omninò. Caiet. Super hæc omnia.*
Inter oos. *Syr. Inter vos & nos.*
Chaos m. *Syr. Hiatus ingens. Chryſ. Hiatus magnus.*
Firmatum eſt. *Syr. Poſitus eſt. Arab. Eſt. Vat. Firmatus eſt. Ar. M. Confirmatus eſt.*
Vt hi q. v. *Arab. Vllus.*
Non p. *Arab Non Poteſt.*
Huc t. *Syr. Tranſire ad nos. Arab. Ad nos. Euth. Ad nos tranſcendere.*

Verſ. 27.

Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domo patris mei.

Rogo te. *Syr. Efflagito à te.*
Pater. *Syr. Pater mi.*
Io d. *Syr. Domum.*

Verſ. 28.

Habeo enim quinque fratres, vt reſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.

Habeo. *Arab. Sunt mihi.*
Vt teſtetor. *Syr. Proficiſcatur teſtificaturus. Pagn. Vt teſtificetur.*
Tormeot. *Theoph. Cruciatus. Caiet. Tormenti.*

Verſ. 29.

Et ait illi Abraham: Habent Moyſem & prophetas audiant illos.

Habent. *Arab. Apud illos ſunt.*
Moyſem & p. *Arab. Moyſes & propheta.*

Verſ. 30.

At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Pater. *Syr. Pater mi.*
Sed ſi quis. *Syr. Sed ſi quiſpiam. Arab. Niſi aliquis.*
Ierit. *Syr. Proficiſcatur.*
Pœoit. ag. *Syr. Pœnitentiam acturi ſunt. Arab. Non agent pœnitentiam. Goth. Perſuadebis eis & pœnitentiam agent. Orig. Reſipiſcent. Ar. M. Pœnitebunt.*

Verſ. 31.

Ait autem illi: ſi Moyſem & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

Ait. *Syr. Dixit Abraham.*
Si. *Arab. Si eſt quod.*
Audiunt. *Orig. Audierint.*
Si quis. *Syr. Si quiſpiam. Arab. Si aliquis.*
Reſurrexerit. *Syr. Surrexerit.*
Credent. *Syr. Credituri ſunt ei. Orig. Audient ipſum. S. Aug. Perſuadebuntur.*

CAPVT XVI.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

636. Illic nomine, seruus à Domino super familiam constitutus intelligitur ad hoc, vt & prouentus Domini recipiat, & in familiæ vsus expendat, ita tamen, vt se omnium redditurum esse rationem sciat. *Habebat villicum*: Græcè, οἰκονόμον, *œconomum*, *dispensatorem*: Syrus, *magistrum* domus. Qui huius mundi habet diuitias, diuitiarum se dispensatorem cogitet, non dominum; non ipsi domini sumus, sed alienarum facultatum villici, & dispensatores.

Et hic diffamatus est, καὶ οὗτος διεβλήθη, *& hic delatus est*. Latere crimina diu nequeunt, & licèt occultè fiant, in publicam tamen lucem feruntur. *Delatus est*: Licèt opes sui domini profundens multos amicos haberet, multos tamen habuit etiam obseruatores, à quibus proditus est.

Quasi dissipasset bona ipsius: Paucos reperire est, qui, diuitiis à Deo concessis, iuxta Dei præscriptum vtantur; multi diuitiis abutuntur in eius, qui eas concessit, offensam. Domini bona dissipat, qui, bonis cumulatus, bona non cumulat, & ditatus bonis, non euadit bonus. Benè bona habet, qui ex bono fit melior, aut bonus ex non bono.

637. *Et hic diffamatus est apud illum*: Substantiæ dilapidatæ reum non vnus inclamat, sed plures: fama eum prodebat. *Clamabat terra*, inquit sanctus Petrus Chrysologus, *clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota seculi fama loquebatur*. Creatura omnis hominem peccatorem ante iudicem sistit, & testimonium contra eum dicit.

Et vocauit illum, & ait illi; quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

Villicum vocat Dominus, vt eorùm rationem redderet administrationis suæ, & supputatis rationibus, sciretur, quantum bonorum Domini prodegisset. *Redde*, inquit, *rationem villicationis tuæ*: rectè, *tuæ*, non alienæ. Reddenda cuilibet earum rerum ratio, quas à Domino acceperit.

Iam enim non poteris amplius villicare: Pende huius Domini modestiam, mansuetudinem. Poterat dicere, & iure; cum mea bona prodegeris, nolo te ampliùs meum esse dispensatorem; nolo te villici, œconomi apud me officium obire. Non extulit hoc modo, sed, *non poteris villicare*, vt villicus sibi tribueret, quòd ab officio excluderetur. *Non poteris villicare*: quia non villicus fuerat, sed dissipator. Scilicet cum Domini seruos increpant, & puniunt, id non ex vindictâ se facere ostendant, sed studeant, vt serui defectus suos agnoscant, & pœnitentiam agant.

Ait autem villicus intra se; quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

638. In hoc saltem villicus sapit, quòd dissipationis crimen non negat; quin nec se excusat, obmutuit, cœpitque secum anxius cogitare, quid ageret. Nos quoque peccata nostra defendere non debemus, sed nobiscum considerare, quid agamus, ne dum excusamus crimen, crimē grandius fiat. *Quid faciam*: Domini substantiam surripuerat, sed nihil in futuros vsus condiderat, omnia dilapidauerat.

Quia Dominus meus aufert; Non dixit *auferet*, sed *aufert*; Non tanquam futuram, sed præsentem mortem cogitare debemus, nam tunc reddendæ rationis tempus est. Mortem præsentem qui considerat, vtilia meditatur, profutura considerat, rebusque suis consulit.

Fodere non valeo: Imò valebat, sed nolebat: desidiæ laborabat vitio: facilè fodere didicisset, si amasset laborare. Non mirum, si nec sua, nec domini bona seruare potuit, qui, otij mancipium, laborem defugiebat. Desidiosus perdendis opibus etiam magnis aptus esse potest, non conseruandis.

Ait autem villicus intra se. Cur amicos non consulit? cur non domesticos? solus loquitur. 639.
Quærit intra se consilium, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *qui foris, vnde sibi iam succurreret, non habebat*. Vbi nimirum reddenda ratio est, nullus reliquus est, à quo auxilium, & consolationem sperare quis possit. Quod, cum supremo iudici, iudicandi, sistemur, planum fiet.

Fodere non valeo, mendicare erubesco: Mendicantibus non misertus, erubescit mendicare; sibi dicendum cogitans, quod aliis dixerat; & eum rubore dimittendum, quia dimiserat & pauperes, eorum indigentiâ minimè tactos, tanquam auarus.

Fodere non valebat, erubescebat mendicare; cur aliud exercitij genus, non cogitat, vt honestè, inde que sibi victum quæreret? Otij amicus nullum didicerat. Ad fraudes animum adiicit; &, qui Domini bona dissipauerat, iterum eius bona fraudibus inuadit; nec pœnâ corripitur, aut emendatur; nequior fit.

Scio quid faciam, vt, cum amotus fuero à villicatione recipiant me in domos suas.

Dum secum res suas villicus cogitaret, occurrit illi consilium, quod opportunum iudicauit, licèt fraude non careret. Seculi cultores non curant an iotè, vel iniuriâ sibi prouideant, tantùm ne infamiæ notam subeant. 640.

Quid faciam: Non dixit, *quid dicam*: nuda verba præsenti necessitati non sufficiunt. Qui sibi, rebusque suis consultum vult, operi se accingat, nuda verba non det.

Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo?

Domini sui singulos debitores villicus aduocat, se ipsum aduocare debebat, quum & ipse debitor, ob subrepta, & dissipata bona, esset. *Primo dicit: Quantum debes*: Tam exiguam rerum Domini sui curam habebat villicus, vt, quid ei debitores deberent, ignoraret? *Quantum*, inquit, *debes*? Sed fors rogat, non quòd ignoraret, apud quem cautio seruabatur; sed, vt ille confessus debitum, villici liberalitatem intelligeret, dimidium debiti remittentis: de alieno tam liberalis est.

At ille dixit: centum cados olei: Dixitque illi: accipe cautionem tuam, & sede citò scribe quinquaginta.

Scriptum debiti tenebat villicus, quod reddit debitori, vt illud rescinderet, si vellet; & nouo 641.
scripto

scripto debere se quinquaginta cados olei testatetur, qui centum debebat. *Et sede*: Vt commodiùs scriberet, sedere iubetur. Commoda sua astutus villicus quærebat; quamuis videretur aliena. Hic mundanorum mos, vt lucris suis inhient, commodisque, licèt se aliorum commoda quærere præseferant.

Citò: Et sedere citò debitorem iubet, & citò scribere. Vnde huic tanta festinationis cura? Citò rem geri studet, ne quis, dum tabulæ adulterantur, superueniat, fraudemque videat, & ad dominum deferat. Scilicet seculi homines in perituris lucris celeres, & diligentes sunt: vbi de animæ salute agitur, cunctabundi sunt.

Centum cados olei: *scribe quinquaginta*. Hic omnis villici cura in eo ponitur, vt centenarij numeri bona, quæ antiquo more manu dexterâ computabantur, & spiritualia designant, ad minorem numerum redigantur, qui sinistrâ manu censebantur, & temporalia significabat, vt spiritualia, æternaque bona cum temporalibus, & caducis commutatet. Villicus iste dæmonis figuram exprimit, cuius hoc studium, vt spiritualia temporalibus commutentur, & centenarius numerus, qui dexterâ computabatur, ita minuatur vt ad sinistram transeat.

Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

642. PRiùs dimidiam remisit partem debiti, hîc quintam dumtaxat; fors ne, si omnibus eandem remitteret quantitatem, facilè Dominus aduerteret. Vbique cautus, vbique astutus villicus erat.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.

MIrum est, villici industriam, cum tanto Domini damno coniunctam, laudasse Dominum. Rarus inueniatur, qui similem industriam probet. Sed laudauit, tanquam valde diues, & valde liberalis. Non contristatur de facultatum iacturâ, sed in dispensatoris calliditate sibi complacet. Quidni laudet eum, cùm Dominus iste Deum referat, qui supra quàm credi potest liberalis & effusus est, vt damna non cogitet, dummodo nos lucremur, & nos lucretur?

SECTIO II.

Perstricti qui corpus curant animæ curâ neglectâ. 651
Ægritudo in deliciis. 651

Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis.

CVr iniquæ, & iniustæ dicuntur diuitiæ, cum etiam iusto titulo acquiri, ac possideri possint? An iniquitatis nomen merentur, quia ferè non sine iniquitate colliguntur, & asseruantur? An quia sine iniquitate vix expenduntur? Denique, quia omnis iniquitatis materia, & fomes. 643.

De mammonâ iniquitatis: Mammona, tanquam idoli nomine, diuitias vocat Christus; quia à multis, tanquam aliquod numen, coluntur, ipsisque se substernunt, vt adorare videantur: vnde & ab Apostolo auaritia, *idolorum seruitus* dicta est. Ephes. 5. 5.

Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis: Quàm diues paupertas est, quæ non indiget patrocinio, & indigentibus fert adeò, vt, si ex vero rem pensemus, diuites fiot indigentes, indigentes verò diuites! Pulchrè sanctus Bernardus: *Facite, inquit, vobis amicos de mammonâ iniquitatis; vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vides quàm magna dignitas sanctæ paupertatis! vt non modò patrocinium ipsa sibi non quærat, sed & ferat indigentibus.* 644.

Mammonæ nomen etiam dæmonis esse, aliqui affirmant: *Quasi, qui diuitiis præsit huius seculi, non quòd tu eius ditione sint, sed quia iis vtitur, ad decipiendum, dum, incautos, diuitiarum irretit laqueis*, ait Sanctus Pascbasius. Diuitiis dæmon præsidet; quia diuitiarum obiectu homines fallit, inque retia sua trahit.

Vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

CVm defeceritis: His verbis indicatur breue vitæ præsentis tempus; innoemurque, non dici hîc futuros, mortem nobis tandem obeundam. Aptè mortis mentionem ingerit, ne tenaciores redderemur, longioris vitæ fiduciâ. Facilè sua paupertibus erogat, qui seriò cogitat, se breui abiturum, obiturum. *Vt cùm defeceritis*: Syrus aliter, *demo dagmar, vt cùm defecerit*; id est mammona. Nos & diuitiis morimur, & moriuntur quodammodò nobis diuitiæ. 645.

Vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Ac si pauperum regnum esset Cœlorum; & qui in terrâ contemnuntur, in cœlo, cæteros bearent. Peritè rem expendebat sanctus Bernardus epist. 103. *Amicitia*, inquit, *pauperum, regum amicos constituit: amor paupertatis reges*. REGNVM DENIQVE COELORVM PAVPERVM EST, *& est regia potestatis beare pro voluntate amicos. Facite, inquit, vobis amicos de mammonâ iniquitatis; vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vides, quia magna dignitas, sancta paupertas sit; vt non modò patrocinium ipsa sibi non quærat, sed & ferat indigentibus.*

Vt cùm defeceritis, recipiant vos. Quæstus minimè ignobilis largitio videatur; recipiunt nos, qui nostra à nobis accipiunt: *si eorum amicitias*, inquit Sanctus Gregorius lib. 21. moral. cap. 14. *æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia PATRONIS potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur.*

In æterna tabernacula: Cur non in temporalia? Au, 646.

An, quia iis facienda eleemosyna est, qui superba tabernacula non habent, & breui casura?

Recipiant vos in æterna tabernacula: Addit sanctus Chrysostomus, *sua.* Si tàm ingens bonum à bonis terrenis, terrenis opibus distributis, sperari potest; quid exspectandum, si spiritualis salutis causâ spiritualia obsequia exerceantur. Rem bene vrget idem sanctus Pater: *Rursus Christus exhortatur dicens: Facite vobis amicos ex mammonâ iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna sua tabernacula. Vides, quod multâ fiduciâ nobis contingit ab his, quos hîc nostro beneficio iuuerimus. Quod, si vbi pecunia dumtaxat insumitur, tot sunt coronæ, tanta merces, tanta remuneratio; vbi iuuatur anima, quî fieri potest, vt non multa, magnaque nobis contingant bona.*

Si ergo in iniquo mammonâ fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?

AC si diceret: Indignus veris, & æternis bonis est, qui temporalia, eaque fallacia, malè dispensat. *quod verum est:* Iniquo opponit verum, vt innueret terrenas diuitias veras non esse, nec vera bona, sed mendacia, apparentia, & amatores suos fallentia. Vera sunt bona, quæ spiritualia, quæ æternùm nobiscum permansura sunt.

Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?

647. PEcunias, opesque seculi cur *alienum* vocat, dicens: *Et si in alieno fideles non fuistis?* An quia homines non tàm domini, quàm diuitiarum dispensatores sunt? An opum copiam & abundantiam *alieni* nomine designat; quia opibus affluere, opes sectari, cumulandis diuitiis operam dare ab homine alienum est, cui proprium est & quærere, quæ possessorem beant, nec pereunt possessori? Peritè Origenes. *Quod si in alieno fideles non fuistis: ostendit per hoc præsentis* SECVLI DIVITIAS NON ESSE NOSTRAS PROPRIAS, SED ALIENAS; *transeunt enim, & sicut vmbra prætereunt.* Et in eandem fere mentem sanctus Ambrosius expendens hæc verba. *Aliena nobis diuitiæ sunt, quia præter naturam sunt, neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt. Christus autem noster est, quia vita est.*

Quod vestrum est: Nostrum vocat cælestes diuitias, cælestia bona; non quòd hæc Dei non sint, & Deo accepta non referenda; sed, quia nobis maximè consentanea, ac nobiscum perpetuò futura. Nostrum esse non videtur, quod breui tempore nobiscum manet. Nostrum dici potest, quod æternum nostrum erit.

648. *Quis dabit vobis?* Cur non dixit; *quis credet vobis?* sicut & superius? De bonis viæ, de quibus reddenda nobis ratio est, dictum est, *quis credet*; de bonis autem patriæ, & gloriæ dicit *quis dabit*; quia de his nulla reddenda ratio est; quietissimè ac pacatissimè æternùm eis adhærebimus. Oh quando!

Homo quidam erat diues, & induebatur purpurâ, & bysso; & epulabatur quotidiè splendidè.

PVrpura regum, & eorum, qui regibus proximi erant, erat habitus: Quis autem diues iste fuerit non exprimitur. Fors statum suum excessit vestium magnificentiâ. Purpura, & bysso induebatur vestitus exterior purpura erat, interior byssus: purpura ad splendorem, ac magnificentiam; byssus ad molliciem. Non superbus tantum erat, sed & delicatus; & ità se in vestitu iactabat, vt cuticulam curaret, corpori seruiret.

649. *Induebatur purpurâ:* Regias induerat vestes, qui exuerat pietatem. Purporâ vestitur iste diues, regium habitum præsefert. Regiam habuisset mentem, regium pectus. Imperij gestat insigne, qui luxibus, deliciis miser seruiebat? Delicatis vestitur vestibus diues, sed mollibus tegumentis ferrea operiebat viscera.

Diuitis huius paupertatem etiam in diuitiis, pauperis diuitias etiam in paupertate explicat Sanctus Fulgentius de stato viduali cap. 9. *Diues ille, inquit, qui induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, quàm inanis fuit in illis epulis quàm pauper in multitudine diuitiarum, quàm nudus in pulchritudine vestium, quàm infirmus in sanitate corporis, quàm famelicus in sanitate ventris, quàm miser in gaudiis, quàm desolatus inter amicorum colloquia, quàm deiectus inter obsequia seruulorum! Attende quoque Lazarum in paupertate diuitem, in miseriâ beatum, in felicitate felicem, in vulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine domino: sine veste, sed non sine fide: sine bonâ valetudine corporis, sed non sine robore charitatis: sine cibo, sed non sine Christo: canibus expositum, sed socium Angelorum: qui non accipiebat de micis, quæ cadebant de mensâ diuitis, sed cælestem panem visceribus ructabat internis.*

650. *Homo quidam erat diues:* Diuitis nomen non recensetur, qui solo nomine erat diues, non reipsâ. Non dedere nomen diuiti diuitiæ, sed abstulerunt. Vix homo videbatur, vt nomen habere posset. Fera euaserat: erat lupus. Festiuè hunc diuitem perstringebat Sanctus Chrysostomus, dum aiebat. *Diues erat quidam nomine non re ipsâ purpurâ indutus, cui mensa apponebatur opipara, vinò crateres habens coronatos: qui conuiuia quotidiè celebrabat! Alter verò quidam erat pauper Lazarus nomine. Vbi ergo nomen diuitis? Nusquam, quippè qui nomine careat. Quanta diuitiæ! nec tamen illi nomen reperitur. Qualis tandem hæ diuitiæ? Arbor foliis vernans, sed fructu destituta; quercus in altum propensa, quæ glandem brutis animantibus in cibum suppeditat, homo qui fructum non habet hominis. Vbi enim diuitiæ ac rapina; lupus est is, qui cernitur. Vbi diuitiæ, & feritas: leonem, video, non hominem: nobilitatem perdidit ignobilitate malitiæ.*

Homo quidam: Diuitis reticetur nomen, recensetur pauperis: apud Deum nobilior pauper, quàm diues est, si diues virtutibus sit pauper, pauper virtutibus diues. *Diuitem*, inquit hic Caietanus, *sine nomine descripsit (homo quidam) ad monstrandum, contrarium esse ordinem spiritus ordini mundano. Apud mundanos siquidem diuitum nomina sciuntur; & cùm de eis verba fiunt, nominatim explicantur: pauperum autem nomina nec sciuntur, nec, si sciuntur digna existimantur propriâ appellatione: sed, si de aliquo eorum sermo accidit, dicitur: quidam pauper. Totum oppositum est secundum ordinem spiritus: & propterea diues appellatur, homo quidam: pauper autem nominatim appellatur Lazarus.*

651. *Induebatur purpurâ:* Nobilior diuitiis habitus erat, quàm esset diues. *Cinis, & puluis, & terra,* inquit Sanctus Chrysostomus, *purpuram, & sericum portabat.* Induebatur purpurâ, qui verecundiæ

purpuram

purpuram exuerat. Corpus nobilibus vestimentis operiebat animam aut nullis, aut vilissimis.

Totam in curandâ cute, in poliendo corpore curam adhibebat iste diues, animâ prorsus neglectâ. *Quotidie*, inquit Sanctus Chrysostomus, *purpurâ induebatur; anima vero eius araneis referta erat. Vnguenta spirabat, at fœtoris plenus erat. Mensa illi apponebatur opipara; parasitos, & adulatores alebat; carnem saginabat ancillam, dominam autem animam, fame confectam, negligebat.*

In deliciis erat diues, sed æger erat, ægritudine deliciosa laborabat, donec ad tortuosam perueniret; Sanctus Augustinus serm. 21. de verbis Domini huc spectabat dicens: *Finierat diues ille ægritudinem* DELICIOSAM, *venit ad* TORTVOSAM. *Pauper verò ille finiuit ægritudinem, & peruenit ad sanitatem.*

SECTIO III.

In rebus referendis omnium famæ *consulendum.* 652
Vlcera, pauperis *ornatus & purpura.* 652
Diuitis *& pauperis certamen.* 653
Lazari *virtus imitanda proponitur.* 653
In pauperis *vulneribus reperire medicinam diues potest.* 654
Quanti sit apud Deum meriti *dura* pati *& aduersa.* 654
Pauperes *Deus honorat.* 655
Pauperis *vulnera arma erant.* 655
Ad diuitis *ianuam cur iacuerit pauper.* 655. 656
Modestia *pauperum comes sit.* 656

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus.

652. MEndici narratur nomen, cur non & diuitis? Pauperis nomen expressit; quia quæ erant landis, vtporè quod ab Angelis in sinum Abrahæ delatus sit, de eo dixit: diuitis autem vitia ob oculos posuit, sed nomen suppressit, vt eius parceret famæ. Docemur in rebus referendis omnium famæ consulendum.

Pauper ad diuitis iacebat ianuam: in viâ quidem publicâ quærebat à transeuntibus stipem, sed non longè à portâ diuitis stabat; neque enim pro suâ crudelitate permisisset diues, vt pauper, vlceribus plenus, interius domûs eius vestibulum occuparet. Eo tamen iacebat loco, quo videret eum diues, & exiens, ac reuertens eius miseriam obseruaret si vellet: Excusare se non potuit diues, quòd pauperem non vidisset, quem quotidiè spectabat.

Vlceribus plenus: Diuitem byssus, & purpura vestiebat; pauperem vestiunt vlcera, & operiunt. Dei oculis pulchior vestitus iste, quàm ille, licèt hominum sensu aliter sit. Pauperis corpus vlceribûs ornatur: diuitis anima scatet vlceribûs.

653. Ad ianuam diuitis pauper stabat, diues autem misericordiæ ianuam omnem clauserat. Pauperis diuitis certamen, & conflictum eleganter nobis, ob oculos ponit sanctus Petrus Chrysologus serm. 124. *Ianua diuitis pauper apponit vlceribus plenus: ac fit hoc non humano casu; iudicio fit Diuino, vt diuitis & pauperis conflictus esset in terra, spectaculum maneret in Cælo. Diues totus indutus diuitiarum stabat armis: & contrà pauper iacebat ipsâ vestitus in carne; nisi fortè lorica erat illi vnum totius corporis vulnus. Diues morabatur seruorum choris: pauper exutus cute, dolorum stimulis agebatur. Iaciebat impietatis tela diues: clypeum miserationis Lazarus opponebat. Crudelitatem suam diues, pauperis vibrabat in vulnus: frustrabatur diuitis sontem animam totus corpore deserente migrauit, & calcatâ carne in spiritum totus armiger supernus ascendit, ne, vbi possit ferre, diuitis crudelitas inueniret.*

Lazari virtutem efferebat Sanctus Chrysostomus nosque ad eius imitationem his verbis prouocabat hom. de Aduersâ valet. & medicis: *Imitemur Lazarum & diuites & pauperes. Non enim vnum aut duo aut tria duntaxat, sed multò plura virtutis certamina subiuit: paupertatem, solitudinem opitulatorum, aduersam valetudinem: quod non duos tresue dies, verùm per omnem vitam & se in his, & diuitem in contrariis videbat: quòd alium Lazarum intueri non habebat: quòd nihil de resurrectione philosophari poterat: quòd cum prædictis malis, malam etiam suspicionem apud vulgus hominum ex illis calamitatibus sibi collegerat. Quam igitur defensionem habebimus, si, cùm hic omnia simul aduersa tam fortiter tulerit, nos ne dimidium quidem feramus?*

Sed cur tandem pauperis vulnera cælestis me- 654
dicus non curauit? An id factum, vt integrior sanctiorque fieret pauper, dum diutiùs vulnerum sustineret cruciatus? An diuitis id quoque causâ actum, vt nimirum in pauperis vulneribus medicinam reperiret? Istuc offert etiam Sanctus Petrus Chrysologus serm. 124. *Ob hoc*, inquit, *egerat Deus, vt diues pauperis, pauper diuitis in oculis semper essent, quatenus vicissim sibi ambo curam de vario languore præstarent. Ægrotabat pauper corpore, mente diues. Hinc est, quòd differebatur cura pauperis, vt diues sumeret de vulnere medicinam, de gemitu compunctionem, de lachrymis pœnitentiam, de patientiâ exemplum, de fame misericordiam, de siti sensum, ad summam, cæleste de terrenâ compassione consortium: certè vt cantis diues bonis fultus Deo gratus esset, quando gratus Deo pauper in malis omnibus, vidente diuite, permanebat.*

Quanti sit apud Deum meriti, dura pati, calamitates fortiter ferre, aduersitatibus premi, sed libenti animo, ostendit exemplo suo Lazarus, quem adeò elatum legimus in Euangelio; licèt nullum aliud de eo magnum facinus legamus, nisi quòd tot aduersa sustinuerit. Rem egregiè versat Sanctus Chrysostomus epist. 3. *Lazarus quoque ille in morbum prolapsus (hoc porrò non erat propter Deum pati) tamen, quoniam eorum, qui ægrotantem curarent, inopiam, mœrorémque illum, quem & vlcera & fames & diuitis contemptus atque crudelitas afferebat, forti animo tulit, quas coronas consecutus sit, non te fugit. Atqui nullum illius cum virtute coniunctum facinus inuenimus, quod commemoremus: non quòd pauperes misericordiâ prosecutus sit: non quòd læsis opem tulerit, aut aliud quiddam eiusdem generis cum virtute gesserit. Verum illud duntaxat, quòd pro diuitis foribus iacuerit, quòd aduersa valetudine laborarit, quòd ipsius vulneribus canes linguas admouerint, ac denique quòd diues eum sit aspernatus: quæ quidem omnia ad perpessionem spectabant. Et tamen, licèt nullo alio egregio virtutis munere perfunctus, quandoquidem eam duntaxat, quæ hinc ortum trahebat, mœstitiam strenuo animo tulit; eandem cum patriarchâ, qui tot res cum virtute gesserat, sedem est consecutus.*

Nomine Lazarus: Diuitis tacetur nomen, non tacetur pauperis: iustè. *Nominabatur*, ait Sanctus

Augustinus

Augustinus, *diues ille ab hominibus, pauper tacebatur; contra Dominus pauperem nominauit, diuitem tacuit.* Quem homines spernunt, honoratur à Deo; quem homines honorant, Deus spernit. Lazarus diuitiis pauper erat, non sanctitate: diues diuitiis diues, pauper erat sanctitate; vt ob id istius nomen non legamus recensitum, sicut illius. *Lazarus pauper*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quoniam sanctus erat nominatur; iste verò diues, & superbus, nec nomine quidem dignus habitus est.*

Vlceribus plenus iacebat pauper. Obduratis auribus nil vnius vox clamantis erat. *Ad aperiendum cor diuitis*, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *totum* CORPVS PAVPERIS VVLNERIBVS *aperit; vt in admonendo diuite tot essent ora, quot vulnera*: &, quem vna esurientis non moueat vox, moueret multis vocibus multa vulnera.

656. *Qui iacebat ad ianuam eius*: Vt omne excusationis velamen excluderetur. *Ne diues*, inquit Vgo hic, *dicere posset: non vidi: in angulo fuit: aspicere non potui: iacebat antè ianuam, vt diues cum videret exiens, & reuertens.* Ad ianuam diuitis stat pauper, vt omnis excusationis ianua diuiti clauderetur.

Ad diuitis ianuam stabat Lazarus. Ibi *fame suâ*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *inhumanitatis tua*, diues, *titulos fixit. Ibi postes tuas suis vlceribus* LAVREAVIT. *Ibi sanie suâ pinxit inicas tuas.* Olim sanguis in Iudæorum postibus eos à percutiente Angelo exemit; nunc Lazari sanguis diuitem hunc damnabat, & vindictam non secus ac sanguis Abel altè inclamabat, etiam si sileret.

Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ diuitis, & nemo illi dabat.

CVpiens: cur non petit, & importunè flagitat, vt solent pauperes? Modestus, & patiens erat iste pauper, & miseriæ ostentatione potiùs, quàm clamore flectere spectatores voluit. Verbis micas petierit id adeò raro, aut modestè fecisse videtur, vt videatur tacuisse.

De micis: non sumptuosis satiari ferculis cupiebat, sed de micis, quibus etiam canes satiabantur; *&* ; *quæ de diuitis mensâ cadebant*: Notatur diuitis duritia, & pauperis summa patientia, qui in medio eorum iacebat, qui ebrietati indulgebant, & delicatis se epulis ingurgitabant, ipse verò fame premebatur; quod ingentis doloris occasio esse potuit.

SECTIO IV.

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

657. AD iacentem accurrunt canes, tanquam ad proiectum, nudumque cadauer; nec enim viuentis corpus lambere canes solent. Lingebant canes vlcera, adeò viribus fractus erat pauper, vt nec canes posset abigere; fors nec volebat. Proprio sanguine pauper canes pascebat; pauperem diues micis satiare nolebat, vt durior in hominem diues esset, quàm in canes pauper.

Multos alebat canes diues ad luxum, ad delicias; pauper ne canum quidem apud eum conditionem obtinet: sæuior canibus diues; parcunt pauperi canes; non dentes exerunt, vt mordeant, sed linguam ad obsequium, vt lingant; vt vel diuitis canes diuitis duritiam condemnarent.

Canes pauperis lingebant vlcera: mitiores diuite diuitis canes erant; nisi quod hinc pauperis apparet imbecillitas, qua nec canes poterat abigere. *Canes*, inquit sanctus Chrysostomus, *lingebant vlcera viui: adeò erat fractis viribus, vt nec canes quidem posset abigere, sed viuum cadauer iacebat.*

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

PRæ corporis ægritudine, & rerum necessaria- 658.
rum inopiâ defecit pauper, & statim eius anima ab Angelis in Abrahæ defertur sinum. Vnus huic ministerio Angelus sufficiebat; cur multi accurrunt? An honorare paupertatem volunt Angeli, quæ ab hominibus opprobrio habetur? Portatur pauper ab Angelis; *Ne saltem ambulans laboraret*, inquit sanctus Chrysostomus.

Diues fuerat Abraham; cur ergo nunc diuitem respuit, recipit pauperem, imo & ambit? An, quia Abraham non sibi diues fuit, sed pauperibus, sed indigentibus? Opes habere non studuit, sed effundere. Diuitias honorare non vult, qui exemplo spernendas docuit.

Portatur in sinum Abrahæ pauper; non quia pauper tantum, & miser; sed, quia paupertatem, & ærumnas æquo animo pertulit. Non legimus in querelas vnquam erupisse, & impatientiæ dedisse vllum signum. Grata Deo, grata angelis paupertas est, quæ fortitudini iuncta languentis firmum animum prodit. Nulli conuitium pauper dixit; nulli malè precatus est, qoin nec diuiti ipsi; non murmurauit, non Dei prouidentiam incusauit; sed pacatâ omnia tulit mente. Si murmurasset, si impatiens fuisset, Angelorum obsequium minimè habuisset.

Non filium suum mactauit Lazarus, sed dura 659.
æquo animo ferens eò elatus est, vt Abrahæ æquaretur, in eiusque sinu reciperetur. Idem sanctus Chrysostomus alio loco rem vrget: *Et Lazaro ad salutem hoc satis fuit; atque in sinum eius, qui communem omnibus prætereuntibus domum habuit, & propter Dei iussum, atque imperium perpetuo extorris fuit, ac germanum, & vnicum filium in senectute acceptum obtruncauit, is, qui nihil horum fecerat, idcirco abscessit, quià paupertatem, & morbum, ac personarum inopiam æquo, & facili animo tulit.*

Moritur pauper, sed in diuitis sinum transfertur, vt sciremus ita diuitiis caruisse, vt non caruerit sanctitate. Audiendus sanctus Augustinus: *Si paupert*, inquit, *illi meritum esset inopia, non iustitia; non vtique in Abrahæ gremium, qui diues hic fuerat tolleretur. Sed, vt nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per seipsam diuinitùs honoratam nec in illo impietatem suos exitus habuisse. Sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis.*

Portatur in sinum Abrahæ: & non habebat 660.
aliquid,

aliquid, quod purgaret? An paupertas sordes omnes absterseret, omnes maculas abraseret, absumpserat? Ita est. Hinc illud Beati Laorentij Iustiniani. *Paupertas efficax primò est ad exterminium iniquitatis tripliciter. Primo propter expiationem culparum perpetratarum. Est enim caminus purgans, & eliminans sordes vitiorum, iuxta illud Esai. Collige te in camino paupertatis. Hoc namque patet in Lazaro mendico, & diuite epulone.* PVRGAVIT ENIM SGNIS INOPIÆ PAVPEREM VLCEROSVM, *& diuitis bona remunerauit felicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit, & tersit; & istum abundantia remunerauit, & repulit. Quum igitur quesdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare conspicimus, illos minimè despiciamus; quia fortasse, quos superfluitas sensuissima paupertatis inquinat, caminus paupertatis curat, & abstergit.*

In sinu diuitis est pauper, in sinu Abrahæ Lazarus. Verè est diues; qui in sinu pauperem habet; & pauper, esse non videtur pauper, qui in sinu est diuitis: Ambo diuites Deo, ambo pauperes erant cupiditate, & auaritiâ. Festiuè rem versat sanctus Augustinus: *Pauper, ærumnosus, vlcerosus quò sublatus est? In sinum Abrahæ. Lege scripturas, & inuenies diuitem Abraham: Vt noueris, quia non diuitiæ culpantur. Habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familia. Diues erat, & in eius sinum Lazarus pauper sublatus est.* IN SINV DIVITIS PAVPER. *An potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes?*

661. In Abrahæ sinu Lazarus est, in sinu diuitis pauper; vt noueris damnationis causam non esse nudas diuitias; sed abusum diuitiarum, ac superbiam, quæ sæpè diuitum culpâ nascitur ex diuitiis. Huc facit, quod habet sanctus Augustinus in Psalm. 84. *In illo*, inquit, *paupere humilitas intelligitur honorificata; in illo diuite superbia damnata. Breuiter probo; quia non diuitia sed superbia in illo diuite cruciabatur. Certè ille pauper in sinum Abrahæ sublatus est. De ipso Abraham dicit Scriptura, quia habebat hic plurimum auri & argenti, & diues fuit in terrâ. Si qui diues est, ad tormenta rapitur, quomodo Abraham præcesserat pauperem, vt ablatum in sinum suum susciperet? Sed erat Abraham in diuitiis pauper, humilis, tremens omnia præcepta & obediens: vsque adeò autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt, iussus à Domino, filium suum immolaret, cui seruabat diuitias. Discite ergo, esse inopes & pauperes, siue qui habetis aliquid in isto seculo, siue qui non habetis: nam & hominem mendicum inuenitis superbientem, & hominem superabundantem diuitiis inuenitis confitentem.*

SECTIO V.

Aliorum humanitas, eorum accusatrix, qui sunt inhumani. 673

Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

NOn potuere diuitiæ à mortis imperio diuitem eximere; mortuus est non secùs ac pauper. Nulli mors parcit; diuitibus, & pauperibus mors communis: Mortuus pauper dicitur, sepulturæ verò nulla facta est mentio, quia vel nō fuit sepulturæ traditum corpus eius, vel sine vllâ funeris pompâ derelictum est: diuitis autem cadauer aromatibus, & vnguentis conditum fuit, & magno comitatu elatum, inque illustri monumento sepultum. Sed peccatoribus nihil prosunt celebres exequiæ; & pauperibus nihil vilis, aut nulla sepultura nocet. 662.

Huius diuitis exemplum cæteri diuites cogitent; &, ne easdem pœnas subeant, eadem ne premant vestigia. Appositè S. Cæsarius Arelatensis hom. 24. *Omnes diuites* TIMEANT EXEMPLVM *illius arboris infructuosæ & sterilis; id est illius, qui purpurâ & bysso induebatur. Arbor enim amœna & sublimis erat in Mundo: sed, quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in Inferno: & ab illo petebat guttam, cui negauerat micam. Hæc ergo cogitent diuites, qui se de rebus suis, dum suæ sunt, redimere nolunt, vt non faciant talia, ne talia patiantur. Diues fuit, de quo loquimur. Sunt & aliqui diuites ad quos nunc loquimur. Vnius sunt nominis, caueant, ne sint vnius conditionis.* 663.

Sepelitur in inferno diues; quia diuitiis abusus fuerat, in luxus, & in voluptates eas expendens, quas debebat in pauperes. Aliquis hic pro diuite dicat. Potuit aliorum pauperum misereri, licèt Lazaro misericordiæ viscera clauserit. Qui quotidiè semel, atque iterum eum videre cogebatur, foras prodiens, & domum exiens, neque tamen tali aspectu commotus ad misericordiam est; si quem fortè casu obuium haboisset, motum misericordiâ fuisse, quis credat? 664.

Non legimus aliena rapuisse diuitem istum, sed tantùm suis abusum; & tamen tam graues pœnas dedit. Quas dabunt illi, qui & abutuntur diuitiis, & rapiunt vt abutantur? Rem vrget etiam Sanctus Gregorius Magnus: *Neque diues*, inquit, *in Euangelio, qui induebatur purpurâ, & bysso, qui epulabatur quotidiè splendidè, aliena rapuisse, sed infructuosè propriis vsus fuisse perhibetur; eumque post hanc vitam vltrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed, quia immoderato vsu totum se licitis tradidit.* 668.

Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

ELeuare nunc oculos diues dicitur, quos semper ad terram depresserat, terrenis inhians. *Cum esset in tormentis:* Tormenta fecerunt, vt diues Lazari meminisset, cogitans quàm mutatæ essent vices, essetque tam felix, qui adeò miseram egerat vitam.

Et Lazarum in sinu eius: Hic suppliciorum cumulus. Grauis diuiti pœna eum, quem aliquando, contemptui habuit, nunc videre felicem.

In sinu Abrahæ Lazarus dicitur esse; non ibi legitur 669.

legitur diuitis crudelitatem accusasse. Iniuriarum oblitus, quas acceperat, feliciter requiescebat. Porrò diues à longè Lazarum videt, quem videre neglexit, dum esset propè.

Eleuans autem oculos suos: quando? *Cum esset in tormentis*; nam, cum in deliciis esset, eleuare oculos non didicerat, quos statuerat declinare in terram, terrenis adhærens, cæli, cælestiumque oblitus.

Cum esset in tormentis: Cur ipse in tormentis esse dicitur, non tormenta in ipso? Ob tormentorum magnitudinem, vt ea homo non capiat, sed hominem obruant, & sepeliant; vt & de immensâ beatorum felicitate dictum est: *Intra in gaudium Domini tui*; quòd hominis mentem excedat gaudiorum magnitudo.

In tormentis: sed in quibus? non exponitur, quo tormentorum genere cruciaretur; quia supplicium illud suppliciorum, & pœnarum omnium rationem habet, ac velut ex tormentis omnibus coalescit.

670. Cùm esset in tormentis, oculos eleuauit; ac si liberi à tormentis diuitis oculi fuissent. Non erant, &, vt fuissent, solus Lazari adspectus ingens diuiti tormentum erat. *Totus in tormentis erat*, inquit Sanctus Thomas hic: *oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiam posset aspicere, & vt magis torqueatur, quia non habet, quod alius habet. Aliorum diuitia, eorum, qui in paupertate sunt, tormenta sunt.*

Leuat oculos in Lazarum, qui priùs Lazarum non erat dignatus videre: extorquet à diuite pœna, quod non potuit pietas. *Serò diues*, inquit, Sanctus Petrus Chrysologus serm. 122. *sursum leuat oculos suos, quos semper depressit in terram. Diues, quos oculos leuas, ipsi sunt accusatores tui: quos oculos leuas, ipsi non placant iudicem, sed inflammant: non reperiunt veniam, sed reatum; & exigunt pœnarum cumulum, non solamen. Quò oculos leuas? Quid clamas adhuc, diues? Quò respicis diues? Ibi est Lazarus: ibi est impietatis tua proditor, testis criminis, crudelitatis assertor.*

671. A longè diues Abraham vidit, ab Abrahæ moribus semper longissimè qui distauit. Non potuit esse proximus Abrahæ, qui proximus hospitalitati non fuerat, ac munificentiæ. *Longè illi erat Abraham*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *cui non fuerat proximus pauper. Vidit Abraham diuitiarum consortem, sed inhumanitatis exortem. Et Abraham diues, sed plus humanitate, quàm censu. Tu diues in humanitate tuâ maior tuis diuitiis extitisti. Abraham sibi peregrinus ciuis hospitum fuit. Tu palatia possidens, tectum pauperi non dedisti.*

Abraham vidit diues, vt intelligeret, non diuitias damnari, aut ducere ad damnationem, sed diuitiarum superbiam, ac cupiditatem. Pulchrè Sanctus Augustinus: *Si, qui diues est, ad tormenta rapitur, quomodo Abraham præcesserat pauperem, vt ablatum in sinum suum susciperet? Sed erat Abraham in diuitiis pauper, humilis, tremens omnia præcepta, & obaudiens. Vsqueadeò autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt, iussus à Domino filium suum immolaret, cui seruabat diuitias.*

672. Vidit Abraham, & Lazarum: Etiam alij innumerabiles erant cum Abraham. Cur statim eius oculis solus Lazarus obiectus? Acutus inuidiæ oculus est; statim in illum fertur, cuius felicitas magis inuidum cruciat; & nullius visu tantâ molestiâ premi diues poterat, quanta Lazari, quem contempserat.

Vidit Abraham, & Lazarum. Iustus ante reprobi faciem cur statuitur? Vt illius intuitu cruciaretur. *Vt Deus*, inquit Titus, *Adamo è paradiso eiecto, ex aduerso paradisi sedes assignauit, quò creber eiusdem conspectus dolorem instauraret: ita Lazarum in cruciatuum augmentum diuitis huius aspectus obiecit.* Vruntur enim electorum felicitate reprobi non minùs, ac infernalibus flammis.

Lazarum vidit diues in tormentis positus, vt paupere eius oculis obiecto sæuities diuitis diuiti obijceretur. *Propterea nullum alium*, inquit Sanctus Chrysostomus, *vidit diues, nisi illum sui indigentem: vt discat quòd hæc iustè patiatur, in memoriam eorum veniens, qua gerebat. Num non erant innumeri diuites iusti? Sed ad eius ianuam iacens hic ipsi occurrit: ipsum & nos docens: quantum sit bonum in pecuniis non confidere.*

In sinu Abrahæ Lazarum vidit; cur non alium ex sanctis vidit Patriarchis? An etiã, vt ab Abrahæ Patriarchæ hospitalitate inhospitalitatis accusaretur? *Quare verò*, inquit sanctus Chrysostomus, *non alium iustum videns, non Noe, non Iacob; non Lot, non Isaac, sed Abraham? Quid ita? Quoniam hospitalis erat, & in suum tabernaculum viatores pertrahebat. Itaque huius inhumanitatis maior accusatrix efficitur illius hospitalitas.* Eodem spectabat Titus Bostrenus hic, dum ait: *Cur, quæso, Lazarum in sinu Abrahæ potius vidit, quàm apud quemcunque alium iustum? Quia Abraham hospitalitati cum primis deditus fuerat.* Vt huius hospitalitas ergo illius inhospitalitatem redargueret, propterea, æquus iudex hunc cum illo collocare voluit. 673.

SECTIO VI.

Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum; vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.

Patrem vocat Abraham, vt ad misericordiam flectat. Non agnouit patrem, quem in paupere sic contempserat, cum viueret. Iniustè patrem vocas, cuius filius esse noluisti. *Miserere mei*: Tu priùs tui misereri debueras. Misericordiam postulas; tormenta ad id te cogunt, non piæ mentis affectus, 674.

affectos. *Mitte*, inquit, *Lazarum*: Falleris miser: *Abrahæm recipere Lazarum potest, sed mittere non potest*, ait sanctus Thomas. *Mitte Lazarum*: Dixisset, duc me ad Lazarum. Adhuc crudelis in pauperem diues est, pauperis felicitate torquetur non secus, ac suis pœnis; & zelo magis cruciari videtur, quàm gehennâ.

Vt intingat extremum digiti sui. Adeonè in se auarus est diues iste, vt guttá duntaxat refrigetãdæ linguæ postulet? Tam malè de iustis diues impius censet, vt eos in benefaciendo minùs censeat liberales. Ita alios ex seipsis mali metiuntur, vt, qui micam Lazaro negauerat, non plusquam aquæ guttam à Lazari pietate exspectaret.

Et refrigeret linguam meam: Quare linguam solam desiderat refrigerari, qui toto corpore æstuabat? An præcipuè lingua sentit ardorem, quæ prima varios deliciarum gustauit cibos, & pietatem iubere noluit?

Pater Abraham. Cur Lazarum non vocat, Lazarum alloquitur? *Non dirigit sermonem ad Lazarum*, inquit sanctus Thomas hîc; *quia forsan erubescebat, & putabat Lazarum reminisci malorum, ex propriis iudicans de illo*: Nimirum adhuc in Lazarum sæuit, & grauiùs, quàm, cum in vita esset, sæuierit; dum eum iniuriarum memorem, vltoremque censet.

675. Abraham diues alloquitur: respondit diuiti Abraham, tanquam scilicet Dei summi iudicis interpres, tanquam Deus alloqui impium illum diuitem dedignaretur, qui pauperem alloqui, pauperi opem ferre fuerat dedignatus cum viueret. Huc voco verba Sancti Chrysostomi; *Non Patriarcha erat, qui iudicabat, quamquam is pronunciabat. Verùm, quemadmodum in mundanis istis iudiciis, quoties fuerint aliqui Rei, puta, latrones, aut homicidæ, hos leges procul à conspectu iudicis segregantes, & arcentes; non permittunt, vt audiant vocem iudicis, qui præter alia, hoc quoque honore iudicat illos indignos; sed medius quispiam interpres, & iudicis interrogationes, & Rei responsiones perfert. Hoc sanè pacto & tunc factum est. Non Deum pronunciantem, non Deum ipsum loquentem audiuit reus, sed medius erat Abraham, qui iudicis vocem ei, qui iudicabatur, retulit. Non enim ex sese dicebat, quæ dicebat; sed Diuinas diuiti leges recitabat, quæque cælitùs ferebantur, sententias proferebat; Eoque nec habebat hic, quod contradiceret.*

Mitte Lazarum. Cur Lazarum ipsum diues iste non alloquitur? An verecundiâ corripitur, non audens illum inuocare, quem priùs contempserat? Ad Abraham sermonem dirigit, quem putabat inclementiam suam in pauperem latere. Sancti Chrysostomi hæc sunt verba ad verba hæc. *Quamobrem non ad ipsum Lazarum direxit sermonem? Pudor obstabat; ac verecundia. Ex iis enim, quæ in illum fecerat, arbitrabatur, illum omnino meminisse malorum præteritorum. Quoniam si ego, inquit, tantâ rerum affluens copiâ, nihil ab illo læsus, adeò despexi hominem, vt ne micas quidem impertierim; quanto magis ille, sic contemptus, non annuet potenti beneficium? Hæc, non vt Lazarum accusemus, diximus; Neque enim hoc animo fuit Lazarus: absit. Sed causam indicauimus, quid hic veritus non implorarit ipsum Lazarum, sed potius Abraham inclamarit, quem existimabat nescire, quæ fuerant acta.*

Mitte Lazarum. Cur potiùs non diues orat, vt ipse ad Lazarum mittatur? An non ausus tantùm petere? In Lazarum adhuc sæuit, & inuidiâ in Lazarum fertur, dolens videre extra tormenta, quem in tormentis vellet habere consortem. Hunc diuitem ita pungit sanctus Petrus Chrysologus serm. 122. *Vt video, quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & calo magis inceditur, quàm gehennâ. Est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna: qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. Ad cruciatus tui statum, diues, pius Abraham Lazarum mittere non potest, quem tu ad mensam tuam non es dignatus admittere.*

Mitte Lazarum: Nullum famulorum suorum mitti postulabat; solius Lazari meminit, quem solum credit opem ferre posse. *Mitte Lazarum*: ab opibus, ab argento, & auro, nullum auxilium sperat. Incipit diues iste sapere ab hac parte, quòd, suis omnibus prætermissis, à solo Lazaro refrigerium quærit; sed nimis serò ad se redit. *Mitte Lazarum, quem*, inquit sanctus Chrysostomus, *millies præteriisti, quem ne videre quidem voluisti, hunc tibi nunc ad salutem mitti postulas? Mitte Lazarum. Vbi verò nunc pocillatores tui? vbi tapetes? vbi parasiti? vbi assentatores? vbi fastus? vbi superbia? vbi defossum aurum? vbi à tineis exesa vestimenta? vbi argentum, quod à te colebatur? vbi magnificus apparatus, & voluptuaria vita? Folia erant: ea corripuit hyems, & exsiccata sunt omnia. Somnium erant: vt autem dies illuxit abscessit somnium. Vmbra erant: veritas venit, & vmbra præteriit.*

Mitte Lazarum. Innumeri apud inferos cruciabantur; cur solus iste diues quærit refrigerium? An, quia in deliciis semper fuerat, & delicatulum magis flamma cruciabat? scilicet *quò magis* GRAVE NIHIL *sustinuit, hoc* IPSO INFELICIOR *fuit, de præsenti enim vita delicatus abscessit*. Inquit sanctus Petrus Chrysologus.

Refrigerium miser quærit. Nunquid nesciebat, 676.
omne refrigerium, omne leuamen damnatis denegari? Ita stultitia in diuite perennat, perennat fatuitas. Nescit non desipere, qui luxu diffluit, diuitiis obruitur.

Mitti ad se diues Lazarum postulat, non postulat se mitti ad Lazarum; aut, quia dum viueret, solitus erat omnes ad sui obsequium vocare, non ille ad alios in signum seruitutis ire; aut, quia faciliùs hoc putabat posse impetrari, mitti scilicet ad se Lazarum, quàm vt ille ad locum, vbi Lazarus erat, duceretur.

Vt intingat extremum digiti sui in aquam: Non rogat Lazarum secum aquam deferre, ac si iuxta ipsum diuitem aquarum fontes præterlaberentur. Sed cur ipse in aquam manum non immittit, vt suam linguam refrigeraret? Non poterat. Qui pauperi manum porrigere neglexit, dum deliciaretur, tormentis obrutus, aquæ manum porrigere non sinitur. *Ergo diues iuxta te est aqua*, ait sanctus Petrus Chrysologus; *&, si iuxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? Quoniam vincta sunt manus tuæ meritò diues, quoniam solutis debilitate* LAZARI MANIBUS SUBVENIRE CONTEMPSISTI.

Vt refrigeret linguam meam: Nullum linguæ cri- 677.
men de hoc diuite legimus, cuius causâ in linguâ puniretur; cur igitur linguam sibi postulat refrigerari, tanquam cætera membra libera à tormentis essent? An, cùm diues iste epularum delicias quæreret, conuiuiorum lautitiis inhiaret, consequens est, vt etiam lingua in plures lapsus difflueret? Ægrè enim linguâ continens est, qui abstinens non est gulâ. Facilè exeunt ex ore pœnitenda, cum gula

non coercetur. *Penè ſemper*, verba ſunt ſancti Gregorij, EPVLAS LOQVACITAS SEQVITVR, *cumque venter reficitur lingua defrenatur: vnde rectè diues apud inferos aquam appetere deſcribitur: quia, enim, inter epulas valde deſluere loquacitas ſolet, ex pœnâ, indicat culpam.* Vt palato vicina lingua eſt, ſic facilè linguâ peccatur, vbi & palato.

Minima quærit, qui magnis obruebatur; minima quærere cogitur qui minima negauerat: *Videamus nunc inopiam ardentis diuitis*, inquit ſanctus Gregorius lib. 18. moral. cap. 12. *cuius tanta abundantia fuit epulantis. Aut enim: Pater Abraham miſerere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quibus verbis nobis nou hoc innoteſcitur, quia illic in tanto ardore vna tunc ad ſufficientiam refrigerij aquæ ſtilla requiratur: ſed quod is qui de abundantia peccauerit, illic aſtuanti nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbo diuitis ex ſubtiliſſimo Dei iudicio quàm digna tali culpæ pœna reſponderit. Agente namque inopia illic vſque ad minima petenda compulſus eſt, qui hic agente tenacia, vſque ad minima neganda peruenit. Quid rerribus ſubtilius, quid diſtrictius poteſt? Guttam aquæ petiit, qui micas panis negauit.*

Aquæ guttam non habuit diues, cùm vellet; qui panis micam non dedit paoperi, cùm poſſet. *Superbus temporis*, inquit ſanctus Auguſtinus, *mendicus inferni, pauper enim ille non perueniebat ad micam: ille verò non perueniebat ad guttam.* Ei, qui minima negauit, negantur minima.

Vt refrigeret linguam meam: Linguæ ſolius meminit, huic ſolæ refrigerium poſtulat; *Quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune. Et lingua plus ardet, quæ, miſericordia vt fieret, iubere neglexit*, ait ſanctus Petrus Chryſologus. Tam graues pœnas luit, in linguâ, qui iubere Eleemoſynam neglexit: Quid ille qui inhibuit? quid ille, qui inſuper contumelias addidit, & conuitia? *Vt refrigeret linguam meam:* In hoc ſapuit iſte diues, Lazarum poſtulans linguæ refrigerandæ, tanquam diuinum refrigerium pauperes ſint. Sed deſipuit, dum nimis ſerò hoc cogitauit.

Vt refrigeret linguam meam: In linguâ præcipuè torquebatur, qui linguæ refrigerium poſtulat. Nil mirum: *multa enim ſuperba loquuta eſt*, inquit Sanctus Chryſoſtomus. *Vbi peccatum, ibi & pœna.*

678. Præcipuè lingua in diuite cruciatur, quia hac præcipuâ in pauperem ſæuierat, hac delicias ferculorum, ferculorum maneipium, deguſtauerat. Scitè rem viget, expenditque Sanctus Petrus Chryſologus in diuitem inuehens alloqnens diuitem? *Certè*, inquit, *ſi te iam poſſidet totus ignis inferni, ſi te gehenna flamma complectitur; quare ſolius linguæ aſtibus deſideras ſubueniri. Niſi quia, cum pectus tuum anhelat, flammâ ſui criminis, & reatus magis lingua vritur, ardet, eſtuat, quæ inſultauit pauperi, quæ miſericordiam denegauit. Hæc præcedit ad iudicium. Hac autem deguſtat, & patitur cruciatus; hæc de toto corpore prima ſentis ardorem, quæ, cum prima hic varios deliciarum cibos, & odorata deguſtaret pocula, mandare pietatem noluit.*

Lingua diuitis maximè torquetur: cur non manus, quæ eleemoſynam negauerat, quam pauperi non porrexit, cum poſſet, cum deberet? *In linguæ maiorem ſentis ardorem*, ait Sanctus Gregorius; *quia per eam, ſuperbè loquendo, contempſerat pauperem.* Scilicet grauiùs peccat, qui linguâ ſæuit in pauperes, conuitiiſque eos onerat, quàm qui eleemoſynam nudè negat: Diues iſte maximè torquebatur in linguâ; *quia in Lazarum*, inquit Sanctus Paulinus, *ante ianuam ſuam ſtratum, & cambus relictum ſæpius ſuperbo amarus ore peccauerat.* Non linguâ, duriſque verbis petendi pauperes ſunt, ſed benignis exeipiendi.

In igne erat dioes, &, qui olim purpurâ veſtiebatur, igne nunc veſtitur, purpurâ nudatus; &, qui olim ſuauiſſimos edebat cibos, cibus factus eſt flammarum; nec veſtes, nec epulæ diuitis ad tormenta fuere comites. *Fratres*, inquit Sanctus Auguſtinus huc ſpectans, *nunquid ſic legimus in Euangelio, quòd diues ille cum holoſericis, & byſſinis tegumentis apparebat in igne? Nunquid qualis erat in epulis ad menſam, talis erat & apud inferos, cum ſitiret, & ſtillam deſideraret? Non ibi erant illa omnia. Non ergo ſecum accipit homo omnia; nec, quod tollit ſepultura, tollit ſecum mortuus.*

Linguam ſuam præcipuè refrigerari hic diues poſtulat, quia in illâ præcipuè cruciabatur; vt vel ſic prodeſſet ſe ex illis fuiſſe dum viueret, quorum lingua à gehenna inflammatur, iuxta Sancti Iacobi dictum; *Neque negligenter*, inquit Sanctus Petrus Damianus ſerm. 73. *audiendum eſt, quod diues ille petebat refrigerari linguam ſuam, quia cruciabatur in flamma. Quia enim, iuxta Apoſtolicam ſententiam, humana lingua à gehenna, hoc eſt, à gehennalibus incolis, nunc dicitur inflammari; non immeritè poſtmodum flammis vltricibus tradita, cum eiſdem ſimul meretur aduri.* 679.

Non talis erat apud inferos iſte diues, qualis erat, cùm viueret apud homines. Nihil ſecum accepit, niſi ſe, vt poſſet pati cruciatusque. Quod comedit hic, digerebat apud inferos, vt loquitur Sanctus Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba in Pſal. 48. *Diues ille, quando quotidie epulabatur ſplendidè, bene ſecum facere putabatur: cum autem cœpit ardere apud inferos, tunc inuentum eſt malè, quod putabatur bene; quod enim manducauerat apud ſuperos, hoc digerebat apud inferos: iniquitatem dico, fratres, quam epulabatur. Manducabat pretioſas epulas ore carnis: ore cordis manducabat iniquitatem. Quod apud ſuperos ore cordis manducabat, hoc apud inferos in illis ſupplicijs digerebat. Et quidem temporaliter manducauerat; in æternam malè digerebat.*

SECTIO VII.

Seru

Serui magister *aliorum nemo sit.* 687
Superbiæ *vitium difficilè deseritur.* 687
Ægrè resipiscit qui diuitiarum *amore tenetur.* 688
Diuitis *in diuitiis paupertas, pauperis in paupertate diuitia.* 688

Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala.

680. ADhuc vocat filium, qui à patris pietate adeò degenerauerat? Vocatus pater mansuetè respondet: non ei insultat, dicens: inhumane, crudelis, tot mala Lazaro irrogasti, & adhuc misericordiam ambis, pietatem quæris? Nihil horum dixit, sed tanquam pater placidè respondet, commiserans, non insultans. Pater non videtur esse, qui in filiorum malis insultat filio.

Recepisti bona: Aliqui legunt: *Recepisti bona tua:* Quæ scilicet diues bona putabat, cum verè non essent. *Vide*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quid dicat bona tua, cæterum bona non sunt. Quæ putabas bona recepisti.* Verè non fuere bona, quia eorum possessor non fuit bonus.

Fili recordare: Filius dici non merebatur, qui & bona, quæ receperat, oblitus fuerat. Filium vocat, *vt intelligeret, iudicis esse, quod pateretur*, ait Sanctus Petrus Chrysologus, *non furoris.* Etiam, cùm in tormentis diues esset, patrem se prodit Abraham, dum eum corripit, eique errorem suum obiicit.

Fili recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ: Pende verbum illud, *recepisti*, quod magnam hic habet vim, magnum pondus. *Recepisti, ait, non rapuisti: ne etiam de hoc tibi frustrà blandiaris, quod tuis contentus, aliena non rapias*, ait Sanctus Chrysostomus. Quid erit de rapiente si tam grauiter punitur recipiens?

Fili recordare: Cur filium vocat, qui à Patris similitudine degenerauerat? Vt magis torqueretur, recolens se genere, & fide Abrahæ filium extitisse, ac si diceret: *Tu vocas patrem*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, *ego voco filium, vt grauiter doleas perdidisse, quod natus es. Audi; voco filium, vt amariùs doleas perdidisse, quod tibi gratia dederas, & natura; quia non habuisse doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse.* Quæ res maximè Christianos vrget, qui à Christo moribus abierint.

681. *Fili recordare, quia recepisti bona:* Vt se iudici conformet, Abraham, qui alioquin mitis, & misericors, hîc durus, & inflexibilis est. Nemo sibi de sanctorum patrocinio blandiatur, vbi ante iudicis tribunal standum: *Nam illic*, ait sanctus Ephræm *misericordissimus ille Abraham, immitis, & immisericors reperietur: &, qui pro Sodomis, vt saluarentur fuerat deprecatus, illic vel pro vno peccatore non supplicabit.* Inexorabilis erit, ac rigidus, vt iudici assimiletur: idem & cæteri sanctorum præstabunt.

Ipse sibi misericordiæ aditum obstruxit, qui fuit immisericors: aquæ guttam non potuit obtinere, quia adeò in Lazarum fuerat inhumanus. Scitè sanctus Gregorius Nyssenus orat. 5. de Beatit. *Diues*, inquit, *ille diffluens deliciis atque luxuriâ, mendici ad vestibulum abiecti atque afflicti misertus non est, idcirco misericordiam sibi præcidit, misericordiâ implorata non auditus: non quod vna gutta de magno paradisi fonte dempta, damnosa esset; sed quia misericordia stilla commisceri atque communicari cum inhumanitate non potest. Quæ enim luci communio cum tenebris est?*

Recepisti bona in vitâ tuâ: signatè addidit, *in vitâ tuâ*, ac si diceret: recepisti bona, quæ tu viuens, bona, censuisti. Hæc eadem possunt & iusti recipere; sed, quia cælestibus, & nunquam perituris inhiant, hæc peritura, & volatica, bona, non censent. *Vnde Dauid propheta*, ait sanctus Gregorius Magnus, *qui regni diuitiis multisque obsequiis fulciebatur, quamuis & hæc ad necessitatem, bona, esse conspiceret, vni tamen singulariter bono æstuabat dicens: mihi autem adhærere Deo bonum est.* Huic bono si cætera bona comparantur, verè bona non sunt.

Quia recepisti bona. Sanctus Augustinus serm. 25. de verbis Domini legit; *percepisti*; additque: *Audiant ista diuites, qui nolunt esse misericordes. Audiant irrogari supplicia eis qui nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant diuitem pœnis grauioribus æstuantem.* 682.

Qualia seminauerat iste diues talia messit. Sic illum pungit sanctus Gregorius Nyssenus orat. 6. de Beatitud. *Memento, quod receperis bona tua in vitâ tuâ: conclusisti simul in munimentis diuitiarum misericordiam, & reliquisti super terram miserandi affectum. Non portasti ad hoc seculum humanitatem: non habes, quod non habuisti; non inuenis, quod non deposuisti: colligis, quod non dispersisti: nunc metes, quorum non deiecisti semina. Digna sementi, tibi messis; acerbitatem seminasti, collige manipulos. Coluisti immisericordiam: habe, quod dilexisti. Non aspexisti quenquam condolenter: non aspicieris cum miseratione. Despexisti eum, qui affligeretur: despicieris, dum peribis. Fugisti misericordiam, fugiet te misericordia. Abominatus es & fastidisti egenum: fastidiet te, qui propter te egenus fuit.*

Recepisti bona in vitâ tuâ: Sanctus Augustinus; *Percepisti bona tua, in vitâ tuâ* (addit statim, & diuitis insaniam premit) *Hæc enim bona tua existimasti, alia non credidisti, non sperasti. Percepisti illa in vitâ tuâ. Illam enim solam vitam tuam putasti, quando post vitam nihil futurum sperasti, nihil triste timuisti.* Hæc auarorum nota, & consignatio; præsentia tantum quærunt, æternorum obliti.

Lazarus similiter mala: Ad diuitis mentem, captumque Abraham loquitur diuiti loquens. Mala vocat Lazari, quæ Lazarus bona putabat, & verè erant. Scitè sanctus Thomas adhæc: *Et Lazarus similiter mala: non quod*, inquit, *Lazarus ea mala putauerit; sed ex censurâ diuitis hoc dicebat, qui inopiam, & famem, & duram ægritudinem æstimabat mala.* Non sunt mala nisi malis. Bonis bona censentur, & bona sunt. 683.

Lazarus similiter mala: De diuite dixerat, vt plerique codices habent, *bona sua*; de Lazaro non dixit, *mala sua.* Quod expendens sanctus Augustinus ait: *Non dixit sua, sed mala, quæ homines putant, quæ homines timent, quæ homines pro magno deuitant.* Lazaro illata mala non minus Lazari erant patientis, quàm inferentis diuitis. Non erant verè mala, quæque tàm magnum bonum illi parturiebant. Fuere mala diuiti, quem in profundum duxere malorum, duxerunt ad flāmas non morituras.

Et ait: Rogo ergò te pater, vt mittas eum in domum patris mei.

PRius dixit: *mitte ad me*; quod cum non obtinuerit, addit: *mitte in domum patris mei.* An 684.
pietatis specie, & quasi vellens fratribus consulere ad pristinas ærumnas, doloresque vult; resumpto corpore,

corpore, Lazarum transmitti? Dolet infelix, quòd felicem videat, quem antea miserum vidit. Inuidit Lazaro suam quietem, dum à sinu Abrahæ studet auellere.

Ex se suos hic diues metitur: cùm ipse prophetas Diuinasque Scripturas sinè vllo fructu audiuisset, credit idem facturos & fratres. Mitti ad eos Lazarum postulat. *Quia ipse*, inquit hic Titus, *prophetas nullo prorsus fructu audiuerat; qua enim ab illis prodita extabant, ea propalam contempserat, fabularum loco habuerat. Ex qua re coniecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere. Illi nunc ratiocinantur, vt quondam ego: nempe, quis inde aliquandò rediit? Quis ea, qua apud inferos sunt, enarrauit? Ea propter, si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem. Verùm dictis illius studiosè intenderent.*

Mitte eum: Cur potiùs non mitti se postulat? *Quia censet, se indignum*, inquit Sanctus Augustinus, *qui testimonium perhibeat veritati.* Fides ei haberi vix potest, qui improbâ vitâ suorum verborum tollit vim. Præterea non quærit se mitti; *Quia*, vt inquit Sanctus Thomas, *non impetrauerat paululum refrigerari, multò minùs credit se relaxari posse ab inferis ad prædicationem veritatis.*

Rogo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei: Vt scilicet inferni eos memoria subiret, quæ nunquam illius domus habitatores tetigerat: quod ex se ipso scire diues ille poterat. *Si enim*, inquit Sanctus Chrysostomus, *dum ille ignem hunc cogitasset, vtique non deliquisset: quia vero nunquam in mentem eius venit, ille propterea in illum decidit.* Igitur supplicij memoria mentem non effugiat, vt effugere ipsa supplicium possit.

Vt mittas eum in domum patris mei: In refrigerium ardoris gehennalis Lazari aduentum postulauerat diues: quod cum negaretur, iterum vrget, vt Lazarus ad domum patris sui mittatur; ac si magis Lazari felicitate torqueretur, quàm flammia. *Ante dixit*, Sancti Petri Chrysologi verba sunt, *mitte ad me: modò dicit mitte ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem, & Zelo magis incenditur quam gehenna.* Lazari conspectus magis vrit diuitem, quam flamma. Minùs se cruciandum putat, si Lazarum à felicitate, vel tantisper, obduceret, donec ad diuitis fratres se conferret.

685. *In domum patris mei:* Prius Abraham vocauerat Patrem, *Pater Abraham:* & tamen in domum patris sui mitti Lazarum rogat: ergo alium habebat patrem, & subdolè Abrahamum tali compellauit nomine. *Vide peruersitatem*, inquit Sanctus Chrysologus. *Neque in ipsis tormentis continet veritatem. Vides enim, quid dicat: rogo ergo te pater: ergo pater est Abraham. Et quomodo dicit, rogo ergo te; vt mittas eum in domum patris mei?* Sibi ipsi non constat, & suas ipsemet fraudes retegit.

Habeo enim quinque fratres; vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

NOn de fratrum salute impius solicitus est, sed pro se. Quærit fratres suos doceri, ne eorum consortio, quos malè educauerat, (fors grandior natu etiam erat) & malo exemplo malè erudierat, tormenta crescerent. Nimirùm timere Dei iustitiam debent, qui in malo eis præeunt, cum in bono deberent. igitur diues iste, qui adeò sui amicus vixerat, dùm viueret, non fratrum quærebat salutem, sed sibi consulebat: nolebat eos venire in illum locum tormentorum, ne suus cruciatus augeretur. Hoc voluit Sanctus Bernardus epist. 111. *Diues ille in tormentis desperatus de sua liberatione, rogabat nunciari fratribus suis, ne & ipsi venirent in locum eundem tormentorum; timens proculdubiò ex suorum cruciatu augeri suum.*

De fratribus est solicitus iste diues, qui se neglexerat; in pœna incipit sapere, qui desipuerat in delicijs; *Diues*, inquit Sanctus Gregorius lib. 15. moral. 15. cap. 31. *qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus quos reliquerat, etiam in supplicio positus curam gerebat. Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore constrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clausit: & pœna torquente exigitur vt sapiat, qui hic excæcante se superbia desipiebat. Cui tamen sua sapientia iam tunc minimè proderit: quia hoc vbi operari iuxta sapientiam debuit, tempus amisit.*

Suorum curam incipit agere; qui suam neglexerat; cum viueret hic diues, nulla eum fratrum cura tangebat, tangitur cum suorum peccatorum pœnam sentire incipit; vt vel hinc colligamus impios in delicijs cæcos esse, & tunc sapere, licet serò, cum puniuntur; *Neque enim*, inquit Sanctus Gregorius lib. 15. moral. cap. 30. *sic debemus accipere, vt iniquus iste postea quam damnatus æternis supplicijs fuerit de domo sua, id est, cognatis quos reliquerit, minimè cogitabit: cum per semetipsam veritas dicat: quia diues qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus quos reliquerat, etiam in supplicio positus curam gerebat. Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore constrictus, ad rationem oculos aperit, quos hîc voluptati deditus clausit: & pœna torquente exigitur vt sapiat, qui hîc excæcante se superbia desipiebat. Cui tamen sua sapientia iam tunc minimè proderit: quia hoc vbi operari iuxta sapientiam debuit tempus amisit.* 686.

Docere voluit iste diues fratres; quod opportunè in vitâ fecisset. Serus magister esse incipit, cum nec discendi tempus haberet, nec ducendi. 687.

Non fratrum curâ tangitur iste diues, sed adhuc superbiâ corripiebatur: cupiebat fratres euehi, vt ipse in fratribus eueheretur, non salutis causa, sed tumoris. *Videbat diues*, inquit hic Caietanus, *multos saluari; & propterea appetebat, suos fratres euadere miseriam, vt vel sic in suis fratribus exaltaretur.* Positus in flammis tumorem non posuerat iste diues.

Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & prophetas; audiant illos.

VVlt Abraham viuos sacrarum litterarum doctrinâ contentos esse adeò, vt à mortuis, quid alterâ vitâ agatur, non quærant.

At ille dixit: Non pater Abraham; sed, si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

EX se ipso diues iste fratres æstimat. Ipse, dum viueret, Moysis & prophetarum verba audiens, non mouebatur ad pœnitentiam; idem fratribus euenturum putat. Impius ex se ipso alios ferè metitur. 688.

Si

Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent? Itanè adeò diuitiis immisericordis fratres viriis addicti, affixique erant, vt ad meliorem frugem eos redituros non speraret, nisi quis, à mortuis resurgens, grauiter increparet? Sed quonam vitio tenebantur? Diuitiarum amore. Fratres enim mortui diuitis erant, non tàm naturâ quàm morum similitudine. Sed falleris diues. *Quid saluare vis illos*, ait sanctus Chrysostomus, *qui non amant paupertatem? Necesse est, vt fratres habitent cum fratre suo*; & eandem pœnam cum fratre subeant, qui eodem scelere corripiuntur.

Diuitis huius paupertatem in diuitiis, pauperis verò diuitias in paupertate, pertrè nobis ob oculos ponit sanctus Fulgentius epist. 2. ad Gallum cap. 9. *Diues ille*, inquit, *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, quàm inanis fuit in illis epulis, quam pauper in multitudine diuitiarum, quam nudus in pulchritudine vestium, quam infirmus in sanitate corporis, quàm famelicus in saturitate ventris, quam miser in gaudiis, quàm desolatus inter amicorum colloquia, quàm derelictus inter obsequia seruulorum. Attende quoque Lazarum in paupertate, diuitem: in miseria beatum: in infelicitate, fœlicem: in vulneribus, sanum: & quidem sine domo, sed non sine domino: sine veste, sed non sine fide: sine bona valetudine corporis, sed non sine robore charitatis: sine cibo, sed non sine Christo: canibus expositum, sed socium Angelorum: qui non accipiebat de micis quæ cadebant de mensa diuitis, sed cælestem panem visceribus ructabat internis.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVII. LVCÆ.

Vers. 1.

Et ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.

Et ait. *Syr. Dicebat autem Iesus.*
Ad d. s. *Syr. Discipulis suis Pagn. Ad discipulos.*
Impossibile e. v. n. v. *Syr. Non potest quin eueniant. Arab. Tandem venient. Euth. Fieri non potest quin veniant.*
Scandala. *Euth. Offendicula.*
Autem. *Pagn. Tamen.*
Veniunt. *Syr. Eueniunt. Arab. Veniunt scandala.*

Vers. 2.

Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.

Vtilius est. *Syr. Satius fuerit. Arab. Melius esset. Euth. Expedit potius. Caiet. Expedit.*
Lapis molaris. *Ar. M. Mola asinaria.*
Imponatur c. c. *Syr. Appendatur collo. Arab. Suspenderetur in collo. Euth. Alligetur ad collum. Vat. Complectatur collum. Fr. Luc. Circumponatur circa collum.*
Proiiciatur. *Syr. Abiectus fuerit. Theoph. Proiectus fuerit.*
Quàm vt. *Pagn. Potiùs quàm Vat. Magis quam vt.*
Scandalizet v. *Euth. Offendiculo sit vni. Pagn. Offendat.*
De p. i. *Ar. M. Paruorum istorum.*

Vers. 3.

Attendite vobis: si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi:

Attendite v. *Arab. Attendite ergo. Ar. M. Attendite vobis ipsis. Fr. Luc. Cauete.*
Si. *Euth. Quod si. Ar. M. Si verò.*
Peccauerit in te. *Syr. Peccauerit. Fr. Luc. Peccauerit in te conscio.*
Increpa. *Arab. Corrige. Euth. Increpa.*
Pœnit. eg. *Syr. Conuersus fuerit. Euth. Resipuerit. Caiet. Pœnituerit.*
Dimitte. *Theoph. Remitte.*

Vers. 4.

Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me: dimitte illi.

In die. *Ar. M. Die.*
Peccau. i. t. *Syr. Offenderit te.*
Conuersus f. *Syr. Reuertatur.*
Pœnitet. *Ar. M. Pœniteo.*
Dimitte. *Pagn. Remittes.*

Vers. 5.

Et dixerunt Apostoli Domino. Adauge nobis fidem.

Domino. *Syr. Domino nostro.*
Adauge. *Ar. M. Appone. Caiet. Adiice.*

Vers. 6.

Dixit autem Dominus: si habueritis

Habueritis f. *Arab. Fuerit vobis fides.*
Sicut granum. *Vat. Instar grani. Al. Sicut habet granum.*

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

fidem, ficut granum finapis, diceretis huic arbori moro: Eradicare, & transſplantare in mare: & obediet vobis.

Dicetis. *Ar.M. Diceretis vtique. Pagn. Dixiſſetis.*
Arbori moro. *Theoph. Sycamino.*
Eradicare. *Arab. Tranſi.*
Tranſplantare. *Syr. Plantator. Fr.Luc. Transferre te.*
Obediet. *Ar.M. Obediret vtique. Pagn. Et obediſſet.*

Verſ. 7.
Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi: ſtatim tranſi, recumbe:

Qui a. v. *Arab. Quis eſt ex vobis.*
Habens ſ. *Arab. Cui ſeruus eſt.*
Arantem. *Syr. Ducentem iugum boum.*
Paſcentem. *Syr. Paſcentem oues. S.Cypr. Paſtorem.*
Regreſſo. *Syr. Quum venerit. Arab. Si veniet.*
De agro. *Pagn. Ab agro.*
Dicat illi. *Arab. Videris tibi dicere illi ſtatim. Pagn. Dicat. Ar.M. Dicat ſtatim.*
Statim tranſi. *Arab. Aſcende. Vat. Statim perge. Ar.M. Aduenient. S.Ant. Vbi tranſieris.*
Recumbe. *Syr. Diſcumbe. Arab. Et ſede. Theoph. Et accumbe.*

Verſ. 8.
Et non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem, & bibam, & poſt hæc tu manducabis & bibes?

Et n. d. *Syr. Sed dicit. Euth. Ac non potiùs dicat. Ar.M. Immo nónne dicit.*
Para. *Arab. Para mihi.*
Cœnem. *Arab. Manducem.*
Præcinge te. *Syr. Præcinctus lumbos. Arab. Præcinge humeros tuos. Ar.M. Circuncinctus.*
Manducem. *Theoph. Edero. Euth. Comedero.*
Bibam. *Theoph. Bibero.*
Poſt hæc. *Euth. Poſtea.*
Tu. *Syr. Tu quoque.*
Manducabis. *Theoph. Edito. Euth. Comedito.*
Bibes. *Theoph. Bibito.*

Verſ. 9.
Numquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat?

Habet. *Syr. Recipit.*
Seruo illi. *Syr. Serui illius.*
Quia. *Arab. Dum.*
Quæ ei. i. *Syr. Quod iniunctum fuerat. S.Cypr. Quæ imperata ſunt. Pagn. Quæ imperata fuerant. Ar.M. Præcepta.*

Verſ. 10.
Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.

Puto. *Euth. Opinor.*
Cùm feceritis. *S.Cyp. Cùm perfeceritis.*
Præcepta. *Syr. Iniuncta. S.Cypr. Imperata.*
Serui inutiles. *Arab. Equidem nos ſerui inutiles. S. Cypr. Serui ſuperuacui.*
Quod. *Arab. Quod enim. Vat. Quia quod.*
Debuimus f. *Arab. Noſtra intererat.*

Verſ. 11.
Et factum eſt, dum iret in Ieruſalem tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.

Factum eſt. *Vat. Euenit.*
Tranſibat. *Theoph. Et ipſe tranſibat. Vat. Vt ipſe tranſiret.*
Mediam S. *Syr. Samaritanos. Ar.M. Medium Samariæ.*
Et G. *Syr. In Galilæam.*

Verſ. 12.
Et cùm ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè.

Cùm. *Syr. Quum propè.*
Quoddam c. *Euth. Quendam vicum.*
Decem viri. *Euth. Decem.*
A longè. *Vat. Procul.*

Verſ. 13.
Et leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri.

Leuauerunt v. *Syr. Extulerunt vocem ſuam. Euth. Eleuatâ voce. Theoph. Intensâ voce.*
Dicentes. *Euth. Dixerunt.*
Ieſus p. *Syr. Magiſter noſter Ieſu.*

Verſ. 14.
Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos

Quos vt v. *Arab. Et reſpexit.*
Ite. *Vat. Profecti. Ar. M. Euntes.*

ſacerdotibus.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

Vos. *Arab. Vos ipsos.*
Sacerdotibus. *Orig. Sacerdoti.*
Factum est d. i. *Syr. Dum proficiscerentur. Euth. Accidit vt inter eundum. Vat. Euenit vt inter abeundum. Ar. M. Factum est in abeunda illos.*
Sunt. *Vat. Sint.*

Vers. 15.

Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

Mundatus est. *Syr. Sanatus est.*
Regressus. *Ar. M. Reuersus.*
Cum magna. *Syr. Et altâ.*
Magnificans. *Syr. Glorificabat.*

Vers. 16.

Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

Cecidit. *Theoph. Procidit.*
Faciem. *Arab. Faciem suam.*
Ante pedes. *Theoph. Ad pedes.*
Gratias a. *Pagn. Gratias agens ei.*
Et hic. *Syr. Iste autem. Arab. Et.*

Vers. 17.

Respondens autem Iesus, dixit: Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?

Decem m. s. *Syr. Erant decem illi, qui mundati sunt.*
Et nouem. *Ar. M. At nouem. Vocat. Nouem autem illi.*
Vbi s. *Theoph. Vbi.*

Vers. 18.

Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Non est inuentus. *Syr. Quare separati sunt? S. Epiph. Cur reuersus est. Pagn. Non sunt reperti. Ar. M. Non sunt inuenti.*
Qui r. *Syr. Qui redierint. S. Epiph. Nemo ex iis. Euth. Qui redierint. Ar. M. Redeuntes.*
Et daret g. *Syr. Daturi gloriam. Arab. Glorificarent. Theoph. Vt darent gloriam. Ar. M. Dare gloriam.*
Deo. *Arab. Deum.*
Hic. *S. Epiph Solus hic.*
Alienigena. *Syr. Qui est ex populo extraneo.*

Vers. 19.

Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

Et ait. *Arab. Deinde dixit.*
Surge. *Ar. M. Surgens.*
Vade. *Syr. Abi.*
Saluum f. *Vat. Seruauit.*

Vers. 20.

Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione.

Interrog. a. a. ph. *Syr. Cumque interrogarent Iesum quidam ex pharisæis.*
Venit. *Arab. Erit. Euth. Venturum esset. Orig. Veneris.*
Non venit. *Theoph. Non veniet.*

Vers. 21.

Neque dicent: Ecce hîc, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

Dicent. *Arab. Dicetis. Orig. Dicunt.*
Hic. *Syr. Hic est.*
Aut. *Syr. Et en.*
Illic. *Syr. Illic est.*
Ecce enim regnum. *Arab. Regnum.*

Vers. 22.

Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis.

Et ait. *Syr. Dixit autem.*
Discipulos. *S. Theoph. Discipulos.*
Quando desideretis. *Arab. Desiderabitis.*
Diem. *Syr. Ex diebus. Ar. M. Dierum.*

Vers. 23.

Et dicent vobis: Ecce hîc, & ecce illic: Nolite ire, neque sectemini.

Et d. *Arab. Et si dicent.*
Hîc. *Syr. Hîc est.*
Illic *Syr. Illic est.*
Nolite ire. *Syr. Ne abieritis. Arab. Ne credatis. Euth. Nolite exire. Vat. Ne eatis.*
Sectemini. *Syr. omittit. Arab. Festinetis. Euth. Sectari. Fr. Luc. Prosequamini.*

Vers. 24.

Nam, sicut fulgur coruscans de sub

Coruscans. *Syr. Coruscat. Arab. Quod coruscat. Vat. Fulgurando.*

cælo,

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget : ita erit filius hominis in die sua.	De sub. c. *Syr. E cælo. Arab. In cælo. Theoph. E regione quæ sub cælo est. Ar. M. Ex ipsa, quæ sub cælo. Caiet. De ea regione, quæ sub cælo.* In ea q. s. c. s. *Syr. Et quicquid est sub cælo. Arab. Sub cælo. Euth. In alteram, quæ sub cælo est. Ar. M. In eam, quæ sub cælo est.* Fulget. *Syr. Illuminat. Vat. Relucet. Fr. Luc. Splendet.* Ita. *Euth. Et ita.* In d. s. *Syr. Die suo.*
Vers. 25. Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.	Primùm a. *Syr. Priùs autem. Arab. Ante enim. Theoph. Sed priùs.* Oportet. *Syr. Futurum est. Arab.* omittit. Illum multa p. *Arab. Recipiet multam passionem.* Reprobari. *Arab. Reprobabitur.* Generatione. *Pagn. Natione.*
Vers. 26. Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis.	Et sicut. *Syr. Et prout. Clem. Alex. Sicut autem. Orig. Sicut enim.* Factum est. *Euth. Accidit. Clem. Alex. Erat. Orig.* omittit vel. *Fuit.* Et in diebus. *Orig. Aduentus. vel : Et aduentus.*
Vers. 27. Edebant, & bibebant : vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem qua intrauit Noë in arcam : & venit diluuium, & perdidit omnes.	Edebant e. b. *Orig. Emebant, vendebant, ædificabant.* Vxores d. *Orig. Nubebant.* Dabantur. *Orig. Tradebant.* Ad nuptias. *Syr. Viris. Orig. Nuptum.* In diem. *Euth. Ad eum diem.* Qua. *Euth. Quo.* Intrauit. *Syr. Ingressus est.* Arcam. *Arab. Nauim.* Perdidit. *Orig. Tulit.* Omnes. *Euth. Vniuersos.*
Vers. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot. Edebant, & bibebant : emebant, & vendebant : plantabant, & ædificabant :	Similiter. *Syr. Rursus. Clem. Alex. Et. Euth. Similiter quoque Theoph. Consimiliter etiam.* Sicut. *Arab. Secundùm quod.* Factum est. *Euth. Accidit. Clem. Alex. Erat.*
Vers. 29. Qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cælo, & omnes perdidit.	Qua d. a. *Arab. Vsque in diem, qua. Theoph. Cæterùm quo die.* Exiit. *Syr. Excessit.* A Sod. *Euth. E Sodomis.* Pluit. *Arab. Et pluit Dominus.* Ignem c. s. *Pagn. Igni, & sulphure.* Omnes. *Arab. Omnes illos. Euth. Vniuersos.*
Vers. 30. Secundum hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur.	Secundùm hæc e. *Syr. Ita futurum est. Arab. Ita erit. Vat. Simili modo se res habebit.* Qua d. *Theoph. Dies, quo.* Reuelabitur. *Ar. M. Reuelatur. Vat. Ostenditur.*
Vers. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa ; & qui in agro, similiter non redeat retrò.	Illâ horâ. *Euth. Illo die.* Qui. *Arab. Quicunque.* In t. *Syr. Super domum. Fr. Luc. Super tectum.* Vasa. *Arab. Instrumenta.* In d. *Syr. In ipsâ domo.* Tollere. *Syr. Vt sumat.* Qui. *Arab. Quicunque fuerit.* In agro. *Arab. In agro adhuc.* Redeat. *Syr. Reuertatur. S. Cypr. Conuertatur.* Retrò. *Arab. Retro se. Euth. Ad ea quæ à tergo sunt. Theoph. Ad relicta. Ar. M. In quæ retrò. Caiet. Ad ea, quæ retrò.*
Vers. 32. Memores estote vxoris Lot.	Memores e. *Syr. Mementitis. Vat. Memores autem estote.*

Vers. 33.

Vulgata Editio.

Verſ. 33.

Quicunque quæſierit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam.

Verſ. 34.

Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno; vnus aſſumetur, & alter relinquetur.

Verſ. 35.

Duæ erunt molentes in vnum; vna aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro; vnus aſſumetur, & alter relinquetur.

Verſ. 36.

Reſpondentes dicunt illi: vbi Domine?

Verſ. 37.

Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Lectionum varietas.

Quicunque. *Syr. Quiſquis.*
Quæſierit. *Arab. Voluerit.*
Saluam facere. *Arab. Viuificare. Pagn. Seruare.*
Viuificabit eam. *Syr. Seruabit eam. Euth. Vitam illi parabit. Caiet. Viuam generabit in æternâ vitâ.*

Dico. *Arab. Dico autem.*
In illa. *Syr. Illâ. Arab. Quia in hac.*

Duæ. *Syr. Item duæ.*
In vnum. *Arab.* omittit *Caiet. Simul. Fr. Luc. In diem.*
Duo i. a. v. a. e. a. r. *Euth.* omittit.

Domine. *Domine noſter.*

Qui. *Euth. At ille.*
Vbicunque. *Caiet. Vbi.*
Fuerit c. *Arab. Erunt corpora. Fr. Luc. Fuerit cadauer.*
Et Aquilæ. *Euth. Aquila.*

CAPVT XVII.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Et ait ad diſcipulos ſuos: Impoßibile eſt, vt non veniant ſcandala.

689. ARGVANDÆ phariſæorum auaritiæ, ſuperiùs diuitis, & Lazari parabolam adduxerat; vtque diuitiarum cupiditatem de medio tolleret, in medium diuitis cupidi exitium attulit: nunc diſcipulos alloquitur. Nimirum magiſtri boni partes agit, qui ita externos arguit, vt ſuorum minimè obliuiſcatur. Suos docet, quæ caueri à ſuis cupit. Falluntur illi, qui, in externorum lapſibus corrigendis, corrigi ſuorum labes non curant.

Vtilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis.

A Pœna liquet, non eſſe rem puſillam, ſcandalo puſillis eſſe. Sed cur puſillus vocat, qui ſcandalizantur? *Rectè autem*, Sancti Thomæ verba ſunt, *qui ſcandalizari poteſt, puſillus appellatur. Qui enim magnus eſt, quodcunque viderit, quodcunque paſſus fuerit, non declinat à fide.*

Vnum de puſillis iſtis: Vnius meminit, vt pendeat quiſque quanti ſit criminis multis ſcandalo eſſe. *De puſillis iſtis:* Plurimi refert puſillos ſcandalizare; eum verò eſſe puſillum, qui ſcandalizat, nihil refert: quin ferè eo grauius eſt ſcandalum, quò minùs ille puſillus, qui illud infert. A magnis plerunque oriuntur ſcandala maiora.

Increpa illum: Haud dubiè inter te, & ipſum ſolum: alioquin, vt ait ſanctus Auguſtinus, *ſi publicè argueris, non eris correctior, ſed proditor.* Arguendus eſt, qui arguit eo modo, quo non debet: *Ideo autem corripiendus eſt frater ſeorſum, ne, ſi ſemel pudorem amiſerit, permaneat in peccato.* 690.

Dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.

CVm non potuiſſent Apoſtoli dæmonium eiicere, culpam in exiguam ſuam fidem transferunt, & perfectiorem à Chriſto exigunt. Nimirum nunquam culpa in alios reiicienda eſt, quæ noſtra ſit. *Adauge*; Græcè, πρόσθες, *appone, adiice.* A Domino bonorum omnium auctore fidei augmentum poſtulant; nihil ſuis viribus tribuunt, nihil fidunt.

Dixit autem Dominus: ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis.

NOn dixit, *Ego vobis adaugeo fidem*; ſed, *ſi habueritis fidem.* Cur ita loquitur? Vt in eis amplius perfectioris fidei deſiderium accenderet, ſicque magis idonei redderentur, ad perfectiſſimam fidem ſuo tempore recipiendam. Dum differt Deus petita concedere, deſiderium acuit, & capaciores nos ad ſua dona recipienda reddit, ac magis aptos. 691.

Quis

Quis autem vestrum habet seruum arantem, & pascentem? qui regresso de agro, dicat illi statim: Transi, & recumbe.

HVcusque Christus ad varia bonorum operum genera adhortatus suos discipulos fuerat; nunc, adducto laborantis serui exemplo, inanis gloriæ, & iactationis vitium aufert, quod opus bonum, tanquam corpus vmbra, consequitur. Nostrum est, omnia ita Deo tribuere, vt vitium istue non pullulet, non emergat.

Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

692. PEnde. Si, cum omnia Dei mandata perfecerimus, neque tune debemus magnum quid de nobis sentire; quantum à verâ humilitate absumus, qui in multis Deum offendimus, quotidie labimur, & nihilominùs extollimur; nos, nostraque opera superbè iactamus? Si serui inutiles se agnoscere, atque adeò fateri debét, qui fecere illud omne, quod debuerunt: quales serui dicendi sunt, qui in multis à suo munere abierunt? Certè serui plusquam inutiles dici debent, qui non præmium, sed plagas, ac supplicia mereantur.

Dicite; serui inutiles sumus: Rectè ait, *dicite*; vt foueat humilitatem, non vt meritum auferat. Non ait, *ego dico vos seruos inutiles.* Tanquam clemens, & misericors nostris laboribus præmium pollicetur, nec inutiles nos censet, dum mercede opera nostra non coæquat tantùm, sed superat.

693. *Serui inutiles sumus:* Verborum consequentia exigere videtur, vt diceret: *nullam puto vobis gratiam Deus habebit*; sicut in priori comparationis membro dixerat: *Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto.* Hoc non dixit Christus, ne Deum in hac parte hominibus similem esse ostenderet. Non est similis, quæ eius bonitas. & clementia est; nam gratiam nobis pro bonis operibus refert, dum præmium; illudque æternum exhibet; ac debitum obsequium, tanquam egregium facinus, suscipit, insuper & commendat.

Dicite, inquit, *serui inutiles sumus.* Seruos inutiles nos à nobis dici monet, non ipse nos dicit; quin eò minùs inutiles nos dicit Christus, quò inutiliores ex verâ humilitate nos dicimus. Rem egregiè vrget Sanctus Chrysostomus, *Nihil perinde gignit superbiam, vt bona conscientia, nisi aduigilemus. Vnde & Christus sciens, quòd post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: quum omnia feceritis, dicite: Inutiles serui sumus. Quum enim hæc noxia bestia parat inuadere nos, tunc, inquit, per hæc verba fores illi occludite. Neque dixit: quum omnia feceritis*, INVTILES ESTIS; SED: VOS DICITE INVTILES SVMVS. *Dic: ne metuas: non ex tuo iudicio fero sententiam. Nam, si tu te ipsum dixeris inutilem; Ego te, vt vtilem, coronabo.*

694. *Serui inutiles sumus:* inutiles Deo, *qui bonorum nostrorum non indiget*, inquit Beda; & addit: *Vel quia non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Adeò magna illa gloria est vt grandia quæque opera, quibus illa comparatur, nihil videantur, si illi comparētur. *Serui inutiles sumus*: etiamsi omnia quis perfecerit, seruum se tamen inutilem dicere debet, vt omnia Deo adscribat: nihil suis laceertis, nihil suis viribus: nihil sibi.

SECTIO II.

Cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè.

OCcurrunt extra ciuitatem leprosi; non enim licebat eis in ciuitatibus versari: à ciuitatibus, & castellis ex legis Mosaicæ præscripto excludebantur. Non casu occurrunt Christo, sed studio. Communis morbus eos inter se conciliauerat, vt simul Christi beneuolentiam aggrederentur, ac velut expugnarent. 695.

Steterunt à longè: Tanquam immundi ad Christum accedere verebantur. Digni erant qui sanarentur, quia se indignos Christi præsentiâ censebant.

Et leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri.

MAgnâ voce leprosi clamant; & quia procul à Christo aberant; & quia magno sanitatis desiderio tenebantur. Porrò vna omnium est vox, quia & vna causa; communis morbus. Non pro se quisque postulat, sed pro omnibus omnes. *Miserere nostri*: Non explicant in quo cupiant sibi misereri. Corpore prodebant, quod verbis non præstabant.

Miserere nostri: Non facilè reperias, aliquem aurum, argentumque à Christo postulauisse; nam, cùm sæpè diuitiarum contemptum suaderet, & exemplo omnibus præiret, nullus audebat ab illo opes petere, pro opibus autem reprehensionem ne referret. Abeunt ab hac mente Christiani, qui à Christo diuitias, opesque in oratione requirunt.

Quos vt vidit, dixit: ostendite vos sacerdotibus: Et factum est, dum irent, mundati sunt.

MIttuntur leprosi ad sacerdotes, qui lepræ iudices erant. Iudices, inquam, non sanatores: iudicare de leprâ poterant, mundare non poterant. Ad sacerdotes eunt leprosi, nec, vrgent antequam abeant, vt mundentur. Tacita in Christi verbis latebat promissio, à leprâ immunes futuros, si irent. Parent leprosi, nec de Christi præcepto, quòd superfluum primâ facie videbatur, cum lepra appareret, nec exploratione opus esset, diiudicant. Nimirum docent superioris præcepta diiudicanda non esse; alioquin animæ lepram contrahent, si eâ careant. 696.

Dum irent mundati sunt: Ibant simul omnes

penitùs

penitùs concordes. Fors & animorum vnitas fecit, vt faciliùs sanitatem consequerentur. Mundati sunt, dum pergerent, antequam ad sacerdotes peruenirent. Ex quo colligitur, quàm grata Deo obedientia sit, ex verâ fide profecta.

697. Leprosus dum ad sacerdotem se confert, collata illi sanitas fuit, vt mundus occurreret sacerdoti. Rectè arguit sanctus Ambrosius: *si mundos eos, qui antea fuerant leprosi, Christus iubet occurrere sacerdoti, quanto magis conuenit esse ipsum sacerdotem?*

Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magnâ voce magnificans Deum.

Decem sanitatis beneficium acceperunt, sed vnus dumtaxàt benefactori se gratum exhibet. Paucos reperire est, qui grati sint: multi ingratitudinis vitium subeunt. Reuersus est hic vnus ex medio itinere, & ad Iesum se contulit, eum agnoscens suæ sanitatis auctorem. Statim post accepta beneficia Deo reddendæ gratiæ suoi.

Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt; & nouem vbi sunt?

698. Notat hîc illorum ingratitudinem Christus, qui, eum sanitatem accepissent, obliti beneficij, redire, gratias acturi, noluerunt. *Et nouem*, inquit, *vbi sunt?* Obticuit samaritanus, modestiam præseferens, non eos accusat, qui non redierant, nec eorum culpam narrando, refricat: tacet; suoque munere functus, à suorum sociorum murmuratione abstinet. Interrogatus Christo de illis, qui deliquerant, loqui non vult. Quâ reprehensione digni sunt, qui Christo lohibeote, aliorum narrant vitia, aliorum culpas in publicam lucem proferunt?

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Cum his verbis videretur Dominus Samaritanum interrogare; ille, non solum gratus existens, sed etiam modestus obmutuit; vtpotè qui venerat, vt gratias Christo ageret, non vt alios accusaret. Se, suaque humiles despiciunt: in alios, & aliena non sæuiunt, nec illorum culpas traducunt.

Non est inuentus (id est nullus compertus est, aut nullus extitit) *qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*, hic samaritanus à Iudaica gente alienus. Pende. Samaritanus redierat, non solùm, vt Deum glorificaret, sed etiam, vt eoram Iesu procideret, eique gratias ageret, vt ex superioribus constat: Christus tamen solius gloriæ meminit Patri exhibitæ, nullâ factâ mentione gratiarum actionis sibi redditæ. Quo significauit, se vnicè Patris sui gloriam quærere, quæ & à nobis quærenda est, non autem se spectasse hominum plausus, ac laudes, sibi tanquam homini tributas.

Memores estote vxoris Loth: Cur potiùs illius memores esse iubemur, quàm supplicij Gomorrhæorum, & Sodomorum? An, quia vxor Loth in peccatum relabentium figura est? An, quia immania scelera vel suâ immanitate homines deterrent, & à lapsu reuocant? At malorum exempla spectare, & labi, magis euicumque obuium, magis procliue: & idcirco magis cauendum. 699.

Memores estote vxoris Loth: Audiendus hic sanctus Augustinus, cuius verba sunt: *Mementote vxoris Loth; & ipsa in viâ, iam liberata de Sodomis retrò respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est statua salis, vt condiat te.* EXEMPLO ENIM TIBI DATA EST, *vt tu cor habeas, non remaneas fatuus in viâ.*



Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVIII. LVCÆ.

Vers. 1.

DICEBAT autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere.

Parabolam. *Euth. Parabolam hoc spectantem. Pagn. Similitudinem in hoc. Caiet. Parabolam ad hoc.*
Quoniam oportet. *Arab. Vt. Theoph. Quod operteret. Ar. M. Ad oportere.*
Semper. *Syr. Omni tempore.*
Orare. *Arab. Orarent.*
Et n. d. *Syr. Nec ipsis esset tadio. S. Greg. Nyss. Et non deficere. Euth. Et non deficerent. Pagn. Nec defatigari. Ar. M. Et non segnescere.*

Vers. 2.

Dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.

Ciuitate. *Syr. Vrbe.*
Hominem. *Arab. Homines.*

Vers. 3.

Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens. Vindica me de aduersario meo.

Vidua a. q. *Ar. M. Vidua.*
Ciuit. *Syr. Vrbe.*
Veniebat. *Syr. Venit.*
De aduers. *Syr. Ad aduersario.*

Vers. 4.

Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor.

Nolebat. *Arab. Noluerat.*
P. m. t. *Arab. Vsque ad aliquod tempus. Theoph. Aliquandiu. Caiet. Ad tempus.*
Post hæc. *Syr. Post hac. Arab. Post hoc. Vat. Tandem.*
Intra se. *Vat. Apud se. Ar. M. In se ipso.*
Hominem. *S. Aug. Homines.*
Reuereor. *S. Aug. Erubesco.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 5.

Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſuggillet me.

Quia m. e. m. h. v. *Syr. Quia moleſtiam exhibet mihi. Arab. Propter hanc viduam, ne ſit extranea à me. S. Aug. Vel propter tadium, quod mihi facit iſta vidua. Ar. M. Propter prabere mihi moleſtiam viduam hanc.*

Ne i. n. v. ſ. m. *Syr. Ne omni tempore veniens negotium mihi faceſſat. Arab. Et veniat ſemper ad moleſtandum me. Euth. Ne in finem veniens exturbet me. Caiet. Ne tandem veniens ſugillet me.*

Verſ. 6.

Ait autem Dominus: Audite quid Iudex iniquitatis dicit.

Dominus. *Syr. Dominus noſter.*
Quid. *Arab. Quod.*
Iniquitatis. *Theoph. Iniquus. Ar. M. Iniuſtitia.*
Dicit. *Arab. Dixit.*

Verſ. 7.

Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis?

Deus a. *Arab. Deus ergo.*
Non. *Syr. Non magis. Arab. Nonne conuenientiùs.*
Faciet v. *Arab. Vindicabit. Vat. Vindicauit.*
Electorum ſ. *Arab. Electos ſuos.*
Clam. a. ſ. *Arab. Qui vocant eum. Vat. Clamantes.*
Patient. h. i. i? *Syr. Et protrahet ſpiritum ſuum in eos? Euth. Etiam quum tolerans fuerit ſuper illis? Theoph. Etiam cùm patiens fuerit ſuper illis. Vat. Etiam ſi longâ patientia vtatur ſuper illis? Caiet. Longanimis ſuper illis.*

Verſ. 8.

Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?

Dico. *Arab. Vtique dico. Ar. M. Etiam dico.*
Citò. *Vat. Celeriter. Ar. M. In celeritate.*
Faciet v. i. *Arab. Vindicabit illos. Vat. Perſecuturum eſſe vindictam illorum.*
Veniens. *Pagn. Quum venerit.*
Putas inueniet. *Syr. Num reperturus eſt. S. Epiph. An inueniet.*
In terrâ. *Orig. Super terram.*

Verſ. 9.

Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam.

Dixit a. *Syr. Porro dicebat. Arab. Deinde dixit illis.*
Ad q. *Syr. Aduersùs eos. Arab. Propter aliquos.*
Qui i. ſ. c. *Syr. Qui ſibi confidebant. Arab. Qui dicebant. Ar. M. Perſuaſos in ſe ipſis.*
Tanquam. i. *Arab. Se eſſe iuſtos. Ar. M. Quòd eſſent iuſti.*
Aſpernab. *Syr. Deſpiciebant. Ar. M. Nihil facientes.*
Cæteros. *Syr. Omnes.*
Parabolam. *Pagn. Similitudinem.*

Verſ. 10.

Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter publicanus.

Vt orarent. *Syr. Vt preces funderent. S. Cypr. Adorare. Theoph. Vt precarentur.*
Vnus. *Arab. Vnus eorum erat.*

Verſ. 11.

Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus.

Phariſæus. *Syr. Et ecce phariſæus.*
Stans. *Syr. Stabat.*
Apud ſe. *Syr. Stabat inter ſe & animam ſuam. Arab. Intra ſe.*
Hæc orabat. *Syr. Et hac precabatur. Arab. Hoc orando.*
Gratias ago. *Arab. Ego gratias ago. S. Opt. Gratias tibi Deus.*
Sicut c. h. *Orig. Qualis cateri homines.*
Raptores. *Syr. Rapaces.*
Iniuſti, *Syr. Iniuri.*
Adulteri. *Syr. Mæchi.*
Velut etiam hic. *Syr. Nec ſicus iſte. S. Hil. Sicut peccator iſte. Orig. Qualis etiam hic. Ar. M. Aut & vt hic.*
Publ. *S. Hil. Et publicanus.*

Verſ. 12.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verſ. 12.

Ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo.

Ieiuno: *Syr. Sed ieiuno.*
Bis. *Arab. Duobus diebus.*
In ſabbatho. *Arab. In omni hebdomadâ. S. Chryſ. In hebdomadâ.*
Decimas do o. *Orig. Decimas do. Ar. M. Decimo omnia.*
Quæ poſ. *Arab. Bonorum meorum. Orig. De ſubſtantiâ meâ.*

Verſ. 13.

Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.

Et p. *Syr. Ille verò publicanus.*
A longè. *Euth. Procul.*
Stans. *Arab. Stabat.*
Nolebar. *Arab. Et non audebat. Vat. Volebat.*
Nec oculos. *Syr. Vel oculos ſuos. Arab. Oculos.*
Ad cælum. *Syr. In cælum.*
Leuare. *Theoph. Attollere.*
Percutiebat. *Theoph. Tundebat.*
Pectus. *Ar. M. In pectus.*
Propitius eſto. *Arab. Parce. S. Ambr. Propitiare.*
Peccatori. *Arab. Quia ſum peccator.*

Verſ. 14.

Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.

In domum. *Syr. Domum.*
Ab illo. *S. Chryſ. Super illum. S. Cypr. Magis, quàm ille. Euth. Potiùs quàm ille. Ar. M. Quàm enim ille.*
Se. *Arab. Se ipſum. Euth. Seſe.*
Exaltat. *S. Cypr. Extollit.*
Humiliabitur. *Syr. Deprimetur. Euth. Deiicietur. Tert. Deſtruetur.*
Et. *Theoph. Et omnis. Ar. M. At.*
Qui. *Syr. Quicunque.*
Se. *Euth. Seſe. Ar. M. Se ipſum.*
Humiliat. *Syr. Deprimit. Euth. Deiicit.*
Exaltabitur. *Theoph. Extolletur. Tert. Alleuabitur.*

Verſ. 15.

Afferebant autem ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cùm viderent diſcipuli, increpabant illos.

Afferebant a. *Arab. Deinde attulerunt.*
Ad eum. *Ar. M. Ei.*
Infantes. *Arab. Pueros.*
Tangeret e. *Arab. Poneret manum ſuam ſuper eos.*
Quod c. v. *Syr. Et viderunt eos. Goth. Quos cùm viderent.*
Diſcipuli. *Syr. Diſcipuli eius.*
Increpabant. *Syr. Et obiurgarunt.*

Verſ. 16.

Ieſus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium eſt enim regnum Dei.

Conuocans. *Syr. Aduocauit. Pagn. Cùm ad ſe vocaſſet. Fr. Luc. Poſtquam aduocaſſet.*
Pueros. *Euth. Puerulos. Caiet. Puellos.*
Nolite v. *S. Ambr. Nolite prohibere. Fr. Luc. Ne prohibeatis.*
Talium e. e. R. D. *Syr. Eorum eſt enim, qui ſicut iſti ſunt, eorum Regnum Cælorum. Arab. Quia eorum, qui ſimiles ſunt eis, eſt Regnum Dei. Vat. Talium enim eſt Regnum Dei.*

Verſ. 17.

Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.

Accepit. *S. Ambr. Receperit.*
Dei. *Euth. Cælorum.*
Puer. *Pagn. Puerulus. Vat. Puellus.*
Intrabit. *Syr. Ingredietur.*

Verſ. 18.

Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?

Quidam p. *Syr. Vnus ex primoribus. Arab. Vnus ex principibus.*
Magiſter b. *Syr. Doctor bone. Tert. Præceptor optime.*
Faciens. *Theoph. Faciendum mihi. Fr. Luc. Cùm fecero. Pagn. Faciendo.*
Vitam e. *Syr. Vt vitam æternam. Arab. Vt vitæ æternæ.*
Poſſidebo. *Syr. Hæreditate poſſideam. Arab. Hæres fiam. Theoph. conſequar.*

Nouarin. in Euang. Tom. II.

 Verſ. 19.

Vulgata Editio. — ***Lectionum Varietas.***

Verſ. 19.

Dixit autem ei Ieſus: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus?

Dicis. *Syr vocas.*
Solus. *Euth. Vnus.*
Deus. *Euth. Nempe, Deus.*

Verſ. 20.

Mandata noſti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrem tuam.

Mandata. *Theoph. Præcepta.*
Noſti. *Arab. Tu ſcis.*
Non o. n. m. *Theoph. Non committes adulterium, non occidas. Ar. M. Ne mœchaberis, ne occidas.*
Non f. f. *Syr. Nec furaberis.*
Falſum t. *Arab. Falſum. Ar. M. Falsò.*
Dices. *Syr. Perhibebis. Arab. Teſtificaberis. Euth. Feras. Ar. M. Teſteris.*
Honora. *Tert. Dilige.*
Matrem. *Pagn. Matrem tuam.*

Verſ. 21.

Qui ait: Hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea.

Qui. *Vat. At ille.*
Cuſtodiui. *Syr. Obſeruaui. Pagn. Seruaui,*
A i. *Syr. A pueritiâ. Euth. Ab infantiâ.*

Verſ. 22.

Quo audito, Ieſus ait ei: Adhuc vnum tibi deeſt: omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.

Quo a. *Ar. M. Audiens autem hæc.*
Adhuc vnum. *Syr. Vnum.*
Habes. *Arab. Sunt tibi. S. Ant. Tuas facultates.*
Vende. *Syr. Vade vende.*
Da. *Arab. Da ea. Caiet. Diſtribue.*
Habebis. *Syr. Erit tibi. Arab. Faciat tibi.*
Theſaurum. *Syr. Theſaurus.*
Veni ſ. m. *Syr. Poſt me venito.*

Verſ. 23.

His ille auditis, contriſtatus eſt: quia diues erat valde.

His. *Arab. Hoc autem. Ar. M. Hæc autem.*
Auditis. *Ar. M. Audiens.*
Contriſtatus. *Pagn. Mœrore affectus. Fr. Luc. Pertriſtis factus.*
Diues erat valde. *Syr. Erat diues admodum. Vat. Prædiues erat.*

Verſ. 24.

Videns autem Ieſus illum triſtem factum, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

Videns a. *Syr. Quumque vidiſſet. Euth. Intuitus autem.*
Illum t. f. *Syr. Mœrore affici. Arab. Triſtitiam ſuam. Euth. Quod mœrore affectus eſſet. Ar. M. Pertriſtem factum.*
Difficilè. *Syr. Difficile eſt iis.*
Pecunias. *Arab. Diuitias.*
In r. *Syr. Regnum.*
Intrabunt. *Syr. Ingredi.*

Verſ. 25.

Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

Tranſire. *Syr. Introire. Ar. M. Intrare.*

Verſ. 26.

Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſaluus fieri?

Audiebant. *Fr. Luc. Audierant.*
Et quis. *Arab. Quis ergo.*
Saluus f. *Vat. Salutem conſequi. Ar. M. Seruari.*

Verſ. 27.

Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Ait illis. *Euth. At ille ait.*
Quæ. *Arab. Quod.*
Impoſſibilia ſ. *Arab. Non eſt poſſibile.*
Apud h. *Arab. Apud hominem. Tert. Penes homines.*
Poſſibilia ſunt. *Syr. Poſſunt fieri. Arab. Illud poſſibile eſt.*

Verſ. 28.

Ait autem Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

Petrus. *Syr. Simon Petrus.*
Dimiſimus. *Syr. Relinquimus. Theoph. Reliquimus.*
Secuti ſ. t. *Syr. Venimus poſt te.*

Verſ. 29.

Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei,

Qui. *Syr. Ieſus. Vat. Ille verè.*
Reliquit. *Arab. Relinquet.*
Domum. *Syr. Domos.*
Fratres. *Arab. Fratres ſuos.*
Filios. *Theoph. Liberos.*

Vulgata Editio. — ***Lectionum Varietas.***

Verſ. 30.

Et non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam.

Et. *Ar. M. Qui.*
Recipiat. *Paga. Recepturus ſit.*
Multò plura. *Syr. Duplicia multa. Arab. Multiplicatam remunerationem. Fr. Luc. Multiplicia. Eadem variè multiplicata.*
In hoc. *Syr. Hoc.*
Tempore. *Arab. Seculo.*
Venturo. *Ar. M. Veniente. Fr. Luc. Futuro.*

Verſ. 31.

Aſſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.

Aſſumpſit a. *Syr. Et accepit. Arab. Deinde accedere fecit ad ſe. Ar. M. Aſſumens autem.*
Duod. *Syr. Dodecadem ſuam.*
Aſcendimus. *Arab. Aſcendentes ſumus.*
Hieroſolymam. *Arab. In Ieruſalem.*
Conſum. *Syr. Perficientur. Euth. Complebunt.*
Per P. *Arab. In prophetis.*
De filio. *Syr. Aduersùs Filium. Ar. M. Filio.*

Verſ. 32.

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.

Illudetur. *Arab. Illudent ei & opprobriis afficietur.*
Flagellabitur e. c. *Syr. Conſpuent in vultum eius, & flagellis cædent eum. Arab. Conſpuent in eum & flagellabant eum. Theoph. Contumeliis afficietur & conſpuetur.*

Verſ. 33.

Et poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.

Et poſtquam f. o. e. *Syr. Et afficient eum ignominia eumque trucidabant. Arab. Et occident eum.*
Tertiâ. *Euth. Tertio.*

Verſ. 34.

Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Horum. *Arab. Ex his.*

Verſ. 35.

Factum eſt autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.

Factum eſt. *Theoph. Accidit. Vat. Euenit.*
Cùm appropinquaret. *Ar. M. In appropinquare ipſum.*
Iericho. *Ar. M. In Iericho.*
Sedebat. *Arab. Erat ſedens.*
Secus. *Arab. Extra. Pagn. Iuxta.*

Verſ. 36.

Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet.

Turbam. *Syr. Vocem turbæ.*
Prætereuntem. *Syr. Tranſeuntis.*
Interrogabat. *Syr. Sciſcitatus eſt.*
Quid hoc. *Syr. Quidnam hoc.*

Verſ. 37.

Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret.

Dixerunt. *Arab. Nunciauerunt. Vat. Cùm retuliſſent ei. Fr. Luc. Renunciarant.*
Tranſiret. *Syr. Tranſit. Arab. Veniret. Euth. Pertranſiret. Fr. Luc. Præteriret.*

Verſ. 38.

Et clamauit, dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei.

Et c. d. *Syr. Clamauit itaque & ait. Pagn. Et clamabat dicens.*

Verſ. 39.

Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: Fili Dauid miſerere mei.

Et qui. *Syr. Ii autem, qui.*
Præibant. *Syr. Iter faciebant ante ipſum Ieſum. Arab. Accedebant.*
Increpabant. *Syr. Obiurgabant.*
Multò m. c. *Arab. Addebat clamorem.*

Verſ. 40.

Stans autem Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interrogauit illum,

Stans. *Arab. Stetit. Fr. Luc. Cùm ſubſtitiſſet.*
Illum adduci. *Syr. Eum vocari. Arab. Vt accederet.*
Cum a. *Arab. Cùm appropinquaſſet ad eum. Ar. M. Appropinquante.*

Verſ. 41.

Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam.

Domine. *Syr. Domine mi.*
Videam. *Theoph. Viſum recipiam. Pagn. Reſpiciam.*

Verſ. 42.

Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit.

Reſpice. *Arab. Vide. Theoph. Recipito viſum.*
Saluum f. *Euth. Saluum reddidit. Ar. M. ſeruauit.*

Vulgata Editio.

Vers. 43.

Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Lectionum varietas.

Confestim. *Syr. Eo momento.*
Vidit. *Theoph. Visum recepit. Pagn. Respexit.*
Sequebatur illum. *Syr. Veniebat post eum.*
Magnificans. *Syr. Et glorificabat. Fr. Luc. Laudans.*
Omnis. *Syr. Totus. Euth. Cunctus.*
Plebs. *Syr. Populus.*
Vt vidit. *Arab. Qui videbant eum. Ar. M. Videns.*
Dedit laudem. *Syr. Tribuebat laudem. Arab. Gaudebat.*

CAPVT XVIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Dicebat autem parabolam ad illos: quoniam oportet semper orare, & nunquam deficere.

700. PRessvrarvm meminerat, meminerat periculorum; nunc orationem assiduè sternere suadet, quasi hæc vna contra omnia pericula esset munimen, hæc sola malorum omnium medicina pateret.

Oportet semper orare: Sed quem? Proculdubio Deum: decipitur, qui in tribulationibus, & periculis in hominum auxilio confidit, Dei auxilio minimè implorato.

Oportet semper orare: Itane semper? & non etiam aliis operibus vacandum? Præstentur alia opera, quæ tamen orationem sapiant, ab oratione quodammodo informata. Benè Beatus Laurentius Iustinianus tract. 13. de Orat. cap. 6. *Omni tempore orandum est, iuxta Saluatoris sententiam dicentis: Oportet semper orare, & non deficere. Nequaquam enim debet Christi miles orationis arma abiicere, donec perseuerat pugna. Quoniam verò, quousque viuimus, in acie militia desudamus, oremus continuè: nihil autem tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quàm orationis perseuerans opus. Sed, quia alia negotia hoc minimè permittunt; non prætermittenda, sed intermiscenda est nostris oratio actionibus. Quamuis magna voce ille clamet ad Dominum, qui, etsi linguâ taceat, bonis tamen operibus perseuerat. Innitendum autem est, vt in primordio saltem cuiusque operis dirigatur oratio, & Diuini suffragij imploratio:, quia, sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione; ita nec homini Christiano absque orationis munimine aliquid agere licet. Egredientem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de platea comitetur: cum ambulante ambulet, cum operante collaboret; nec prius corpusculum requiescat in strato, quàm anima precibus reficiatur.*

Dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.

IVdex hic impius, & immitis erat, qui Dei timorem exuerat, & pudorem. Huic nec conscientia curæ, nec fama; atque adeò iudicis nomine prorsus indignus, indignus officio. *Iudex quidam erat*, qui iudex verè non erat. Erat nudo nomine, quia nudus à veri iudicis erat charactere. 701.

Iudex hic nō timebat Deum, nec homines reuerebatur. Hoc posterius ex priori ferè sequitur; sed explicandum erat, quia plerunque homines reperiuntur, qui magis reuerentur homines, quàm Deum: dum extimè commendabiles apparent, intimè dolis sunt consuti, sceleribusque. In eo, quod vident homines, videntur iusti, ac probi, in eo, quod videt Deus, omni rectitudine sunt vidui.

Vidua autem quædam erat in ciuitate illâ, & veniebat ad illum dicens: Vindica me de aduersario meo.

ACcedit ad iudicem vidua, eius auxilio indigens. Frequens est, vt viduæ, virorum patrocinio destitutæ, prædæ pateant, & longis litibus diuexentur. *Veniebat* hæc vidua ad iudicem: non dixit, *venit*, sed *veniebat*, hoc est frequenter, ac ferè quotidiè iudicis domum adibat; audire quippè eam iudex recusabat. Aliâ mente Iob, qui dicebat: *si oculos viduæ expectare feci.* Improbus hic iudex expectare viduam fecit, omni pietate viduus. 702. Iob 31.16.

Vindica me, Græcè *ἐκδίκησόν με, libera me, tuere, defende*, verbum *ἐκδικεῖν*, hic propriè non significat vlcisci; sed liberare, & à malo eripere, quod fieri sine vlla vltione potest. Licèt igitur iniustè vidua opprimeretur, non petit tamen, vt iudex aduersarium suum puniat, & iniurias, quas ille intulerat, vlciscatur: tantum postulat, vt ius dicat, & ab iniustâ vexatione eam liberet. Docet exemplo suo vidua à iudicibus quærendam iustitiam esse, non vindictam, ac vltionem.

Et nolebat per multum tempus: Post hæc autem dixit intra se, etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor.

SVi iudex hic iudex est, agnoscit suam impietatem; agnoscit, liberéque fatetur. Non ex ignorantiâ 703.

ignorantiâ peccat; peccat ex malitiâ. Desperatè malus est, qui malum se cognoscit, nec curat, se emendare.

Malus iste iudex summam Dei bonitatem indicat, & clementiam: *Cùm crudelem*, verba sunt Sancti Chrysostomi; *& inhumanum iudicem, qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur, mulieris sedulitas coegit, & prouocauit, vt sibi succurreret: quantò magis nos, si voluerimus illam imitari mulierem, ad opitulandum nobis prouocabimus mansuetum, & misericordem nostrum Dominum, compatientem, & ad saluandum nos occurrentem?*

Tamen, quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.

704. INiquus iudex non iustitiâ mouetur, non flectitur misericordiâ, sed tædio superatur. Molestiæ vitandæ causâ, viduam audit, ac defendit, quod iustitiæ administrandæ amore non fecit. *Ne sugillet*, quidam: *ne obtundat*, alij: *ne tædio afficiat*. Syrus: *ne molestiam mihi exhibeat*. Molestiam vitare iudex voluit; iustitiæ postrema illi cura, imo & nulla.

Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die, ac nocte?

IVdicis comparatione probat Dominus, se suorum electorum voces, precesque exauditurum: non tamen addit: *ne veniente sugillent me*; quia Deus nec tædio, nec molestiâ afficitur, vt petita concedat.

Veruntamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terrâ?

705. DE oratione egerat, orationem commendauerat; nunc de fide agit. Rectus ordo, ac nexus fidei, & orationis. Fides orationis fundamentum, ac basis, imo & anima. Si fides deficit oratio petit. Oratio fidei iungi debet; ac fiduciæ, vt orationis nomen mereatur.

Putas inueniet fidem in terrâ: In paucis vera fides erit: cur ita? Quia & pauci humiles: superbi, multi, multi, fastuosi. Vix dixerat: *Veruntamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terrâ?* cùm statim Pharisæi in templo superbientis, & cæteros homines contemnentis parabolam adiungit. Rectus nexus; bona consequutio. *Quia fides non est superborum*, ait sanctus Augustinus, *sed humilium, premissis subiecit parabolam de humilitate contra superbiam*. Vbi humilitas ibi fides coalescit; non coalescit vbi superbia.

Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.

706. SÆpè superbiam Christus damnat, quippè quæ frequenter hominum mentes inuadat; sæpiusque, quàm aliæ passiones, maiora inuehat damna. Quosdam reprehendit, *qui in se confidebant*. Nemo facilè illis fidat, qui confidunt in se ipsis, non fidit Christus, quos damnat. *Tanquam iusti*: hæc illorum consignatio est, qui se iustos putant, cùm non sint. In iudicij sui bilance, dum se euehunt, demittunt alios. Digni erant, quos cæteri aspernarentur, qui cæteros aspernabantur.

Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus pharisæus, & alter publicanus.

DVo homines orationis causâ in templum se conferunt. Hac præcipuâ causâ templa frequentari debent. Porrò dictum est, *ascenderunt*, quia templum in monte situm erat; vt vel à sua oraturi discerent, ima deserere. *Duo homines*: Qui ad templum orationis causâ fertur, referre Angelos moribus deberet, licèt natura homo sit.

SECTIO II.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi; quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri; velut etiam hic publicanus.

PHarisæus in oratione stabat. In templo illo vetiti, ferè solemne erat stare, præsertim, cum sedendi nulla esset commoditas. Soli pontifici, ac regi sedes in templo erat sed statione istâ notatur pharisæi arrogantia; nam etiam habitu, & gestu superbus agnoscitur. Stabat corpore, qui mente ceciderat. 707.

Hæc apud se orabat: Quî apud se orare poterat; qui apud se non erat, extra se; quin etiam supra superbiâ ferebatur? Non erat vera eius oratio; quia humilitate carebat, quæ orationis est anima. *Apud se orabat, non apud Deum*, ait sanctus Thomas:

Etiam loco superbiam suam prodebat Pharisæus, sicut & publicanus humilitatem. *Pharisæus*, inquit Seuerus, *stans in medio templi altâ voce orabat, & rogabat, & tanquam, qui impetrare dignus sit, proprias res gestas recensebat: publicanus verò à longè stans, & in extremo aliquo templi angulo adrepens; pectus percutiebat*; tantum à superbotum fastu abeunt humiles, vt & humiliore loco se includant.

Iniusti, adulteri: Pharisaico supercilio tumens hæc iactabat Pharisæus. *Non mentiebatur, imò vera dicebat; sed omnis, qui se exultat, etiamsi vera dicat, offendit. Quantum crimen superbia, vt etiam ei adulteri præferantur!* inquit sanctus Ambrosius. 708.

Dum se iactat pharisæus; suorum iacturam fecit, vt suâ linguâ infelix sibi creauerit naufragium. Pulchrè sanctus Chrysostomus: *Etsi quis innumera bona opera fecerit, virtutibusque omnem absoluerit, si tamen magnum quid de se senserit maximè omnium miserabilis est & miser. Quod nobis manifestum est*

ex iis quæ Pharisæo acciderunt, qui vt magna de se sentit, & publicanum contempsit, subitò deterior factus est publicano, & omnes virtutum diuitias linguâ suâ effudit: & se nudans exhauriensque, pertulit rarum & nouum naufragium: apprehenso enim littore omnes merces suas simul perdidit. Nam si ita accidat alicui propter preces indignè dictas, perinde est ac si quis in medio portu naufragium faciat.

Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium: quæ possideo.

709. Dixerat superiùs pharisæus, se non esse, sicut cæteri homines, raptorem, adulterum; cohærenter nunc de ieiunio gloriatur; nam contra adulterium ieiunium est. Ægrè enim, qui delicias amat, castitatem ac puritatem possidet. Scitè sanctus Ephrem in Catena græca, vbi ait: *Adulterij à se crimen remouens ieiunium iactauit, satietas enim stupri pater est, & in saturitate reperitur luscinia*; ieiunio scilicet carnis comprimitur petulantia, quæ debacchatur, vbi ieiunium, & abstinentia exulat.

Orat Pharisæus; se commendat, suas virtutes recenset. Nihil a Deo petit, nec virtutum augmentum postulat. Bonus audire non debet, qui proficere non studet, vtque melior euadat, non curat. Tanquam superbus, & inflatus, reprehenditur pharisæus, non quia Deo gratias egit, sed quia nihil sibi addi cupiebat.

710. Dum bona sua superbè recenset Pharisæus, desinit esse bonus. *Omnes virtutum diuitias*, inquit Sanctus Chrysostomus, *linguâ suâ effudit*. Diuitiarum iacturam fecit, quia diuitias suas iactauit.

Ieiunium aliis virtutibus ieiunum esse non debet: monet istud Pharisæi. & publicani exemplum; quod his verbis expendebat sanctus Chrysostomus. *Ne inter ieiunij laborem à ieiunij coronâ excidamus, discamus qualiter, & quomodo huiusmodi negotium tractare debeamus: quoniam & Pharisæus ille ieiunauit, sed post ieiunium illud descendit inanis, & ieiunij fructibus cassus. Publicanus non ieiunauit, & Pharisæum ieiunantem præcessit non ieiunans; vt discas quòd vtilitas nulla, nisi & reliqua omnia consequantur.*

Et publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

Humilis publicanus pœnitentiæ exhibet signa. Præ confusione non audebat oculos ad cælum leuare; vt adspiceretur, non adspiciebat. *Percutiebat pectus suum*: à se pœnas exigit, ostendens quod plagis dignus esset. In pectus sæuit, quia cor peccatorum origo, & causa fuerat.

711. Totus in se efferendo fuit pharisæus, & demittendis aliis: deiecit publicanum, qui aderat: hic tamen illum non repercussit; sed æquo animo omnia tulit, nec aliquid in suî excusationem produxit; quin tam humiliter sensit de se, vt ne terræ quidem, quam pharisæus calcabat, se auserit comparare; vt non mirum si pharisæo eum Christus prætulerit. Audiendus hìc sanctus Chrysostomus lib. 2. de Compunctione cordis: *Quid locutus est vel publicanus ille, qui verè mille malis repletus, & neque respicere ad cælum poterat, neque orationis sua prolixum continuare sermonem; sed ne adstare quidem prope Pharisæum audebat? Exprobabat enim eum Pharisæus, dicens: Quia non sum, sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut etiam publicanus hic. Ille verò, quasi nihil horum audiens, in nullo indignatur; sed & amplectitur opprobria: & non solum non indignatur; sed & illum in se contumelias iactantem, illum gloriosum tanto afficit honore, vt ne cum terrâ quidem comparare se audeat, quam ille pedibus terit: at neque verbum vllum profert aliud, nisi quòd confitetur peccata sua, pectusque suum, velut peccatorum suorum conscium, tundens dicit: Deus propitius esto mihi peccatori.*

Sæuiebat in se publicanus, cùm pectus suum percuteret: sed magis sæuiebat in se Pharisæus, dum sibi blandiretur, dum se extolleret. *Pectus percutiebat* (inquit sanctus Augustinus in Psalm. 39.) *sibi non parcebat; vt ille parceret: se agnoscebat, vt ille ignosceret: se puniebat, vt ille liberaret.* 712.

Percutiebat pectus suum publicanus, quem Deus exaudiuit, ac si fores pulsasset cælorum, dum pulsaret pectus suum. Certè cælum euasit eius pectus, dùm pœnitentiam iniens, veniam petiit; &, se verberans, dignum verberibus ostendit.

Non leuabat ad cælos oculos Publicanus; quia in sua peccata mentis oculos coniecerat: non leuabat oculos ad cælum, vt ob id dignus effectus fuerit, qui totos eleuaretur ad cælum. *Ideo publicanus*, verba sunt sancti Augustini, *non audebat oculos ad cælum leuare; quia se ipsum intuebatur, conscientiam suam puniebat. Ipse sibi iudex erat, vt ille intercederet. Ipse puniebat, vt ille liberaret. Ipse accusabat, vt ille defenderet. A Deo defensus est, quia dixit pro ipso sententiam. Descendit iustificatus publicanus ille magis, quam ille Pharisæus: quia omnis, qui se exultat, humiliabitur, &, qui se humiliat, exaltabitur.*

SECTIO III.

Descendit hic iustificatus ab illo.

Præfertur Pharisæo publicanus. *Videte, fratres,* inquit sanctus Augustinus: *magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis.* Inficit bona superbia, vt bona non sint. 713.

Tumidus Pharisæus publicano adeò non nocuit, conuiciis eum onerans, vt profuerit; nam Deum ipsum ad indulgendum ei magis prouocauit, quàm incitauit ad vltionem. Præclarè sanctus Chrysostomus hom. in Publicanum & Pharisæum, sic enim alloquitur Pharisæum: *Non te ille inflectit contremiscens? Non te ad condolendum prouocat vultu sic ad terram demisso? Non inhumanam emollit mentem tuum, dum suspicere cælum non audet? Enimuerò tum quidem, cùm publicani munus obibat, eiusmodi te in illum iactare voces oportebat: tum enim ipsum decebat non a te modò probris, sed à quouis incessi. Iam verò, cùm sua mala damnauit; cùm animaduersis animæ sua vulneribus, ad medicum gratis sanantem*

nantem cucurrit; cùm delictorum recordatus ad Dominum immemorem malorum confugit; tunc supernacaneè insultas, Pharisæe. Neque velut hic publicanus. Nunquid enim sunt alij publicani, qui nondum dulcem pœnitentiæ luctum amplexi sunt? Si te tanta cupiditas tenet insectandi peccatores, linguam in illos converte, qui rapacitatis adhuc sunt retibus implicati: aduersùs hunc quidem supernacanea est hæc hostilitas tua: non enim cantùm hominem nocere non poteris; sed & Dominum ad promptiorem in illum demonstrandam indulgentiam prouocabis.

Omnia sua perdidit pharisæus: perdidit se, quia humilitate carebat. Rem peritè expendebat Sanctus Bernardus serm. 5. de Annunciat. Dominicæ: *Consideretis*, inquit *Pharisæum illum orantem. Non erat raptor, non iniustus, non adulter. An sine fructibus pœnitentia erat? Ieiunabat bis in sabbato, decimas dabat omnium quæ possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini? Audite, quid dicat: Deus gratias ago tibi. Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis; sed elatus: non enim, quid sibi deesset, scire studuit; sed exaggerauit meritum suum: nec erat solida plenitudo, sed tumor. Vacuus proinde rediit, quia plenitudinem simulauit: nam publicanus ille, qui exinanire seipsum, qui vacuum vas exhibere curauit, gratiam retulit ampliorem.*

Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

714 Mirum, insolensque principem accessisse ad Christum, déque æternâ vitâ cogitasse. Patrum plerique, non corde simplici interrogasse hunc principem, putant, sed tentando. Ægrè de æternâ vita illi cogitant, qui adeò sunt super alios, vt extra se sint; deque temporali tantùm vitâ cogitare videntur, dum ab iis, quæ ad æternam ducunt, abducunt mentem.

Et habebis thesaurum in cælo: Et quid deinceps? *Et veni, & sequere me.* Licèt thesauros cælo, omnium venditione, condiderit, otio tamen torpescere non sinitur: vrgetur magis ad opus. *Non dixit, habebis thesauros in cælis*, ait Sanctus Ephræm, *& deinceps dormi, & requiesce; sed, veni, & sequere me.* Nullus tam magnus, certúsque thesaurus esse debet, qui otium possessoribus inhalet: vrgere ad laborem debet, ne amittatur: alioquin iam desineret esse thesaurus, si torporem ingeneraret.

Regni cælorum aditus difficilè diuitibus patet; quin patet, sed illum sibi ipsis, diuitiarum amore, occludunt. *Difficilè est*, inquit ille auctor, *diuites intrare in regnum cælorum; quia non nouerunt, habere diuitias, tanquam non habentes, sed plerunque confidunt in eis.* Eò miseriores, quò magis diuitiis diuites fidunt.

Per camelum, non funem intellige, vt plerique, sed animal; vt colligatur ex his verbis, difficile in 715
regnum cælorum diuitem introire. Sed aliquis hîc reponat: Et diues diuitiis viam sibi ad cælum sternere potest, si diuitias spargat, & pauperibus diuidat? Potest; sed tamen istud, & ferè contra diuitis naturam. *Contrà naturam est diues misericors*, ait sanctus Ambrosius; sicut & camelum ingredi foramen acus.

Ipse verò multò magis clamabat: Nimirùm vrgeri ad Christum iis debemus, quæ nos videntur auocare, quóve tentationes in nos acriùs sæuiunt, fortiores contra eas debemus stare. Pulchrè rem versat sanctus Innocentius, dum ait: *Cum cæcus clamaret, miserere mei fili Dauid; qui præibant, increpabant eum, vt taceret; ipse verò multò magis clamabat: quia, quantò magis contra nos insurgit turbatio, vel Dæmonum vel cogitationum, vel hominum, tantò magis debemus insistere, vt tentationes huiusmodi repellamus.*

Quid tibi vis faciam? Non expauit ad hæc verba cæcus: Cæcus est, qui non expauit. Ille probè videt, qui inuertit, & cum Paulo inquit, *Domine quid me vis facere?* Tutius hoc, & Deo magis gratum. Mente cæcus est, qui ità non clamat. Sed res eò euadit, vt *plures habeamus euangelici istius cæci*, verba sunt sancti Bernardi, *quàm noui Apostoli imitatores: Quid vis, ait Dominus ad cæcum, vt faciam tibi? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit: Absit hoc Domine; tu magis dic, quid me facere velis.* Sic omninò decebat, vt non suam homo perficiat voluntatem, sed Dei.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*

CAPVT XIX. LVCÆ.

Vers. 1. ET ingressus perambulabat Iericho.	Ingressus. *Arab. Cùm introisset.* Peramb. *Syr. Quum transiret. Arab. Perambulando. Ar. M. Pertransibat.* Iericho. *Syr. Per Iericum. Arab. In Iericho.*
Vers. 2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.	Et ecce vir. *Syr. Vir quidam.* Nomine. *Pagn. Qui vocabatur.* Princeps erat. *Syr. Magister.* Ipse. *Euth. Idem. Theoph. Idem erat.* Diues. *Syr. Diues erat.*
Vers. 3. Et quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.	Quærebat. *Syr. Volebat.* Quis e. *Syr. Quisnam esset. Arab. Vt intelligeret quisnam esset.* Pusillus. *Syr. Paruus Zachæus.*

Vers. 4.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 4.

Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum vt videret eum: quia inde erat tranſiturus.

Præcurrens. *Syr. Cucurrit ante Ieſum. Arab. Præceſſit feſtinans. Vat. Cùm præcurriſſet.*
Aſcendit. *Syr. Conſcendit.*
In a. ſ. *Syr. Ficum inſipidam. Arab. In caprificum. Ar. M. In ſycomorum. Caiet. In arborem ſycomoream.*
Videret. *Syr. Conſpiceretur.*
Inde. *S. Ambr. Illâ parte. S. Theoph. Illac.*
Erat t. *Syr. Futurum erat, vt tranſiret.*

Verſ. 5.

Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

Veniſſet. *Arab. Perueniſſet. Ar. M. Vt venit.*
Locum. *Vat. Eum locum.*
Suſpiciens v. *Syr. Vidit. Arab. Reſpexit.*
Illum. *Arab. In illum.*
Ad eum. *Euth. Ei.*
Feſtinans. *Syr. Feſtina. Vat. Feſtinanter.*
In d. t. *Pagn. Domi tuæ.*
Manere. *Syr. Adeſſe. Arab. Eſſe.*

Verſ. 6.

Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

Et. *Syr. Itaque.*
Feſtinans. *Arab. Feſtinauit.*
Excepit illum. *Euth. Suſcepit eum.*
Gaudens. *Arab. Cum gaudio.*

Verſ. 7.

Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet.

Et c. v. o. *Syr. Quum autem hoc vidiſſent. Vat. Quod cùm viderent omnes.*
Murmurabant. *Syr. Omnes murmurabant. Arab. Omnes illi hoc murmurabant.*
Quod ad h. p. *Arab. Quia viri peccatoris domum. Theoph. Apud hominem peccatorem.*
Diuertiſſet. *Syr. Ingreſſus diuertit. Arab. Eſſet ingreſſus vt quieſceret. Euth. Intraſſet diuerſaturus. Theoph. Ingreſſus eſſet diuerſaturus. Caiet. Ingreſſus eſſet ad diuertendum.*

Verſ. 8.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

Stans. *Syr. Stetit.*
Ad D. *Syr. Ipſi Ieſu. Vat. Domino.*
Dimidium. *Ar. M. Dimidia.*
Bonorum m. *Syr. Facultatum mearum. S. Cypr. Ex ſubſtantiâ meâ Tert. Subſtantia. Ar. M. Subſtantiarum mearum.*
Domine. *Syr. Domine mi. Pagn.* omittit.
Do. *Arab. Ego do. Tert. Offero.*
Pauperibus. *S. Cypr. Egenis. Clem. Alex. Eleemoſynam.*
Si q. a. d. *Arab. Illi, à quo iniuſtè accepi aliquid. S. Chryſ. Si qua rapui. S. Greg. Nyſſ. Si quem circumueni per calumniam. Clem. Alex. Si alicuius aliquid habui per calumniam. Tert. Si cui quid per calumniam eripui. S. Ambr. Si cui quidquam abſtuli.*
Reddo. *Syr. Retribuo. Arab. Dedi.*
Quadruplum. *Arab. Pro vno quadruplum. S. Chryſ. Quadruplata.*

Verſ. 9.

Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eò quod & ipſe filius ſit Abrahæ.

Ad eum. *Syr. Ei.*
Huic d. *Arab. Habitatoribus huius domus.*
Facta eſt. *Arab. Conuenit. Euth. Contigit. Vat. Obtigit.*
Ipſe. *Syr. Iſte. Theoph. Ipſa.*
Sit. *Arab. Eſt. Goth. Es.*
Filius. *Theoph. Filia.*

Verſ. 10.

Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.

Venit enim. *Clem. Alex. Cùm veniſſet hodie.*
Quærere. *Syr. Vt quærat.*
Saluum f. *Syr. Vt ſeruet. Theoph. Seruare.*
Quòd p. *Ar. M. Perditum.*

Verſ. 11.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Verſ. 11.

Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Ieruſalem: & quia exiſtimarent quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.

Hæc. *Arab. Et hoc.*
Adiiciens d. *Syr. Addidit ſermoni. Arab. Cœpit, & dixit. Vat. Inſuper dixit.*
Eo. q. e. p. *Arab. Cùm appropinquaſſet. Ar. M. Propter propè eum eſſe.*
Quia exiſtimarent. *Syr. Quod putarent. Ar. M. Et videri eis.*
Quod. *Theoph. Fore vt.*
Confeſtim. *Syr. Eo momento.*
Manifeſt. *Syr. Appareret. Vat. Palam fieret. Ar. M. Futurum eſſet apparere.*

Verſ. 12.

Dixit ergo: Homo quidem nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti:

Homo. *Syr. Vir.*
Nobilis. *Syr. Maximo ſtemmate natus. Arab. Nobilis genere. Euth. Præclaro genere natus. Theoph. Generoſus. Pagn. Genere clarus.*
Abiit. *Euth. Profectus eſt.*
Accipere. *Arab. Vt acciperet.*
Sibi. *Ar. M. Sibi ipſi.*
Reuerti. *Arab. Rediret.*

Verſ. 13.

Vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

Vocatis ſ. ſ. *Arab. Vocauit ſeruos ſibi. Ar. M. Vocans ſeruos ſuos.*
Dedit. *Vat. Tradidit.*
Mnas. *Theoph. Minas.*
Dum v. *Arab. Vſque in aduentum meum. Pagn. Donec veniam.*

Verſ. 14.

Ciues autem eius oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

Ciues. *Syr. Filij ciuitatis.*
Miſerunt legationem. *Arab. Miſerunt. Orig. Miſerunt legatos.*
Hunc. *Orig. Eum.*
Super nos. *Vat. In nobis.*

Verſ. 15.

Et factum eſt vt rediret accepto regno: & iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam, vt ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

Factum e. v. r. *Syr. Quum reuerſus fuiſſet. Euth. Contigit, vt ipſe rediret. Vat. Euenit cùm rediſſet. Ar. M. Factum eſt in redire ipſum.*
Accepto r. *Ar. M. Accipientem regnum.*
Iuſſit. *Theoph. Miſit. Vat. Vt iuſſerit. Ar. M. Ait.*
Vocari. *Theoph. Vocare.*
Seruos. *Pagn. Seruos illos ad ſe. Ar. M. Sibi ſeruos hos.*
Dedit. *Theoph. Dederat.*
Pecuniam. *Arab. Argentum.*
Sciret. *Vat. Cognoſceret.*
Quantum. *Vat. Quid.*
Quiſque. *Syr. Vnuſquiſque ex eis. Arab.* omittit.
Negotiatus eſſet. *Arab. Negotiati eſſent. Vat. Negotiando confeciſſet.*

Verſ. 16.

Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſiuit.

Venit. *Vat. Acceſſit. Ar. M. Adfuit.*
Domine. *Syr. Domine mi. Arab.* omittit.
Mna. *Theoph. Mina.*
Mnas. *Arab. In decem mnas Theoph. Minas.*
Acquiſiuit. *Syr. Lucrifecit. Arab. Facta eſt.*

Verſ. 17.

Et ait illi: Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.

Serue. *Goth. Serue & fidelis.*
In modico. *Ar. M. Modico. Caiet. In minimo.*
Fuiſti f. *Syr. Inuentus es fidelis. Arab. Inueni te fidelem.*
Eris p. h. *Syr. Dominaberis. Arab. Erit tibi poteſtas. Euth. Habe poteſtatem. Orig. Habebis poteſtatem. Ar. M. Eſto poteſtatem habens.*
Super decem. *Vat. In decem.*
Ciuitates. *Syr. Vrbes.*

Verſ. 18.

Et alter venit, dicens: Domine, mna

Alter. *Pagn. Secundus.*
Domine. *Syr. Domine mi.*

tua

Lectionum Varietas.

Lectionum Varietas.

tua fecit quinque mnas.

Mna. *Theoph. Mina.*
Fecit. *Arab. Facta est. Eut. Confecit.*
Mnas. *Theoph. Minas.*

Vers. 19.

Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.

Esto. *Syr. Dominaberis. Arab. Eris. Theoph. Præfectus esto.*
Soper q. c. *Theoph. Quinque ciuitatibus.*

Vers. 20.

Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.

Alter. *Pagn. Alius.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Mna t. *Syr. Mina illa tua.*
Quam h. *Syr. Qua penes me fuit. Arab. Eam.*
Repositam. *Syr. Posita. Arab. Inuolui*
Sudario. *Syr. Sindone.*

Vers. 21.

Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis non seminasti:

Timui. *Euth. Timebam.*
Te. *Syr. A te.*
Quia h. aust. e. *Syr. Quippe qui homo durus sis.*
Tollis. *Syr. Et auferas.*
Posuisti. *Syr. Deposuisti.*
Seminasti. *Arab. Seminasti; & colligis, vbi non dispersisti.*

Vers. 22.

Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam, sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens, quod non seminaui:

De ore. *Euth. Ex ore.*
Iudico. *Theoph. Iudicabo.*
Seroe n. *Arab. O serue nequam inutilis. Clem. Alex. Serue nequam & ignaue. Fr. Luc. Serue male. Lucif. Serue infidelis.*
Sciebas. *Syr. Noueras enim. Arab. Cognouisti.*
Quod e. h. a. s. *Syr. Me esse hominem durum.*
Tollens. *Syr. Qui auferam.*
Posui. *Syr. Deposui.*
Seminaui. *Arab. Seminaui; colligo, quod non dispersi. Euth. Sparsi.*

Vers. 23.

Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?

Et quare non dedisti. *Arab. Quare non posuisti. Clem. Alex. Oportebat te dare. Vat. Quare ergo non dedisti.*
Pecuniam m. *Syr. Argentum meum.*
Ad m. *Arab. Super mensam. Clem. Alex. Numulariis. Ar. M. Mensariis. Fr. Luc. Fœneratoribus.*
Vt e. v. *Syr. Et ego venissem. Vat. Et ego vbi venissem.*
Cum vsuria. *Syr. Cum suis vsuris. Arab. Cum Lucro suo. Clem. Alex.* omittit. *Pagn. Cum vsurâ.*
Vtique. *Clem. Alex.* omittit.
Exegissem. *Syr. Repetissem. Clem. Alex. Recepissem.*
Illam. *Arab. Illud. Clem. Alex. Meum.*

Vers. 24.

Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

Et a. *Syr. Illis autem, qui astabant coram se. Arab. Deinde astantibus.*
Auferte. *Euth. Tollite.*
Moam. *Theoph. Minam. Orig. Talentum.*
Qui d. m. h. *Syr. Penes quem sunt decem minæ.*

Vers. 25.

Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

Dixerunt. *Syr. Dicunt.*
Domine. *Syr. Domine noster.*
Mnas. *Theoph. Minas.*

Vers. 26.

Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui

Dico a. v. *Arab. Dixit autem illis: Dico vobis. Vat. Dico enim vobis.*
Omni. *Syr. Vnicuique. Orig. Omnis.*
Habenti. *Orig. Qui habet.*
Dabitur. *Euth. Dabitur & abundabit. Orig. Addetur ei.*
Ab e. a. q. n. h. *Syr. Ei autem, qui nihil habet. Arab. At, cui non est. Orig. Qui autem non habet.*
Et q. h. *Arab. Quod quidem cum ee est. Orig. Et*

non

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

non habet, & quod habet auferetur ab eo.

quod videtur habere.
Auferetur ab eo. *Theoph. Auferetur.*

Verſ. 27.

Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.

Veruntamen. *Vat. Cæterum, Caiet. Quin.*
Inimicos. *Syr. Illos inimicos.*
Super ſe. *Vat. Iuſſo.*
Adducite h. *Arab. Adducite huc ad me.*
Interficite. *Syr. Trucidate. Arab. Interficite eos. Ar. M. Iugulate.*
Ante me. *Euth. Coram me.*

Verſ. 28.

Et his dictis, præcedebat aſcendens Ieroſolymam.

His d. *Ar. M. Dicens hac.*
Præcedebat. *Syr. Progreſſus eſt. Arab. Abiit. Euth. Pergebat. Theoph. Ibat pergens. Ar. M. Ibat ante.*
Aſcendens. *Syr. Vt proficiſceretur. Theoph. Aſcendere. Ar. M. Aſcendentes.*
Ieros. *Syr. Ad Ieroſolymam. Ar. M. Hieruſalem.*

Verſ. 29.

Et factum eſt, cùm appropinquaſſet ad Bethphage, & Bethaniam ad montem qui vocatur Oliueti, miſit duos diſcipulos ſuos.

Factum eſt. *Orig. Euenit.*
Cùm approp. *Fr. Luc. Vt appropinquauit.*
Bethaniam. *Pagn. Bethaniam Dominus.*
Ad m. *Syr. Iuxta verticem montis. Pagn. Iuxta montem.*
Oliueti. *Syr. Domus oliuarum. Arab. Mons oliuarum. Caiet. Oliuarum.*
Miſit. *Euth. Emiſit.*
Diſc. ſ. *Euth. Ex diſcipulis ſuis. Orig. Diſcipulorum ſuorum.*

Verſ. 30.

Dicens; Ite in Caſtellum, quod contra eſt: in quod introeuntes inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum ſedit: ſoluite illum, & adducite:

Ite. *Vat. Abite.*
Caſtellum. *Syr. Pagum illum. Ar. M. Vicum.*
Quod e. *Syr. Qui vobis eſt è regione. Arab. Contra vos. Orig. Quod eſt ex aduerſo.*
In quod. *Ar. M. In quo.*
Introeuntes. *Syr. Quum ingreſſi fueritis.*
Inuenietis. *Syr. Ecce inuenietis.*
Pullum a. *Euth. Pullum.*
Alligatum. *Fr. Luc. Ligatum.*
Cui. *Arab. Super illum. Ar. M. Super quem. Fr. Luc. In quo.*
Nemo hominum. *Syr. Nemo. Arab. Non homo.*
Sedit. *Syr. Equitauit. Arab. Aſcendit. Pagn. Sedet.*
Soluite. *Ar. M. Soluentes.*

Verſ. 31.

Et ſi quis vos interrogauerit: Quare ſoluitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam eius deſiderat.

Vos interrogauerit. *Arab. Vobis dixerit.*
Soluitis. *Syr. Soluitis eum.*
Ei. *Orig. Eis.*
Quia D. o. e. d. *Syr. Domino noſtro requiritur. Eut. Quia hic Domino neceſſarius eſt. Ar. M. Quia Dominus eius opus habet. Caiet. Quia Dominus eo opus habet.*

Verſ. 32.

Abierunt autem qui miſſi erant: & inuenerunt ſicut dixit illis, ſtantem pullum.

Abierunt. *Syr. Profecti ſunt.*
Qui m. e. *Ar. M. Miſſi.*
Sicut d. i. ſ. p. *Syr. Prout dixerat eis. Orig. Sicut dixerat.*

Verſ. 33.

Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: Quid ſoluitis pullum?

Pullum. *Syr. Pullum illum.*
Ad illos. *Orig. Illis.*
Quid. *Vat. Quare.*
Pullum. *Syr. Pullum hunc.*

Verſ. 34.

At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet.

Quia Dominus. *Syr. Quia Domino noſtro. Ar. M. Dominus.*
Eum n. h. *Syr. Requiritur. Euth. Hic neceſſarius eſt. Ar. M. Eius opus habet. Caiet. Eo opus habet.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 35.

Et duxerunt illum ad Iesum: & iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.

Duxerunt. *Syr. adduxerunt.*
Iactantes. *Syr. Iniecerunt. Euth. Superiectis. Theoph. Iniectis.*
Vestimenta s. *Syr. Pallia sua. Euth. Vestimentis suis. Fr. Luc. Palliis suis.*
Imposuerunt. *Syr. Et equitare fecerunt in eo Arab. Et super illum ascendere fecerunt.*

Vers. 36.

Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

Eunte illo. *Syr. Quum iter faceret. Arab. Dum ipsi ambularent. Orig. Proficiscente illo.*
Vestimenta. *Syr. Pallia.*

Vers. 37.

Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus,

Iam ad descensum. *Arab. Ad radicem.*
Oliueti. *Syr. Domus oliuarum. Pagn. Oliuarum. Ar. M. Olearum.*
Cœperunt. *Syr. Cœpit.*
Omnes t. *Syr. Omnis cætus. Arab. Omnes multitudines. Orig. Omnis multitudo. Ar. M. Omnis turba. Fr. Luc. Vniuersa multitudo.*
Descendentium. *Arab. Et discipuli. Ar. M. Discipulorum.*
Gaudentes. *Syr. Lætari. Arab. Gaudere.*
Laudare. *Syr. Et glorificare.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Super omnibus. *Ar. M. De omnibus. Arab. Propter omnes.*
Virtutibus. *Arab. Virtutes.*

Vers. 38.

Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

Qui v. r. *Syr. Rex ille, qui venit. Vat. Qui venit.*
Pax. *Arab. Et pax.*
Excelsis. *Caiet. Altissimis.*

Vers. 39.

Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister increpa discipulos tuos.

Pharisæorum. *Syr. Ex Pharisæis.*
De t. *E mediâ turbâ. Arab. De medio turbarum. Theoph. E turbâ.*
Magister. *Syr. Rabbi.*
Increpa. *Syr. Obiurga.*

Vers. 40.

Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Ait. *Orig. Respondens ait.*
Tacuerint. *Syr. Siluerint.*
Clamabunt. *Arab. Loquentur. Fr. Luc. Mox clamabunt.*

Vers. 41.

Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens:

Vt approp. *Syr. Quum appropinquasset. Euth. Postquam appropinquauit.*
Videns. *Syr. Vidissetque. Orig. Intuitus.*
Super illam. *Euth. Super illâ.*

Vers. 42.

Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Quia si. *Syr. Nempe si. Orig. O si.*
Cognouisses. *Syr. Nosses.*
Et q. i. h. d. t. *Syr. Vel saltem isto die tuo. Arab. Et in hac die.*
Quæ ad p. t. *Syr. Ea, quæ sunt ad pacem tuam. Arab. Quantum est tibi in eâ pacis. Orig. Quæ ad pacem tuam pertinent, curares.*
Abscondita s. *Arab. Absconditum est. Orig. Occultata sunt. Vat. Occulta sunt.*
Ab oculis tuis. *S. Epiph. Tibi. Orig. A filiis tuis.*

Vers. 43.

Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique:

Quia v. *Syr. Aduenient autem. Arab. Profectò venient. Orig. Quia superuenient.*
In te: *Arab.* omittit. *Val. Tibi.*
Et c. i. t. v. *Syr. Quibus obsidebunt te hostes tui. Arab. Proiicient inimici tui vexilla tua. Ar. M. Et circundabunt inimici tui vallum tibi.*
Et c. t. *Syr.* omittit. *Arab. Et circundabunt te in illis inimici tui. Orig. Et cingent te. Ar. M. Et circuncingent te.*
Coang. t. v. *Syr. Cingent te ab omni loco.*

Vulgata Editio.	Lectio Varietas.
Vers. 44. Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.	Ad t. p. *Syr. Euertent. Arab. Superuertent. Euth. Solo prosternent. Theoph. Solo æquabunt. Caiet. Ad solum prosternent.* Qui i. t. s. *Syr. Intra te, Ar. M. In te.* Cognoueris. *Syr. Noueris.*
Vers. 45. Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes.	Ingressus. *Arab. Cum ingressus esset.* Vendentes i. i. e. e. *Syr. Eos, qui emebant in eo, & vendebant.*
Vers. 46. Dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.	Quia domus. *Syr. Domus.* Orationis. *Theoph. Precationis.* Latronum. *Arab. Latronibus.*
Vers. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & scribæ; & Principes plebis quærebant illum perdere:	Erat docens. *Syr. Ipse docebat.* Quotidie. *Ar. M. Per diem.* Et p. p. q. i. p. *Syr. Et seniores populi studebant eum perdere. Arab. Et principes plebis quærebant perditionem eius. Orig. Et seniores populi volebant eum perdere. Ar. M. Quærebant illum perdere, & primi plebis. Theoph. Quærebant illum perdere, & primores plebis.*
Vers. 48. Et non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.	Inueniebant. *Arab. Inuenerunt.* Facerent. *Syr. Agerent ei.* Omnis. *Euth. Vniuersus. Pagn. Totus.* Suspensus erat. *Syr. Pendebat ab eo. Arab. Suspensus erat ad illum. Orig. Suspensus erat in eum. Caiet. Pendebat. Fr. Luc. Pendebat ab ore eius.*

CAPVT XIX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Hominem auarum conuerti, difficile est. 716
In homine liberali *nihil non magnum.* 716
In Christi *obsequium vilia quæque præstanda.* 717
Quod bonis *ad* profectum, *impiis ad ruinam.* 717
Stultitiæ proximus qui latas Mundi *vias quærit.* 718
Suorum vota Deus *excedit.* 719
Ad Zachæi *hospitium quid* Christum *inuitauerit.* 719
Vera obedientia *verborum copiam negligit.* 720
Celeritas in Dei obsequio *commendata.* 721
Dei seruus *pro verbis reponit facta.* 721

Et ingressus perambulabat Iericho: & ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.

716. ILLVD *ecce* attentionem petat ad rem admirandam; sed quam? Publicanum hominem lucris inhiantem, ditissimumque, quæsiuisse videre Iesum. Diuitum ferè est à Iesu abire, Christum fugere.

Quia statura pusillus erat: Non facilè quempiam reperias in Diuinis Litteris staturæ pusillæ notatum. Celebratur ob corporis magnitudinem maximè Saul, aliique: pusillus Zachæus dicitur, sed antequam promitteret, se sua pauperibus largiturum; postquam promisit pusillus non vocatur. Vbi dixit: *do pauperibus*: maior se ipso factus: exiguæ staturæ non notatur. Satis magnus, qui in pauperes liberalis est. *Quid sibi vult*, inquit ille *quod nullius alterius staturam scriptura, nisi huius expressit, quia statura pusillus erat? Vide ne fortè malitiâ pusillus, aut adhuc pusillus fide; nondum enim promiserat, cum ascenderet.* Cum domo suâ Christum recepisset, & pauperum se curatorem professus esset, non dicitur pusillus; ne in homine liberali aliquid non magnum esse putaremus, & corporis exiguitatem ad meritorum paucitatem traduceremus.

Et quærebat, videre Iesum, quis esset; & non poterat præ turbâ, quia statura pusillus erat; & præcurrens ascendit in arborem sycomorum.

MAgno Christi videndi desiderio Zachæus tenebatur, coram vniuerso populo arborem conscendens, vt Iesum videret. Solent diuites, & principes maiestatem quandam, & grauitatem, præsertim coram multitudine, seruare. Zachæus verò, licèt diues, & suo ordine princeps, non erubuit tamen turbâ inspectante sycomorum conscendere. Nimirùm vilia quæque nobis præstanda sunt in Christi obsequium, vt Christum videamus, non transeuntem dumtaxat, sed æternum in cælis permanentem. 717.

In sycomorum ascendit Zachæus, vt Iesum videret, quæ ficus fatua solet interpretari. Nimirùm, in fatuâ ficu sapiens, prudens Zachæus fuit: fatuus in ficu Iudas, dum, in ipsâ appensus, crepuit medius. Quod bonis ad profectum impiis ad præcipitium est.

Quinam Zachæum, arborem ascendentem referat, scitè explicat sanctus Augustinus in hæc ver-

ba: *Ideo vos Iesum videre non potestis, quia sycomorum ascendere erubescitis. Apprehendat Zacheus sycomorum: ascendat humilis crucem: parum est ascendat. Ne de Cruce Christi erubescat, in fronte illam figat: vbi sedes pudoris est, ibi omninò, in quo membro erubescitur, ibi figatur, vnde non erubescitur.*

Et, cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum.

718. PRiusquàm Zachæus videret Iesum, videtur à Iesu. Spectatur, qui spectaturus arborem conscenderat. Nimirùm, vbique præuenit nos Dominus, tantùm vt nos alacres, & promptos videat, &, vt videat, faciat.

Et dixit ad eum: Zachae festinans descende; quia hodie in domo tuâ oportet me manere.

ZAchae: Proprio compellat nomine tanquam notum, tanquam familiarem quem nunquam viderat, & fors nec audiuerat nominari. *Festinans descende:* Cur ita eum vrget, & festinare iubet? Vt citò beneficium illi conferre posset.

Festinans descende. Citò descende ab arbore, vt arbor euadas bona: de arbore descende vt in sublime ferare virtutum. A sycomoro abducit Christus Zachæum: non placet illi, nobis latam viam placere. Lata via per lata fici folia significatur, quæ, quia cum stultitiâ copulatur, rectè in sycomoro, id est ficu fatuâ, figuratur. Festiuè sanctus Chrysostomus hom. in Parabulam de ficu: *Festinans descende. Lepidè autem Euangelista sycomorum dixit, de Zachao loquens, vt latam spatiosamque viam indicaret cum stultitiâ esse copulatam, vnde pessimum exitium nascitur. Venit ad ficum Dominus. Hac ficus lata ac spatiosa via imaginem pra se ferebat: est enim ficus plana latis frondibus, & pruritum excitans: peccatum etiam pruritum excitat, per latam & spatiosam viam ad perditionem deducens.*

719. *Hodie in domo tuâ, oportet, me manere:* Nunquid alia hospitia Christo deerant. Non deerant; sed ad Zachæi domum, ob insignem illius ardorem, allicitur. Voce Christum non inuitauerat Zachæus. Libenter eum inuitasset, nisi peccatorum conscientiâ, & publicani notâ coërcitus fuisset. Inuitauit affectu, inuitauit animo, qui & Iesu cognitus, & à Iesu probatus fuit. Quæsierat Zachæus, Iesum videre; Iesus se non videndum obtulit dumtaxat, sed fruendum. Scilicet suorum vota Deus excedit, excedit preces.

720. *Oportet me manere:* Cur *manendi* verbo vtitur Christus, quum non nisi ad breue tempus Zachæi domus futurus esset inquilinus? Breui tempore corporaliter Zachæi domum inhabitauit, sed spiritaliter per fidem semper apud eum permansurus erat. Corporalis inhabitatio sine istâ spiritali parum prodest: nec manere apud nos Christo videtur, si corporaliter tantùm maneat, non per fidem, amorem, charitatem. Quod premere illos debet, qui, veræ pietatis affectu carentes, Christum in Eucharisticâ mensâ recipiunt.

Et festinans descendit, & suscepit illum gaudens.

PRomptè Christi verbis paret Zachæus; nihil respondit: ingens gaudium fors vocem eripuit. Opportunè Dei verbis re opereque respondetur, quàm verbis tantum. Vera obedientia verborum copiam negligit, contenta, quod rem exhibeat.

Excepit illum gaudens: Ingenti animi lætitiâ recepit Christum Zachæus. Non iudicauit, se hospitij oblatione conferre beneficium, sed accipere.

Et festinans descendit: Festinauit, descendere Zachæus, vt reciperet Christum, cui hæc celeritas gratissima fuit. *Probauit Dominus eius affectum,* ait sanctus Ambrosius, *& eum celeri remuneratione donauit dicens: quia hodie salus domui huic facta est. Festinauit enim & Dominus ad beneficium; & non expectauit, vt promitteret, & postea impleret; sed antea fecit, postea declarauit: dixit enim, facta est salus, quod vtique præuenientis fuit, non promittentis.* Tantùm celeritas in bono & Deo placet, & nobis vtilis est. 721.

Et festinans descendit: Rem video, non audio verba. Dei seruus pro verbis reponit facta. Qui non est talis reponit pro factis verba. Mox, vt insperatam Domini iussionem audiuit Zachæus, nihil respondens descendit. Ingens gaudium, & affectus ademit vocem.

SECTIO II.

Et, cùm viderent, omnes murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.

CArpunt, quod commendare debebant. Efferenda Christi humilitas, & clementia erat, qui peccatoribus se demittebat, vt tales esse desinerent; non inferenda tantæ bonitati calumnia tanta. *Quod ad hominem peccatorem diuertisset:* Poterat ad peccatorem diuertere, qui iam se à peccato auertebat. Ab homine peccatores se auerterant, qui Christum accusabant, quòd ad peccatorem hominem diuertisset. 722.

Ad hominem peccatorem: Non calumniantur, quod ad hominem diuitem Christus diuertisset, tanquam cupidus diuitiarum. Tantus enim erat in Christo rerum terrenarum neglectus, paupertas tanta, & tantus paupertatis amor, vt nec homines mendacissimi potuerint, hanc illi impudenter notam obiicere.

Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; &, si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

EX his apparet, quis ex Iesu præsentiâ fructus sequutus fuerit. Iam incipit Zachæus diuitias contemnere: 723.

contemnere, quas adeò ardenter quæsierat. *Ecce*, inquit, *dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*: statim teddam, ac restituam. *Do*, dixit, non *dabo*, vt significaret, se statim daturum; atque ens eos, qoi diu reddere differunt, quæ debent.

Stans autem Zachæus: Stat calumniis impetitus, & peccator dictus à Pharisæis; qui *murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset* Christus. Cur non ad eius se domum Christus receperit, qui, viso tantùm Christo, pro Christo didicit, opprobria omnia ferre?

Ait Iesus ad eum: Quia hodiè salus domui huic facta est eò, quòd & ipse sit filius Abrahæ.

724. Zachæi conuersio, ac pœnitentia, Zachæi obedientia; ac hospitalitas dumtaxat narratur; cur ergo dicitur: *salus domui huic facta est? Domus*, dixit, potiusquam *hero*, quamuis ipse ante alios salutem fuerit consequutus; quia salus à capite ad totum corpus extenditur. Et ferè ita accidit, vt superioris sanctitas, & probitas in totam familiam facilè transfundatur. Tantum refert herum, dominumque exemplo aliis præire.

Eò quòd & ipse sit filius Abrahæ: Magna Zachæi laus, vt Abrahæ filius dicatur, tanquam ab Abrahami virtute non degenerans; Abrahæ quippè filius dicitur merito potius, quàm sobole; & moribus, quàm sanguine: sed, quodnam egregium facinus à Zachæo præstitum, quo conferri cum Abrahamo possit, qui eò obedientiæ euectus est, vt filium suū Isaac Deo voluerit mactare? An Abrahæ pariatur Zachæus, quod ille filium Deo obtulit, iste substantiam, quæ plerunque à patribus plus, quàm liberi diligantur, diligitur? Pulchrè sanctus Chrysostomus: *Abraham Domino filium; Zachæus substantiam obtulit: ille heredem, hic hereditatem donauit: ille immolandum solum, quod habuit pignus exhibuit, hic patrimonij substantiam Domino immolauit: Vnde rectè Abrahæ filius Zachæus nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur.* Tanti momenti, tamq́ue difficultatis est, aliquem se rebus illis, quas possidet, priuare.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti.

725. PEr *hominem nobilem*, se ipsum Christus intelligit, qui in cælum iuit, vt cæleste regnum à patre acciperet. De se, tanquam de alio loquitur, ne quid magnum de se diceret, seque de regno iactare videretur.

Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas; & ait ad illos: negotiamini, dum venio.

VVlt Dominus, seruum tandiu negotiatione occupari, & augendis opibus incumbere, incumbere lucris, donec ipse rediret. Non explicat, quando rediturus sit, ne vnquam scilicet otio vacarent, à lucris bonorum operum cessantes.

Venit autem primus dicens: Domine mna tua decem mnas acquisiuit.

NOn dixit, *ego acquisiui decem mnas*; sed, *mna tua decem mnas acquisiuit*. Iustorum quippè est, nihil sibi, nihil industriæ suæ tribuere; Dei gratiæ omnia adscribere. 726.

Mna tua fecit quinque mnas: Prioris mna decem mnas acquisierat; posterioris tantùm quinque; vnde hoc discrimen ortum est? An, quia cum bonis fuerat ille prior, non fuit iste posterior? Pulchrè Caietanus hîc: *Eadem gratia concessa priori fecit decem mnas, quæ concessa huic alteri fecit quinque mnas: non ex defectu gratiæ, sed ex conditione hominum, apud quos diuersè se exercent.*

Auferte ab illo mnam.

OMnia amisit, qui nihil lucratus est, licèt id, quod acceperat seruasset; vt, quæ pœna illum maneat, qui dona, quæ accepit, amisit, & perdidit, colligere quisque possit. 727.

Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Non fuit auaritiæ, quòd ab otioso seruo pecuniam extorqueri iussit: vnde nec sibi illam retinuit: iussit illam alteri dari. Non eget rebus nostris Deus, nec operibus nostris; sed postulat, *vt occasionem habeat donandi*, inquit Origenes.

Et, ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes.

POst mala tot recensita, post totius ciuitatis euersionem, in templum Christus ingreditur. *Vendentes, ementesque eiicit*, inquit Venerabilis Beda, *per hoc innuens, quòd ruina populi maximè ex* SACERDOTVM CVLPA *fuerit*: & Vrbium, regnorumque exitium à Diuini cultus neglectu fit.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XX. LVCÆ.

Vers. 1.

ET factum est in vna dierum, docente illo populum in templo, & euangelizante conuenerunt Principes sacerdotum,

Factum e. i. v. d. *Euth. Accidit quodam illorum dierum. Vat. Eueait in vno dierum illorum.*
Euangelizante. *Vat. Euangelium annunciante.*
Conuenerunt. *Syr. Vt insurrexerunt in eum. Euth. Institerunt. Vat. Vt præsto essent. Ar. M. Superstiterunt. Caiet. Adsuerunt. Fr. Luc. Superuenerunt.*
Principes. *S. Euth. Sacerdotes.*

Vulgata Editio.	*Lectionum varietas.*
cerdotum, & scribæ cum senioribus.	Cum sen. *Arab. Et seniores. Euth. Cum senioribus populi.*
Vers. 2. Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?	Aiunt dic. *Vat. Dicerent his verbis.* In quâ. *Syr. Quânam. Pagn. Quâ.* Potestate. *Theoph. Authoritate.* Hæc. *Arab. Hoc.* Quis est. *Syr. Quis est ille.* Hanc p. *Theoph. Istam authoritatem.*
Vers. 3. Respondens autem Iesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi:	Vnum v. *Syr. Sermonem. Euth. Vnam quæstionem. Theoph. Vnum quiddam.* Respondete. *Theoph. Et respondete. Fr. Luc. Itaque dicite.*
Vers. 4. Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?	De cælo. *Pagn. E cælo.*
Vers. 5. At illi cogitabant intra se, dicentes: quia si dixerimus. De cælo, dicet, quare ergo non credidistis illi?	Cogitabant. *Vat. Simul ratiocinabantur. Ar. M. Conratiocinati sunt. F. Luc. Simul ratiocinati sunt.* Intra se. *Arab. In cordibus suis. Euth. Apud sese. Vat. Apud se. Ar. M. Apud se ipsos.* De cælo. *Pagn. E cælo.* Dicet. *Syr. Dicet nobis.* Credidistis. *Syr. Fidem ei adhibuistis.*
Vers. 6. Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim Ioannem prophetam esse.	Plebs. *Euth. Populus.* Vniuersa. *Euth. Vniuersus. Ar. M. Omnis.* Lapid. *Syr. Lapidibus obruet. Tert. Lapidibus elidet.* Certi sunt. *Arab. Ipsi certi sunt. Pagn. Persuasum habet. Caiet. Persuasus est.* Ioannem. *Arab. Quod Ioannes Baptista.* Prophetam e. *Arab. Propheta sit.*
Vers. 7. Et responderunt se nescire vnde esset.	Responderunt. *Syr. Dixerunt. Theoph. Respondebant.* Se nescire. *Syr. Nescimus.* Vnde esset. *Arab. Vnde sit. Ar. M. Vnde.*
Vers. 8. Et Iesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.	Dico. *Arab. Dicam.* In qua. *Syr. Quanam. Euth. Qua.* Potestate. *Euth. Authoritate.* Hæc facio. *Arab. Hoc facio. Euth. Ista faciam.*
Vers. 9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregrè fuit multis temporibus.	Plebem. *Ar. M. Populum.* Homo. *Syr. Vir quidam.* Locauit. *Arab. Dedit. Ar. M. Elocauit.* Colonis. *Arab. Operariis. Fr. Luc. Agricolis.* Fuit. *Syr. Absuit. Theoph. Egit. Pagn. Profectus est.* Multis t. *Syr. Multum tempus. Arab. Tempore plurimo. Euth. Ad multa tempora. Theoph. Multo tempore. Ar. M. Tempora sufficientia. Fr. Luc. Multa tempora.*
Vers. 10. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi: Qui cæsum dimiserunt eum inanem.	Et in tempore. *Euth. Cúmque opportunum esset. Vat. Cúmque esset tempestiuum.* Ad cultores. *Syr. Ad agricolas. Arab. Ad operarios. Fr. Luc. Ad Colonos illos.* Seruum. *Euth. Seruum suum.* De fructu. *Syr. Ex fructibus. Arab. De fructibus.* Qui. *Syr. Agricolæ verò. Pagn. Coloni autem. Ar. M. At coloni.* Cæsum. *Arab. Verberauerunt illum. Ar. M. Cædentes.* Dimiserunt. *Pagn. Emiserunt.*
Vers. 11. Et addidit alterum seruum mittere. Illi	Addidit. *Arab. Iterum. Theoph. Rursus adhuc.* Alterum. *Arab. Alium.*

autem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

Seruum. *Syr. Seruum suum.*
Mittere. *Arab. Misit.*
Cædentes. *Syr. Verberauerant. Fr. Luc. Cæsum.*
Afficientes c. *Syr. Ignominia affecerunt. Euth. Contumeliis affectum. Ar. M. Inhonorantes.*
Dimiserunt. *Arab. Miserunt illum. Theoph. Emiserunt.*

Vers. 12.
Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt.

Et addidit. *Syr. Adiecit itaque. Arab. Adhuc etiam. Theoph. Rursus.*
Tertium. *Theoph. Et tertium.*
Mittere. *Arab. Misit.*
Qui. *Euth. At illi.*
Illum. *Syr. Et istam.*
Vulnerantes. *Syr. Percusserunt. Euth. Inflictis vulneribus. Fr. Luc. Vulneratum.*
Eiecerunt. *Syr. Atque eiecerunt.*

Vers. 13.
Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

Dilectum. *Vat. Illum dilectum.*
Cùm h. v. *Syr. Spectabunt eum. Arab. Quando ipsi viderint illum. Euth. Intuiti.*
Verebuntur. *Syr. Et reuerebuntur. Arab. Verebuntur illum.*

Vers. 14.
Quem cùm vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est hæres: occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas.

Cùm vidissent. *Ar. M. Videntes autem.*
Coloni. *Syr. Agricolæ.*
Cogitauerunt. *Arab. Consuluerunt. Vat. Disputabant. Ar. M. Ratiocinabantur. Fr. Luc. Reputabant. Disceptabant.*
Intra se. *Syr. Apud se. Euth. Intra sese. Vat. Apud se. Ar. M. Ad se ipsos.*
Occidamus. *Syr. Trucidemus. Caiet. Venite occidamus*
Vt. *Syr. Et.*
Nostra. *Arab. Nobis.*
Fiat. *Syr. Futura est. Arab. Fiet. Vat. Obtingat. Fr. Luc. Sit.*
Hæreditas. *Arab. Hereditas illius.*

Vers. 15.
Et eiectum illum extra vineam, occiderunt: Quid ergo faciet illis Dominus vineæ.

Eiectum. *Syr. Eiicientes.*
Occiderunt. *Syr. Trucidarunt.*

Vers. 16.
Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.

Veniet. *Arab. Nónne veniet.*
Colonos istos. *Syr. Agricolas illos.*
Dabit. *Vat. Tradet.*
Quo a. *Ar. M. Audientes autem.*
Dixerunt illi *Euth. Dixerunt.*
Absit. *Syr. Nequaquam hoc fiet. Arab. Non sit hoc. Ar. M. Ne fiat.*

Vers. 17.
Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est hoc quod scriptum est: lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

Aspiciens. *Theoph. Intuitus.*
Quid e. e. h. *Arab. At hoc est.*
Quod f. e. *Ar. M. Scriptum.*
Lapidem. *Pagn. Lapis.*
In caput. *Syr. In caput cornu. Arab. Caput.*

Vers. 18.
Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Omnis q. c. *Syr. Et quisquis ceciderit. Ar. M. Omnis cadens.*
Conquassabitur. *Syr. Confringetur.*
Super q. a. *Syr. Et in quecunque. Arab. Et omnem super quem. Caiet. Super quacunque autem.*
Comminuet. *Syr. Dissipabit. Arab. Franget. Theoph. Disperget. Fr. Luc. Conteret.*

Vers. 19.
Et quærebant principes sacerdotum, &

Et q. *Syr. Studebant autem. Fr. Luc. Et quæsiuerunt.*
Mittere. *Arab. Ponere. Pagn. Iniicere.*
In illum. *Arab. Super illum.*

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

ſcribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognouerunt enim quòd ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc.

Manus. *Arab. Manus ſuas.*
Illâ horâ. *Syr. Eo momento. Euth. Eâdem horâ.*
Et tim. p. *Syr. Sed ſibi timebant à populo. Pagn. Et timuerunt.*
Cognouerunt. *Vat. Intellexerunt.*
Ad ipſos. *Theoph. In ipſos. Fr. Luc. Aduerſus ipſos.*
Simil. *Euth. Parabolam.*

Verſ. 20.

Et obſeruantes miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, vt caperent eum in ſermone, vt traderent illum principatui & poteſtati præſidis.

Et o. *Syr. Et Fr. Luc. Itaque cùm obſeruaſſent.*
Miſerunt. I *Syr. Miſerunt ad eum. Euth. Emiſerunt.*
Inſidiatores. *Arab. Exploratores.*
Iuſtos. *Arab. Iuſtis.*
Simularent. *Arab. Similes faciebant.*
Caperent. *Syr. Aucuparentur. Arab. Venarentur.*
In ſ. *Arab. In verbo Theoph. Ex ſermone. Caiet. Eius ſermonem. Pagn. Sermone.*
Vt t. *Syr. Et traderent. Fr. Luc. Ad hoc, vt traderent.*
Principatui. *Syr. Iudicio. Arab. Principibus.*

Verſ. 21.

Et interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia rectè dicis: & non accipis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces.

Et. *Syr. Itaque.*
Magiſter. *Syr. Doctor.*
Dicis. *Arab. Loqueris.*
Accipis. *Pagn. Reſpicis.*
Perſonam. *Arab. Facies. Ar. M. Faciem.*
In veritate. *Theoph. Cùm veritate.*

Verſ. 22.

Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?

Licet. *Arab. Licet ne.*
Tributum. *Syr. Pecuniam capitatim. Eus. Cenſum.*
Date. *Arab. Reddere.*

Verſ. 23.

Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis.

Conſid. a. *Syr. Ipſe verò animaduertit. Arab. Quum cognouiſſet. Euth. Cognitâ. Theoph. Intellectâ.*
Dolum. *Syr. Aſtutiam. Euth. Verſutia. Fr. Luc. Calliditatem.*

Verſ. 24.

Oſtendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes, dixerunt ei: Cæſaris.

Denarium. *Arab. Denarium. Et oſtenderunt illum, & dixit.*
Habet. *Arab. Eſt.*
Imag. & i. *Arab. Hac imago & inſcriptio.*
Reſp. d. e. *Syr. Illi autem inquiunt.*

Verſ. 25.

Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.

Reddite ergo. *Arab. Date.*
Quæ ſ. C. *Arab. Quod eſt Caſaris. Ar. M. Qua Caſaris.*
Quæ ſunt D. *Arab. Quod eſt Dei. Ar. M. Qua Dei.*

Verſ. 26.

Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo eius, tacuerunt.

Verbum e. *Syr. Sermonem eius. Arab. Contra illum verbum.*
Reprehendere. *Syr. Carpere. Arab. Accipere.*
Coram p. *Pagn. Coram populo. Fr. Luc. Ante, ſeu, Apud populum.*
Mirati. *Syr. Mirati ſunt.*
In reſponſo. *Euth. Super reſponſo.*
Tacuerunt. *Syr. Et ſiluerunt. Theoph. Obmutuerunt.*

Verſ. 27.

Acceſſerunt autem quidem Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogauerunt eum.

Acceſſerunt. *Arab. Venerunt ad eum. Ar. M. Accedentes.*
Sadduc. *Syr. Ex Sadducais illis.*
Negant eſſe. *Syr. Dicunt nullum eſſe. Ar. M. Contradicentes non eſſe.*

Verſ. 28.

Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis ſi frater alicuius mortuus fuerit ha-

Magiſter. *Syr. Doctor.*
Habens v. *Arab. Et fuiſſet ei mulier.*
Et hic fuerit. *Arab. Et mortuo. Ar. M. Moriatur.*

bens

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

bens vxorem, & hic fine liberis fuerit: vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo.

Caiet. Et hic mortuus fuerit.
Sine l. *Arab. Non fuisset filius.*
Accipiat. *Syr. Ducat.*
Suscitet. *Fr. Luc. Exuscitet.*

Vers. 29.

Septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filiis.

Erant. *Arab. Erunt apud nos.*
Accepit. *Syr. Duxit. Euth. Sumptâ. Ar. M. Accipiens.*
Vxorem. *Euth. Vxore.*
Filiis. *Arab. Filio. Theoph. Liberis.*

Vers. 30.

Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio.

Sequens. *Pagn. Secundus.*
Accepit illam. *Syr. Duxit eum in vxorem suum. Fr. Luc. Accepit illam vxorem.*
Filio. *Theoph. Liberis.*

Vers. 31.

Et tertius accepit illam: similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

Accepit. *Vat. Duxit.*
Illam. *Arab. Illam, veluti & illi.*
Similiter. *Arab. Sic.*
Omnes f. *Arab. Vsque ad septimum. Euth. Cæteri septem.*
Semen. *Arab. Filium. Ar. M. Natos. Caiet. Liberos. Fr. Luc. Filios.*

Vers. 32.

Nouissimè omnium mortua est & mulier.

Nouissimè. *Syr. Et ad extremum. Theoph. Nouissima. Fr. Luc. Postremò autem.*
Et mulier. *Syr. Ipsa quoque mulier.*

Vers. 33.

In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerunt eam vxorem.

Cuius. *Syr. Cuiusnam. Vat. Cui.*
Erit. *Syr. Futuru est. Vat. Obtinget. Ar. M. Fit.*
Vxor. *Arab. Mulier.*
Septem. *Fr. Luc. Ipsi septem.*
Habuerunt v. *Arab. Duxerunt.*

Vers. 34.

Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias:

Filij. *Arab. Filij enim. Clem. Alex. In hoc enim seculo.*
Nubunt. *Clem. Alex. Vxores ducunt. Vat. Matrimonia contrahunt.*
Trad. a. n. *Syr. Mulieres fiunt virorum. Clem. Alex. Nubunt, in quo solo fœmininum à masculo discernitur. Euth. Nuptum dant. Caiet. Dantur nuptui.*

Vers. 35.

Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores.

Illi verò qui digni. *Clem. Alex.* omittit.
Habebuntur. *Syr. Fuerint. Arab. Sunt. Clem. Alex.* omittit. *Ar. M. Habui.*
Seculo illo. *Clem. Alex. In illo autem. Euth. Vt seculum illud consequantur. Vat. Vt seculum illud assequantur. Ar. M. Seculum illud contingere. Fr. Luc. Seculum illud consequi. Felicitatem seculi illius.*
Resurrect. *Clem. Alex,* omittit.
Ex. m. *Syr. Qua est à domo mortuorum. Arab. Mortuorum. Clem. Alex.* omittit.
Neque. *Clem. Alex. Non.*
Nubent. *Syr. Mulieres fiunt virorum. Clem. Alex. Amplius. Euth. Nuptum dabuntur. Caiet. Dantur nuptui.*
Neque. *Clem. Alex.* omittit.
Ducent vxores. *Arab. Traduntur ad nuptias. Clem. Alex.* omittit.

Vers. 36.

Neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei

Neque enim. *Arab. Quia illi non.*
Vltra. *Euth. Amplius.*
Mori. *Arab. Moriuntur. Caiet. Mori possunt.*
Æquales. *Syr. Instar. Arab. Velut. S. Prosp. Similes Angelis.*
Angelis. *Syr. Angelorum. Arab. Angeli.*
Sunt. *Arab. Fiunt. Euth. Erunt.*
Filij sunt. *Arab. Filij fiunt. Euth. Filij erunt.*

cum

Vulgata Editio.

cùm ſint filij reſurrectionis.

Verſ. 37.

Quia verò reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob.

Verſ. 38.

Deus autem non eſt mortuorum, ſed viuorum: omnes enim viuunt ei.

Verſ. 39.

Reſpondentes autem quidam ſcribarum dixerunt ei: Magiſter, benè dixiſti.

Verſ. 40.

Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

Verſ. 41.

Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chriſtum, filium eſſe Dauid?

Verſ. 42.

Et ipſe Dauid dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.

Verſ. 43.

Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum?

Verſ. 44.

Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius eſt?

Verſ. 45.

Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis:

Verſ. 46.

Attendite à ſcribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conuiuiis:

Verſ. 47.

Qui deuorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.

Lectionum Varietas.

Cùm f. f. *Euth. Cùm futurum ſit vt ſint filij. Ar. M. Filij exiſtentes.*

Quia v. r. m. *Syr. Suſcitari autem mortuos.*
Oſtendit. *Syr. Demonſtrauit. Arab. Prophetauit. Euth. Innuit.*
Secus r. *Syr. Meminit enim in rubo. Arab. In rubo. Theoph. Iuxta rubum.*
Sicut dicit. *Syr. Dum ait. Arab. Sicut dixit. Pagn. Cùm dicit.*
Dominum D. *Syr. Dominus Deus. Arab. Dominus: Ego ſum Deus.*
Deum. *Syr. Deus Iſaac, & Deus.*

Viuorum. *Euth. Viuentium.*
Viuunt ei. *Theoph. Illi viuunt.*

Scribarum. *Arab. Ex ſcribis.*
Dixerunt ei. *Euth. Dixerunt.*
Magiſter. *Syr. Doctor.*
Benè. *Syr. Perbellè. Ar. M. Pulchrè.*
Dixiſti. *Syr. Dicis.*

Amplius n. a. *Arab. Non ſunt auſi.*
Quicquam. *Syr. Vllâ de re. Arab. De aliquo.*

Dicunt. *Syr. Dicunt ſcribæ. Arab. Dicitur.*
Chriſtum. *Syr. De Meſſiâ, eum.*

Et ipſe. *Arab. Cùm.*
Dicit. *Arab. Dicat.*
Dextris m. *Vat. Dexterâ meâ.*

Ponam. *Pagn. Poſuero.*
Inimicos. *Syr. Hoſtes,*
Scabellum p. t. *Arab. Sub pedibus tuis. Ar. M. Scabellum tuorum.*

Dauid. *Syr. Si Dauid.*
Dominum. *Syr. Dominum meum. Arab. Dominum ſuum.*

Omni. *Syr. Vniuerſo. Theoph. Cuncto.*

Attendite. *Vat. Cauete.*
Qui volunt. *Arab. Qui amant. Vat. Quibus ſtudio eſt.*
Ambulare. *Vat. Incedere.*
In ſtolis. *Syr. Cum ſtolis.*
Salut. *Arab. Salutationem.*
Foro. *Syr. Plateis. Caiet. Foris.*
Primas c. *Syr. Primos conſeſſus. Arab. Principales cathedras. Euth. Prima ſedilia.*
Diſcubitus. *Syr. Accubitus.*
In c. *Pagn. In cœnis.*

Qui. *Syr. Illi.*
Deuorant. *Arab. Comedunt.*
Simulantes l. o. *Syr. Eâ occaſione, quod prorogent orationes ſuas. Arab. In prolixitate orationis ſuæ. Euth. Occaſione prolixè precantur. Pagn. Simulantes longas preces. Ar. M. Specie longa precantes. Caiet. Et prætextu prolixè orant. Vat. Per ſimulationem longas precationes faciunt. Fr. Luc. Oſtentu prolixè orantes.*
Accipient. *Vat. Subibunt.*
Damn. m. *Vat. Grauius iudicium. Caiet. Abundantius iudicium. Fr. Luc. Prolixius iudicium.*

CAP. XXI.

CAPVT XX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Superioris *cura in suos.* 728
Inuidorum *mos & malitia.* 728
Qui docere *alios solent, ægrè patiuntur se doceri.* 728. 729
Vix aliquem ex malis sacerdotibus *ad Christum à Christo conuersum legimus.* 729
Dei amor *in homines.* 730
Deus *Pater cur* homo dici *voluerit.* 730
Deus *præsentior* diligentibus, *à negligentibus abest.* 730
Magnum bonum mala ob Christum pati. 731
Dei *bonitas in homine unde collecta.* 731

Et factum est in vnâ dierum, docente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum, & scribæ, cum senioribus.

728. CVM immineret Christo ignominiosa à Iudæis mors, tanquam sui oblitus, populum docebat, & informabat. Nihil timere superior debet dummodo suæ curæ commissos instruat, & probis erudiat monitis.

Conuenerunt: Syrus, *surrexerunt in eum:* ferre non poterant tantam apud plebem auctoritatem obtinuisse. Tanquam inuidi, nec discere vitæ documenta ipsi volebant, nec id permittebant aliis.

Docente illo populum: Populum præcipuè edocet; nam sacerdotes, & scribæ doceri nolebant, qui se aliorum doctores existimabant. Qui aliis errores ostendebant, nolebant ipsi audire veritatem. Christi verba audire non solebant scribæ & sacerdotes vt discerent, sed vt calumniarentur.

729. *Conuenerunt principes sacerdotum, & scribæ:* Non vt docerentur cum populo, sed insidias struerent docenti; vtque eius mortem quærerent, à quo monita exhibebantur ad vitam. Multa edidit Christus miracula, multos ad se conuertit; sed, si euangelicam consulamus historiam, vix aliquem ex sacerdotibus, & ex scribis conuersum ad Christum inueniemus; vt inter insigniora miracula videatur locanda sacerdotum, scribarumque conuersio. Qui docere alios solet, egrè patitur se doceri.

Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem.

QVærant inuidi, in quâ potestate hæc faciat Christus; sed & ab ipsis quæri potiori ratione posset: In qua potestate hæc dicerent, & in Christum insurgerent. Hæc malorum ferè consignatio: plerumque in ea labuntur, in quibus alios carpunt; adeò cæcus inuidus, & malignus animus est.

Respondens autem Iesus dixit ad illos: Interrogabo vos & vnum verbum.

730. QVia Christum interrogauerant, non vt discerent, sed vt fallerent, eorum interrogationi directè non respondet: directam responsionem interrogatio illa non merebatur, quæ non erat recta, sed obliqua. Poterat apertâ ratione eorum calumniam confutare, sed noluit. Pro responsione aliam illis interrogationem offert, vt vel suo silentio confunderentur, si non responderent; vel suâ sententiâ condemnarentur, si responsum darent.

Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis, & ipse peregrè fuit multis temporibus.

HOmo quidam: Scilicet æternus Pater, qui postea misit filium suum, quem coloni occiderunt. *Homo* porrò dicitur ob amorem, affectumque ergà homines. Homo vocatur pater, qui Deus est; vt, cum audimus filium hominis, nullus putaret nudum hominem esse, non Deum. Quod obseruabat etiam Vgo Carensis.

Peregrè fuit multis temporibus: Sed quî abire potuit, qui vbique adest? *Non quia*, inquit sanctus Ambrosius, *ex loco ad locum profectus est Dominus, qui vbique semper præsens est; sed, quia præsentior est diligentibus, negligentibus abest.*

In tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi; qui cæsum dimiserunt eum inanem.

INanis dimittitur iste seruus, sed inanis non abiit. Fructum vineæ nullum accepit? Magnum ille fructum tulit, dum à cultoribus cæsus, in Domini gratiam æquo animo tulit. Ex colonorum mente inanis dimissus est; sed onustus fructibus abiit, quia onustus verberibus, suam iniuriam forti animo deuorauit, solam Domini sui iniuriam sentiens. 731.

Et addidit alterum seruum mittere.

DEi bonitas hic elucet, qui, in seruo primo tanta affectus iniuria, alterum mittit seruum, nec offensus cessit à beneficiis. *Homo*, inquit sanctus Chrysostomus, *si passus iniuriam semel fuerit minuitur eius affectus; Dei autem misericordia quantò ampliùs offendebatur à Iudæis, tantò ampliùs augebatur.*

SECTIO II.

Dei *in homines solicitudo.* 732
Inuidorum *consilia euertunt se.* 732
Princeps, *suorum munimen.* 733
Omnes Christi exemplo patienter audiendi. 734
Angelos *præcipuè referunt, qui colant* castitatem. 735
Corporis castitas *absque animæ castitate non sit.* 735
Cur sicut Angeli iusti *dicantur.* 735

Dixit Dominus vineæ: quid faciam?

NOn frustra vineæ: tantùm solicitus est, sed de cultorum salute: *Quid faciam* inquit ille Auctor, *vt impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpâ iam olim mihi perit fructus vineæ meæ?* 732.

Quid

Quid faciam? Verba hæc ab amore in homines sunt profecta. *Hubet se*, inquit ille, *more deliberantis, quò declaret suum erga homines amorem. Non permittendum, vt quiescat ub inuitandis ipsis ud pœnitentiam, donec extrema tentuuerit.*

Hic est hæres occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas.

QVàm frustra fuere hi coloni vt occiderent hæredem, & haberent hæreditatem: & idcirco amiserunt hæreditatem, quia occiderunt hæredem. Nullius hæreditas ista est, nisi & illius sit hæres. Non possidetur hæreditas hæc sinè hoc hærede; nec hic hæres sinè hac hæreditate. Inuidorum consilia euertunt se, imo etiam inuidos euertunt.

Vt nostra fiat hæreditas: Non erit vestra hæreditas, nisi vos hæredes sitis hæreditas. Domini hæreditatem habet, qui Domini hæreditas est. Habuissent hæreditatem, si hæredis hæreditatem esse studuissent.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

733. REddite, inquit; cur non dixit, *date?* An, quia Rex, & princeps priùs dare, quod potest, populo debet, quàm quicquam à populo accipere? *Attende*, inquit Theophylactus, *quod non dixit. Date, sed Reddite; debitum enim est. Tuetur enim te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam reddit tranquillam; pro his ergo teneris ei in censu.* Princeps, qui hos ab hostibus non tuetur, incipit esse suorum hostis.

Et mirati in responso eius, tacuerunt.

MIrandum est, quod mirati dumtaxàt referantur, non conuersi. Ægrè meliorem ebibunt mentem, qui inuidiâ corripiuntur, & liuore.

Tacuerunt: Quod nihil Christi doctrinæ responderunt, Christi disputationi tribuendum, qui eos ita conuicerat, vt hiscere non auderent. Quod verò Christi responsum ad populum minimè retulerunt, hoc ab illorum perfidiâ fuit, & inuidiâ. Timuerunt enim (vt Doctor ille ait.) *Veriti, ne Christi responsum maiorem ipsius laudem, fauoremque prouocaret.*

Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum.

COrporum resurrectionem ita negabant, vt 734.
interim animo à suis facinoribus nollent resurgere. *Accesserunt* hi ad Christum, qui perfidiâ recesserunt, vt Christum in sermone caperent, non vt Christi sermone à Christo caperentur.

Patienter eos audiuit Christus, nec eorum interrogationem, vel longam, & altiùs petitam interrupit, licèt probè sciret, quò tenderent, & quid sibi vellent. Non facilè reperies, Christum, à multis interrogatum, interrogantium responsa succidisse; vt ad paria nos prouocaret, omnes patienter audiremus, licèt & absurda multa sint narraturi, & eò iam mente perueniamus, quò illi multis, & ineptis verbis sunt peruenturi. Ferendi omnes sunt, vt omnes ad Christum transferamus. Patientia ista illorum patientiam damnat, qui, si contingat eòs aliqua ab aliquo audire, quæ aliunde nouerint, statim eorum sermonem abrumpunt.

Æquales enim Angelis sunt.

CVm de castitate agatur, rectè Angelorum si- 735.
militudo adhibetur; quia Angelos præcipuè referunt, qui colunt castitatem. *Quare, cum de ieiuniis*, ait sanctus Chrysostomus, *aut eleemosynis, ceterisque virtutibus loqueretur; nunquam Angelorum similitudinem introduxit, nisi nunc? Quia, omnes quidem virtutes spirituales, res sunt angelicæ*, PRÆCIPVÈ AVTEM CASTITAS RES EST ANGELICA.

Angelis casti comparantur, vt nemo sibi de solâ corporis castitate blandiatur: hanc enim illi non habent, cùm non habeant corpus; sed casti mente sunt? Nimirum corporis castitas, si animæ castitate careat, sine animâ est.

Qui resurgent, æquales Angelis erunt; quia nimirum sicut Angeli ita viuũt, vt mori nequeant, sic nec illi, qui resurrexerint, vllo mortis metu tangentur. Pulchrè Beda: *Æquales Angelis, & filius sunt Dei, quia gloriâ resurrectionis innouati sine vllo mortis metu perpetuâ Dei visione fruentur.* Omnis metus mortis in illis moritur, qui à mortuis resurrexerint.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXI. LVCÆ.

Vers. 1.

RESPICIENS autem, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites.

Respiciens. *Syr. Conspicatus. Arab. Respexit. Orig. Cùm respexisset. Fr. Luc. Adspiciens.*
Vidit eos diuites. *Syr. Diuites illos. Diuites.*
Mittebant. *Syr. Conuciebant.*
Munera sua. *Syr. Oblationes suas.*
Gazophylacium. *Syr. Ærarium.*

Vers. 2.

Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

Quandam v. *Arab. Viduam.*
Paupere. *Syr. Pauperrimam. Arab. Pauperem.*
Mittentem. *Syr. Conicientem. Arab. Quæ ibi miserat. Theoph. Mittentem illuc.*
Æra minuta d. *Syr. Octantes duas. Orig. Minuta duo.*

Vers. 3.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 3.

Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.

Verè. *Arab. Amen.*
Pauper. *Euth. Paupercula.*
Plus quàm omnes. *Arab. Plus quàm illi omnes. Euth. Plus omnibus.*
Misit. *Syr. Coniecit.*

Vers. 4.

Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

Ex a. *Syr. Ex eo, quod redundabat. Pagn. Ex eo, quod exuberat.*
Miserunt. *Syr. Coniecerunt.*
In m. *Syr. In donum oblationis. Arab. In munera sua. Orig. In dona.*
Dei. *Arab. Deo.*
Ex eo q. d. i. *Arab. Cum inopiâ suâ. Ar. M. Ex extremitate suâ. Caiet. Ex penuria sua. Fr. Luc. Ex defectu suo.*
Omne v. s. q. h. *Syr. Quicquid possidebat. Arab. Quodcunque erat ei, & omnem vitam suam. Theoph. Vniversam substantiam, quam habuit. Ar. M. Omnem victum, quem habuit.*

Vers. 5.

Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit.

Bonis. *Syr. Pulcherrimis. Vat. Pulchris.*
Donis. *Syr. Oblationibus. Arab. Elaboratis. Fr. Luc. Donariis.*
Dixit. *Syr. Dixit Iesus.*

Vers. 6.

Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur?

Hæc. *Syr. In his. Euth. Ex his.*
Videtis. *Syr. Spectatis.*
In quibus. *Syr. Quibus.*
Destruatur. *Theoph. Diruatur.*

Vers. 7.

Interrogauerunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cùm fieri incipient?

Interrogauerunt. *Syr. Interrogabant.*
Præceptor. *Syr. Doctor.*
Quando. *Ar. M. Quando igitur.*
Hæc erunt. *Syr. Hac futura sunt.*
Cùm f. i. *Arab. Quando appropinquabunt hæ res vt fiant. Caiet. Cùm hæc futura sunt.*

Vers. 8.

Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos.

Qui. *Pagn. At ille.*
In nomine. *Vat. Sub nomine.*
Quia ego sum. *Syr. Ego sum Messias. Theoph. Se esse Christum.*
Tempus. *Syr. Tempus illud.*
Appropinq. *Syr. Propè est. Euth. Instat.*
Nolite e. i. p. e. *Syr. Ne post eos ambulaueritis. Theoph. Ne igitur sequamini eos. Fr. Luc. Ne ergo ite.*

Vers. 9.

Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis.

Cùm audieritis. *Pagn. Caterùm cùm.*
Prælia. *Euth. Bella.*
Seditiones. *Syr. Tumultus.*
Nolite terreri. *Syr. Ne extimueritis. Fr. Luc. Ne terreamini.*
Oportet. *Arab. Quia futurum est. Theoph. Oportet enim.*
Primùm. *Theoph. Priùs.*
Hæc fieri. *Arab. Vt hoc fit.*
Nondum. *Pagn. Non.*
Statim f. *Syr. Perueniet finis. Arab. Venit finis.*

Vers. 10.

Tunc dicebat illis: surget gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum.

Tunc, dicebat illis. *Syr.* omittit. *Arab. Tunc dixit illis.*
Surget. *Theoph. Insurget. Ar. M. Excitabitur.*
Contra gentem. *Tert. Super gentem.*
Aduersùs r. *Tert. Super regnum.*

Vers. 11.

Et terræmotus magni erunt per loca,

Magni e. *Syr. Ingentes futuri sunt.*
Per loca. *Arab. In locis. Euth. Singulis in locis.*
Et p. e. f. *Syr. Item fames & pestilentia. Arab.*

Lectionum Varietas.

& peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt.

Lectionum Varietas.

Et erit fames & poſtis.
Terrores. *Syr. Terriculamenta & expulſiones. Tert. Formidines. Theoph. Terriculamenta.*
De cælo. *Syr. Et ſigna magna è calo apparebunt. Euth. A calo. Theoph.* omittit.
Et ſ. m. *Syr. Magnaque tempeſtates. Theoph. Et ſigna de calo magna.*
Erunt. *Vat. Edentur.*

Verſ. 12.

Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum.

Iniicient v. *Arab. Ponent in vos. Euth. Iniicient in vos.*
Manus ſuas. *Syr. Manus.*
Perſeq. *Arab. Perſequentur vos.*
Synagogas. *Theoph. Conciliabula.*
Cuſtodias. *Syr. Domum vinctorum. Pagn. Carceres.*
Trahentes. *Syr. Et ſiſtent vos. Arab. Et afferent. Euth. Tractos. Ar. M. Agentes. Caiet. Cum ducemini.*
Ad r. e. p. *Syr. Coram regibus & præſidibus.*

Verſ. 13.

Continget autem vobis in teſtimonium.

Cont. a. v. *Syr. Hac autem erunt vobis. Arab. Et conducent vos. Theoph. Continget autem vobis.*
In t. *Syr. Teſtimonio.*

Verſ. 14.

Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.

Ponite ergo. *Syr. Sed reponite. Euth. Habete igitur fixum.*
In c. v. *Syr. In corde veſtro. Ar. M. In corda veſtra.*
Non præmeditari. *Syr. Vos non eſſe inſtruendos. Arab. Ne incipiatis addiſcere. Theoph. Non eſſe præmeditandam.*
Quemadmod. v. *Syr. Ad depromendum ſpiritum. Arab. Non poterunt. Theoph. Defenſionem. Ar. M. Defendi. Fr. Luc. Ad reddendam rationem.*

Verſ. 15.

Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.

Ego enim. *Pagn. Nam ipſe.*
Sapientiam. *Syr. Sapientiam illam.*
Cui non p. r. e. c. *Syr. Cui non poterunt obſiſtere. Arab. Non poterunt ſuper contradictionem eorum & reſponſiones ad ea. Vat. Cui non poterunt contradicere neque reſiſtere.*
Omnes aduerſarij v. *Syr. Omnes inimici veſtri. Arab. Qui ſe opponunt vobis. Theoph. Omnes qui aduerſabuntur vobis. Pagn. Aduerſantes vobis.*

Verſ. 16.

Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.

Trademini a. *Syr. Tradent autem vos. Arab. Et trademini tandem. Fr. Luc. Trademini etiam.*
A parent. *Syr. Parentes veſtri. Theoph. A patribus.*
Cognatis. *Syr. Patrueles.*
Amicis. *Syr. Amici veſtri.*
Morte afficient. *Syr. Morti adigent. Arab. Occident.*
Ex vobis. *Syr. Nonnullos ex vobis. Euth. Quoſdam ex vobis.*

Verſ. 17.

Et eritis odio omnibus propter nomen meum:

Odio. *Arab. Odioſi. Pagn. Inuiſi. Ar. M. Exoſi. Caiet. Odio habiti.*
Omnibus. *Ar. M. Ab omnibus.*

Verſ. 18.

Et capillus de capite veſtro non peribit.

Et. *Syr. Sed.*
Capillus. *Vat. Pilus.*
De cap. v. *Syr. A capite veſtro. Arab. De capitibus veſtris. S. Aug. Capitis veſtri.*
Peribit. *Euth. Peribunt. Caiet. Perit.*

Verſ. 19.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 19.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

In p. v. *Syr. Verùm per patientiam veſtram. Arab. Et cum patientiâ veſtrâ.*
Poſſidebitis. *Syr. Poſſideatis. Fr. Luc. Poſſidete.*

Verſ. 20.

Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius.

Circundati. *Syr. Cingi.*
Exercitu. *Ar. M. Exercitibus.*
Quia a. *Syr. Appropinquare. Euth. Quod imminet.*
Deſolatio. *Syr. Vaſtationem.*

Verſ. 21.

Tunc qui in Iodæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio eius, diſcedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

Fugiant. *Arab. Fugiat.*
Ad m. *Syr. In montem. Euth. In montes.*
In medio e. *Syr. Intra eam ſunt.*
Diſced. *Syr. Euadant. Arab. Diſcedeat foras. Vat. Excedant.*
Regionibus. *Syr. Agris.*
Intrent in eam. *Arab. Ingrediantur eam.*

Verſ. 22.

Quia dies vltionis hi ſunt, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.

Hi ſunt. *Euth. Hi erunt.*
Vt impleantur. *Syr. Vt impleatur. Euth. Vt compleatur. Ar. M. Impleri. Fr. Luc. Ad hoc, vt impleatur.*
Omnia q. ſ. ſ. *Syr. Quicquid ſcriptum eſt. Arab. Quodcunque ſcriptum eſt. Ar. M. Omnia ſcripta.*

Verſ. 23.

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic.

Prægnantibus. *S. Ambr. Illis, quæ in vtero habent. Ar. M. In vtero habentibus.*
Nutrientibus. *Syr. Iis, quæ lactantes fuerint. S. Ambr. Vbera dantibus. Theoph. Mammâ nutrientibus. Caiet. Lactantibus.*
Preſſura magna. *Syr. Oppreſſio ingens. Arab. Nocumentum & preſſura magna. Euth. Afflictio magna. Caiet. Vis magna. Fr. Luc. Neceſſitas magna.*
Super t. *Syr. In terrâ. Fr. Luc. Super terram hanc.*
Populo h. *Arab. Contra hunc populum. Vat. In populo hoc.*

Verſ. 24.

Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes Gentes, & Ieruſalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum.

In ore. *Pagn. Acie. Ar. M. Ore.*
Ducentur. *Syr. Abducentur.*
In o. g. *Syr. In omnem regionem.*
Calcabitur. *Syr. Erit concalcata. Vat. Proculcabitur.*
Impleantur. *Arab. Impleatur. Euth. Compleatur.*
Tempora. *Arab. Tempus.*
Nationum. *Arab. Et ſit tempus gentium. Caiet. Gentium.*

Verſ. 25.

Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum:

Stellis. *Syr. Syderibus.*
In terris. *Euth. Super terram. Ar. M. In terrâ.*
Preſſura. *Arab. Erit anguſtia. Euth. Anxietas. Pagn. Coarctatio. Caiet. Coarctio.*
Gentium. *Arab. Gentibus.*
Præ conf. ſonitus. *Syr. Et comploſio manuum præ ſtupore ſonitus. Arab. Subitò præ voce. Euth. Per defluuium reſonante. Ar. M. In determinatione reſonante. Theoph. Per deſperationem reſonante. Caiet. In Perplexitate reſonantis. Fr. Luc. In inopia conſilij, reſonante.*
Maris & f. *Syr. Maris. Arab. Maris, & terræmotus. Euth. Mari ac fluctu. Ar. M. Mari & ſalo. Fr. Luc. Mari & ſolo.*

Verſ. 26.

Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vni-

Areſc. *Syr. Et commotio, quæ eijciet animos. Arab. Et egredientur animæ. Ar. M. Exanimatis. Vat. Extabeſcentibus.*
Hominibus. *Syr. Hominum. Arab. Hominum abeis.*

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

uerſo orbi, nam uirtutes cælorum mouebuntur:

Et expec. *Syr.* omittit. *Theoph. Et expectatione eorum.*
Quæ ſ. *Syr. Eius, quod inuaſurum eſt. Arab. Eius, quod ueniet. Ar. M. Inuadentium. Fr. Luc. Eorum, quæ ſuperueniunt.*
Vniuerſo o. *Syr. Terram. Arab. Super orbem. Pagn. Orbi terrarum. Ar. M. In habitata.*
Nam. *Syr. Et.*
Virtutes. *Vat. Vires.*
Cælorum. *Arab. Cæli.*
Mouebuntur. *Syr. Commouebuntur. Arab. Conturbabuntur. Caiet. Agitabuntur.*

Verſ. 27.

Et tunc uidebunt Filium hominis uenientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.

Nube. *Syr. Nubibus.*
Poteſt. *Syr. Virtute.*
Magnâ. *Syr. Multa. Theoph.* omittit.
Maieſtate. *Euth. Gloriâ. Theoph. Gloria magnâ. Fr. Luc. Gloriâ multâ.*

Verſ. 28.

His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra.

His a. f. i. *Orig. Cùm autem videritis hæc omnia.*
Reſp. *Syr. Bono animo eſtote. Arab. Reſpicite ſurſum. Caiet. Suſpicite. Orig.* omittit.
Leuate. *Arab. Eleuate. Pagn. Attollite.*

Verſ. 29.

Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores.

Dixit i. *Syr. Dicebat,*
Simil. *Syr. Parabolam.*
Videte. *Vat. Intuemini.*
Ficulneam. *Arab. Arborem fici. Caiet. Ficum.*

Verſ. 30.

Cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas.

Cum p. i. e. ſ. f. *Syr. Quæ cùm pullulauerint. Arab. Cum fructificant. Euth. Cùm protrudunt iam gemmas. Ar. M. Cùm protulerint iam. Pagn. Cùm pteruperit iam in gemmas. Fr. Luc. Cùm emiſerint. Protruſerint. Germinauerint.*
Scitis. *Syr. Statim ex eis intelligitis. Arab. Sciuiſtis ex eis. Euth. Cernentes ex vobis ipſis ſcitis. Ar. M. Videntes à vobis ipſis agnoſcitis.*
Quoniam propè eſt. æ. *Theoph. Quòd iam æſtas inſtet. Fr. Luc. Æſtatem appropinquare.*

Verſ. 31.

Ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.

Hæc. *Arab. Et S. Proſper. Hæc omnia.*
Fieri. *Ar. M. Facta.*
Prope eſt. *Arab. Appropinquauit. Euth. Inſtet. S.* Proſp. *In proximo eſt.*
Regnum Dei. *S. Proſp. Finis.*

Verſ. 32.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Quia n. p. *Syr. Haud quaquam præteribit.*
Generatio. *Pagn. Ætas.*
Donec. *Theoph. Antequam.*
Omnia. *Arab. Hæc omnia.*
Fiant. *Theoph. Facta fuerint. Tert. Peragantur.*

Verſ. 33.

Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

Cælum. *Arab. Et cælum.*
Tranſibunt. *Vat. Præteribunt.*
Non tranſ. *Syr. Minimè tranſibunt. Vat. Non præteribunt. Fr. Luc. Nequaquam tranſierint.*

Verſ. 34.

Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrieta-

Attendite. *Pagn. Cauete.*
Vobis. *Euth. Vobis ipſis.*
Ne fortè. *Arab. Ne. Caiet. Ne quando.*
In crapulâ. *Arab. Satietate. S. Epiph. Crapulâ.*
Curis. *Syr. Solicitudine. Orig. In ſolicitudinibus. S. Leo. Et cogitationibus.*
Huius v. *Syr. Seculi. Arab. Rerum mundi. S. Epiph. Huius ſeculi. Tert. Secularibus. Ar. M. Vitalibus. S. Greg. Huius mundi.*
Superueniat. *Theoph. Ingruat. Orig. Veniat.*
In vos. *Theoph. Vobis. Orig. Super vos.*

te,

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

te, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa.

Repentina. *Arab. Repentè. Euth. Repentinus. Theoph. Subitus. Orig. Subitaneus.*
Dies illa. *Euth. Dies ille. Orig. Interitus.*

Vers. 35.

Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

Tanquam l. *Syr. Instar laquei.*
Enim. *Arab.* omittit.
Superueniet in o. *Syr. Illaqueabit eos omnes. Arab. In omnes. Vat. Superueniet omnibus.*
Sedentes. *Syr. Qui habitant.*
Super f. *Syr. In superficie.*
Omnis. *Euth. Vniuersa. Pagn. Totius.*

Vers. 36.

Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Omni. *Ar. M. In omni.*
Orantes. *Arab. Et orate. Euth. Precantes. Ar. M. Rogantes. Pagn. Deprecantes.*
Digni h. *Arab. Corroboremini. Theoph. Liceat vobis. Caiet. Digni reddamini.*
Fugere. *Arab. In fugâ. Vat. Qui effugiatis.*
Ista omnia. *Arab. Harum rerum. Ar. M. Illa omnia.*
Quæ f. s. *Arab. Quæ futura sunt omnes. Euth. Quæ ventura sunt. Vat. Quæ futura sunt vt fiant.*
Stare. *Syr. Consistatis.*
Ante. *Syr. Coram Filio.*

Vers. 37.

Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.

Diebus. *Arab. In die. Euth. Interdiu.*
Noctibus. *Syr. Noctu. Arab. In nocte.*
Exiens. *Vat. Egrediens.*
Morabatur. *Syr. Pernoctabat. Arab. Habitabat. Caiet. Diuersabatur*
Oliueti. *Syr. Domus oliuarum. Ar. M. Oliuarum.*

Vers. 38.

Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Omnis. *Syr. Totus.*
Manicabat. *Syr. Manè veniebant. Euth. Diluculò veniebat. Theoph. Diluculò ventitabat. Caiet. Manè ibat.*
In t. a. *Syr. In templum, vt audirent. Arab. Vt audirent.*
Eum. *Syr. Sermonem eius.*

CAPVT XXI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Diuites *tanquam pauperes habendi.* 736
Seditiosis *fauere, quanta inferat damna.* 737
Fraternum odium *locum dat Antichristo.* 737
Singularis animæ *custos* Deus. 737
Magnum patientiæ *priuilegium.* 738
In præsentibus calamitatibus *mens flectenda ad futuras.* 739
Iudicis *aduentus, quanta formidinis.* 739

Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites.

736. RESpiciens: Græcè, ἀναβλέψας, *suspiciens*; non quòd edito in loco gazophylacium situm esset, vt opus fuerit oculos sustollere; sed quòd Christus modestiæ exemplar oculos in terram deflexerat. Præterea verbum Græcum, ἀναβλέπειν, significat studiosè aspicere, quæ notio hîc optimè cohærat.

Diuites: qui in gazophylacium munera mittebant, diuites dicontur; *id sectantes* (vt ille ait) *munerum suorum amplitudine.* Nunc, si res ex oblatione esset colligenda, diuites pauperes essent censendi, pauperes verò diuites; cùm ferè pauperes promptiores ad sua offerenda diuitibus ipsis sint: diuites ex muneribus illi apparebant, nunc diuites, ferè ex muneribus pauperes apparent.

Nonarin. in Euang. Tom. II.

Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri.

AVcture pacis occiso, nasci bella, seditionesque cœperunt. *Et seditiones*: iustè Iudæi seditionibus iactari permissi, qui Barabbam *seditiosum* Christo prætulere. Hunc illud illius: *Postquam Iudæi Barabbam Iesu, seditiosum pacifico prætulerunt; variis, continuisque seditionibus iactati fuere.* Vt, qui seditioso fauerant, seditionibus essent obnoxij. 737.

Surget gens contra gentem: Discordiæ, & rixæ Antichristum antecedunt. Christo pace, atque concordiâ locus paratur. *Fraternum odium*, ait Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, *locum dabit Antichristo.* Nimirum Antichristo famulatur, qui rixas mouet, bella suscitat, aut fouet.

Capillus de capite vestro non peribit.

C*Apillus de capite vestro non peribit:* A capillo ad animam transitum facit sanctus Augustinus hom. 14. ex. 50. *Times ergo*, inquit, *ne pereas, cuius capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Non peris capillus, qui cùm tondetur, non sentis, & perie anima per quam sentis?*

In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

738. SIgnatè, *vestrâ* dixit: nam in alienâ adeò animas nostras non possidemus, vt plerunque possessam amittamus. Hinc martyrum patientia nihil carnificibus profuit, nihil tyrannis; quin eorum potiùs crudelitatem, & sæuitiem indicabat.

Possidebitis animas vestras: Magnum patientiæ priuilegium, vt eâ homo possidere animam suam possit, possidere se ipsum. Quia nimirùm patientiâ sibi ipsi dominatur. Scitè sanctus Gregorius: *Per patientiam animas nostras possidemus; quia, dum nobismetipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus.* Impatiens non se possidet, possidetur ab impatientiâ.

Et erunt signa in sole, & lunâ, & stellis; & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum.

739. AB vrbis Ierusalem excidio, de quo superiùs egerat, transit statim ad vniuersale mundi excidium; vt colligeremus præsentes calamitates habere quendam cum extremis nexum; inquè calamitatibus, quæ temporibus nostris accidunt, dirigendam statim mentem ad illas, quæ ante extremum iudicium immittentur à Deo: vt, vel sic, omnis calamitatis grauitas leuior appareat, & omnis aduersitas æstimetur exigua.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, & maiestate.

VIdebunt homines hominis filium in maiestate; vt, quem contempserint humilem, reuereantur in maiestate. *Venientem in nube:* In nube veniet; sed misericordiæ aquam nubes ista non pluet, cum dies iustitiæ extremus futurus sit. Huc quoque flecti illud Ieremiæ potest: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Opposuit sibi nubem, ne illorum orationem audiat, qui se illi opposuerunt.

SECTIO II.

His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

740. CVm de iudicis aduentu esset loquutus, nunc discipulos alloquitur, vt recreet, & consoletur. Sed hic aliquis reponat; cur discipulos alloquitur, tanquam ad id tempus essent vitam producturi, quo in fine mundi iudicandi omnes erunt? *Dicit hæc ad discipulos suos*, inquit Eusebius, *non tanquam ad eos, qui durare deberent in vitâ istâ vsque ad terminum mundi; sed quasi vno corpore existente ipsis, & nobis, & posteris, vsque ad consummationem mundi credituris in Christum.* Tanta inter Christi discipulos vnio, & charitas esse debet, vt, quod vni dicitur, dictum intelligatur alteri, ac si alter in alterum affectu immigraret.

Et leuate capita vestra: Quando mundus deficit, mundus corruit; tunc maximè in Deum iacienda spes est. Tunc adest diuinum auxilium, cum humanum deficit.

Quoniam appropinquat redemptio vestra: Et non etiam antè iudicij tempus bonorum redemptio appropinquauit? Et non Christus sua morte nos redemit? Redemit, sed hic sermo est de perfecta redemptione, quæ in eo sita; vt anima à peccato liberetur, ne cadere in illud ampliùs possit; corpus à morte, & à corruptione reddatur immune; & totus homo à mundi huius malis, miseriisque non ampliùs tangatur. Plena hæc redemptio. Disce quàm grandis infelicitas sit iterum in peccato labi posse, licèt à peccato libereris, vt redemptio plena non censeatur, quæ à peccati lapsu nos penitùs non liberat, licet liberet à peccato.

Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt iam ex se fructum, scitis, quia propè est æstas; ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est regnum Dei.

QVod arbori est fructus, mundo excidium est, atque ruina. *Sicut ex fructu arboris*, ait sanctus Gregorius, *vicina æstas agnoscitur; ita ex ruinâ mundi propè esse cognoscitur regnum Dei. Quibus profectò verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est:* Vt nesciat mundus nisi calamitates producere, ruinas parturire; quæ ab eo velut fructus ab arbore prodeunt. I, & felicitatem à mundo exspecta. 741.

Propè est æstas: Regni cælestis aduentus æstati iurè comparatur, cum ad illud non, nisi per laborum, ac calamitatum hyemem, eatur.

Ita & vos, cùm videritis, hæc omnia fieri, scitote, quoniam propè est regnum Dei.

QVæri hic potest, cur Dei regnum ante iudicij diem dicatur propè esse, cùm Ioannes, & Christus ipse alibi prædicauerit, Dei regnum aduenisse. Responderi potest: Ioannem, & Christum alibi loquutos de regni inchoatione, ac exordio; hîc verò de perfectione, quando non aliqui, sed omnes electi cælesti gloriâ donabuntur, & tam corpore, quàm animâ erunt beati, æternúmque Deo fruentur. Tanta nimirùm iustorum erit gloria, & beatitudo, vt, quod hîc regnum Dei est dictum, illius comparatione vix regnum sit dicendum.

Propè est Regnum Dei: Cum electi regnaturi sint; cur non dixit, *regnum vestrum*? An, vt huius regni magnitudo meliùs exprimeretur? An Dei regnum est etiam nostrum, quia tunc nos verè in Dei regno regnamus, cum super nos Deus regnat?

Attendite

Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ.

742. ATtendite vobis: *Vobis*, dixit, non, *vestris*. Ferè, qui suis attendit, non attendit sibi. *Non dixit*, inquit sanctus Thomas hic, *attendite vestris*, *aut eis, quæ circa vos sunt*, cùm animæ præcipuè habenda cura sit, non opum, ac diuitiarum: non corporis, non carnis.

Ne grauentur: Grauatur mens gulæ deliciis pressa, vt in sublime vix ferri, aut ne vix quidem per contemplationem, ferculis grauata, possit. Pulchrè sanctus Laurentius Iustinianus: *Nequaquam enim mens nostra ad contemplanda æterna & cælestia prouehitur*, NISI GVLÆ APPETITVM SOBRIETATE COARCTAVERIT, *atque ab iis, quæ exteriùs implicant; studiosè se subtraxerit. Quod Dominus paucis verbis discipulos edocet, dicens: Videte ne corda vestra grauentur crapulâ, & ebrietate, & curis huius sæculi: quia nunquam affectus vester ad desideria æternorum perfectè accenditur: neque intellectus ad cælestium contemplationem limpidè acuetur, nisi temporalium rerum occupationes reliqueritis, ac etiam curam carnis, & curam libidinum frequenter, fortiterque per sobrietatem repuleritis.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXII. LVCÆ.

Vers. 1.

APPROPINQVABAT autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.

Approp. a. *Arab. Et cùm appropinquasset. Theoph. Instabat.*
Dies f. *Syr. Festum.*
Azymorum. *Pagn. Fermentatorum.*
Qui d. *Syr. Quod dicitur. Arab. Vocatum.*

Vers. 2.

Et quærebant principes sacerdotum, & scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem.

Et quærebant. *Arab. Quæsierunt. Ar. M. Et quærebant hoc.*
Princ. s. *Euth. Summi sacerdotes.*
Iesum i. *Syr. Trucidarent eum. Arab. Perderent Iesum. Euth. Occiderent Iesum. Fr. Luc. E medio tollerent Iesum.*
Timeb. v. p. *Syr. Timebant enim à populo. Vat. Timebant enim populum.*

Vers. 3.

Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim.

Intrauit. *Syr. Introiuit.*
Qui c. *Syr. Vocatum. Theoph. Cui cognomen erat.*
Vnum de. *Syr. Qui erat vnus è numero, Ar. M. Existentem ex numero. Caiet. De numero duodecim.*

Vers. 4.

Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

Abiit. *Ar. M. Abiens.*
Et l. *Ar. M. Collocutus hoc.*
Cùm p. *Ar. M. Principibus.*
Sacerdotum. *Syr. Sacerdotum & scribis.*
Magister. *Syr. Magistris militiæ templi. Arab. Cohorte. Fr. Luc. Ducibus.*
Quemadmodum. *Vat. Quomodo.*
Traderet. *Syr. Proderet.*

Vers. 5.

Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.

Pacti sunt. *Arab. Statuerunt.*
Pecuniam. *Euth. Argentum.*
Illi dare. *Theoph. Illi se daturos.*

Vers. 6.

Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis.

Et s. *Syr. Et spopondit eis. Arab. Et gratias egit. Theoph. Et ille spopondit. Fr. Luc. Ille verò promisit.*
Quærebat. *Syr. Quærebat sibi.*
Traderet. *Syr. Proderet ipsis. Theoph. Traderet illis.*
Sine t. *Arab. Seorsim à turbis. Caiet. Sine turbâ. Fr. Luc. Clam populo.*

Vers. 7.

Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.

Venit. *Syr. Aduenit.*
Azymorum. *Pagn. Fermentatorum.*
Qua. *Euth. Quo.*
Necesse e. o. *Syr. Moris erat mactari. Arab. Occidebatur. Ar. M. Oportebat occidi. Caiet. Necesse erat immolari.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 8.

Et miſit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis paſcha, vt manducemus.

Miſit. *Syr. Miſit Ieſus. Euth. Emiſit.*
Euntes p. *Arab. Ite & parate. Pagn. Profecti parare.*
Manducemus. *Theoph. Edamus.*

Verſ. 9.

At illi dixerunt: Vbi vis paremus?

At illi. *Arab. Et illi.*
Dixerunt. *Arab. Dixerunt ei.*

Verſ. 10.

Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum, in quam intrat:

Introeunt. v. *Arab. Cùm intraueritis. Fr. Luc. Ingreſſis vobis.*
Occurret vobis. *Theoph. Occurret.*
Homo. *Syr. Vir. Theoph. Homo quidam.*
Amphoram. *Euth. Hydriam. Theoph. Vas teſtaceum. Pagn. Hydriam teſtaceam. Vat. Vas fictile. Caiet. Lagenam.*
Aquæ. *Pagn.* omittit.
Portans. *Fr. Luc. Baiulans.*
Sequimini e. i. d. i. q. i. *Syr. Abite poſt eum.*

Verſ. 11.

Et dicetis patrifamilias domûs: Dicit tibi Magiſter: Vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem?

Et dicetis. *Syr. Et quò loci ingredietur dicite.*
Patrif. *Arab. Domino.*
Domus. *Theoph. Ædium.*
Dicit. *Arab. Quia dicit.*
Magiſter. *Syr. Magiſter noſter.*
Vbi eſt diuerſ. *Syr. Vbinam eſt domus conuiuij. Arab. Vbi eſt locus refectionis meæ.*
Manducem. *Theoph. Edam.*

Verſ. 12.

Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.

Et i. *Syr. Et ecce hic.*
Cœnaculum m. ſ. *Syr. Cœnaculum domus conuiuij.*
Et ibi. *Theoph. Ibi.*
Parate. *Arab. Parate nobis.*

Verſ. 13.

Euntes autem, inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerunt paſcha.

Euntes. *Syr. Profecti. Vat. Digreſſi. Fr. Luc. Abeuntes.*

Verſ. 14.

Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo:

Facta eſſet. *Syr. Adeſſet. Euth. Adueniſſet. Theoph. Iam eſſet.*
Hora *Syr. Conſtitutum tempus. Theoph. Tempeſtiuum.*
Diſcubuit. *Syr. Veniens Ieſus diſcubuit. Pagn. Accubuit.*

Verſ. 15.

Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.

Deſid. deſ. *S. Hil. Deſiderio concupiui. Tert. Concupiſcentiâ concupiui.*
Hoc paſcha. *S. Hil. Hoc.* vel: *Paſcha.*
Manducare. *Euth. Comedere.*
Vobiſcum. *S. Hil. Cum diſcipulis.*
Antequam. *Syr. Priuſquam. Arab. Ante.*
Patiar. *Arab. Paſſionem meam.*

Verſ. 16.

Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Ex hoc. *Theoph. Poſt hac. Orig. Amodò. Caiet. Vltrà. Fr. Luc. Ex hoc tempore.*
Non. *Vat. Neutiquam. Fr. Luc. Non ampliùs.*
Manducabo illud. *Euth. Edam ex eo. Theoph. Edam vltra ex eo.*
Donec. *Orig. Niſi.*
Impleatur. *Pagn. Compleatur. Orig. Impletum.*

Verſ. 17.

Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos,

Accepto. *Ar. M. Accipiens.*
Calice. *Theoph. Poculo. Ar. M. Calicem.*
Egit. *Ar. M. Agens.*
Accipite. *Euth. Accipite hoc.*
Inter vos. *Ar. M. Vobis ipſis.*

Verſ. 18.

Dico enim vobis, quòd non bibam de

Dico enim. *Orig. Amen dico.*
Non. *Euth. Nequaquam.*
Generatione vitis. *Arab. Hac vite. Vat. Fructu vitis. Orig. Generatione vitis huius.*

generatione

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

Donec v. D. v. *Vsquequo bibam illud vobiscum nouum in Regno Patris mei.*

Verſ. 19.

Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

Accepto p. *Ar. M. Accipiens panem.*
Gratias egit. *Pagn. Cum gratias egiſſet. Ar. M. Gratias agens. Caiet. Initio ſacrificij noui teſtamenti. Fr. Luc. Poſtquam egiſſet gratias.*
Et fregit. *Pagn. Fregit.*
Datur. *Syr. Traditur. Arab. Commutatur. S. Epiph. Frangitur in remiſſionem peccatorum. Ar. M. Datum.*
Facite. *Arab. Facietis.*
Meam c. *Theoph. Mei recordationem. Fr. Luc. Mei memoriam.*

Verſ. 20.

Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Et c. *Syr. Etiam de calice. Euth. Et poculum ipſum.*
Poſtquam c. *Syr. Poſtquam cœnaſſent. Fr. Luc. Poſt cœnam.*
Hic e. c. n. t. *Syr. Hic eſt calix teſtamenti noui. Arab. Hic calix eſt teſtamentum. Euth. Hoc ipſum poculum nouum teſtamentum eſt.*
In ſ. m. *Theoph. Per ſanguinem meum.*
Qui fundetur. *Goth. Qui funditur. Euth. Quod effunditur. Ar. M. Fuſus.*

Verſ. 21.

Veruntamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.

Veruntamen. *Vat. Ceterum.*
Tradentis me. *Syr. Eius, qui prodit me. Vat. Proditoris mei.*
Mecum eſt. *Syr. Eſt.*

Verſ. 22.

Et quidem filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur.

Secundùm q. d. e. v. *Arab. Abiens eſt quemadmodum futurum eſt.*
Per quem. *Syr. Cuius manu:*
Tradetur. *Pagn. Proditur.*

Verſ. 23.

Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet.

Quærere. *Syr. Diſquirere. Ar. M. Conquirere.*
Inter ſe. *Ar. M. Apud ſe ipſos. Theoph. Inter ſeſe.*
Quis. *Fr. Luc. Quiſnam.*
Eſſet. *Arab. Videtur. Orig.* omittit.
Ex eis qui hoc. *Orig. Hoc. Theoph. Ex ipſis, qui hoc.*
Facturus eſſet. *Syr. Patraturus eſſet. Aeth. Faceret. Ar. M. Futurus facere.*

Verſ. 24.

Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.

Facta eſt. *Syr. Extitit. Vat. Orta eſt.*
Et contentio. *Goth. Contentio. Fr. Luc. Et contentio de hoc.*
Quis e. *Syr. Quiſnam inter eos.*
Videretur eſſe. *Arab. Eſſet:*

Verſ. 25.

Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.

Dixit a. *Syr. Ipſe autem Ieſus.*
Reges. *Orig. Principes.*
Dominantur. *Syr. Sunt domini.*
Eorum. *Syr. Earum. Euth. Eis.*
Qui p. h. *Orig. Maiores eorum poteſtatem exercent.*
Super eos. *Syr. In eas. Orig. In eis. Ar. M. Ipſorum: Pagn. Super eas. Vat. In eas.*
Benefici. *Arab. Benefici eorum.*

Verſ. 26.

Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſ-

Vos. *Orig. Inter vos.*
Non ſic. *Syr. Non item. Orig. Non ſic erit.*
Maior e. *Syr. Maximus eſt. Orig. Vult eſſe primus.*
In vobis. *Arab. Ex vobis. Orig. Inter vos.*
Fiat. *Syr. Sit. Orig. Erit.*
Sicut. *Syr. Quaſi. Orig.* omittit.
Minor. *Syr. Minimus. Orig. Nouiſſimus. Ar. M. Iunior.*

ſot

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

for eſt, ſicut miniſtrator.

Præceſſor. *Theoph. Princeps. Caiet. Dux. Fr. Luc. Dominus. Rector.*
Miniſtrator. *Syr. Miniſter. Theoph. Qui miniſtrat.*

Verſ. 27.

Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit?

Quis. *Euth. Vter.*
Recumbit. *Theoph. Accumbit.*
Nonne. *Syr. Nonne eſt ille.*
Recumbit. *Theoph. Accumbit.*
Ego autem.. *Vat. At ego.*

Verſ. 28.

Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.

Eſtis. *Vat. Eſtis ij.*
Qui p. *S. Hil. Qui perſtitiſtis. Ar. M. Permanentes.*
Tentationibus m. *Syr. Tentationibus. S. Hil. Omnibus tentationibus.*

Verſ. 29.

Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.

Diſpono. *Syr. Promitto. Vat. Decerno.*
Sicut. *Syr. Prout.*
Diſpoſuit. *Syr. Promiſit. Arab. Tradidit. Vat. Decreuit.*

Verſ. 30.

Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.

Edatis. *Arab. Comedatis.*
Super m. m. *Syr. In menſâ meâ. Vat. Ad menſam meam.*
In r. m. *Syr. Regni mei. Euth.* omittit.
Iudicantes. *Arab. Et iudicetis.*

Verſ. 31.

Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum:

Ait a. *Arab. Deinde ait.*
Dominus. *Syr. Ieſus.*
Simon, Simon. *Syr. Simon. Vat. Simon, Simon.*
Expetiuit v. *Arab. Quærit. S. Hil. Expetiuit. S. Leo. Expoſtulauit vos. Tert. Poſtulauit. Caiet. Depoſcit vos.*
Vt cribraret. *S. Ambr. Vt ventilet. S. Hil. Vt vos cerneret.*
Sicut t. *Tert. Velut frumentum. Clem. Alex.* omittit.

Verſ. 32.

Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Ego a. *Pagn. Sed ego.*
Rogaui. *Arab. Interceſſi.*
Et tu. *Syr. Quin & tu. Arab. Et tu quoque.*
Aliquando conuer. *Syr. Quo tempore conuerſus fueris. Arab. Conuertere. S. Proſp. Tandem conuerſus.*
Confirma. *Syr. Tum confirma. S. Proſp.* addit. *Ne intretis in tentationem. S. Leo. Ne intrent in tentationem.*

Verſ. 33.

Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.

Qui. *Syr. Simon autem. Theoph. At ille.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Paratus. *Arab. Ego paratus.*
In c. *Syr. Ad domum vinctorum.*
In mortem ire. *Syr. Ad mortem.*

Verſ. 34.

At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit eis:

At ille. *Theoph. Vat. Ille.*
Petre. *Syr. Simon.*
Non. *Vat. Nequaquam.*
Cantabit. *Euth. Canet.*
Donec. *Fr. Luc. Priuſquàm.*
Abneges. *Syr. Negaueris. Arab. Abneges me.*
Noſſe me. *Syr. Me tibi haud notum eſſe. Arab. Quia non cognoſcis me.*
Et dixit. *Syr. Item dixit. Arab. Deinde dixit.*

Verſ. 35.

Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera,

Miſi. *Vat. Emiſi.*
Sacculo. *Syr. Abſque marſupiis. Euth. Sine loculis. Fr. Luc. Sine marſupio.*
Perâ. *Syr. Peris. Arab. Sine perâ.*
Calceam. *Syr. Calceis. Arab. Sine calceamentis.*

&

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

& calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?

Nunquid. *Theoph. Num. Orig. An ne.*
Aliquid. *Theoph. Quid. Ar.M. Aliquo.*
Defuit v. *Ar.M. Defecti estis.*

Vers. 36.

At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter, & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

Nihil. *Syr. Sanè nihil. Arab. Nihil quidem.*
Qui habet. *Arab. Cuicunque est.*
Sacculum. *Syr. Marsupium. Arab. Sacculus sit cum eo. Euth. Loculos.*
Tollat simul e. p. *Syr. Accipiat, itidemque & peram. Arab. Et similiter etiam cui est pera.*
Qui non habet. *Arab. Cui non est gladius. Caiet. Qui non habet gladium.*
Vendat. *Ar.M. Vendet.*
Tunicam. *Fr.Luc. Pallium.*
Emat. *Syr. Comparet. Ar.M. Emet.*

Vers. 37.

Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est: Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.

Vers. 38.

At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis: satis est.

Quoniam a. h. q. f. e. *Syr. Etiam illud scriptum.*
Oportet impleri. *Syr. Oportere adimpleri. Arab. Implebitur. Theoph. Oportet perfici.*
Et cum iniq. *Syr. Cum sceleratis. Ar.M. Et cum exlegibus.*
Deputatus. *Syr. Numeratus. Euth. Reputatus.*
Ea, quæ sunt. *Arab. Et quod scriptum est. Goth. Ea quæ sunt scripta.*
Finem habent. *Arab. Finis est.*

Domine. *Syr. Domine noster.*
Satis est. *Arab. Sufficiunt.*

Vers. 39.

Et egressus ibat secundùm consuetudinem in Montem oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli.

Et e. *Arab. Deinde exiit.*
Ibat. *Arab. Et abiit. Fr.Luc. Profectus est.*
Secundùm c. *Syr. Vti consueuerat. Pagn. Vt solitus erat.*
Oliuarum. *Syr. Domus oliuarum.*
Secuti s. e. *Syr. Abierunt post eum. Euth. Sequebantur eum.*
Discipuli. *Ar.M. Discipuli eius.*

Vers. 40.

Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

Et cùm p. a. l. *Syr. Quúmque peruenisset ad eum locum. Euth. Et cùm esset in loco. Ar.M. Factus autem ad locum.*
Ne intretis. *Vat. Ne incidatis. Ar.M. Non intrate.*

Vers. 41.

Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat.

Auulsus est. *Syr. Recessit.*
Quantum iactus est. *S.Epiph. Ferè iactu. Ar.M. Tanquam iactum. Caiet. Ferè ad iactum. Fr. Luc. Quasi ad iactum.*
Positis genibus. *Arab. Cecidit super genua sua. S. Epiph. Abiens. Ar.M. Ponens genua.*
Orabat. *Syr. Precabatur. Arab. Orauit.*

Vers. 42.

Dicens: Pater si vis, transfer calicem istum à me: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Dicens. *S.Epiph. His verbis.*
Si vis. *Arab. Si tu vis. S.Epiph. Si fieri potest.*
Transfer. *Syr. Prætereat. S. Epiph. Transeat. Fr. Luc. Transferre.*
Calicem istum. *Syr. Calix iste. Tert. Poculum istud.*
A me. *Syr. Me. S.Epiph. A me vt non bibam illum.*
Mea voluntas. *S.Epiph. Quod ego volo. Orig. Sicut ego volo.*
Tua f. *Arab. Tua voluntas fiat. S.Epiph. Quod tu. Orig. Sicut tu.*

Vers. 43.

Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat.

Apparuit. *Syr. Visus ei. Pag. Conspectus est.*
Confortans. *Arab. Vt confortaret. S.Epiph. Confirmans. Vat. Corroborans.*
Eum. *S. Epiph. Ipsum.*
Factus in a. *Syr. Quum esset in angore. S. Epiph. In anxietate constitutus. Theoph. Correptus angore. Pagn. Factus in horrore.*
Prolixiùs o. *Syr. Intensius orabat. Euth. Protendebat orationem. Fr. Luc. Extensius orabat.*

Vers. 44.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 44.

Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Factus eſt. *Theoph. Erat.*
Sicut guttæ ſ. *Syr. Quaſi grumi ſanguinis. Arab. Velut ſanguis diſtillans. Perſic. Sicut ſudor ſanguinis. Epiph. In modum guttarum ſanguinis.*
Decurrentis. *Syr. Cadebatque. Arab. Deſcendens. Perſic. Defluens. Caiet. Decurrentes.*

Verſ. 45.

Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia.

Cùm ſ. *Ar. M. Surgens.*
Ab o. *Syr. Ab oratione ſuâ. Theoph. Deprecatione. Vat. A precatione.*
Veniſſet. *Ar. M. Veniens.*
Diſcipulos ſuos. *Arab. Diſcipulos.*
Inuenit. *Pagn. Reperit.*
Triſtitiâ. *Syr. Anguſtiâ. Euth. Mœrore. Theoph. Mœſtitudine. Vat. Mœſtitiâ.*

Verſ. 46.

Et ait illis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.

Quid. *Euth. Vt quid.*
Dormitis. *Arab. Vos dormientes eſtis.*
Surgite. *Ar. M. Reſurgentes. Pagn. Cùm ſurrexeritis.*
Orate. *Syr. Precamini. Theoph. Et orate.*
Intretis. *Vat. Incidatis.*

Verſ. 47.

Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Ieſu vt oſcularetur eum.

Adhuc. *Theoph. Adhuc autem.*
Qui vocabatur. *Ar. M. Dictus.*
Vnus de d. *Arab. Qui erat ex duodecim. Theoph. Vnus è duodecim.*
Antecedebat eos. *Syr. Praibat eis. Euth. Præcedebat eos.*
Appropinq. I. *Syr. Acceſſit ad Ieſum.*
Vt oſc. e. *Syr. Eúmque deoſculatus eſt. Nam hoc ſignum dederat eis: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt.*

Verſ. 48.

Ieſus autem dixit illi: Iuda, oſculo Filium hominis tradis?

Tradis. *Interpr. S. Chryſ. Prodis.*

Verſ. 49.

Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?

Videntes. *Arab. Cùm vidiſſent.*
Circa ipſum. *Syr. Cum eo.*
Quòd f. e. *Quod fiebat. Arab. Quod factum fuiſſet. Ar. M. Futurum.*
Domine. *Syr. Domine noſter.*
Si percutimus. *Arab. Percutimus. Theoph. Percutiemúſne. Caiet. Num percutimus.*
In gladio. *Syr. Gladiis. Euth. Gladio.*

Verſ. 50.

Et percuſſit vnus ex illis ſeruum principis ſacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.

Vnus. *Euth. Vnus quiſpiam. Fr. Luc. Vnus quidam.*
Princip. ſ. *Ar. M. Sacerdotum.*
Amputauit. *Syr. Abſtulit.*

Verſ. 51.

Reſpondens autem Ieſus, ait ſinite vſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum.

Sinite. *Syr. Satis eſt.*
Vſque huc. *Arab. Vſque nunc. Adducite huc. Vat. Hactenus Fr. Luc. Vſque ad hoc.*
Cùm te. *Ar. M. Tangens.*
Eius. *Syr. Vulnerati illius.*

Verſ. 52.

Dixit autem Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus?

Ad eos. q. v. *Syr. Iis, qui venerant. Ar. M. Ad accedentes.*
Ad ſe. *Syr. Contra ſe ipſum.*
Principes ſ. *Syr. Principibus. Arab. Ex principibus.*
Magiſtrat. t. e. ſ. *Syr. Senioribus eſt magiſtris militiæ templi. Arab. Magiſtratum templi & ſeniores.*
Quaſi. *Arab. Quemadmodum.*
Ad latronem. *Syr. Aduerſus latronem. Arab. Si egrederetur ad latronem.*
Exiſtis. *Syr. Exiſtis aduerſum me. Arab. Veniſtis ad me.*
Fuſtibus. *Syr. Fuſtibus, vt prehenderetis me. Ar. M. Lignis.*

Verſ. 53.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 53.

Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.

Extendiſtis. *Vat. Imeciſtis.*
Manus. *Arab. Manus veſtras.*
Hora. *Pagn. Hora illa.*

Verſ. 54.

Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus verò ſequebatur à longè.

Compreheodentes.. *Euth. Comprehenſum.*

Verſ. 55.

Accenſo autem igne in medio atrij, & circunſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

Accenſo igne. *Ar. Accendentibus ignem.*
Atrij. *Caiet. Aula.*
Circunſedent.i. *Syr. Conſiderunt cir. a eum. Theoph. Vnà conſediſſent.*
Erat. *Syr. Sedit. Fr. Luc. Sedebat.*
Petrus. *Syr. Et ipſe Simon.*
Io medio e. *Theoph. Inter illos.*

Verſ. 56.

Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit. Et hic cum illo erat.

Cùm v. *Euth. Intuita. Ar. M. Videns.*
Ancilla. *Syr. Puella. Vat Ancillula.*
Ad lumen. *Syr. Ad ignem.*
Fuiſſet intuita. *Arab Cognouit. Euth. Defixis oculis. Ar. M. Attentè intuita.*
Eum. *Euth. In eum.*
Hic. *Syr. Iſte.*

Verſ. 57.

At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum.

Ille negauit e. *Arab. Negauit. Euth. Ipſe abnegauit.*
Dicens. *Arab. Et dixit.*

Verſ. 58.

Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non ſum.

Per puſillum *Vat. Paulò poſt.*
Videns. *Vat. Cùm vidiſſet.*
De illis. *Euth. Ex illis.*
O homo n. ſ. *Syr. Non ſum. Arab. Homo, ego non ſum.*

Verſ. 59.

Et interuallo facto quaſi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.

Interuallo f. q. h. v. *Arab. Poſt horam. Theoph. Interuallo interiecto ferè hora vnius. Fr. Luc. Interpoſitâ horâ vnâ.*
Alius. q. *Syr. Alius.*
Affirmabat. *Syr. Contendebat. Arab. Firmauit ſuper illum ſermonem.*
Verè *Syr. In veritate.*

Verſ. 60.

Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus.

Homo. *Syr. O homo.*
Neſcio. *Ar. M. Non noui.*
Continuò. *Euth. Protinus.*
Cantauit. *Euth. Cecinit.*

Verſ. 61.

Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis.

Dominus. *Syr. Ieſus.*
Reſpexit. *Pagn. Intuitus eſt.*
Petrum. *Arab. In Petrum.*
Et r. e. *Orig. Et quando recordatus eſt.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Verbi. *Vat. Sermonis. Orig. Verbum.*
Domini. *Syr. Domini noſtri. Orig. Chriſti.*
Sicut d. *Arab. Quem ille dixerat. Caiet. Quomodò dixiſſet ei.*
Cantet. *Arab. Cantet hodie. Pagn. Cecinerit.*
Negabis. *Euth. Abnegabis.*
Ter. *Arab. Tertiò.*

Verſ. 62.

Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè.

Egreſſus foras. *Ar. M. Egreſſus.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Fleuit. *Orig Plorauit.*
Amarè. *Arab. Amaro fletu. Orig. Amariſſimè.*

Verſ. 63.

Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

Viri. *Syr. Homines illi.*
Tenebant. *Arab. Apprehenderant. Fr. Luc. Tenebant ſimul.*
Illum. *Ar. M. Ieſum.*
Cædentes. *Syr. omittit.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 64.

Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?

Velauerunt. *Syr. Obuelabant. Arab. Velabant. Euth. Circumtecto. Theoph. Cum circumtexissent. Ar. M. Obuelantes. Fr. Luc. Postquam obuelassent.*
Et percutiebant. *Theoph. Percutiebant.*
Eum. *Arab. Vultum. eius. Euth. Eo.*
Faciem eius. *Syr. Eum in faciem ipsius. Arab. Illum.*
Et i. e. d. *Syr. Dicentes.*
Prophet. *Eut. Vaticinare.*
Quis est qui. *Syr. Quis. Euth. Quis est ille qui. Ar. M. Quis est.*
Percussit. *Ar. M. Percutiens.*

Vers. 65.

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Alia multa. *Arab. Alij multi.*
Blasph. *Arab. Blasphemabant. Theoph. Conuiciantes.*

Vers. 66.

Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.

Et vt f. e. d. *Syr. Quumque illuxisset.*
Conuenerunt. *Syr. Congregati sunt. Ar. M. Coacti sunt. Pagn. Congregatus est. Fr. Luc. Conuenit.*
Seniores plebis. *Syr. Seniores. Vat. Seniores populi. Pagn. Cœtus seniorum. Caiet. Senatus plebis. Fr. Luc. Senatus populi.*
Princip. s. *Syr. Principes.*
Et scribæ. *Euth.* omittit.
Duxerunt. *Syr. Subduxerunt. Arab. Introduxerunt.*
In c. s. *In domum congregationis suæ. Arab. In locum concilij sui. Fr. Luc. In synedrion. Consessum suum.*
Dicentes. *Syr. Et inquiunt.*
Si. *Theoph. Num.*
Christus. *Theoph. Ille Christus.*

Vers. 67.

Et ait illis: Si vobis dixero non credetis mihi.

Non. *Vat. Nequaquam.*
Credetis mihi. *Pagn. Credetis.*

Vers. 68.

Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

Si autem. *Euth. Quod si etiam.*
Interrogauero. *Syr. Interrogauero vos.*
Non. *Vat. Nequaquam.*
Neque. *Ar. M. Aut.*
Dimittetis. *Arab. Dimittetis me. Euth. Absoluetis. Vat. Missum facietis.*

Vers. 69.

Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

Ex hoc autem. *Arab. Et amodò. Theoph Et ex hoc tempore. Vat. Abhinc. Caiet. Ex hoc nunc autem.*
Erit sedens. *Vat. Futurum est vt sedeat.*
A dextris. *Vat. A dexterâ.*
Virtutis Dei. *Vat. Potentiæ. Dei. Ar. M. Virtutis.*

Vers. 70.

Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.

Quia ego sum. *Al. Me esse.*

Vers. 71.

At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

Adhuc. *Arab.* omittit. *Euth. Amplius. Caiet. Insuper.*
Desideramus t. *Syr. Requiruntur nobis testes. Arab. Egemus testimonio. Fr. Luc. Opus habemus testimonio.*
Ipsi. *Syr. Nos.*
De ore e. *Theoph. Ex ore ipsius.*

CAPVT XXII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Malorum extrema sunt timenda quum sacerdotes *labuntur*, 743
In satanam videtur immigrare satanæ *suggestionem sequens*. 743
Cor *diabolo aperit, qui* auaritiæ. 743
Auarus in *omnibus auarus sed non sui*. 744
Dignus culmine *non est qui pati pro suis* subditis *timet*. 744
Quanto desiderio in crucem Christus *fertetur*. 744
Orbis salus *quam ardenter à* Christo *quæsita*. 745
Cœna *cur in* Virginis *domo minimè celebrata*. 745
Qui

Appropinquabat autem dies festus azymorum qui dicitur Pascha, & quærebant principes sacerdotum, & scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem.

743. NEscivnt seruire tempori, æternitatis obliti. Festi diei lætitiâ, immanis criminis honore quærunt funestare: *Appropinquabat dies azymorum*, & ab sinceritatis azymis sacerdotum principes, scribæque recedebant. *Principes sacerdotum*: Malorum extrema expectanda sunt, quum principes sacerdotum principes fiunt scelerum. *Quærebant, quomodo Iesum interficerent.* Vitam ei cogitant eripere, à quo vitam acceperant, & accipiebant. Tunc quærunt interficere Iesum, cùm in paschatis honorem interficere in se debuerant, quidquid Iesu displiceret. *Timebant verò plebem*: Dei timore vidui timebant plebem. Timere potiùs se debebant, suámque perfidiam: sibi multa mala timere, quæ ex cogitato scelere erant nascitura. *Timebant plebem*, qui plebi timere debebant, ne, propriâ impietate, & exemplo malo, aliquid mali plebs pateretur, vt verè est passa.

Intrauit satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, & abiit.

INtrasse nunc Diabolus in Iudam dicitur; alibi Iudas ipse diabolus dictus est. Ioan. 6. v. 70. *Ex vobis vnus diabolus est*: Ac si in satanam immigraret, satanæ suggestiones sequens.

Intrauit autem satanas in Iudam: Sed per quodnam ostium intrauit? Ostium satanæ Iudas aperuit, cum cor aperuit auaritiæ. *In Iudam satanas intrauit*, inquit Titus, *non impellens, sed patulum inueniens ostium: nam oblitus omnium, qua viderat, ad solam auaritiam dirigebat intuitum.*

744. Iudam subiuit satanas, quia Iudæ cor auaritia subierat. Possedit satanas Iudam, qui pecunias possidere auidus cogitabat. Nimirùm auarus, ve in omnibus sit auarus, sui minimè auarus est. Dat libenter se & quod miseris, satanæ. Auarus in omnes alios auarus est: maximè liberalis ergà dæmonem est. Dat illi quod præcipuum habet; dat animam, dat seipsum.

Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum.

IPse ostendet vobis cœnaculum magnum: Cur motiuum, magnum, ornatum cœnaculum elegit? Cur ad illud duxit discipulos suos? *Vt qui cœnaculum ascenderis prælationis*, inquit Petrus Cellensis, *non recuset post Iesum subire discrimen passionis.* Dignus cœnaculo, dignus culmine non est, qui pati pro subditis suis timet.

Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.

DEsiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum: Cur signatè hoc pascha? An, quia huic Crux annexa erat? Huc flexit sanctus Chrysostomus: *Rursus ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Quam ob causam hoc Pascha dicit? Tametsi* ALIO QVOQVE TEMPORE *festum illud cum ipsis peregit. Quam tandem ob causam? Quoniam sequutura crux erat.*

Desiderio desideraui: Idest optaui auidissimè, intensissimè concupiui: *hoc Pascha manducare vobiscum*: Cur istuc potius, quàm alia? Quia in hoc, tempus patiendi aduenerit, & genus humanum redimendi. Hoc voluit etiam idem sanctus Chrysostomus: *Quare*, inquit, *hoc anno comedere Pascha desiderauit? Quia videlicet tunc* SALVTEM TOTIVS ORBIS *erat allaturus, tunc mysteria traditurus.* Vt nullus nauseabundus accederet, nullus desidiosus ad sacram Eucharistiam; desiderio æstuans, accedit Christus: *desiderio*, inquit *desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Exemplum nobis præbuit, quod imitaremur. 745.

Virginem adfuisse, cum agni Paschalis cœna celebraretur, non sinit nos Virginis pietas, & in filium suum amor dubitare; sed aliquis iure quærat, cur cœna ista in Virginis ipsius domo celebrata non sit, & in eàdem Eucharisticum Sacramentum institutum; an primi causa fuit Mariæ paupertas, & quia tunc circa vnum erat adeo occupata, circa Agnum, scilicet, cuius agnus Paschalis erat figura? secundi verò vt rectè moneremur ei, qui Eucharisticæ mensæ debet assidere, adeo à terrenis rebus mentem abiunctam circunferendam, vt vel paternæ domus obliuiscatur? quò ad ptimam partem nobiscum sentit Marcus Vigerius chorda. 6. vbi ait: *Persuasum sanctam Mariam matrem Domini in vltima cœna pro legis obseruantiâ cum filio suo cœnauisse: nempe hoc Exodi scriptura confirmat, vbi Agnus per familias manducari iubetur Paschate: si verò minor sit animarum numerus, vt ad esum agni sufficere non possit, vicinus ad cœnam vocari mandatur. Virgo Mater familias, quem ad esum agni sumere debuit potius, quàm filium, Agnum sine macula, Agnum mundi peccata tollentem? Et quoniam ad esum agni numerus animarum, mater scilicet & filius, temperatissimi ambo, erat exiguus, additi sunt Apostoli continuâ familiaritate vicini. Solicita igitur hac iustissima mater de legalis agni apparatu, fortè discipulos commonuit interrogare, vbi filius eius, eorúmque Magister & Dominus libentius Pascha perageret; At Iesus pientissimus filius inopem matrem studio paranda cœna leuari volens; discipulos ad amicum; qui pararet cœnam destinauit, non vt Matrem ab hac cœnâ excluderet, in qua secundùm legem primam discumbere oportebat, sed vt onere paranda cœna illam releuaret. Sciebat enim, quod Maria circa vnum tunc maximè necessarium neque minus anxium, erat occupata. In hac cœna vidit Maria agnum pelle nudatum, assum, laceratum, deuoratum, figuram mente voluebat, & in filio signato quid & sibi vellet examinabat.*

Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensâ.

CVm Eucharistiæ mysteria perfecisset, calicem sui sanguinis obtulisset discipulis, statim adiecit: *Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est* 746.

in mensâ. Quod fecit, non solùm vt ostenderet, sibi nota futura esse, sed vt suo exemplo doceret maximè post Eucharistiam aoimatum luera quærenda esse, curandumque, vt peccatores resipiscant & conuertantur. His quippè verbis Iudam ad sceleris sui cognitionem allicere voloit; vt, dum sciret notum, quod cogitauerat, esse, aliam mentem ebiberet.

Ecce manus tradentis me: Cur *tradentis* dixit, non *tradituri*, aot, *traditoris*? Nec enim Iudas Christum tradebat, qui postea abiit, vt eum traderet. An tradebat in meosâ, quia io mensa tradere cogitabat? Iam erat Iudas traditor, qui traditionem meditabator, & iam in suâ voluntate determinauerat. Vt hinc discamus, in Dei oculis scelera, etiam antequam foras prodeant, & externo opere compleantur, esse scelera.

Quis eorum videretur esse maior: Adeò æqualis in omnes, iodifferensque Christus fuit, vt quilibet putare posset, cæteris se præferri.

Benefici vocantur, Non dixit, *sunt*, sed *vocantur*: plerunque enim, quod priocipibus dicitur, ab adulatione proficiscitur non à veritate. Scitè sanctus Bernardus: *Quàm pauci eundunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc est: quòd benefici vocantur, qui potestatem habent: hinc, quòd laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur.*

SECTIO II.

Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.

748. APostolos suos Christus commendat, quòd ei adhæserint, eumque io persecutionibus, & tribulationibus secuti fuerint. Signatè autem dixit, *qui permansistis*, vt constantiam in bono commendaret. Scitè sanctus Petrus Damianus: *Et ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quare? non vtique, quia cœpistis: sed vos estis, ait, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

Sed aliquis hîc obiiciat: Apostoli non perfectè cum Christo permanseruot dum persecutiooibus premeretur; cùm constet in maiori tribulatione, ab ipsis desertum. *In hoc apparet*, inquit Vgo, *Christi liberalitas, qui dicit, discipulos secum remansisse perfectè, quia citò redierunt.* Nondum discipuli Christum deseroerant, cùm hæc Christus loqueretur. Deseruêre postea; sed cùm statim redierint, visi quodammodo sunt cum illo remansisse.

Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum.

PAssurus erat Christus, cùm hæc discipulis suis 749.
diceret: quantùm cuique timendum à satanæ insidiis in passiooe propriâ! Rem ita vrget B. Bernardus serm. 5. io Psalm. Qui habitat. *Attendite*, inquit, *quoniam ipse quidem erat passurus, & non discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Vnde ad Petrum: Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Si tantum illos oportebat timere in Passione Domini,* QVANTVM NOBIS TIMENDVM EST, FRATRES, IN PASSIONE NOSTRA? *Vigilate proinde & orate, vt non intretis in tentationem; quoniam vndique circundati estis tentationibus.*

Expetiuit satanas. Sanctus Chrysostomus ita legit: *Ecce expetiuit vos satanas*, vt scilicet eos cribraret. Futuras tentationes ipsis prædicit, vt nos redderet firmiores. Sed hîc aliquis iure quærat, cur Christus Apostolis futuras diaboli teotationes prædicat, nec Iobo prædixerit. Iobo non prædixit, vt diabolo calumniaodi omoem occasiooem præcideret? Rem sic habet productus sanctus Pater serm. 5. de Iusto & Beato Iob: *Petro dicit Dominus: Petre, ecce expetiuit vos satanas, vt cribraret sicut triticum. Apostolis prædicit tentationes: Iob autem tentationem & dimicationem non prædicit. Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Quibusdam animum addit, quosdam deserit. Cur autem non sicut Apostolos ita Iob admonet? Sciebat enim Deus diaboli malitiam, sciebat inuidiam, sciebat versutiam, quâ inficere virtutem poterat. Si dixisset ei Deus: Caue tibi ipsi, & certa: si sustinueris in finem, substantiam tibi duplo magis restituam, Regnum Cælorum hereditabis, immortalitatis accipies coronam, vniuersus Orbis tuis laudibus resonabit. Si hoc dixisset, certasset vtique iustus: sed iterum diabolus occasionem cepisset: &, si quidem certans ille vicisset, Deo dixisset: Nunquid gratis certauit? Promisisti ei immortalitatem, promisisti Regnum, promisisti coronam.*

Sed eadem, inquies, ratio etiam in Apostolis vi- 750.
gebat: cur igitur & illis non suppressit, quæ mala passuri à malo? An, quia res noo in solis Apostolis sistebat? nostra quoque intererat moneri, & multorum id imbecillitas exigebat. Pergit idem sanctus Pater: *Quare ergo & Apostolis non occultauit? Si enim non dixit Iob; quare, ratione pari Apostolis dimicationem non tacuit? solus Iob certauit, pro semetipso laborauit, pro semetipso desudauit: Apostoli autem erant præcones terræ, Orbisque doctores. Ipsis occultari poterat, sed res Mundo detrimentum fuisset. Poterat Paulus sine corona promissione certare. Poterat Petrus sine promissione viriliter agere: sed non vbique Paulus, non vbique Petrus. Multorum animæ infirmæ sunt, multorum animæ vacillant. Si enim hodiè, Regno prædicato, fruitione futurorum bonorum, Angelicâ conuersatione, paradisi deliciis, multi promissa despiciunt ad præsentia anhelantes; cùm de repromissis tacitum fuisset, quis ad pietatem euolasset? Meritò ergo, dilectissimi, Iob ventura non ostendit, vt constantiùs eius propositum ostendat: Apostolis autem*

autem futura promittit, quò auditorum animum excitet, quò Mundi roboret mentem.

Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

751. Rogaui pro te. Præcipuè pro præcipuo rogat licèt aliis quoque periculum immineret; tanquam sit aliorum securus status, si caput minimè periclitetur. Petitè rem versat S. Leo serm. 3. in Anniuersario. *Commune*, inquit, *erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Diuinæ protectionis auxilio pariter indigebat; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur; tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.

752. Ita de se Petrus sentiebat; sed aliter de illo sensit Christus. Firmum, sanumque se putabat Petrus; sed infirmus erat Christo, qui tanquam peritus medicus cordis eius venam tetigerat. Pulchrè hîc cadunt sancti Augustini verba: *Dominus*, inquit, *qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuntians illi infirmitatem eius, tanquam tactâ venâ cordis eius. Proinde Petrus, qui, ante tentationem, præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* Multi sibi sani videntur, qui ad venæ huius tactum apparent infirmi.

Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram: Quando sinè sacculo fuerunt Apostoli nihil illis defuit. *Quando*, inquit, *misi vos sine sacculo, & sine perâ nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil.* Quid igitur necesse erat, vt nunc sacculos assumerent, peramque haberent, cum, iis destituti, nihil defuerit? Vt penuriam, & egestatem paterentur, permittit illis Christus pecuniæ sacculos habere, & cibariorum peras, sciens ab temporalium rerum augmentis egestatem oriri. Sola in vnum Deum fiducia præstat, quod diuitiarum onera non possunt. Scilicet: *Quando nec calceamenta, nec Zonam habebant*, ait sanctus Chrysostomus; *nec baculum, nec æs, nullam passi sunt penuriam: vt autem marsupium concessit eis, & peram, esurire videntur, sitire, & nuditatem pati, ac si diceret Dominus: hactenus cuncta vobis vberrimè affluebant; nunc autem volo vos & inopiam experiri; ideoque mando sacculum habere, & peram.* Nunquam certiùs egestatis angustias quis patitur, quàm cum, vitandæ egestatis causâ, saculos parat, opes conquirit.

Et ipse auulsus est ab eis.

753. Auulsus est ab eis: Quid est auelli? *Auellitur, quod inhæret, quod infixum, innexum est ei, à quo vt auferatur auellitur.* Sed cur hac auellendi phrasi hîc vtitur Euangelista, vt discessum, quantum iactus est lapidis, exprimeret, cum abeundi, ac discedendi verbo vti potuerit? Post Eucharistiæ sumptionem Christi membra euaserant discipuli: iurè igitur qualiscunque Christi discessus, auellendi locutione exprimendus erat; cum illud auellatur, quod inhæret innexumque est.

In hortum se contulit, locum solitarium quæ-

rens; secúmque agoniæ, suæ testes duxit, ità tamen, vt solus oraret. Quam rem scitè versat Salmeron tom. 10. tract. 11. *Et vt solus*, inquit, *Christus suo sanguine nos redemit, ita solâ oratione redemptionem obtinet. Ideo non adduxit eos ad orandum secum, quia inepti erant & ignorantes, quid orarent; & ex se potiùs Christum impedirent, & turpius in præsentiâ Christi dormiuissent, cùm tamen vigilantibus, & non dormientibus, cura & oratio Christi subueniant. Debebatque præcedere exemplum Christi orantis pro Apostolis in tentatione; & quia sola Christi oratio, vt solus eius sanguis saluat. Et, cùm prælatus à suis abest, debet non longè à suis esse, ne oues pereant: &, quando est solitarius, debent oues intelligere, quòd incumbit orationi aut studio aut contemplationi.*

Et positis genibus orabat.

Ex Christi oratione colligi potest, quî fiat vt oratio à nobis fusa nunquam suo fine frustretur. Id ita habet Marcus Vigerius Cardinalis in suo Decachordo 6. chorda vbi ait: *Orauit Christus transferri passionis calicem, si Pater vellet; non autem orauit Patrem velle illum transferre: non inquam poposcit Christus orando Deum mutare decretum, sed iuxta decretum fieri Patris omnipotentis, quod & factum est: quia enim decreuerat calicem non transferri, translatus non est. Quare Dominus Iesus, qui diuinæ voluntati se orando submiserat, obtinuit, quod orando poposcit, quando id orauit fieri, quod Deus facere constituit. Et vt hoc loci dicam, quod piè sentiendum existimo. Dominus noster Iesus Christus nos orare docuit certâ ratione, quam si fuerimus imitati, nunquam erit vacua oratio nostra. Oremus vt ille; oremus, inquam, Dei decretum ante omnia non infringi petentes; dehinc postulantes, quod optamus: nostra voluntati æterna sapientia decretum ordinem præferentes, & moderatorem habere volentes. Ita semper exauditos nos intelligemus, quando id euenisse constabit, quod Deo placuit, & nostra orationis initium fieri postulauit.*

Transfer calicem istum à me.

Petit à se transferri calicem non suî causâ, sed aliorum; ne cogeretur eos punire, qui mortem intulissent. *Ideo dixit* (verba sunt S. Ambrosij in cap. 22. Luc.) *Transfer hunc calicem à me; non quia Dei Filius mortem timebat; sed quia nec malos perire volebat.*

Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.

Apparuit illi Angelus de cælo: Oratione finitâ, apparuit Angelus Domino Angelorum; non quia indigeret Angeli consolatione, qui omnium erat consolatio; *sed ne* Frustra orasse, *aut ad patrem in tribulatione recurrisse videretur discipulis, & hac quoque legentibus.* Vtque nos doceret ad orationem ire, cum tribulationibus vrgemur hac spe, diuinâ consolatione nos fruituros, licèt tribulatio non auferatur. Nimirum, *vt orationem in tribulatione positis suaderet, se Christus demisit, dum, tanquam angelicâ consolatione indiguerit, ab Angelo voluit confortari.*

Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum: 754
Pater Angelum ad Filium è cælo misit: cur non alius, aut aliundè mittitur? *Didici*, inquit sanctus Bernardus, *ex hoc ipso non ad carnalem, sine* Cadv-

CAM RECVRRERE CONSOLATIONEM, *sed ad Angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cælestem.* Indignus cælesti est, qui terrenam quærit, quærit ab hominibus humanam.

Oranti adfuit Angelus, vt eum consolaretur. Voluit istue Christus, non quia ipse indigeret hac consolatione, sed quia nos indigebamus hoc exemplo. *Mittitur à Patre Angelus, ne frustrà missa ad Patrem Christi oratio videretur*, & doceremur, orationis perseuerantis hunc esse fructum, vt orantis mens erigatur, licèt tribulatio ipsa non tollatur.

755. Erigit Angelus orantem Christum, atque solatur. Cur hominis ministerio vsus non est diuinus Pater? Indigni homines erant, ac minus idonei, cum vel Ecclesiæ columnæ quaterentur, & fulcimento indigerent. Ineptius aliis erigendus est, qui animo cadit, & deficit. Præterea, noluit ab hominibus confirmari, ne illâ confirmatione putarent, se exoluisse, quicquid pro illis Christus pertulit. Huc hominum ingratitudo euadit, vt ingentibus beneficiis, quæ à beneficâ Dei manu accipiunt, se respondisse existiment, leuissimi alicuius obsequij exhibitione. Monemur etiam hoc exemplo, hominum, humanumque solatium in aduersitatibus exspectandum non esse, sed superum, sed diuinum.

Confortatus est eum Angelus; *sed tali confortatione*, inquit hîc Beda, *quæ dolorem non minuit, sed magis auxit: confortatus est enim ex fructus magnitudine, non subtractâ doloris amaritudine.*

Solator Angelus Christum. Angeli solatium fuit consolatoris obire munus, dignatus est acceptare consolatorem, vt idem postea facerent in membris; quæ magis hoc officium exigerent.

SECTIO III.

Sanguineus Christi sudor *quid significauerit.* 756
Ad pœnitentiam *vt peccatores Deus vocet.* 757
In persecutores *benefici esse debemus Christi exemplo.* 757
Quam libenti animo pro nobis passus *sit* Christus. 758
Vel malorum *domicilia ad malum alliciunt.* 758. 759
Longè à Christo *esse nullus debet.* 759
Petrus *cadere cur sit permissus,* 759

Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

756. G*Vttæ sanguinis:* Sanctus Augustinus, *globi sanguinis:* addit ad esplicatum: *Perstabat Iesus in orando, & globi sanguinis decurrebant per corpus eius. Quid ostendebat, quando per corpus orantis globi sanguinis distillabant? nisi quia corpus eius, quod est Ecclesia, martyrum in sanguine defluebat.*

Sanguinem, diductâ totius corporis cute, effudit Christus, non mortis, ac pœnarum intuitu, timoreque dumtaxàt, sed truculento peccatorum aspectu. Apud Iudæos vigebat hic mos, vt, si Deum blasphemari, iniuriáque affici audirent, in doloris signum vestimenta discinderent; vt hoc facto Dei se honorem quærere significarent: Christus, videns Patrem suum hominum peccatis contemni, non, vt Iudæi, scidit vestimenta, sed corporis aperuit poros, vt sanguineus sudor in tristitiæ, ac doloris argumentum efflueret.

Iuda osculo filium hominis tradis?

V*El traditoris nomen à scelere reuocare traditorem poterat. *Hoc ad ipsum dixit*, verba sunt sancti Cyrilli Ierosolymitani, *admonens eum per ipsius appellationem; Iudas enim vocatur* CONFESSIO. Peccatorum medicinam Iudæ offerebat Iudæ nomen adeò, vt quò erat sceleslior futurus, eò maiori auxilio Deus illum muniret, &, suo nomine cum vocaretur, auocaretur à crimine. 657.

Cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

SErui auriculam sanauit, vt in nobis nostram vlciscendi cupiditatem sanaret. Auriculam sanauit, *erudiens nos* (inquit sanctus Chrysostomus) *quòd in persequutores nostros beneficos nos esse oporteat.*

Omnes Euangelistæ percussionis istius meminerunt: solus Lucas commemorat seruum à Christo sanatum. Non casu id factum. Lucæ partes erant describere Christum sacerdotem; sacerdotis autem maximè est, mala inferentibus ignoscere, & eos beneficiis cumulare.

Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus.

CVm gladiis & fustibus ei occurrunt, qui armatus innocentiâ erat; & retundere omnem vim illorum tam facilè poterat, quàm facilè omnes delere. *Turbati*, inquit Vigerius Chordâ. 7. cap. 75. *ministri pontificum minus & promissis dominorum, cum gladiis & fustibus, id est armis hastatis, quandò in fustibus mucrones habebant, cum armis ad iustum prælium hæc ferebat cohors Romanorum militum. Et fustibus. Hos gestabant calones & agasones illi viles, pontificum Pharisæorumque ministri; qui, quoniam arma tractare, nesciebant, & fortassè veriti erant, pro armis fustes acceperant, vt quâcunque ratione possent, innocentem opprimerent.*

Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

H*Oram* potius dixit, quàm *tempus*; vt significet hanc afflictionem ad horam id est ad breue tempus dumtaxat, duraturam. Tam lætus passionis calicē bibebat, vt breue illi videretur, quod alteri valde diuturnum fuisset. Nimirum, *dum amor porrigitur, contrahi patiendi tempus videtur amanti.* 758.

Duxerunt ad domum principis sacerdotum.

D*Vxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus autem sequebatur:* ibique negauit. In principis nimirum domo negat Iesum Petrus; quia illam domum mendacium inhabitabat, ab illâ exulabat veritas. *Negat in Domo Caiphæ*, ait sanctus Chrysostomus: *ibi negat, vbi potest valere mendacium.* Non tàm facilè negasset, si à principis domo, quæ mendaciorum receptaculum erat, abfuisset.

Petrus verò sequebatur à longè.

P*Etrus verò sequebatur à longe:* Longè à Iesu erat Petrus, non longè à Petro Iesu negatio fuit. 759.
Bene à longè sequebatur, ait sanctus Ambrosius, *iam proximus negaturus: neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset.*

Cecidit

Cecidit Petrus, vt cadentes benignè exciperet. *Erat Petrus*, inquit sanctus Chrysostomus, *paulò durior, sicut truncata seruo principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque seuerus, si donum non peccandi fuisset adeptus, qua venia commissis populis donaretur?* Nulli facilè ignosceret Petrus, si se facilè cecidisse non cognosceret, seque talem lapsum fecisse, cui esset ignoscendum.

Non mirum ibi labi Petrum, vbi tot peccati illecebræ, & lapsus incentiua. *Non in monte*, inquit sanctus Ambrosius, *non in templo, non in domo sua; sed in prætorio Iudæorum, in domo Principis sacerdotum; ibi negat, vbi veritas non est, ibi negat, vbi Christus ligatus.* Si in templum se Petrus recepisset, aut se domi continuisset, non tam facilè in tam graue scelus incidisset. Tanti refert, peccati occasionem vitare.

O homo non sum.

O *Homo non sum*: Ita ne fatetur se non esse Petrus? Videbatur non esse, qui negauerat Christum. Qui Christum abnegat verè non est. *Quia videbatur negare Christi societatem*, ait sanctus Ambrosius, *vtique se negauit*. Qui sinè Iesu est, sine vita est; nihil prorsus esse videtur.

Et conuersus Dominus respexit Petrum.

RESpexit Dominus Petrum, exque eius corde, quod in saxum obdurnerat, elicuit lachrymarum fontes nouus Moyses; timore & amore pro virgâ vsus. Percussit virgâ petram Moses, & dedit aquas: percussit Petrum Christus timoris, & amoris meliore virgâ, & lachrymas in salutem effudit.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXIII. LVCÆ.

Vers. 1.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

Surgens. *Pagn. Cùm surrexisset.*
Omnis. *Euth. Vniuersa.*
Mult. *Syr. Cœtus.*
Duxerunt. *Syr. Adduxerunt. Fr. Luc. Duxit.*

Vers. 2.

Cœperunt autem illum accusare, dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

Hunc. *Syr. Istum.*
Inuenimus. *Theoph. Deprehendimus.*
Subuertentem. *Syr. Seducentem. Arab. Subuertere. Vat. Peruertentem. Pagn. Euertentem.*
Gentem n. *Ar. M. Gentem.*
Prohibentem. *Theoph. Vetantem. Arab. Prohibentem nos.*
Tributa. *Syr. Argentum Capitum. Arab. Tributum.*
Dare. *Syr. Dari.*
Et dicentem. *Syr. Et dicentem de se ipso.*
Christum Regem esse. *Syr. Esse Regem illum Christum.*

Vers. 3.

Pilatus autem interrogauit eum dicens: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.

Tu. *Syr. Tune.*
Et Rex. *Syr. Et Rex ille Ar. M. Rex.*
Dicis. *Syr. Dixisti.*

Vers. 4.

Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine.

Nihil i. c. *Syr. Nullam inuenio occasionem. Arab. Non inuenimus causam. Euth. Nihil inuenio noxæ. Pagn. Nihil inuenio criminis.*
In h. h. *Syr. Aduersus hominem istum.*

Vers. 5.

At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

Inualescebant. *Syr. Clamabant.*
Commouet. *Syr. Conturbat. Vat. Concitat.*
Populum. *Syr. Gentem nostram.*
Per v. I. *Arab. In vniuersam Iudæam.*
Incipiens. *Arab. Et cœpit. Theoph. Exorsus. Caiet. Orsus.*
Huc. *Euth. Ad hunc locum.*

Vers. 6.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset.

Audiens G. *Syr. Quum audisset nomen Galilææ. Vat. Audita mentione Galilææ.*
Si h. G. e. *Arab. An ipse vir Galilæus esset.*

Vers. 7.

Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset remisit eum ad Herodem,

Vt c. *Ar. M. Cognoscens.*
Quòd d. H. p. e. *Syr. Eum ad Herodis potestatem pertinere. Euth. Quòd ad Herodis ditionem pertineret. Vat. Eum ditionis Herodianæ esse.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

Remisit. *Arab. Misit.*
Illis d. *Euth. In illis diebus. Theoph. Per id tempus.*

Vers. 8.

Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

Viso Iesu. *Ar. M. Videns Iesum.*
Valde. *Ar. M. Vehementer.*
Erat cupiens. *Arab. Desiderabat. Theoph. Tenebatur cupiditate. Pagn. Volebat. Ar. M. Erat volens.*
Ex m. t. *Arab. Ex longo tempore. Euth. Iam à multo tempore. Theoph. Multo iam tempore. Ar. M. Ex multo.*
Multa. *Syr. Quamplurima. Arab. Res multas.*
Videre fieri. *Syr. Visurum. Theoph. Se visurum fieri. Vat. Se visurum editum. Ar. M. Factum.*

Vers. 9.

Interrogauit autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

In multis. *Syr. Multis. Arab. De multis.*
Nihil r. *Syr. Nullum responsum dedit.*

Vers. 10.

Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ constanter accusantes eum.

Princip. f. *Euth. Summi sacerdotes.*
Constanter. *Syr. Pertinaciter. Euth. Acriter. Caiet. Intentè.*

Vers. 11.

Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

Spreuit. *Syr. Despicatui habuit ipse. Pagn. Cum spreuisset. Ar. M. Nihil faciens.*
Cum e f. *Syr. Et militis eius. Arab. Et exercitus eius. Theoph. Cum exercitibus suis. Fr. Luc. Cum copiis seu, Militibus suis.*
Illusit. *Syr. Cum illusisset ei. Arab. Illuserunt illum. Ar. M. Illudens. Fr. Luc. Postquam illusisset.*
Indutum. *Syr. Induit. Arab. Et induerunt illum. Ar. M. Amiciens.*
Veste a. *Syr. veste coccineâ. Arab. Vestem splendidam. Pagn. Veste splendida. Fr. Luc. Veste præclarâ.*
Ad Pilatum. *Ar. M. Pilato.*

Vers. 12.

Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam anteà inimici erant ad inuicem.

Amici. *Theoph. Amici inter sese. Euth. Amici inter se mutuò, Ar. M. Amici cum inuicem.*
Herodes & Pilatus. *Theoph. Pilatus & Herodes. Ar. M. Hicque Pilatus & Herodes.*
Ipsâ. *Syr. Eo ipso. Vat. Eodem illo.*
Nam antea inimici e. a. i. *Syr. Inimicitia enim fuerat ante inter eos. Euth. Cùm antea simultas inter eos intercessisset. Pagn. Nam antea extiterant inimici inter sese. Ar. M. Praexistetant enim in inimicitia existentes ad se ipsos.*

Vers. 13.

Pilatus autem conuocatis Principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe.

Conuocatis. *Arab. Vocauit. Ar. M. Conuocans. Fr. Luc. Postquam conuocasset.*
Princip. f. *Arab. Principes sacerdotum. Fr. Luc. Summos sacerdotes.*
Magistrat. *Arab. Maiores. Fr. Luc. Principes.*
Et plebe. *Syr. Populi. Arab. Et populum.*

Vers. 14.

Dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto ex

Hominem. *Arab. Virum.*
Quasi a. *Syr. Vt qui peruertat. Arab. Quasi ipse euertat. Euth. Tanquam auertentem. Ar. M. Auertentem.*
Populum. *Syr. Populum vestrum.*
Coram v. *Syr. In conspectu vestro.*
Interrogans. *Syr. Interrogaui eum diligenter. Euth. Quum inquisissem. Fr. Luc. Cum interrogauerim.*
Nullam causam. *Euth. Nihil criminis. Theoph. Nullum crimen. Fr. Luc. Nullam noxam.*
Inueni. *Theoph. Inuenio.*
Homine. *Syr. Viro.*
Ex his in q. *Arab. Ex omnibus, quibus. Euth. Ex his de quibus. Ar. M. Quorum.*

his,

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

his, in quibus eum accusatis.

Eum a. *Syr. Detulistis eum. Goth Accusatis eum. Pagn. Accusabatis eum. Ar. M. Accusastis aduersus eum.*

Vers. 15.

Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei?

Neque. *Vat. Ne quidem.*
Remisi vos ad illum. *Syr. Ipsum remisi ad eum. Arab. Remisit illum ad nos.*
Nihil actum est ei. *Syr. Nihil factum est ei. Arab. Non est illi actio.*
Dignum morte. *Arab. Ob quam dignus sit morte.*

Vers. 16.

Emendatum ergo illum dimittam.

Emendatum. *Syr. Castigabo. Arab. Ego corripiam eum. Ar. M. Castigans. Caiet Correpsum. Fr. Luc. Castigatum.*
Illum d. *Enth. Ipsum absoluam.*

Vers. 17.

Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum.

Necesse habebat. *Syr. Mos erat. Arab. Erat illis consuetudo.*
Dimittere. *Arab. Mitti sibi. Enth. Absoluere.*
Vnum. *Arab. Vinctum vnum.*
Per d. f. *Arab. In die festi. Theoph. In festo. Ar. M. Per festum. Caiet. Singulis festis.*

Vers. 18.

Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam,

Exclamauit. *Enth. Exclamauerunt.*
Simul vni. t. *Arab. Omnis turba. Enth. Simul cum vniuersa multitudine. Fr. Luc. Per vniuersam multitudinem.*
Et dimitte.. *Syr. Dimitte autem. Enth. Et absolue.*

Vers. 19.

Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem.

Qui. *Syr. Qui quidem.*
Seditionem quandam f. *Syr. Seditionem factam. Arab. Quæ fuit.*
Homicidium. *Syr. Cædem.*
Missus. *Vat. Coniectus*
In c. *Syr. In domum vinctorum.*

Vers. 20.

Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum.

Iterum autem. *Syr. Rursus ergo.*
Locutus est ad eos. *Syr. Allocutus est eos. Arab. Vocauit eos. Ar. M. Allocutus est.*
Volens. *Syr. Dum vellet. Arab. Et voluit.*
Dimittere. *Enth. Absoluere.*

Vers. 21.

At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

Succlamabant. *Syr. Vociferantur. Pagn. Clamabant. Fr. Luc. Inclamabant.*
Crucifige, Crucifige eum. *Arab. Crucifige eum, crucifige eum.*

Vers. 22.

Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.

Mali. *Ar. M. Malum.*
Nullam causam. *Syr. Nullam occasionem. Theoph. Nullum crimen. Arab. Non enim causam.*
Mortis. *Syr. Dignam morte. Arab. Ob quam dignus sit morte. Theoph. Capitale.*
Inuenio. *Syr. Inueni. Theoph. Comperio.*
Corripiam. *Syr. Castigabo. Enth. Correptum. Pagn. Castigatum. Ar. M. Castigans. Fr. Luc. Postquam castigauero.*
Et dimittam. *Enth. Absoluam. Pagn. dimittam.*

Vers. 23.

At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum:

Vocibus m. *Syr. Aliâ voce.*
Postulantes. *Syr. Et rogabant eum. Enth. Petentes.*
Crucifigeretur. *Syr. Crucifigeret ipsum.*
Inualescebant. *Syr. Inualescebat.*
Voces e. *Syr. Vox eorum ac principum Sacerdotum. Vat. Voces eorum ac summorum sacerdotum.*

Vers. 24.

Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.

Et Pilatos. *Enth. Pilatus ergo.*
Adiudicauit. *Syr. Iussit.*
Fieri. *Pagn. Vt fieret.*
Petitionem. *Pagn. Postulatio. Arab. Propositum. Fr. Luc. Postulatum.*

Vers. 25.

Vulgata Editio.

Verſ. 25.

Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium, & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Ieſum verò tradidit voluntati eorum.

Verſ. 26.

Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum.

Verſ. 27.

Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

Verſ. 28.

Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.

Verſ. 29.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.

Verſ. 30.

Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: Operite nos.

Verſ. 31.

Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Verſ. 32.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.

Verſ. 33.

Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.

Verſ. 34.

Ieſus autem dicebat: Pater dimitte illis:

Lectionum varietas.

Dimiſit. *Euth. Abſoluit.*
Homic. e. ſ. *Syr. Seditionem & cædem.*
Miſſus. *Vat. Coniectus.*
Carcerem. *Syr. Domum vinctorum.*
Quem p. *Syr. Illum, quem petebant. Arab. Sicut petierunt. Theoph. Quem popoſcerunt. Fr. Luc. Quem poſtulabant.*
Voluntati e. *Arab. Sicut voluerunt. Theoph. Arbitrio eorum.*

Ducerent. *Arab. Ipſi ducerent. Pagn. Abducerent.*
Apprehenderunt. *Syr. Prehenderunt.*
Simonem q. C. *Arab. Vnum, qui vocabatur Simon Cyrenenſis.*
Venientem. *Arab. Et ipſe venerat.*
De villâ. *Ar. M. Ab agro. Caiet. De agro. Fr. Luc. Ex rure.*
Impoſuerunt i. *Arab. Poſuerunt ſuper eum.*
Portare. *Euth. Vt ferret.*
Poſt I. *Syr. Ponè Ieſum. Fr. Luc. A tergo, Ieſu. Retro.*

Sequebatur i. *Syr. Veniebat poſt eum.*
Multa t. p. *Syr. Multitudo. Euth. Multitudo magna populi.*
Mulierum. *Syr. Mulierum illarum.*
Plangebant. *Arab. Contriſtabantur illi.*
Lamentabantur. *Arab. Compatiebantur illi.*

Nolite flere. *Euth. Ne fleueritis.*
Sed. *Arab. Sed dico vobis.*
Vos ipſas. *Arab. Vos. Vat. Vobis ipſis.*
Fil. v. *Vat. Filiis veſtris.*

Venient. *Fr. Luc. Veniunt.*
In quibus. *Syr. Quibus.*
Dicent. *Arab. Dicetis.*
Ventres. *Syr. Vteri.*
Genuerunt. *Syr. Pepererunt.*

Incip. d. *Syr. Incipietis dicere. Arab. Dicetis.*
Operite. *Theoph. Cooperite.*

In viridi. *S. Hil. In humide.*
Hæc f. *Arab. Hoc fecerint.*
Quid. *Arab. Quid ergo erit.*

Ducebantur. *Syr. Veniebant. Arab. Duxerunt.*
Et alij d. *Arab. Duos alios.*
Nequam. *Arab. Malefactores. Euth. Scelerati. Caiet. Malefici. Fr. Luc. Facinoroſi.*
Vt interf. *Syr. Vt trucidarentur. Ar. M. Tolli.*

Et poſtquam. *Euth. Cùm.*
Venerunt. *Euth. Perueniſſent. Ar. M. Abierunt.*
In locum. *Syr. Ad locum quendam.*
Vocatur. *Euth. Dicitur.*
Caluariæ. *Euth. Caluaria.*
Latrones. *Syr. Illos maleficos. Arab. Cum eo duos malefactores. Theoph. Facinoroſos. Fr. Luc. Nequam.*
Vnum. *Vat. Vnum quidem.*
A dextris. *Syr. A dexterâ. Arab. A dextris eius.*
Alterum. *Vat. Alterum verò.*
A ſiniſtris. *Syr. A ſiniſtrâ. Arab. A ſiniſtris eius.*

Dicebat. *Arab. Dixit.*
Dimitte. *S. Hil. Remitte. S. Aug. Ignoſce.*

non

Vulgata Editio. | *Lectio Varietas.*

Non enim ſciunt quid faciunt. Diuidentes verò veſtimenta eius miſerunt ſortes.

Non enim ſciunt. *Arab. Quia ipſi non comprehendunt. S. Hil. Quia neſciunt. Aru. Quia ignorant.*
Diuidentes v. *Syr. Et partiti ſunt. Arab. Et diuiſerunt ſibi. Fr. Luc. Diſpertientes veſtimenta.*
Miſerunt ſ. *Syr. Ac ſuper eis iecerunt ſortem. Arab. Et miſerunt ſortes ſuper ea. Vat. Mittebant ſortem.*

Verſ. 35.

Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.

Et ſ. *Syr. Stabat autem.*
Spectans. *Syr. Conſpiciens. Arab. Aſpiciebat.*
Et d. e. *Syr. Et ſubſannabant eum. Arab. Et illudebant ei. Ar. M. Deridebant autem.*
Principes c. e. *Syr. Etiam proceres. Ar. M. Et principes cum eis.*
Dicentes. *Arab. Et dicebant.*
Alios ſ. f. *Arab. Quia ipſe alios ſaluos fecit. Theoph. Alios ſeruauit.*
Se. *Arab. Se igitur. Euth. Se ipſum.*
Saluum f. *Theoph. Seruet.*
Si hic. *Arab Si ipſe.*
Chriſtus *Pagn. Ille Chriſtus.*
Electus. *Pagn. Ille electus.*

Verſ. 36.

Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei.

Illude. a. *Syr. Quin etiam illudebant.*
Accedentes. *Syr. Dum accederent. Arab. Et accedebant ad eum.*
Offerentes. *Syr. Offerrent. Arab. Offerebant.*

Verſ. 37.

Et dicentes: Si tu es rex Iudæorum, ſaluum te fac.

Dicentes. *Syr. Dicerent. Arab. Dicebant.*
Rex. *Theoph. Rex ille.*
Saluum t. f. *Vat. Serua te ipſum.*

Verſ. 38.

Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic eſt rex Iudæorum.

Superſcriptio. *Pagn. Inſcriptio.*
Litteris Græcis. *Syr. Ionicè. Arab. Græcè.*
Latinis. *Syr. Romanè. Arab. Latinè.*
Hebraicis. *Syr. Hebraicè.*

Verſ. 39.

Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos.

De his latronibus. *Syr. Ex maleficis illis. Arab. Ex malefactoribus. Theoph. Facinoroſum. Ar. M. Maleficorum.*
Pendebant. *Syr. Suſpenſi erant cum eo. Arab. Crucifixi erant cum eo.*
Blaſph. e. *Arab. Blaſphemabat. Euth. Conuicia iactabat in eum. Vat. Conuicia dicebat in eum.*
Dicens. *Arab. Et dicebat.*
Chriſtus. *Vat. Ille Chriſtus.*
Saluum fac. *Pagn. Serua.*
Nos. *Syr. Serua nos quoque. Arab. Saluos fac nos.*

Verſ. 40.

Reſpondens autem alter increpabat eum dicens: neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.

Reſp. a. a. *Syr. At ſocius eius.*
Increpabat. *Syr. Obiurgauit.*
Neque tu t. D. *Syr. Ne Deum quidem times. Arab. Non times Deum. Orig. Non times tu Deum. Theoph. Ne times quidem tu Deum.*
Quòd es. *Syr. Qui & ipſe ſis. Arab. Cùm ſimus. S. Chryſ. Quòd ſumus.*
In e. d. *Syr. In eodem iudicio. Arab. Sub hac damnatione.*

Verſ. 41.

Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil malè geſſit.

Nam recipimus. *Syr. Nam luimus pœnas. Arab. Retributionem ſuſcipimus. Euth. Nam recepimus.*
Digna factis. *Syr. Prout digni fuimus, & prout egimus. Arab. Sicut digni ſumus & ſicut operati ſumus. Orig. Condigna factis.*
Hic verò. *Orig. Iſte autem.*
Nihil mali g. *Syr. Nihil odioſum egit. Arab. Non fecit quicquam. Ar. M. Nihil inſolens egit. Caiet. Nihil abſurdi geſſit. Fr. Luc. Nihil abſonum indicens geſſit.*

Verſ. 42.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 42.

Et dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

Et d. *Arab. Deinde dixit.*
Ad Ieſum. *Euth. Ieſu.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Memento mei. *S. Aug. In mente me habe.*
In r. t. *Fr. Luc. In regno tuo.*

Verſ. 43.

Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.

Hodie. *Arab. Quia hodie. S. Aug. Hoc die.*

Verſ. 44.

Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam.

Erat f. *Syr. Erat circiter. Arab. Factum eſt. Orig. Erat iam quaſi. Fr. Luc. Erat quaſi.*
Hora ſ. *Arab. In horâ ſextâ.*
Factæ ſ. *Arab. Obtenebrauerunt.*
In v. *Arab. Vniuerſam. Orig. Super omnem. Theoph. Super totam. Caiet. Super vniuerſam.*
In h. *Pagn. Ad horam.*

Verſ. 45.

Et obſcuratus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt medium.

Obſcuratus eſt ſol. *Orig. Deficiente ſole.*
Velum t. *Syr. Superficies portæ templi.*
Sciſſum. *Syr. Sciſſa.*
Medium. *Syr. Per medium. Arab. Dimidiatim.*

Verſ. 46.

Et clamans voce magna Ieſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.

Clamans. *Vat. Cùm clamaſſet.*
Magnâ. *Arab. Altâ.*
Pater. *Syr. Pater mi.*
In manus t. *S. Greg. Nyſſ. Tibi in manus.*
Commendo. *Arab. Pono. Vat. Depono. Fr. Luc. Deponam.*
Hæc d. *Arab. Cùm hoc dixiſſet. S. Hil. Hæc dicens. Fr. Luc. Hæc loquutus.*
Expirauit. *Syr. Tradidit ſpiritum.*

Verſ. 47.

Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum: Dicens: Verè hic homo iuſtus erat.

Videns. *Pagn. Cùm vidiſſet.*
Quod. *Orig. Quæ.*
Factum fuerat. *Theoph. Accidit. Ar. M. Factum. Orig. Facta ſunt.*

Verſ. 48.

Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.

Omnis t. *Syr. Omnes cætus. Pagn. Omnes turbæ.*
Eorum q. ſ. a. *Syr. Illi, qui coacti fuerant. Arab. Quæ erant aggregata. Pagn. Eorum qui ſimul acceſſerant. Ar. M. Simul accedentes. Caiet. Quæ ſimul aduenerant.*
Ad ſpect. *Theoph. Spectaculum.*
Et v. *Syr. Quum vidiſſent. Euth. Et viderant. Ar. M. Spectantes.*
Quæ f. *Syr. Quod actum fuerat. Vat. Quæ contingebant. Ar. M. Facta. Fr. Luc. Quod factum fuerat.*
Percutientes. *Arab. Ipſa percutiebant.*
Sua. *Ar. M. Sua ipſorum.*
Reuertebantur. *Arab. Et reuerſa ſunt.*

Verſ. 49.

Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

Stabant. *Arab. Erant ſtantes.*
A longè. *Pagn. Procul.*
Mulieres. *Syr. Fœminæ illæ.*
Secutæ eum e. *Syr. Venerant cum eo. Ar. M. Conſequuta eum. Vat. Simul ſecutæ illum erant.*
Hæc. *Arab. Hoc.*
Videntes. *Syr. Spectabant.*

Verſ. 50.

Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus & iuſtus:

Vir. *Syr. Vir quidam.*
Qui erat d. *Arab. Habens conſilium perſpicax. Euth. Senator. Pagn. Decurio. Ar. M. Conſiliarius exiſtens.*
Vir bonus. *Vat. Qui erat vir bonus.*

Verſ. 51.

Hic non conſenſerat conſilio & acti-

Non c. *Arab. Non fuit conſentiens. Ar. M. Non erat ſuffragatus.*

bus

Vulgata Editio.

bus eorum,ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat,& ipse regnum Dei.

Lectionum Varietas.

Consilio. *Syr. Voluntati. Vat. Concilio.*
Actibus. *S. Facinori. Arab. Operationibus. Euth. Factis. Ar. M. Actioni. Caiet. Actui. Fr. Luc. Facto.*
Ab. A. *Vat. Oriundus ab Arimathaâ.*
Iudææ. *Theoph. Iudaeorum.*

Vers. 52.

Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.

Accessit. *Syr. Adiit. Arab. Venit. Ar. M. Accedens.*
Ad Pilatum. *Syr. Pilatum. Ar. M. Pilato.*
Petiit. *Arab. Petiit ab eo. Pagn. Postulauit.*

Vers. 53.

Et depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Depositum. *Euth. Dispositum. Tert. Detractum. Ar. M. Detrahens ipsum.*
Sindone. *Syr. Linteo lineo. Vat. Sindoni. Ar. M. In sindone.*
Eum. *Caiet. Illud.*
Exciso. *Arab. Quod exciderat. Theoph. Quod erat in lapide excisum.*

Vers. 54.

Et dies erat parasceues,& sabbatum illucescebat.

Et d. *Syr. Cæterùm dies.*
Et sabbathum i. *Syr. Et sabbatum post illucescebat. Arab. Cuius mane erat sabbathum.*

Vers. 55.

Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum,& quemadmodum positum erat corpus eius.

Subsecutæ a. m. *Syr. Accesserunt autem mulieres istæ. Arab. Et mulieres.*
Cum eo v. *Arab. Sequebantur. Ar. M. Fuerunt venientes.*
De G. *Arab. A Galilaâ. Vat. E Galilea.*
Viderunt. *Syr. Inspexerunt. Arab. Videbant. Vat. Intuita sunt.*
Monum. *Syr. Sepulchrum.*
Quemad. *Euth. Quomodò.*

Vers. 56.

Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

Et reuert. *Pagn. Reuersa verò. Ar. M. Reuersa autem.*
Arom. e. v. *Arab. Vnguentum & aromata.*
Sabbatho. *Arab. In sabbatho.*
Siluerunt. *Arab. Desierunt. Vat. Quieuerunt.*
Secund. m. *Syr. Sicuti præceptum est. Arab. Sicut erat in præcepto. Euth. Secundùm præceptum.*

CAPVT XXIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Cur tacuerit Christus, *quum accusaretur.* 761
Viri iusti *non facilè se in aliorum* conspectum *dent.* 762
Iturus ad passionem *cur mulierum lachrymas noluerit* Christus. 763. *vsque* 768
Libenti animo Christus patiebatur. 763
Solus veri gaudij *author* Christus, *non flendi materia.* 764
Sibi compatiatur *compassurus aliis.* 765
Christi passio *omnes lachrymas vt abstulerit.* 766
Beatitudinis *quadam arrha passio &* Crux *Christi.* 767
Irati iudicis *supremi vultum sustinere, reprobis quàm graue.* 767
Crucifigi *cur voluerit* Christus *non secari.* 767

Et, surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

QVOD iustitiâ nequeunt, multitudine præ- 761.
stant. Surrexit multitudo, & insurrexit in Iesum. *Duxerunt illum ad Pilatum*, vt illum condemnaret, ipsique à crimine viderentur immunes. Duxerunt ad Pilatum, quia à Pilatu debebant abducere.

Ante Pilatum accusatur Christus, nec se tuetur. Accusationem suam tacendo non firmat Auctor Innocentiæ, sed despicit, dum non refellit. Tacet lingua, vbi ipsa sibi adest veritas. Tacendo vincere, silendo voluit Christus superare; vt silentij, & taciturnitatis commendatio fieret accusati Christi silentium, ac taciturnitas. Nimirum salutem nostram silentio præcipuè debemus, debemus vitam taciturnitati. *Accusatur Dominus, & tacet,* inquit Sanctus Ambrosius, *& benè tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci.*

Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum.

762. E*Rat enim cupiens ex multo tempore videre eum;* Summo tenebatur Christi videndi desiderio Herodes. Quid præstitit vbi vidit? spreuit,& illusit albâ veste. Nimirum *spiritualis quisque carnalibus,absens,quidem timori,ac reuerentia; præsens autem, videtur esse despectui*, inquit sanctus Petrus Damianus. Præstat viris iustis, domi se continere, & ab aliorum oculis se quantum licet eximere, ne contemnantur; aut non videantur,vel raro, vt magni videantur, sicque vberiorem in aliis fructum gignere possint.

Spreuit illum Herodes cum exercitu suo.

SOlent enim aulici principis sui mores referre; quem spernit Herodes spernit Herodis satellitium; *cum exercitu suo*, qui sub impietatis vexillo militabat;sed quid exercitus significat, aut cur hîc adhibitus?Vigerina Chorda. 7.cap. 121.*Spreuit ergò eum cum exercitu suo,id est,cum multitudine, qua stipatus erat, tanta qua ad exercitum sufficeret. Vel cum exercitu suo, id est, cum exercitus sui Principibus,illic astantibus: Venerat enim in Hierusalem ad diem festum. Et quia non satis erat Pilato pacatus, & magnam populi affluentiam sciebat frequentare festiuitatem, duxerat secum armatorum ingentem manum, quam circa se stare iussit, cùm vidit ad se tantam multitudinem venire Iudaeorum, & sibi non amicorum. Præsertim verò cum vidit Pontifices regnare solitos,& Pharisæos, quos sanctitatis opinione nouerat in populo omnia posse.*

Potuit Herodes Iesum spernere; sed Iesus spreuit se sperni. Quærat hîc aliquis,cur Christus Herodem non reprehenderit, non correxerit, quod præstare Ioannes consueuerat. *Videbat regem immedicabilem*(inquit Salmeron tom. 10. tract. 27.) *correptionisque minimè capacem;& sicut non audiuit Ioannem,nec Christum audiuisset.*

Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die.

763. E*T facti sunt amici Herodes, & Pilatus:* Munerum loco Christum mittit ad Herodem Pilatus;& amici facti sunt cum antea inimici ad inuicem essent. *Decebat enim eum,qui mundum erat pacificaturus, vt priùs etiam ipsos iudices suos pacificaret:* inquit sanctus Cyrillus Ierosolymitanus.

Filia Ierusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

LIbenti animo passus Christus est, vt idcircò etiam mulieres increpauerit, quæ super eum flebant, dicens: *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Quod ad hanc mentem expendebat sanctus Isidorus Pelusiota: *Ei*, inquit, *qui non inuito animo patitur, commiseratio pro contumeliâ est. Quandoquidem igitur ipse spontè, ad patiendum se conferebat; Eum autem, qui laudibus, ac plausu dignus erat, illa fletu,ac lachrymis prosequebantur.*

764. *Filia Ierusalem nolite flere super me:* Cur, qui Magdalenæ lachrymas & excepit, & commendauit, harum mulierum lachrymas reiicit? Quid hæ mulieres flentes meruerunt, vt pro lachrymis extremam filiorum cladem annunciauerit Christus? Increpat hunc fletum,quia ex ignorantiâ eius passionis proficiscebatur,quasi ipse inuitus pateretur; & ex infirmitate,non ex amore. *Ei enim qui vltrò, & spontè, & non inuito animo patitur, commiseratio pro contumelia est.* Lubens, & lætus patiebatur Christus. Noluit ergo lachrymarum mœstitiâ sacrificium suum quodammodo temerari.

Nolite flere super me. Quæ in se vberem flendi materiam habent,super se fleant, non super Saluatorem, qui solus veri gaudij author est. *Docens*, ait Sanctus Leo serm. 10. de Passione Domini, *nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam. Non est,inquit, quòd dolere in me Hierusalem filia debeatis: pro vobis plangite, & pro vestris filiis eiulate. Super illos fundantur isti ploratus,quos tales viscera vestra pepererunt. Lugendum planè vobis est, non de salute credentium, sed de impietate & temeritate pereuntium. Ego Crucem volens patior; & mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro Mundi redemptione morientem,quem in maiestate Patris videbitis iudicantem.*

Ritè expendit hæc verba verborúmque ordinem Bernardus serm. 2.de Resurrectione Domini. 765.
Cùm exiret,inquit, *Dominus baiulans sibi Crucem, & plangerent super eum, nondum quidem omnes tribus terræ,sed mulieres paucæ, conuersus ad eas, Filiæ (inquit) Hierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Ordinem diligenter attende: super vos,inquit primò;deinde, super filios vestros. Temetipsum attende vt aliis noueris compati,vt arguas in spiritu lenitatis. Teipsum considera,ne & tu tenteris.*

Nolite flere. Facilis ad lachrymas segnior sexus lachrymis prosequebatur Saluatorem. Noluit obsequium istud Christus, tanquàm non deceret, vt lachrymantes comites haberet,qui ad triumphum ibat. Præclarè sanctus Leo serm. 10. de Passione, *Sequebatur*, inquit, *eum multitudo populi & mulierum plangentium & lamentantium eum. Solet enim sexus infirmior etiam pro iis, qui morte sunt digni, lachrymis commoueri, & damnatorum exitus,pro naturæ communis consideratione misereri: sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi; quia non decebat luctus triumphum,nec lamenta victoriam.*

Nolite flere super me: Scilicet ostendere voluit, 766.
hominem iustum nunquam eò miseriarum, & calamitatum deuenire, vt eum lachrymis prosequi necesse sit. Licèt mille eum ærumnarum causæ opprimant, & pleno agmine eius animum tribulationes multæ,& aduersitates oppugnent, alienis tamen nunquam lachrymis indiget. Internâ pace perfunditur,erigitur futurorum spe, & bonæ conscientiæ fruitur quiete.

Nolite flere super me; cur ad crucem dum iret Iesus piarum mulierum lachrymas respuit? An vt innueret gaudij copiosam segetem passionem, & Crucem esse, non mœroris? Beatorum plenam iucunditatem significare Ioannes volens; *Absterget*, inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*; Apoc.21.4
Diceres passionem regni cælestis quandam fuisse imaginem. Patronum hæc sententia habet sanctum Ambrosium in Psalm. 118. Octon. 14. vbi ait: PASSIO CHRISTI IMAGO FVIT REGNI CÆLESTIS; *nemo audiuit in plateis vocem eius, quia illo silentio passionis suæ clamorem omnem in posterum impiæ vocis abolebat,nolebat fleri, quia dicebat ad filias Ierusalem; filiæ Ierusalem, nolite me flere, sed vos ipsas flete; ablaturus enim omnes lachrymas suæ beneficio*

Crucis

Crucis in passione propria futura instar beatitudinis lætitiam exhibebat, vt nemo fleret nisi qui Christi beneficia non teneret.

Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.

REprobi in die iudicij montes super eos cadere, & montes eos operire cupient, ne irati iudicis vultum videant: *Leuiùs æstimantes*, inquit Guarricus Abbas, *absorberi voragine inferni, quàm sustinere faciem Dei irati.*

Ibi crucifixerunt eum: Crucifigi voluit, non secari. *Non ei caput amputatur*, ait sanctus Chrysostomus, *vt Ioanni: non secatur, vt Isaias: sed seruatur corpus integrum, & indiuisibile,* NE FIAT OCCASIO VOLENTIBVS ECCLESIAM DIVIDERE. Neve inter se membra diuisionem quærant, inimicitias foueant, atque dissidia.

Si in viridi ligno hæc faciunt.

SI in viridi ligno; Sanctus Hilarius in Psalm. 1. legit. *Si in humido* additque ad explicatum: *Per humidi ligni exemplum nihil in se ariditati mortis obnoxium esse significans.*

SECTIO II.

Pro persequentibus orare *vt nos docuerit* Christus. 768
Quanta sit virtutis, iniurias *condonare.* 769
Patientiæ *leges viuis exemplis nobis exhibuit Christus.* 770
Veniam cur Christus *Crucifixoribus postulauerit, non diuturnam vitam.* 771
In silentio *cur pro occisoribus suis non* orauerit *Christus.* 771
Sacerdotum *proprium peccatoribus ignoscere & iniuriarum obliuisci.* 772
Nil referre viuere *nisi* Christo *viuamus.* 772
Peccatorum *perditio quàm Christo acerba.* 772
Christi oratio *pro occisoribus expenditur.* 772. 773
Animarum *lucra quærere etiam in tormentis quam insigne sit facinus.* 773
Boni latronis *charitas expenditur.* 774
Accusator *sui quilibet sit, ne accusetur,* 774
Dei timor *quàm vtilis.* 775
Christi *vulnera vt amorem accendant.* 775
Boni latronis *exemplum vt imitandum.* 776
Loco *minimè fidendum.* 776

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt.

768. INiuriarum oblitus, pro illis, qui illas intulerant, patrem orat: *Pater*, inquit, *dimitte illis.* Cur non ipse dimittit, qui Deus, vt Pater, erat? Quà homo dimisérat: quà Deus, vnius cum Patre voluntatis pariter dimisit. Sed tamen patrem exorat; *Non quia non posset ipse relaxare*, ait sanctus Thomas hîc; *sed vt nos pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed & opere.*

769. *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt:* Quàm efficax hæc vox, quàm potens! scilicet hæc vna præstitit, quod cætera miracula non præstiterunt. Ad hanc quippè vocem, secundum Euangelium Nazarenorum, multa millia Iudæorum adstantium circa crucem crediderunt. Non humanum, sed quid diuinum est, iniurias accipere, & iniuriarum obliuisci. Igitur non tam signorum effectori, quàm iniurias ignoscenti corda, & animos Iudæi subdiderunt. Tantæ virtutis est iniurias condonare.

Pro crucifixoribus suis orat Christus, vt patien- 770.
tiæ nimirum leges non verbis nudis nobis exhiberet, sed viuis exemplis. Rem egregiè vrget sanctus Gregorius Nyssenus de perfecta Christiani formâ: *Quòd si clarius ea sigillatim oratione persequi volumus, quibus imitando imaginem repræsentamus, vnus color est humilitas. Discite, inquit, a me, quia mitis sum & humilis corde. Alter est patientia: quæ quot modis in imagine inuisibilis Dei conspicitur? Vbi gladij, & fustes, & vincula, verbera, alapæ maxilla percussa, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, iudicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus, irrisionibus, contumelijs, & calami percussionibus, immitem sententiam per delicias exacerbantes, claui, & fel, & acetum & grauissima quæque ipsi sine causâ illata, immò verò pro innumerabilibus beneficiis reddita. Tunc ille quomodo ista patrantes vltus est? Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt, quod faciunt. Nonne poterat contra eos superias vel cælum perfringere; vel ipsos terra hiatibus abolere; vel dimouere ex proprijs terminis mare, & voraginibus terram submergere; vel Sodomiticam ignis imbrem demittere vnico verbo; vel aliquod aliud acerbum supplicium irrogare? Attamen hæc omnia mitis patiensque animo pertulit; vitaque sua per se ipsum leges patientiæ dedit.*

Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: Pende illud, *quid faciunt.* Non ait, *quid fecerunt.* Nimirum, cum adhuc in eum sæuirent, in ipso crucifixionis actu crucifixores excusat, & pro illis Patrem rogat, cum pedes eius, manusque clauis proforarent. Iis petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam. Calebant in eum furore satanici ministri; calebat in eosdem charitate, & amore Christus.

Pater dimitte illis: Iniuriam oblitus, veniam à 771.
Patre iniurias inferentibus postulat. Non diuturnam vitam occisoribus suis precatur, non opes, sed misericordiam: illius præcipuè curâ Christus tangebatur, quod erat præcipuum. *Sic dilexit ille*, verba sunt sancti Augustini, *qui in cruce pendens ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Neque enim dixit: Pater, viuant isti multo tempore: me quidem occidunt, sed ipsi viuant. Sed quid ait? Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordiosissimâ, & potentiâ præstantissimâ.*

Dimitte illis; Moriturus non patitur Christus in se ipso affectum dilectionis mori; *Quid ergo mirum*, subdit sanctus Gregorius hom. 27. in Euang. *si inimicos diligant discipuli, dum viuunt, quando & tunc inimicos diligit magister cùm occiditur?*

Pater dimitte illis: In silentio pro occisoribus orare Dominus poterat, sed noluit. Emisit vocem, vt ad nos transmitteretur exemplum, & illud præstaremus, quod Christus præstitit. Pulchrè rem versat sanctus Augustinus: *Dic, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Saluatorem occidunt; quia salutem non quærunt. E contra & tu forsitan dicturus es: & quando ego hoc possam, quod Dominus potuit? Quare hoc dicis? Attende vbi hoc faciat. Attende, quia in cruce hoc fecit, non in cælo. Semper enim Deus in cælo cum Patre: in cruce autem pro te homo, vbi se imitandum præbuit omnibus. Pro te enim misit ipsam vocem, vt ab omnibus audiretur. Nam potuit pro illis orare in silentio; sed tu non haberes exemplum.*

Pater dimitte illis: Solus Lucas rei huius memi- 772.

Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum.

762. ERat enim cupiens ex multo tempore videre eum: Summo tenebatur Christi videndi desiderio Herodes. Quid præstitit vbi vidit? spreuit,& illusit albâ veste. Nimirum *spiritualis quisque carnalibus,absens,quidem timori,ac reuerentiæ; præsens autem, videtur esse despectui*, inquit sanctus Petrus Damianus. Præstat viris iustis, domi se continere, & ab aliorum oculis se quantum licet eximere, ne contemnantur; aut non videantur,vel rarò, vt magni videantur, sicque vberiorem in aliis fructum gignere possint.

Spreuit illum Herodes cum exercitu suo.

SOlent enim aulici principis sui mores referre; quem spernit Herodes spernit Herodis satellitium; *cum exercitu suo*, qui sub impietatis vexillo militabat,sed quid exercitus significat, aut cur hîc adhibitus? Vigerius Chorda. 7. cap. 121. *Spreuit ergò eum cum exercitu suo,id est,cum multitudine, qua stipatus erat, tanta quæ ad exercitum sufficeret. Vel cum exercitu suo, id est, cum exercitus sui Principibus,illic astantibus: Venerat enim in Hierusalem ad diem festum. Et quia non satis erat Pilato pacatus, & magnam populi affluentiam sciebat frequentare festiuitatem, duxerat secum armatorum ingentem manum, quam circa se stare iussit, cùm vidit ad se tantam multitudinem venire Iudæorum, & sibi non amicorum. Præsertim verò cum vidit Pontifices regnare solitos,& Pharisæos, quos sanctitatis opinione nouerat in populo omnia posse.*

Potuit Herodes Iesum spernere; sed Iesus spreuit se sperni. Quærat hîc aliquis,cur Christus Herodem non reprehenderit, non correxerit, quod præstare Ioannes consueuerat. *Videbat regem immedicabilem*(inquit Salmeron tom. 10. tract. 27.) *correptionisque minimè capacem,& sicut non audiuit Ioannem,nec Christum audiuisset.*

Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die.

763. ET *facti sunt amici Herodes, & Pilatus*: Munerum loco Christum mittit ad Herodem Pilatus;& amici facti sunt cum antea inimici ad inuicem essent. *Decebat enim eum,qui mundum erat pacificaturus, vt priùs etiam ipsos iudices suos pacificaret*: inquit sanctus Cyrillus Ierosolymitanus.

Filiæ Ierusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

LIbènti animo passus Christus est, vt idcircò etiam mulieres increpauerit, quæ super eum flebant, dicens: *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Quod ad hanc mentem expendebat sanctus Isidorus Pelusiota: *Ei*, inquit, *qui non inuito animo patitur, commiseratio pro contumelia est. Quandoquidem igitur ipse sponte, ad patiendum se conferebat; Eum autem, qui laudibus, ac plausu dignus erat, illæ fletu,ac lachrymis prosequebantur.*

764. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me*: Cur, qui Magdalenæ lachrymas & excepit, & commendauit, harum mulierum lachrymas reiicit? Quid hæ mulieres flentes meruerunt, vt pro lachrymis extremam filiorum cladem annunciauerit Christus? Increpat hunc fletum,quia ex ignorantiâ eius passionis proficiscebatur,quasi ipse inuitus pateretur; & ex infirmitate,non ex amore. *Ei enim qui vltrò, & spontè, & non inuito animo patitur, commiseratio pro contumelia est.* Lubens, & lætus patiebatur Christus. Noluit ergo lachrymarum mœstitiâ sacrificium suum quodammodo temerari.

Nolite flere super me. Quæ in se vberem flendi materiam habent,super se fleant, non super Saluatorem, qui solus veri gaudij author est. *Docens*, ait Sanctus Leo serm. 10. de Passione Domini, *nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam. Non est,inquit, quòd dolere in me Hierusalem filiæ debeatis: pro vobis plangite, & pro vestris filiis eiulate. Super illos fundantur isti ploratus,quos tales viscera vestra pepererunt. Lugendum planè vobis est, non de salute credentium, sed de impietate & temeritate pereuntium. Ego Crucem volens patior; & mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro Mundi redemptione morientem,quem in maiestate Patris videbitis iudicantem.*

Ritè expendit hæc verba verborúmque ordinem Bernardus serm. 2. de Resurrectione Domini. 765.
Cùm exiret,inquit, *Dominus baiulans sibi Crucem, & plangerent super eum, nondum quidem omnes tribus terræ,sed mulieres paucæ, conuersus ad eas, Filiæ* (inquit) *Hierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Ordinem diligenter attende: super vos,inquit primò;deinde, super filios vestros. Temetipsum attende vt alijs noueris compati,vt arguas in spiritu lenitatis. Teipsum considera,ne & tu tenteris.*

Nolite flere. Facilis ad lachrymas segnior sexus lachrymis prosequebatur Saluatorem. Noluit obsequium istuc Christus, tanquàm non deceret, vt lachrymantes comites haberet,qui ad triumphum ibat. Præclarè sanctus Leo serm. 10. de Passione, *Sequebatur*, inquit, *eum multitudo populi & mulierum plangentium & lamentantium eum. Solet enim sexus infirmior etiam pro iis, qui morte sunt digni, lachrymis commoueri, & damnatorum exitus,pro naturæ communis consideratione misereri: sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi; quia non decebat luctus triumphum,nec lamẽta victoriam.*

Nolite flere super me· Scilicet ostendere voluit, hominem iustum nunquam eò miseriarum, & calamitatum deuenire, vt eum lachrymis prosequi necesse sit. Licèt mille eum ærumnarum causæ opprimant, & pleno agmine eius animum tribulationes multæ,& aduersitates oppugnent, alienis tamen nunquam lachrymis indiget. Internâ pace perfunditur,erigitur futurorum spe, & bonæ conscientiæ fruitur quiete. 766.

Nolite flere super me; cur ad crucem dum iret Iesus piarum mulierum lachrymas respuit? An vt innueret gaudij copiosam segetem passionem, & Crucem esse, non mœroris? Beatorum plenam iucunditatem significare Ioannes volens; *Absterget*, inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*; Apoc. 21. 4.
Diceres passionem regni cælestis quandam fuisse imaginem. Patronum hæc sententia habet sanctum Ambrosium in Psalm. 118. Octon. 14. vbi ait: PASSIO CHRISTI IMAGO FVIT REGNI CÆLESTIS; *nemo audiuit in plateis vocem eius, quia illo silentio passionis suæ clamorem omnem in posterum impiæ vocis abolebat,nolebat fleri, quia dicebat ad filias Ierusalem; filiæ Ierusalem, nolite me flere, sed vos ipsas flete; ablaturus enim omnes lachrymas sua beneficio*

Crucis

Crucis in passione propria futura instar beatitudinis lætitiam exhibebat, vt nemo fleret nisi qui Christi beneficia non teneret.

Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos,& collibus, operite nos.

REprobi in die iudicij montes super eos cadere,& montes eos operire cupient, ne irati indicis vultum videant: *Leuius æstimantes*, inquit Guarricus Abbas, *absorberi voragine inferni, quàm sustinere faciem Dei irati.*

Ibi crucifixerunt eum: Crucifigi voluit, non secari. *Non ei caput amputatur,* ait sanctus Chrysostomus, *vt Ioanni: non secatur, vt Isaias: sed seruatur corpus integrum,& indiuisibile,* Na FIAT OCCASIO VOLENTIBVS ECCLESIAM DIVIDERE. Neve inter se membra diuisionem quærant, inimicitias foueant, atque dissidia.

Si in viridi ligno hæc faciunt.

SI in viridi ligno; Sanctus Hilarius in Psalm. 1. legit. *Si in humido* addit que ad explicatum: *Per humidi ligni exemplum nihil in se ariditati mortis obnoxium esse significans.*

SECTIO II.

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt.

768. INiuriarum oblitus, pro illis, qui illas intulerant, patrem orat: *Pater,* inquit, *dimitte illis.* Cur non ipse dimittit, qui Deus, vt Pater, erat? Quà homo dimiserat: quà Deus, vnius cum Patre voluntatis pariter dimisit. Sed tamen patrem exorat; *Non quia non posset ipse relaxare*, ait sanctus Thomas hîc; *sed vt nos pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed & opere.*

769. *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*: Quàm efficax hæc vox, quàm potens! scilicet hæc vna præstitit, quod cætera miracula non præstiterunt. Ad hanc quippè vocem, secundum Euangelium Nazarenorum, multa millia Iudæorum adstantium circa crucem crediderunt. Non humanum, sed quid diuinum est, iniurias accipere, & iniuriarum obliuisci. Igitur non tam signorum effectori, quam iniurias ignoscenti corda, & animos Iudæi subdiderunt. Tantæ virtutis est iniurias condonare.

Pro crucifixoribus suis orat Christus, vt patien- 770.
tiæ nimirum leges non verbis nudis nobis exhiberet, sed viuis exemplis. Rem egregiè vrget sanctus Gregorius Nyssenus de perfectâ Christiani formâ: *Quod si clarius ea sigillatim oratione persequi volumus, quibus imitando imaginem repræsentamus, vnus color est humilitas. Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Alter est patientia: quæ quot modis in imagine inuisibilis Dei conspicitur? Vbi gladij,& fustes, & vincula, verbera, alapis maxillæ percussa, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, iudicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus, irrisionibus, contumelijs, & calami percussionibus, immitem sententiam per delicias exacerbantes, claui,& fel,& acetum & grauissima quæque ipsi sine causâ illata, immò verò pro innumerabilibus beneficiis reddita. Tunc ille quomodo ista patrantes vlctus est? Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt, quod faciunt. Nonne poterat contra eos superius vel cælum perfringere; vel ipsos terra hiatibus abolere; vel dimouere ex proprijs terminis mare,& voraginibus terram submergere; vel Sodomiticum ignis imbrem demittere vnico verbo; vel aliquod aliud acerbum supplicium irrogare? Attamen hæc omnia miti patientique animo pertulit; vitaque sua per se ipsum leges patientiæ dedit.*

Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: Pende illud, *quid faciunt.* Non ait, *quid fecerunt.* Nimirum, cum adhuc in eum sæuirent, in ipso crucifixionis actu crucifixores excusat,& pro illis Patrem rogat, cum pedes eius, manusque clauis proforarentur. Iis petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam. Calebant in eum furore satanici ministri; calebat in eosdem charitate,& amore Christus.

Pater dimitte illis: Iniuriam oblitus, veniam à 771.
Patre iniurias inferentibus postulat. Non diuturnam vitam occisoribus suis precatur, non opes, sed misericordiam: illius præcipuè curâ Christus tangebatur, quod erat præcipuum. *Sic dilexit ille,* verba sunt sancti Augustini, *qui in cruce pendens ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Neque enim dixit: Pater, viuant isti multo tempore: me quidem occidunt, sed ipsi viuant. Sed quid ait? Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordissimâ, & potentiâ præstantissimâ.*

Dimitte illis; Moriturus non patitur Christus in se ipso affectum dilectionis mori; *Quid ergo mirum,* subdit sanctus Gregorius hom. 27. in Euang. *si inimicos diligant discipuli, dum viuunt, quando & tunc inimicos diligit magister cum occiditur?*

Pater dimitte illis: in silentio pro occisoribus orare Dominus poterat; sed noluit. Emisit vocem, vt ad nos transmitteretur exemplum,& illud præstaremos, quod Christus præstitit. Pulchrè rem versat sanctus Augustinus: *Dic, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Saluatorem occidunt; quia salutem non quærunt. E contra & tu forsitan dicturus es: & quando ego hoc possum, quod Dominus potuit? Quare hoc dicis? Attende vbi hoc faciat. Attende, quia in cruce hoc fecit, non in cælo. Semper enim Deus in cælo cum Patre: in cruce autem pro te homo, vbi se imitandum præbuit omnibus. Pro te enim misit ipsam vocem, vt ab omnibus audiretur. Nam potuit pro illis orare in silentio; sed tu non haberes exemplum.*

Pater dimitte illis: Solus Lucas sei huius memi- 772.

nit, ficut & Lstronis, cui patadisum ptomifetat Cbriſtus. Cur ſignatè hæc Lucas recenſuit? Lucæ vitulns aſſignatur in ſacerdotij ſignum. Nihil magis ſacetdotibus ptoprium, quàm peccatoribus ignoſcere, iniurias inferenribus veniam dare. *Lucas*, inquit ſanctus Ambroſius, *competenter aſſernit latronі veniam ſacerdotalі intercessione donatum, & Iudaіs perſequentibus eodem munere indulgentiam postulatam. Vera hac ſacerdotіs conſignatio pro perſequentibus exorare.*

Pater dimitte illis. Miſericordiam illis poſtulst, non vitam diuturnam. Noc eſt viuere vtile, niſi quis Deo viuat, vt æternum cum Deo poſſit viuere. *Incertum eſt*, inquit S. Auguſtinus tract. 1. B. Epiſt. 1. B. Ioann. *vtrum alicui ſit vtilіs vita iſta, an inutilis: vita verò, qua eſt apud Deum, ſinè dubio vtilis eſt. Sic dilige inimicos tuos, vt fratres optes. Sic dilige inimicos, vt ia ſocietatem tuam vocentur; ſic enim dilexit ille, qui in Cruce pendens ait: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Neque enim dixit: Pater, viuant iſti multo tempore: me quidem occidunt, ſed ipſi viuant. Sed quid ait? Ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Mortem ſempiternam ab eis expellebat prece miſericordiſſimâ, & potentiâ præſtantiſſimâ.*

Pater dimitte illis. Tam diris tormentis preſſus ſua non curat, ſuorum memot, imo curat ſatis ſua, quia curat quæ ad ſuos: *Plus eorum animas*, ſic eum loquentem facit B. Laurentius Iuſtinianus de Chriſti agone cap. 17. *quàm corporis mei magnipendo ſalutem, nam etſi cruciatus, quem patior, mihi grauiſſimus eſt, eorum tamen acerbior mihi eſt perditio.*

Pater dimitte illis: cur? quia neſciunt, quid faciunt. Ac ſi diceret, inquit ſanctus Auguſtinus: *Ego veni ægros curare. Quod me non agnoſcerent febris immanitas fecit.*

773. Orat pro hoſtibus, pro perſequentibus, illudentibus blaſphemantibus, & excuſat peccatum. In quo illud notandum: primum in cruce verbum pro hoſtibus fuiſſe. Crederes ſui oblitum, matris, diſcipulorum. Solicitudo pro hoſtibus, & prima pro illis cura fuit; vt res in exemplum iret, & ad inimicorum amorem, omni hoſtilitate poſitâ, prouocaret.

Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.

N*Eque tu times Deum?* Pœnarum, quas patiebatur latro pius oblitus, alterum latronem erudit, & inſtruit, & ad bonam frugem reducere ſtudet. Quidni adeò Deo placuerit, vt paradiſum ſtatim ei ſit pollicitus? Qui, alienæ ſalutis procurandæ gratiâ obliuiſcitur ſui, ſuus eſſe non videtur, iam in Deum immigrauit; totus Dei eſt. Verè beatus latro, eorum exemplar, qui animarum lucris ſtudent. *Non ſolum non aduertebat mentem ad cruciatus*, inquit ſanctus Chryſoſtomus; *ſed, omnibus ſuis relictis, res alterius curabat, &, vt illum ex errore eriperet, & magiſter eius in cruce fieret, omni ope ſtudebat; neque tu times Deum, inquit.* Talia in crucis cathedrâ bonus latro nos docuit.

774. *Neque tu times Deum?* Quanto amore in proximum ferebatur latro! antequàm quicquam à Chriſto peteret, conatur ſalutari correctione illum lucrari. *Priuſquàm ſibi quicquam petat*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *curat ſocium lucrari: quæ inſignis eſt charitas.* Qui tam promptus in alienâ ſalute procurandâ fuit, non mirum ſi tam promptum ad paradiſum exhibendum reperit Chriſtum.

In eadem damnatione es: Sanctus Chryſoſtomus ita legit: *quia in eâdem damnatione ſumus.* In eâdem ſcilicet cruce eandem pœnam ſubeuntes. Sed nunquid veſtri ſceleris participem Chriſtum facis? Nequaquam; *ſiquidem nos quidem iuſtè; nam digna factis recipimus: hic autem nil mali geſſit.* Peccata ſua eluit, dum fatetur. Dixit priùs iniquitates ſuas, vt iuſtificaretur. *Nullus illum coegit*, inquit idem ſanctus Pater, *nemo accuſauit, nemo inſtitit: ipſe ſui ipſius fit accuſator. Qua de cauſâ in poſterum omni accuſatore caruit.* Non caruiſſet, ſi ſui non fuiſſet accuſator.

Bonus latro antè in flagitiis vitam traduxerat; 775.
& ipſe quoque cùm adhuc bonus non eſſet, ſcommata in Chriſtum iaciebat: ſed ſtatim mutatus in alium eſt: vndenam tam ſubita mutatio? *Quoniam exiguo tempore*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *vt oportuit, Chriſtum timuit, beatus factus eſt, dicente eo: neque tu times Deum. Nullum enim eſt malum, quod non extinguat Dei metus.* Si quis timorem euomuerit, conclamata eius ſalus eſt.

Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.

PRoh quanti meriti eſt pœnas cum Chriſto, imo & pro Chriſto libenter ferre, adeo extulit latronem ſuum, latronem ſuum Chriſtus, quia forti æquóque animo crucem tulit. *Dixit enim*, verba ſunt Marci Vigerij Chorda 7. cap. 146. *nos quidem iuſtè. Nam factis digna recipimus. Nullum aliud opus egiſſe legitur, aut cogitaſſe, vnde tantum præmij aſſequi debuerit, niſi quòd patienter ſuſtinuerit pœnam crucis. Iam aliàs dixerat Dominus Ieſus, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Nunc Doctrina ſua veritatem apertiſſimè facto monſtrauit. Suſtinete igitur fratres chariſſimi in aduerſis, ne quaſo frangamini.*

Humani porrò cordis duritiam emollire, quantæ ſit virtutis, explicari non poteſt. Petræ moriente Chriſto, ſaxaque diſrupta ſunt: ſciſſi ſunt montes, contremuit terra, latro quoque conuerſus veterem vitam moriturus eiurauit. Hæc omnia adeò admiranda, vt ea inter ſe pariare poſſimus. Pariauit S. Chryſoſtomus tract. 1. in Paraſc. vbi ait: *Vide vtrinque Chriſti potentiam effulgentem: terram concuſſit, petras diſrupit, animam latronis, petrâ duriorem, cerâ molliorem effecit.*

Hic verò nihil mali geſſit.

H*Ic verò nihil mali geſſit.* Immò quid non geſſit boni, vt nos boni euaderemus, euaderemus mala? ſuis quoque vulneribus noſtra vulnera ſanauit. *Intellexit* (inquit ſanctus Maximus hom. 1. de Latrone) *quòd pro alienis peccatis has plagas ſuſciperet, pro alienis ſceleribus hæc vulnera ſuſtineret; & ſcivit, quòd illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed latronis: atque ideo plus amare cœpit, poſtquàm in corpore eius ſua vulnera recognouit.*

Quî boni latronis exemplum imitari cum laude 776.
poſſimus egregiè docet ſanctus Auguſtinus ſerm. 163. de tempore, vbi ait: *Omnes qui olim in Chriſto baptizati aſſumere non poſſunt candidam veſtem, conuerſationem ſaltem candidam non relinquant. Solet ſub nigro habitu anima ſatis pura latitare, nec multum intereſt, ſi quis non habet candidam veſtem. Talis latro fuit ille qui in Euangelio crucifixus cum Saluatore clamaſſe dicitur: Memento mei Domine,*

dum

dum veneris in regnum tuum. Attendite ergo, charissimi, & videte, quid fidelis obtinet, quid meretur? Regnum Saluatoris latro poscit in cruce: & dum pœna multitudinem patitur, ad præmia æterna perducitur. Imitamini ergo eius deuotionem, imitamini amantes regnum Christi: quod poscit latro moriendo, vos desiderate bene viuendo. Illius credulitati paradisus aperitur, & nostra spei æternorum monstratur firmitas præmiorum.

Quis ampliùs loco fidat? In Croce Christũ confitetur latro: Iudas in cœnâ de illo perdendo cogitat. *Mira res,* inquit sanctus Maximus hom. 1. de sancto latrone: *plus in cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœnâ. Ille per cibum supplantat magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sicut ait propheta: Qui edebat panes meos adampliauit aduersùm me supplantationem. Cognouit igitur hic latro, omnem Dei passionem ex ipsius fieri voluntate, & in potestate eius esse, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vsque adeò autem illum liberum ab inferni legibus indicauit; vt etiam se ab iis posceret liberari.*

SECTIO III.

Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

Mirum latronis patrocinium adeò non respuit Christus, vt libens accipiat, non sui causâ, sed defendentis. Vtile est, quod hîc offert Salmeron tom. 10. tract. 40. *Hæc* (inquit) *Christi defensio & patrocinium à latrone non erat admodum honorificum in oculis Mundi, sed etiam cum dedecore atque infamiâ coniunctum; nimirum, quòd Christus iustus & Sanctus ac Rex habeatur à latrone; cùm tamen ab illis, qui docti ac religiosi habebantur, tanquam seductor & illusor condemnatus esset. Sed in oculis Dei aliter se res habet: nam plerunque, qui videntur recti & iusti, ignorantes sunt ac scelerati in oculis Dei; & latro, qui fuerat iniustus, modò tamen conuersus, Iesu causam agit: à quo nos proinde discere par est, quando simili pœnitentiæ sensu tangimur, & gratiâ Dei iustificati sumus, vt Iesum tueamur, qui in conspectu carnalium & Mundi videtur impugnatus & accusatus à sanctis, ac defensus à peccatoribus.*

777. *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum:* Latro Regem Christum confitetur, & dominum: Petrus Ecclesiæ columna, negat: *nescio,* inquit, *hominem istum quem dicitis.* Sed latro erat in cruce, Petrus in aulâ. Tantum crux aulæ præstat. Latronem sic alloquitur sanctus Drogo: *Tu Petrus in cruce fuisti. & Petrus in domo Caiphæ latro.* Petrus in aulâ latro fit, latro in cruce fit Petros. Tantum prodest lapsus occasiones vitare.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum: Quis te hoc docuit Latro? *Ergonè supplicium,* inquit sanctus Bernardus, *vadis ad regnum? Quis indicauit tibi, quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Tanto lumine perfusus est, qui patiebatur, cruciabatur, nec crucem, cruciatusque respuebat.

Memento mei: Priùs se accusauit, peccata sua 778.
humilis prodidit; deinde recordatur regni, & in regno sui memoriam habere quærit. *Non ausus fuit priùs dicere, memento mei,* inquit sanctus Chrysostomus, *quoadusque per confessionem se se à sordibus peccatorum expurgauit; quoadusque se ipsum condemnans, iustum, & innocentem effecit; quoadusq; per accusationem scelera deposuit. Vides, quantum possit confessio etiam in ipsa cruce.* Hoc exemplo moniti peccata, confiteri non erubescamus, vt regno potiti tandem possimus.

Memento mei: Non regnum apertè postulat, præ humilitate non ausus. Non dixit: in cruce ad dexteram tuam positus & in regno ad dexteram sedeam. Abstinuit ab hac postulatione, magisque in cruce sapuit, quàm filij Zebedæi, qui extra illam regni sedes primas quæsierunt ex eorum mente dicente matre: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Consultiùs latro, cautiùs, humiliùs memoriam sui habere Christum duntaxat quærit; nec audit: *Nescis quid petas:* sed: *hodie mecum eris in paradiso.* O felix latro saltem in hoc Apostolorum magister!

Memento mei. Sed quando? *Cum veneris in* 779.
regnum tuum. Quid ais latro? Cur non petis, vt modò tui sit memor Christus, cum in cruce penderes? An, quia tam citam tibi requiem nolebas promittere? Pati multa volebas, qui multa scelera commiseras. Tormenta tua produci desiderabas, vt tandem tibi parceretur. Acutè sanctus Augustinus: *Memento, inquit, mei, non modò, sed, cum veneris in regnum tuum. Multa, inquit, mala feci;* REQVIEM CELERAM NON MIHI SPERO. *Sufficiant tormenta mea vsque ad aduentum tuum. Modò torquear. Cùm veneris, tunc mihi parce.* ILLE SE DIFFEREBAT, *sed Christus paradisum non petenti offerebat.* Vera hæc pœnitentis consignatio est, vt diu pati non diffugiat, qui diu peccata peccatis inædificauit.

Memento mei. Memor sui & Christi est latro, dum regnaturum Christum cogitat, & indicat rogatque, vt in regno suo memor ipsius sit Christus; *Hæc est fidei vera deuotio,* inquit sanctus Maximus hom. 4. de sepultura Domini, *vt cùm de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur: cùm videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas, cùm morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur.*

In cruce pendebat latro, cùm regni Christi meminit. Nimirùm afflicti in hoc mundo Diuinæ gratiæ recipiendæ apti ferè sont, dum videlicet omnem vitæ spem posuerunt. Quòd, si alter latro vitio suo periit, poterat & ipse comparis sui exemplo patibus donari.

Cùm veneris in regnum tuum. Ac si apertiùs diceret: Non peto nunc liberari: satis erit, si, cùm in regnum tuum veneris, memineris mei. *Mei dixit* potiùs, quàm *operum meorum*; sciebat quippe, quàm praua fuissent. Pulchrè Salmeron tom. 10. tract. 40. *Memento mei, non enim actionum mearum, quæ omnes contaminata sunt, vel omissionum mearum: nec peccata mea inter me & te diuidas; sed, sicut pater*

excepit filium prodigum à regione longinquâ redeuntem lacerum ac pannosum, ita Tu me excipe.

780. *Cum veneris in regnum tuum:* Ergo Regem esse cognouit, quem venturum in suum regnum sciebat. Sed vndè discere potuisti regem Christum esse? An claui, crux, adstantium opprobria, atque conuicia probarunt tibi regem esse, qui pendebat? *Vtique inquit,* verba sunt sancti Chrysostomi, *nam ipsa crux regis mihi videtur symbolum esse, propterea ipsum regem voco.* Etiam scommata, & accosationes, Regem esse Christum probè firmant. Nam *Regium est, bene agere, & audire malè.*

Præterea, cùm pro suis Christus moriatur in Cruce, quidni regem agnouerit latro? *Propterea inquit,* sic eum loquentem facit sanctus Chrysostomus; *ipsum regem voco; Regis enim est pro subditis mori. Ipsemet dixit: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus. Igitur & Rex animam suam ponit pro subditis, cum ergo animam suam posuerit; eapropter regem nomino.* Vtinam tali notâ Reges noscerentur. Felicia regna, & imperia fortunata, quæ Regibus essent nobilitata paratis, si res id exigeret, pro subditis sanguinem fundere.

Quam prudens, quam probè eruditus Latro euaserat in cruce, non petit è cruce demitti, à pœnis liberari, sed tantum vt Christus eum ad regnum peruenerit ipsius meminerit; tam vtilis futuri examinis cogitatio est; Pulchrè Eusebius Gallicanus hom. de Latrone Beato. *Videamus,* inquit, *qualis fuerit ipsa deprecatio confitentis: memento, inquit, mei Domine cùm veneris in regnum tuum. Non dixit, si Deus es, de præsenti supplicio eripe me: sed magis quia Deus es, de futuro iudicio libera me. Quàm citò eum replenit S. Spiritus eruditio? per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse, quod metuit: prædicat seculis iudicem regemque seculorum. Nondum vocatus, & iam electus, nondum famulus & iam amicus, nondum discipulus, & iam magister, atque ex latrone confessor. Memento, inquit mei: gloriosa voce præsentes temperat cruciatus: Temperat diximus, quia & si pœna cœperit in latrone, nouo genere consummatur in martyre: de ligno crucis clamat, sed iam tempora retributionis absonat.*

Latro regnum quærit benè moriens: nos idem regnum quæramus bene viuendo. *Regnum Saluatoris,* verba sunt Sancti Augustini, *latro poscit in cruce; &, dum pœna multitudinem patitur, ad præmia æterna perducitur. Imitamini ergo eius deuotionem: imitamini, amantes regnum Christi. Quod poscit latro moriendo,* VOS DESIDERATE BENE VIVENDO. *Illius credulitati paradisus aperitur, & nostræ spei æternorum monstratur firmitas præmiorum.*

SECTIO IV.

Boni pastoris *vera nota.* 781
Cita conuersio *laudanda.* 781
Contritionis *vis quam magna.* 781
Suorum vota Deus *superat.* 781
Paradisi & crucis *nexus.* 782
Per compendia ad regnum it, qui forti animo Cruciatus *tolerat.* 782
Cur secum in paradiso futurum latronem Christus *dixerit.* 783
Cum Christo *esse, quanti sit auxilij.* 783
Prima paradisi *mentio quando facta.* 784
Crux, *iudicis solium.* 785
A Croce *ad regnum facilè itur.* 788
Cor *præcipuè* Deus *respicit.* 768
Pœnitentia *vsque ad mortem minimè differenda.* 789
Sol *vt Creatori suo condoleret.* 789
Vitæ lux affulget, quàm terrena *omnia à nobis disparent.* 789
Homines quantos Christos *faciat.* 790
Iusti *quàm Christo chari.* 790
Quid nobis Christus *obtinuerit, spiritum suum Patri commendando.* 791
A virginitate *excipi corpus suum vt vbique sinduerit Christus.* 791

Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

AMen dico tibi: Ad plebis circumstantis, & sacerdotum conuitia, & contumelias mutus, ac surdus videbatur Christus: nunc ad latronis verba ex fide, & humilitate prolata auditum adhibet. Boni hæc pastoris consignatio: deperditæ ouis vocem agnoscere, & clamanti respondere, ferarum rugitus non timere. 781.

Hodiè mecum eris in paradiso: Proh quàm citò ad regnum euehitur, qui dignus inferno erat! *Citò ignoscit Dominus,* inquit Sanctus Ambrosius; *quia citò ille conuertitur.* Non diù conuersionem distulit. In hoc extremo Deo placuit; quia, ad consequendam fidem, non fuit extrema, illa hora, sed prima: nec religionem ante, nec Christum forsan sciuit. Vbi nouit Christum, Christi discipulus est factus. *Si anteà scisset fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno:* ait Sanctus Eucherius.

Hodiè mecum eris in paradiso. Felix latro, cui regnum promittitur, dùm ligno esset affixus. Cordis hoc potuit contritio. Hinc illud S. Cypriani de Cœnâ Domini: *Latrocinium damnationem meruerat & supplicium:* SED COR CONTRITVM POENAM MVTAVIT IN MARTYRIVM, *& sanguinem in baptismum.* Dùm doluit quod fecit, deleuit quod fuit; & alter est factus eòque melior, quò nequior anteà extiterat.

Hodiè mecum eris in paradiso: Suorum vota non exæquat dumtaxat Deus, sed superat. Dixerat latro: *Memento mei dum veneris in regnum tuum:* Christus, etiamantequam in suum regnum iret, latronis meminit. Quid? Non meminit tantùm, sed gloriæ comitem eum constituit. Scilicet *vberior est gratia, quàm precatio: semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur,* ait Sanctus Ambrosius.

Hodiè mecum eris in paradiso: Non erit tantùm in paradiso; sed in paradiso etiam esse videbatur, 782.
quia lubens in cruce patiebatur pro Christo. Benè Sanctus Augustinus: *Hodiè, inquit, mecum eris in paradiso. Paradisus habet ligna felicia: hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis.* Quendam paradisi gustum habet, qui, ante paradisi possessionem, patiendi pro Christo desiderio possidetur.

Hodiè mecum eris: Signatè *hodiè.* Quod nec sperare audebat, latro obtinet, Christo eius desiderium anteuertente. Sed vnde tanta celeritas, vnde hæc compendia? Quia latro fortiter in cruce patiebatur. *Tribulatio præsens,* inquit Sanctus Bernardus, *via gloriæ est, via regni; secundum quod clamat latro de cruce: memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Vis nosse quàm compendiosa via? Eâdem die meruit cum Domino esse in paradiso.* Per compendia ad regnum fertur, qui forti animo cruciatus tolerat, aduersa sustinet, cruci hæret.

Mecum

783. *Meeum eris in paradiso:* Cur. addidit *mecum*, cum sufficeret, *eris in paradiso?* An, vt omnem timorem auferret? Ac si diceret: meecum eris in paradiso, *ne fortè verearis*, inquit Sanctus Augustinus, *ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur: possessio tibi illic, me introducente, firmabitur:* nullus erit, qui exterreat, qui moliatur insidias. Poterat, qui latro fuerat, & qui vim aliis intulerat, vim aliquam timere. Timorem omnem Christus eliminat, dum sui præsentiam pollicetur.

Mecum eris in paradiso: Felicior ab hac parte iste latro, quam Adam, qui in paradiso cecidit; quia non erat cum eo Christus, nec humanam carnem susceperat. *Pulchrè*, inquit Sanctus Ambrosius, *subiunxit mecum eris in paradiso, hoc est: noli timere, ne & tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam, sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso, antequam susciperetur à Christo. Non dixerat Adæ mecum eris, quia sciebat esse casuram.*

Felix latro! qui spe plenus plus obtinet, qoàm postulet. Beati Laurentij Iustiniani hæc verba sunt: *Pulcherrimum affectandæ veniæ, & conuersionis exemplum prærogatum est, quod tam citò latroni peccata relaxantur, & vberior gratia, quàm precatio. Semper enim plus tribuit Deus, quàm quis precatur. Nemo igitur desperet. Iudam proditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitius interire.*

784. *Hodiè mecum eris in paradiso.* Promittitur latroni paradisus, vt in hoc patriarchis, Apostolisque ipsis præferatur. Nunc primùm paradisi mentio fit: quod anteà nulli factum legis. Rem egregiè vrget expenditque Sanctus Chrysostomus orat. de Latrone & Cruce: *Hodiè mecum eris in paradiso. Vidisti Dei salutem? Vidisti Domini beneficium? Vidisti magnum veritatis iudicem? Hodiè mecum eris in paradiso. Nemo hactenus Iudæorum aut patriarcharum de paradiso fieri mentionē audiuit, ex quo transgressus est Adamus, & ex illo egressus est: ac, tametsi Deus hominibus innumera fidelibus promisit, nulli tamen paradisum, nisi latroni, promisit. Nusquam homini apparet Dei ore promissum esse paradisum, postquam eiectus Adamus est, nisi huic primùm latroni. Cur nulli patriarcharum primùm de paradiso loquutus est, nulli prophetarum, nulli Apostolorum? Antiquis verò promisit: Dabo tibi terram lacte & melle manantem. Apostolis dicit: Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Nusquam paradisus. Reseruat in medio paradisum, vt latroni primùm promittatur. Licèt enim dixerit Paulus: Raptus sum in paradisum. Post latronem tamen hoc accidit. Cur igitur primus ingressus est, qui vnam propè vocem protulit? Quid enim? An sæpè Psalmos cantauit? sæpè decertauit? sæpè de Diuinitate verba fecit? Semel, inquit. Iustus, nimirum, est Deus meus salutis arbiter: quandoquidem primum hominum Adamum non ob multa peccata, sed ob vnam inobedientiam è paradiso eiecit: ita iustitiæ stateà latroni primùm in paradisum ingressurum eum promisit, non cùm multa quodam confessus esset, verùm cùm vnam fidei confessionem obtulisset. Dixi peccatum Adami fuisse, quod, contrà quàm præceptum erat, lignum attigerit: quæ porrò fuit latronis purgatio? quòd cum fide crucem attigerit, in paradisum intrauit.*

785. *Hodiè mecum eris in paradiso;* Latronem pœnitentem absoluit, damnat pertinacem; ac si crux in quâ pendebat iudicis solium extiterit; Pulchrè sanctus Petrus Damianus serm. 48. *Iudicatus iudicat, & addictus crimini, crimen ex potestate relaxat. Ipsam porro crucem, in qua pendet, quodammodo dictantis censuræ solium facit, & inter latronem, & latronem, velut tam inter agnos, & hædos, æquitatis iura discernit.*

Per crucem transit ad paradisum felix iste latro, ac si cruce ipsâ tanquam ponte quodam in itineris compendium esset vsus. Festiuè sanctus Bernardus epist. 8. *Hoc salutis compendium sanctus ille latro consecutus est, vno eodemque die simul & confessus latrocinia, & introductus in gloriam: breui quodam contentus ponte crucis ad transfigendum de regione dissimilitudinis in terram viuentium, & de luto fæcis in paradisum voluptatis.*

786. Beatus latro, dum patitur supplicium, Regnum Cæleste consequitur. *Rectè* (inquit sanctus Maximus hom. 1. de sancto Latrone) *meretur paradisum, qui Crucem Christi non putauit esse scandalum, sed virtutem. Dicit enim idem Apostolus: Ipsis vocatis Iudæis Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam. Rectè planè & Dominus huic donat paradisum; quia, quem Iudas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat, hic in Crucis patibulo confitetur. Mirares: confitetur latro, quem discipulus abnegauit. Mira, inquam, res: Latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur: ab illo Crucis vulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei, Domine, cum veneris in Regno tuo. Hæc est fidei plena deuotio, vt, cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur: cum videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius Diuinitas: cùm morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur.*

787. Hanc boni latronis confessionem, dum esset in cruce, & Christi responsionem statim paradisum promittentis sic expendebat sanctus Augustinus in Psalm. 39. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Qualis ille latro inuentus est pendens in cruce cum Domino, agnoscens in cruce Dominum. Alij non cognouerunt miracula facientem, agnouit ille in ligno pendentem. Erat ille confixus omnibus membris: manus clauis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adiungebatur ligno: corpus illud nō vacabat cæteris mēbris, lingua vacabat & cor. Corde credidit, ore cōfessus est. Memento mei (inquit) Domine, cùm veneris in Regnum tuum. Salutem suam longè futuram sperabat, & post longum tempus accipere contentus erat. In longum sperabat, dies non est dilatus. Ille dixit: Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Ille respondit: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso. Hodiè, inquit, mecum eris in paradiso. Paradisus habet ligna felicia: hodiè mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis.*

788. Transiuit ad regnum latro, cruce pro ponte vsus. Per viæ compendium iuit, longos vitaos circuitus. Scitè sanctus Bernardus: *Hoc salutis compendium sanctus ille latro consecutus est. Vno, eodemque die simul, & confessus latrocinia, & introductus in gloriam, breui quodam contentus ponte crucis, ad transeundum de regione dissimilitudinis in terram viuentium, & de luto fæcis in paradisum voluptatis.*

Ligno affixus erat latro, vt nec genua flectere Iesu posset, & regnum tamen obtinuit; vt sciat, Deum cordis potius habere rationem, quàm corporis: *Et latro ille*, inquit sanctus Chrysostomus, *non stans in oratorio, aut genu flectens, sed in cruce distentus, paucis verbis cælorum regnum impetrauit.*

789. Nullus pœnitentiam vſque ad mortem latronis huius exemplo differat. *Si benè memini*, inquit ſanctus Bernardus, *in toto canone ſcripturarum vnum latronem inueni eſſe ſic ſaluatum. Noli ergò hunc tam periculoſæ expectationi credere temetipſum.* Time, ne & mortua pœnitentia reiiciatur, quæ in mortis tempus reiicitur.

Et tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram.

T*Enebræ factæ ſunt*, & ſol obſcuratus eſt, ac ſi Conditori ſuo condoleret ſicut & in reſurrectione eius in cuiuſdam lætitiæ ſignum clarior, ſplendidiorque apparuit. Appoſite B. Maximus Regienſis Epiſcopus ſerm 4. in die ſancto Paſchæ: *In reſurrectione Chriſti elementa omnia gloriantur: nam & ſolem ipſum arbitror eſſe in hac die ſolito clariorē. Neceſſe eſt enim vt ſol in eius reſurrectione gaudeat, in cuius paſſione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam caligine proſecutus eſt eius vitam nitidioris lucis ſplendore ſuſcipiat: & tanquam bonus miniſter, ſicut tunc obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ, modo coruſcet in reſurrectionis obſequium. In paſſione enim Chriſti caliginum ſe nocte circumdedit, & Iudæorum facinus mundo teſte congemuit. Iudicium enim quoddam doloris in ſole eſt, tanto ſceleri officium luminis denegaſſe, & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudiſſe: vt quorum mentem cæcitas tenuerat, eorum oculos cæcitas occuparet: nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen ſalutis extinctum.*

Antea non moritur Ieſus, quàm mundum tenebris inuolueret, quàm ſolem obſcuraret. Tunc emiſit Chriſtus ſpiritum cùm ſol radios non emitteret. Nimirum vitæ, & ſalutis nobis lux affulget, dum terrena omnia à noſtris animis ſubducuntur. *Quod autem ſole obſcurato Dominus remiſit ſpiritum*, ait B. Iſaias Abbas *intellige, tunc in te mortuum eſſe peccatum, cùm ſpes rerum, quæ in hoc mundo cernuntur, in animo tuo defecit, & videre picturæ vix potes.*

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

I*N manus tuas commendo ſpiritum meum.* Præclarè de horum verborum vſu Salmeron tom. 10. tract. 46. *Eſt hic verſus frequenter nobis repetendus, ſiue quùm inſtat mortis periculum, ſiue dùm cubiculum nos recipimus, ſiue quùm aggredimur opus aliquod, quod eſt ſupra vires noſtras, ſiue dùm corpori Chriſti communicare volumus; non enim minus requiritur cura ac diligentia ad purè communicandum atque ad benè moriendum, & reddendum Deo ſpiritum; & vt ſignificemus per dignam corporis Chriſti communicationem illud fieri, vt noſter ſpiritus per omnia ſubſit Chriſti ſpiritui, vt pro voluntate ſua illum formet: notitiâ ſua informet, retrahat à vitiis atque reformet, ſpiritui ſuo conformet; vt tanquàm ſuum agnoſcat Pater ſpiritum noſtrum, & in omnia, quæ beneplacita ſunt ſibi, transformet.*

790. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum:* Cum eius ſpiritus ſemper paterno foueretur amplexu, quid eſt, quod Patri illum commendat? An, vt in illo omnes electos patri commendaret? *In eo ſpiritu*, ait ſanctus Athanaſius, *omnes homines apud Patrem deponit, commendat, per ipſum, & in ipſo viuificandos*, Pendeant homines, quo loco apud Dei filium ſint, quanto in pretio habeantur, vt eos Patri, veluti ſpiritum, quo viuit commendet.

Commendabat homines, ſed præcipuè Virginem. Nunquam Mariæ obliuiſcitur Chriſtus; & in morte præcipuè eius curam gerit. Commendauit eam diſcipulo, commendauit & Patri dicens: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum:* nam *in hac commendatione cum hoſtiâ ſanguinis*, ait ſanctus Anſelmus, *commendabat Chriſtus Deo Patri Matrem dulciſſimam, quæ ſcrinium eſt, & puriſſimum habitaculum ſancti ſpiritus, vnà cum hominibus, qui de Spiritu ſancto victuri ſunt vſque ad finem ſeculi.* Videant iuſti, quid Deo debeant, quam chari Chriſto ſuo ſint.

Commendo ſpiritum meum: Patri commendat ſuum ſpiritum, quem deindè cum grandi lucro reciperet. *Nam, qui ſic tradidit ſpiritum ſuum, ecce omnibus filiis regenerationis ſuæ acquiſiuit Paracletum ſpiritum ſanctum. Aliàs niſi ſpiritum ſuum hic homo tradidiſſet, ſpiritus Paracletus non veniret:* inquit B. Rupertus. 791.

Et, ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio vir bonus & iuſtus.

IVſti titulo iuſtè gaudet, qui Chriſti corpus accipit cuſtodiendum: id quod expendens ſanctus Maximus hom. a. de Cruce, *Videamus*, inquit, *de hoc ipſo Domini corpore, poſteaquàm de Cruce deponitur quid geratur. Accepit illud Ioſeph ab Arimathiâ vir iuſtus (ſicut ait Euangeliſta) & in nouo ſuo ſepeliuit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Beatum ergo corpus Domini Chriſti, quod, cùm naſcitur, vtero Virginis gignitur, cùm recedit, iuſti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit illud Ioſeph tumulus incorruptum, ſicut ſeruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum: hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur ſanctitas, vbique Virginitas: nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit.*

Et poſuit eum in monumento exciſo.

CVr terræ committi non voluit; ſed ſaxeum elegit monumentum? Non caſu, Diuino conſilio id factum. An id præſtitum, firmitati ſignificandæ, quæ in bono neceſſaria eſt? Præclarè rem verſat S. Petrus Damianus Opuſc. 18. diſſert. 1. cap. 6. *Non caſu accidit quòd caput electorum, Dominus in ſaxeo monumento; Ægyptius verò, qui diabolum figurat, ſepelitur in ſabulo: diabolus enim, quò interpretatur, Deorſum fluens, illos ſibi vendicat, qui ad ruinam ſemper velut arena diſſiliunt: qui autem Chriſti ſunt*, CONSTANTER IN SANCTI PROPOSITI SOLIDITATE PERSISTVNT.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXIV. LVCÆ.

Vers. 1.

VNA autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata:

Vnâ sabbathi. *Syr. Primo hebdomadis. Vat. Vno sabbathorum.*
Valde diluculo. *Syr. Aurorâ adhuc obscurâ. Arab. Manè valde. Theoph. Profundo crepusculo. Pagn. Profundo diluculo.*
Portantes. *Syr. Attuleruntque. Arab. Et cum eis erat. Euth. Ferentes.*
Quæ p. *Arab. Quod parauerant. S. Hild. Parauerunt.*
Aromata. *Syr. Aromata; erant autem cum eis mulieres aliæ. Arab. Vnguentum, & cum illis mulieres aliæ. Euth. Aromata, & nonnulla cum ipsis. Ar. M. Aromata, & quædam cum eis.*

Vers. 2.

Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento.

Et inuenerunt. *S. Greg. Nyss. Itaque cùm vidissent. Theoph. Repererunt autem.*
Reuolutum. *Arab. Quia erat reuolutus.*

Vers. 3.

Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.

Ingressæ. *S. Greg. Nyss. Ingressæ sunt.*
Non inu. *Syr. Nec inuenerunt. S. Greg. Nyss. Et non inuento.*
Corpus. *S. Greg. Corpore.*
Domini Iesu. *S. Gr. Nyss. Iesu.*

Vers. 4.

Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

Factum est. *Vat. Euenit.*
Dum m. c. e. *Syr. Dum ipsæ obstupescerent. S. Greg. Nyss. Anxiæ atque hæsitantes. Vat. Dum ambigerent. Ar. M. In hæsitare eas. Caiet. Dum essent perplexæ.*
De isto. *Euth. Super hoc.*
Ecce d. v. *S. Greg. Nyss. Vident viros. Vat. Vt ecce duo viri.*
Steterunt. *Syr. Astiterunt. S. Greg. Nyss. Astantes. Ar. M. Astiterunt.*
Secus illas. *Syr. Super eas. S. Greg. Nyss. Sibi. Pagn. Iuxta illas. Ar. M. Eis.*
In v. f. *Syr. Quorum coruscabat vestimentum. S. Greg. Nyss. Stolis qualis effulgurantes. Euth. In vestibus.*

Vers. 5.

Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis?

Cùm t. a. *Syr. Et perterrefactæ sunt. Theoph. Cùm autem expauissent. Vat. Cùm autem fuissent exterritæ. Caiet. Cùm territæ autem essent. Fr. Luc. Cùm pauidæ autem factæ essent.*
Declinarent. *Syr. Inclinarunt.*
Vultum. *Syr. Facies suas. Arab. Vultus suos. Fr. Luc. Faciem.*
Dixerunt ad i. *Syr. At ipsi dixerunt ad illas. S. Greg. Nyss. A quibus audiuerunt.*

Vers. 6.

Non est hîc, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset,

Sed surrexit. *Arab. Iam surrexit. Vat. Sed suscitatus est.*
Recordamini. *Syr. Reuocate in memoriam. Euth. Mementote. Tert. Rememoramini.*
Qualiter. *Syr. Qua. Theoph. Vt. Fr. Luc. Quomodo.*
Loc. e. *Syr. Collocutus fuerit. Theoph. Dixerit.*
Cùm adhuc e. *Arab. Dum ipse esset. Ar. M. Adhuc existens.*

Vers. 7.

Dicens: Quia oportet Filium hominis

Quia o. *Syr. Futurum. Arab. Quòd oportebat.*
Fil. h. t. *Syr. Vt ipse filius hominis traderetur.*
Peccat. *Syr. Sceleratorum.*

tradi

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi,& die tertia resurgere.

Crucifigi. *Syr. Cruci suffigeretur.*
Tertia. *Pagn. Tertio.*
Resurgere. *Syr. Resurgeret.*

Vers. 8.
Et recordatæ sunt verborum eius.

Et. *Syr. Et ipsa.*
Verborum. *Syr. Sermonum. Arab. Sermonis.*

Vers. 9.
Et regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus.

Regressæ. *Arab. Cùm essent reuersæ. Pagn. Egressa.*
A monumento. *Syr. A Sepulchro. Arab. De monumento.*
Nuntiauerunt. *Syr. Dicunt. Vat. Renunciauerunt.*
Hæc o. *Arab. Hoc.*
Illis v. *Ar. M. Vndecim.*
Cæteris omnibus. *Syr. Cæteris. Arab. Omnibus reliquis.*

Vers. 10.
Erat autem Maria Magdalene,& Ioanna,& Maria Iacobi,& ceteræ quæ cum eis erant,quæ dicebant ad Apostolos hæc.

Erat. *Arab. Erant.*
Maria Iacobi. *Syr. Maria mater Iacobi.*
Ceteræ. *Syr. Reliqua.*
Quæ cum eis erant. *Fr. Luc. Cum eis.*
Hæc. *Arab. Hoc.*

Vers. 11.
Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum,verba ista: & non crediderunt illis.

Visa sunt. *Arab. Fuit. S. Greg. Nyss. Videbantur enim. Vat. Habita sunt.*
Ante illos. *Syr. In oculis eorum. S. Greg. Nyss.* omittit. *Euth. Coram illis. Theoph. Apud illos. Vat. Ab illis.*
Sicut deliramentum. *Syr. Sicut deliria. S. Greg. Nyss. Quasi deliramenta. Vat. Pro deliramento.*
Verba ista. *Arab. Hic sermo. Pagn. Verba ipsarum.*
Et non c. i. *S. Greg. Nyss. Neque fidem illis habuerunt.*

Vers. 12.
Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

Petrus. *Syr. Simon.*
Surgens. *Vat. Cùm exurrexisset.*
Monumentum. *Syr. Sepulchrum.*
Procumbens. *Syr. Introspiciens. S. Grg. Nyss. Prospiciens. Euth. Cùm prospexisset. Caiet. Demisso capite prospiciens.*
Vidit. *Syr. Videt. S. Greg. Nyss. Iterum quoque viderit. Vat. Vt videt.*
Linteamina. *Syr. Lintea. Arab. Vestimenta.*
Sola posita. *Syr. Reposita tantummodo. Arab. Posita sola tantùm. S. Greg. Nyss. Iacentia. Caiet. Sola iacentia.*
Et abiit. *Arab. Et abiit in locum suum. Vat. Abiit.*
Secum. *Arab. Et ipse. S. Greg. Nyss.* omittit. *Theoph. Apud semetipsum. Euth. Ad se ipsum. Ar. M. Apud se.*
Mirans quod f. f. *Syr. Dum miraretur super hoc. quod factum fuerat. Arab. Admirans de eo, quod factum fuerat. S. Greg. Nyss. Consternatus & admirans id quod acciderat. Euth. Admirans quod factum erat. Theoph. Mirans quod acciderat. Ar. M. Mirans factum.*

Vers. 13.
Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus.

Ipsâ. *Pag. Eodem.*
Ibant. *Syr. Iter faciebant. Ar. M. Erant euntes.*
In c. *Syr. Ad pagum. Ar. M. In vicum.*
Quod erat. *Vat. Quod aberat. Ar. M. Distantem.*
In spatio s. *Syr. Stadiis. Vat. Spatio stadiorum. Ar. M. Stadia.*
Sexaginta. *Arab. Quasi Sexaginta.*
Nomine. *Arab. Quod vocabatur. Euth. Cui nomen.*

Vers. 14.
Et ipsi loquebantur ad inuicem de his

Loquebantur. *Arab. Colloquebantur. Theoph. Confabulabantur. Fr. Luc. Colloquebantur familiariter.*

omnibus

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omnibus quæ acciderant.

Ad i. *Arab.* omittit. *Orig. Inter ſe.*
De his o. *Euth. De omnibus.*
Quæ a. *Syr. Quæ euenerant. Arab. Quæ facta fuerant. Euth. Quæ contigerant. Ar. M. Euentis.*

Factum e. *Syr.* omittit. *Euth. Accidit. Vat. Euenit.*

Verſ. 15.

Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent: & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis:

Fabul. *Syr. Ipſi colloquerentur. Arab. Ipſi loquerentur. Pagn. Confabularentur.*
Secum q. *Syr. Seſe mutuè rogitarent. Arab. Inuicem quærerent. Euth. Conquirerent. Theoph. Diſputarent. Fr. Luc. Simul quærerent.*
Et ipſe. *Arab. Ecce ipſe. Orig. Repentè.*
Appropinquans. *Syr. Venit, & aſſecutus eſt eos. Arab. Appropinquauit illis. Pagn. Cùm appropinquaſſet. Orig. Interueniens.*
Ibat. *Syr Et iter faciebat. Orig. Iter faciebat. Vat. Iret unà.*

Verſ. 16.

Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

Oculi autem. *Theoph. Cæterùm oculi. Orig. Et quidem oculi.*
Ne a. *Arab. A cognitione eius. Ar. M. Non agnóſcere.*

Verſ. 17.

Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?

Et ait. *Orig. Ipſe autem ait.*
Ad illos. *Arab. Eis.*
Qui ſ. h. ſ. *Arab. Quis eſt iſte ſermo.*
Quos. *Arab. De quo.*
Confertis. *Syr. Colloquimini. Arab. Loquitur.*
Ad i. *Syr. Vnus cum alio. Arab. Vnus veſtrum ad ſocium. S. Cypr. Ad vos. Orig. Inter vos.*
Triſtes. *Syr. Mœſti. Caiet. Vultu triſti.*

Verſ. 18.

Et reſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus?

Vnus. *Arab. Vnus eorum.*
Peregrinus es. *Syr. Es extraneus S. Aug. Peregrinaris. Euth. Diuerſaris.*
In I. *Syr. Ab Ieruſalem. Arab. De Ieruſalem. Vat. Ieroſolymis.*
Et non c. *Syr. Qui neſcias. Arab. Cùm non ſcineris.*
Quæ f. ſ. *Syr. Quod factum ſit. B. Laurent. Iuſt. Quæ geſta ſunt. Ar. M. Factum.*
His. *Arab. In iſtis S. Hil. In his.*

Verſ. 19.

Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt de Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone, coram Deo, & omni populo.

Quæ. *Syr. Quid. Arab. Et quæ ſunt.*
Dixerunt. *Vat. Dixerunt ei.*
De Ieſu. N. *Syr. De Ieſu illo à Nazareth. Arab. Factum Ieſu Nazareni. Vat. Quæ attinent ad Ieſum Nazarenum.*
Fuit v. *Arab. Erat vir.*
Potens. *Arab. Erat ei poteſtas.*
In opere & ſermone. *Syr. In ſermone & opere. S. Aug. In factis & dictis. Theoph. Opere & ſermone.*
Omni. *Syr. Coram vniuerſo. Orig. Toto.*

Verſ. 20.

Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

Et q. *Syr. Quem.*
Summi ſ. *Syr. Principes ſacerdotum.*
Principes noſtri. *Syr. Seniores. Arab. Principes.*
In d. *Syr. Iudicio. Arab. In iudicium. Orig. In condemnationem. Vat. Ad ſupplicium.*

Verſ. 21.

Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël: & nunc ſuper hæc

Sperabamus. *Tert. Putabamus.*
Ipſe eſſet. *S. Aug. Ipſe fuerat. Euth. Ipſum eſſe. Theoph. Eum eſſe illum.*
Redempturus. *Euth. Qui erat redempturus. Theoph. Qui redempturus eſſet. Tert. Redemptorem. Ar. M. Futurus redemptor.*
Et nunc ſ. h. o. *Syr. Et ecce iam. Arab. Sed cum*

omnia

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omnia tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt.

his omnibus. Euth. Atque cum his omnibus.
Tertia d. e. h. *Syr. Iam sunt tres dies. Arab. Hæc est dies tertia. Pagn. Tertius dies est hodie. Ar. M. Tertiam hanc diem agit hodie.*
Quòd hæc. *Syr. Ex quo hæc omnia.*

Vers. 22.

Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

Mulieres q. *Syr. Mulieres.*
Ex nostris. *Euth. Ex nobis.*
Terruerunt. *Tigur. Obstupefecerunt. Arab. Significauerunt. Theoph. Attonitos reddidere. Castel. Stupefecerunt.*
Nos. *Arab. Nobis.*
Quæ ante l. f. *Syr. Diluculo præuenientes fuerunt. Arab. Quia ipsa manicauerunt. Theoph. Diluculo peruenerunt. Vat. Profectæ diluculo. Ar. M. Factæ antelucanæ.*

Vers. 23.

Et non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.

Dicentes. *Syr. Dicentes nobis.*
Vis. Ang. *Syr. Angelos illic. Vat. Visum Angelorum.*
Dicunt. *Arab. Dixerunt. Theoph. Dicerent.*
Eum. *Arab. De eo.*
Viuere. *Arab. Quia viuens est.*

Vers. 24.

Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt.

Et a. *Syr. Quia etiam profecti sunt.*
Ex n. *Syr. Ex nobis. Euth. Ex his, qui nobiscum erant.*
Inuenerunt. *Pagn. Repererunt.*
Ipsum v. n. i. *Syr. Ipsum verè non viderunt. Arab. At ipsum, non enim viderunt eum.*

Vers. 25.

Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ:

Et ipse. *Syr. Tunc Iesus.*
Ad eos. *Arab. Eis.*
Stulti. *Syr. Expertes rationis. S. Aug. Insensati. Castel. Amentes.*
Tardi. *Syr. Graues.*
Corde. *Arab. Cordibus.*
Ad cred. *Arab. Non credidis.*
In omnibus. *Syr. In omnibus. S. Aug. Super omnia.*

Vers. 26.

Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Hæc. *Arab. Hoc. S. Aug. Hæc omnia.*
Oportuit. *Arab. Erat futurum. S. Aug. Oportebat.*
Pati Ch. *Arab. Vt susciperet Christus has passiones.*
Ita intrare. *Syr. Ingrederetur. Vat. Intrare.*
In gloriam. *S. Aug. In claritatem. Vat. gloriam:*

Vers. 27.

Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

Incipiens. *Syr. Exorsus est.*
Prophetis. *Syr. Scripturis.*
Interpretabatur. *Syr. Et explicabat.*
In omnibus. *Syr. Ex omnibus.*
Quæ d. i. e. *Syr. De se. Vat. Quæ ad ipsum attinebant. Ar. M. De se ipso.*

Vers. 28.

Et appropinquauerunt Castello quò ibant: & ipse se finxit longiùs ire.

Approp. *Syr. Appropinquabant. Vat. Appropinquando.*
Castello. *Syr. Page illi. Vat. In castellum peruenerunt. Ar. M. Vico.*
Quò. *Arab. In quod.*
Ibant. *Syr. Proficiscebantur. Vat. Iter habebant.*
Se finxit. *Syr. Fingebat eis. Arab. Erat in existimatione eorum. Euth. Præseferebat se. Vat. Simulabat se.*
Longiùs ire. *Syr. Quasi in locum longinquum iter haberet. Arab. Quòd in locum distantiorem iret. Vat. Longiùs iturum.*

Vers. 29.

Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum,

Coëgerunt. *Arab. Tenuerunt.*
Mane. *Arab. Sta.*
Nobiscum. *Syr. Apud nos.*

biscum,

Lectionum Varietas. — *Lectio Varietas.*

biscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.

Aduef. e. i. e. i. d. *Syr. Dies nunc inclinat ad tenebras. Arab. Serò est, & iam inclinata est dies. Theoph. Vergit ad vesperam, & inclinatus est dies. Ar. M. Ad vesperam est: & inclinauit dies.*
Intrauit c. i. *Arab. Intrauit, vt staret apud illos. Caiet. Intrauit, vt maneret cum illis.*

Vers. 30.

Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

Factum e. *Pagn. Factum. Vat. Porrò autem.*
Dum r. *Syr. Quum discubuisset. Arab. Dum sedisset. Euth. Dum accumberet. Vat. Dum accumbebat ipse. Ar. M. In discumbere.*
Accepit p. *Euth. Sumpto pane. Ar. M. Accipiens panem.*
Fregit. *Vat. Quum fregisset. Ar. M. Frangens.*
Et porrigebat. *Arab. Et dedit. Vat. Porrigebat.*

Vers. 31.

Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: Et ipse euanuit ex oculis eorum.

Et aperti. *Syr. Et illico aperti. Vat. Aperti autem.*
Cognouerunt. *Theoph. Agnouerunt.*
Et euanuit. *Syr. Ablatus verò est. Arab. Et absconditus est. Vat. Inconspicuus abiuit. Ar. M. Non apparens factus est. Al. Et subduxit sese. Caiet. Disparuit.*
Ex oculis eorum. *Arab. Ab illis. Euth. A conspectu illorum. Ar. M. Ab eis.*

Vers. 32.

Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?

Dixerunt, *Syr. Dicebant.*
Ad i. *Syr. Alter alteri. Amb. Vnus eorum ad alterum. Pagn. Inter se.*
Cor n. *Arab. Corda nostra.*
Ardens erat. *Arab. Fuerunt ardentia. Euth. Incendebatur.*
In nobis. *Orig. Intra nos.*
Dum loqueretur. *Syr. Dum colloqueretur nobis. Ar. M. Vt loqueretur nobis.*
Et ap. *Syr. Et explicaret. Arab. Et interpretaretur. Orig. Cùm reserabas, vel: Cùm aperiret. Ar. M. Et vt aperiret.*

Vers. 33.

Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant,

Vers. 34.

Dicentes: Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

Surgentes. *Euth. Quum surrexissent.*
Eàdem, *Syr. Eà ipsâ.*
Regressi. *Euth. Reuersi.*
Cum illis erant. *A. M. Cum illis.*

Apparuit. *Euth. Visus est à Simone. Ar. M. Visus est Simon.*

Vers. 35.

Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Et. *Syr. Quia etiam.*
Narrabant. *Syr. Renuntiarunt. Arab. Etiam loquebantur de his.*
Quæ g. e. *Syr. Ea, quæ contigerunt. Arab. Quæ facta fuerant. Ar. M. Quæ. Fr. Luc. Quæ acciderant.*
In v. *Fr. Luc. In itinere.*
Cognou. e. *Syr. Innotuit eis. Theoph. Fuisset agnitus sibi. Caiet. Agnitus fuit eis.*
In f. p. *Arab. Dum frangeret panem. Theoph. Ex fractione panis.*

Vers. 36.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: Ego sum, nolite timere.

Iesus. *Pag. Iesus ipse,*
Stetit. *Syr. Astitit.*
In medio, *Syr. Inter eos.*
Vobis. *Syr. Vobiscum.*
Ego s. n. t. *Arab. Ego sum, ne timeatis. Vat.* omittit.

Vers. 37.

Conturbati verò, & conterriti, existi-

Conturbati v. *Syr. At ipsi perterrebantur. Arab.* omittit. *Euth. Expauefacti verò. Caiet. Stupefacti verò.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
mabant se spiritum videre.	Conterriti. *Syr. Expauescebant. Arab. Facti sunt in timore. Ar. M. Conterriti facti.* Existimabant. *Syr. Putabant enim.*
Vers. 38. Et dixit: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?	Dixit. *Syr. Dixit Iesus.* Turbati estis. *Syr. Commouemini.* Et. *Tert. & quid. Ar. M. Et quare.* Cogitationes. *Orig. Ratiocinia.* Ascendunt. *Arab. Veniunt. Tert. Subeunt. Vat. Exurgunt.* In c. v. *Orig. In cor vestrum. Fr. Luc. In cordibus vestris.*
Vers. 39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.	Videte. *Vat. Aspicite.* Pedes. *Pagn. Pedes meos.* Ego ipse. *Syr. Ego.* Palpate. *Theoph. Contrectate me.* Videte. *Syr. Agnoscite.* Manus m. e. p. *S. Epiph. Me.*
Vers. 40. Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus & pedes.	Cùm dixisset. *Ar. M. Dicens.* Hoc. *Theoph. Hæc.* Ostendit. *Euth. Demonstrauit.* Manus. *Arab. Manus suas.* Pedes. *Arab. Pedes suos.*
Vers. 41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?	Illis non c. e. m. p. g. *Syr. Quum non crederent præ gaudio suo & mirarentur. Arab. Cùm ipsi essent increduli præ gaudio & admiratione Theoph. Illis non credentibus præ gaudio & .....* Dixit. *Theoph. Dixit eis.* Habetis. *Arab. Est ne apud vos.* Aliquid q. m. *Syr. Quid manducandum. Clem. Alex. Aliquid quod edi possit. Vat. Aliquid edulij. Ar. M. Aliquod esculentum. Fr. Luc. Aliquid edile.*
Vers. 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.	Obtulerunt. *Arab. Dederunt.* Partem. *S. Epiph. Particulam.* Assi. *Theoph. Assati.* Fauum m. *Syr. Ex fauo mellis. Arab. Faui mellis. S. Epiph. Panem. Euth. Aliquid de fauo apiario. Fr. Luc. Ex melleo fauo.*
Vers. 43. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.	Cùm manducasset c. e. *Syr. Accepit comeditque eorum in conspectu. Arab. Accepit coram illis & comedit. S. Epiph. De quibus cùm manducasset. Theoph. Accepit & in conspectu illorum comedit. Ar. M. Sumens coram eis edit.* Sumens r. d. e. *Syr. & alij plures* omittunt. *Arab. Et accepit reliquias & dedit illis. S. Epiph. Apostolis suis reliquias impertiit.*
Vers. 44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.	Ad eos. *Arab. Eis.* Hæc s. v. q. *Arab. Hic est sermo, quem. S. Hil. Hæc sunt verba mea. Euth. Hi sunt sermones, quos.* Ad vos. *Arab. Vobis.* Cùm essem. *Ar. M. Existens.* Vobiscum. *Syr. Apud vos.* Quon. n. e. i. *Syr. Quia omnino implebuntur. S. Hil. Quoniam oportet impleri. Euth. Quod oporteret impleri. Theoph. Quòd necesse foret impleri.* Omnia, quæ. *Syr. Quicquid. Euth. Cuncta quæ.* Scripta sunt. *Syr. Scriptum est.* Moysi. *Euth. Moysis.* Prophetis. *Arab. In prophetis.*
Vers. 45. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas.	Illis sensum. *Ar. M. Ipsorum sensum. Caiet. Illorum mentem.*

Vers. 46.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 46.

Et dixit eis: Quoniam sic scriptum, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.

Quoniam sic. *Arab. Sic.*
Et sic opor. C. p. *Syr. Et expediebat pati Messiam. Arab. Quia Christus omninò pateretur.*
Resurgere. *Arab. Resurgeret.*
A m. *Syr. A domo mortuorum.*
Tertiâ. *Arab. In tertiâ. Pagn. Tertio.*

Vers. 47.

Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.

Prædicari. *Arab. Prædicaretur.*
In nomine. *Vat. Nomine.*
Pœnit. *Arab. Pœnitentia.*
Et remis. *Syr. In remissionem. Arab. Et remissio.*
Omnes g. *Syr. Cunctis gentibus.*
Incip. *Syr. Ita vt exordium esset. Arab. Et inciperetis. Theoph. Initio facto. Ar. M. Incipientem.*
Ab Hierosolymâ. *Euth. Ab Hierosolymis.*

Vers. 48.

Vos autem testes estis horum.

Vos autem estis. *Arab. Et essetis.*

Vers. 49.

Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto.

Et. *Pagn. Et ecce.*
Mitto. *Syr. Mittam. Vat. Emitto.*
Promissum. *S. Gaud. Promissionem.*
In vos. *Arab. Ad vos. Euth. Super vos.*
Sedere. *Syr. Expectate.*
Ciuitate *Theoph. Ciuitate Ierusalem.*
Virtute. *S. Prosp. Virtutem. Vat. Potentiâ.*

Vers. 50.

Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis.

Eduxit a. *Arab. Deinde eduxit.*
Foras i. B. *Syr. Vsque in Bethaniam. Fr. Luc. Foras vsque ad Bethaniam.*
Eleuatis. *Theoph. Sublatis in altum. Ar. M. Sustollens.*
Manibus s. *Ar. M. Manus suas.*

Vers. 51.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.

Factum est. *S. Greg. Nyss. Accidit. Vat. Euenit.*
Dum benediceret. *Vat. Inter benedicendum.*
Recessit. *Syr. Separatus est. Euth. Discessit. Fr. Luc. Disiunctus est.*
Ferebatur. *Syr. Conscendit. Arab. Ascendit. S. Greg. Nyss. Tollebatur. Ar. M. Sursum ferebatur. Fr. Luc. Sustollebatur.*
In c. *Syr. Calos.*

Vers. 52.

Et ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno:

Adorantes. *Caiet. Adorato eo. Fr. Luc. Postquam adorassent eum. Mald. Cum adorassent eum.*
Regressi. *Syr. Reuersi.*
In Ierusalem. *Syr. Ad Ierusalem. Al. Hierosolymam.*

Vers. 53.

Et erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Semper. *Syr. Omni tempore. Vat. Assidui.*
Laudantes. *Syr. Glorificantes.*
Deum. *Pagn. Deo.*

CAPVT XXIV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Qui Christum amat, *laborem non fugit.* 792
Fœminis *cur non facilè* Petrus *crediderit.* 792
In via laborum Christus *inuenitur.* 795
Subucienda doctrinæ *opera.* 794
Priùs placendum Deo, *deinde hominibus, si potest fieri.* 794
Amantium *& quærentium vota vt quærat* Christus. 795
Perstricti illi discipuli, in quibus spes resurrectionis *erat mortua.* 795

Vnâ autem sabbathi, valdè diluculo, venerunt ad monumentum portantes, quæ parauerant aromata.

Vbi de Christi obsequio agitur mora omnis, 792.
atque cunctatio auferenda est. Solicitæ mulieres sunt, & valdè diluculo se ad monumentum conferunt, *portantes, quæ parauerant, aromata.* Portant ipsæ, nec deferendi onus aliis committunt, vt, plus laborantes, plus mererentur. Qui

Christum amat laborem non defugit; quin spontè subit.

Cur vngere hæ mulieres Iesum voluērunt, quem sciebant iam vnctum esse? Vt suæ quoque pietati fideique responderent. Qui Iesum verè amat, nunquàm eius obsequiis putat satisfactum, quin semper aliqoid supersit agendum. Scitè Salmeron tom. 11. tract. 8. *Hæ mulieres, etsi vnctum scirent Iesum, vngere tamen volebant, & qualibet suam explere fidem ac deuotionem erga Iesum; sicut accidit in accensione candelarum, quas quisque fidelis pro suâ religione incensas altari offert, non tam ad lucem præbendam quàm vt declaretur animi deuotio ac pietas, amor enim non credit esse factum satis, nisi ipse faciat: vnde queritur Martha, quòd soror eius Maria non, vt debebat, ministraret. Præterea Nicodemus & Ioseph quia festinanter instantique vesperâ vnxerant, cogitabant fortassis, non tam benè ac diligenter vnctum fuisse, quàm illa indicabant esse vngendum. Præcipitatæ enim actiones non tantâ constant perfectione, quàm quæ maturè & sedatè pro ratione operis fiunt.*

Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum.

PEtrus surgens cucurrit ad monumentum: Cur mulieribus Christum resurrexisse non credidit Petrus? An, quia fœmina fuerat negationis occasio, sui lapsus, non credit se amplius mulieribus? nec credit firmum esse boni fundamentum, cuius causâ Ecclesiæ fundamentum constitutum ceciderat?

Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant.

TAm altè eorum animis insederant &, quæ circa Iesum, Iesu passionem, mortemque contigerant, vt vix aliis de rebus loqui hi duo discipuli in itinere possent. Habebunt Iesum in viâ comitem, qui de Iesu loquuntur in viâ. Spectabunt Iesum, qui ea tractabunt, quæ ad Iesum spectant.

Ipse Iesus, appropinquans, ibat cum illis.

793. CVm illis ibat Iesus: non ibant illi cum Iesu, cum eum non cognoscerent, sed crederent peregrinum. *Ipse Iesus appropinquans*: Iesus discipulis appropinquauit, vt fidei perfectæ discipuli appropinquarent.

Ad monumentum Iesus quæritur, nec inuenitur. Non quæritur in viâ, & inuenitur in viâ. Rem vtiliter versat Guarricus: *Agnoscit*, inquit, *experientia quorundam nostrum; quia sæpè Iesus, quem quæsierunt, velut ad monumentum, ad memoriam altarium, nec inuenerunt,* INSPERATVS OCCVRRIT EIS IN VIA LABORVM.

Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

794. AGnosci statim ab illis noluit, vt ipsi priùs agnoscerent se; *vlcusque suum*, ait Theophylactus, *detegerent, ac pharmacum susciperent.* Nam, si seipsum statim cognoscendum exhibuisset Christus, non se discipuli cognouissent suamque ad credendum tarditatem. Parauit, disposuitque discipulorum animos, dum, comes illorum factus, diuina cum illis colloquia miscuit.

Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.

PRopheram confitentes, tacent Dei filium. *Solliciti, ne inciderent in manus Iudæorum persequentium*, ait sanctus Thomas? *quia nesciebant, quis esset.* Commendant tamen eum, dum subdunt *Potens in opere, & sermone.* Bonus ordo, nec inuertendus; ne doctrinæ fabrica euertatur, & cadat. Subiicienda doctrinæ opera sunt. Addit: *coram Deo & omni populo*: Aptus hic quoque ordo: *nam primò*, ait Theophylactus, *placendum est Deo, deinde curandum, quantum possibile est, de innocentiâ apud homines.*

Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël.

SPerabamus. Hos discipulos ita pungit sanctus Augustinus serm. 140. de Tempore: *O discipuli, sperabatis, ergo iam non speratis? Ecce Christus viuit, & spes mortua est in vobis. Prorsus viuit Christus. Viuens Christus mortua discipulorum corda inuenit: quorum oculis apparuit, & non apparuit, & videbatur, & abscondebatur.* 795

Finxit se longiùs ire.

AMantium, & quærentium vota quærit Iesus, dum fingit se longiùs ire. Nimirùm: *cupiebat audiri*, inquit sanctus Bernardus, *mane nobiscum, quoniam aduesperascit.* Tacitè discipulos inuitabat, vt eum inuitarent; sicque eorum meritum augeretur.

SECTIO II.

Et ipse euanuit ex oculis eorum.

VIx cognitus est, cum disparuit. Abit à suis, 796.
cum maximè stare cum suis debebat, vt maiori gaudio afficerentur, Iesu cognito, atque præsenti. Euanuit tamen; *& abscessit ab eis corpore, dum teneretur fide*: inquit sanctus Augustinus. Nimirum suis Christus adest, etiam cum videtur abesse. Euanuit, vt eorum fides magis absentiâ, quàm præsentiâ foueretur.

Ab horum se conspectu subduxit Christus, vt horum prædicatione aliis quoque discipulis consuleret, eorumque fidem per istos erigeret. Init ab istis,

istis, vt isti ad Apostolos irent. *Et ipse euanuit à conspectu eorum*, inquit Euthymius, *ne ampliùs tardarent, sed citiùs ad discipulos reuerterentur.* Quod statim præstitere. Nimirum tuoc præcipuè alij ad Christum vrgendi, aliis Christus prædicandus, cùm maiori lumine perfundimor à Christo.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.

797. NOnne cor nostrum ardens erat: Bonus ardor, qui ardore correpta corda in cælum euehit, & ab inferni ardore auocat. Pulchrè sanctus Augustinus: *Cognito Christo, & ab eis discedente, dixerunt apud se: Nónne cor nostrum erat ardens in viâ, cum aperiret nobis scripturas? Ardete: ne ardeatis igne, quo arsuri sunt dæmones. Ardete igne charitatis, vt à dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum leuat. Quicquid molestiarum passi fueritis in terrâ, quantumcunque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus, summa petit ardor dilectionis.*

Ardens fuisse illorum cor, dum Christus in viâ loqueretur, fatentur isti discipuli: non explicant, quantâ suauitate sint affecti, cùm Eucharistico ab illo pane pasti fuere, cùm eum cognouerunt in panis fractione. Explicari non possunt deliciæ, quibus animæ in hac mensâ fruuntur. *Ardens erat in ipsis*, (cor) inquit Gillebertus Abbas serm. 44. in Cantica, *in collocutione: liquefactum est in illâ visione vehementi. Quid enim est, Iesum euanuisse, nisi illos inglorioså apparitione subsistere non valuisse?* Sed id potiùs de Eucharistico dicatur conuiuio, quo se illis totum exhibuit, illorúmque pectoribus inseruit; fractionem quippe panis de Eucharisticà mensâ probæ notæ authores interpretantur.

Surrexit Dominus, & apparuit Simoni.

798. ANte alios discipulos Petro Christus apparuit post resurrectionem. *Primò videtur à Petro*, inquit sanctus Thomas hic, *vt, qui primus confessus est, eum Christum, primò resurrectionem videre mereatur.* Addit: *Et etiam, quia eum negauerat priùs ei voluit apparere, consolans eum, ne desperaret.*

Stetit Iesus in medio eorum, & dixit: Pax vobis.

BLandè alloquitur suos Apostolos. Pacem illis offert, qui pacem suâ morte inter Deum, hominesque constituerat. *Pax vobis*: Non innumera alia bona offert, quæ posset; quia in vnâ pace omnia videntur claudi. Cùm pœnas à discipulis suis exigere posset, & ob eorum incredulitatem punire; pacem offert, læta omnia spondet, oblitus iniuriarum. Nimirum, *ad gloriæ quodammodo statum accedit, qui, iniuriarum illatarum immemor, pro iniuriis beneficia offert.*

Stetit Iesus in medio: Principis, & superioris locus medius est: vt omnibus æquè prosit, æquè præsit omnibus, ne in vnam magis partem inclinet, quàm in aliam. Stans in medio pacem suis offert: nam bella, discordiasque inter suos seminat, qui extra medium est, & hos quidem euehit, alios verò premit. Malorum extrema timenda, cum in extremo stat, qui præest, non in medio. 799.

Cum adhuc essem vobiscum.

CVm adhuc essem vobiscum. Ac si tunc non esset cum illis, quum illos alloquebatur. Esse non videbatur; quia humano & materiali (vt ita dicam) more cum illis non erat, sed penè spirituali ac Diuino. Etiam illi, qui à peccato surrexerunt, cum hominibus, cum quibus anteà versabantur, ita versari debent, vt ab illis subducti appareant, eo vitæ tenore viuentes, vt in spiritum quâdam ratione migrauisse videantur, toti spirituales facti.

Incipientibus ab Ierosolymâ: Cur ab Ierusalem prædicationis exordium sumi iubet? Statim in Ierusalem pœnitentiam, & remissionem peccatorum prædicare vult, vt doceret inimicis benefaciendum, ne, qui in eum sæuierant, de salute desperarent.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.

SVbitò, & nihil tale expectantibus Apostolis, in cælum cœpit Christus ferri. Et licèt antea prædixisset, se ascensurum ad Patrem, nunc tamen, cum vellet ascendere, priùs id Apostolis noluit aperire, ne tristitia correpti lachrymas effunderent. Cùm autem actu viderunt eum in cælum ascendere, tristitia illos nulla occupauit, ne cælum inuidere Christo viderentur. 800.

Ferebatur in cælum: Rectâ viâ in cælum ibat, vt etiam alij notauere: vt, quod corpore Christus fecit, præstemus nos mente; in cælum, in cælestia rectâ feramur; nec rerum peritorarum vestiginibus nos sinamus abripi.



ACTVS APOSTOLORVM, EXPENSI ET NOTIS MONITISQVE SACRIS ILLVSTRATI

A R. P.

ALOYSIO NOVARINO VERONENSI
CLERICO REGVLARI.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT PRIMVM.

Verſ. 1.



PRIMVM quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere.

Primum quidem. *Syr. Primum librum. Oecum. Priorem quidem librum. Vat. Superiore quidem volumine. Ar. M. Illum quidem primum ſermonem. Salm. Priorem illum quidem.*
Feci. *Syr. Scripſi. Vat. Diximus.*
De o. *Syr. De his omnibus.*
Ieſus. *Syr. Dominus noſter Ieſus Chriſtus.*
Facere & d. *S.Chryſ. Tum facere, tum docere. Oecum. Et facere & docere.*

Verſ. 2.

Vſque in diem, quâ precipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus.

In diem, quâ. *Syr. Ad diem illum, quo. Vat. Ad eum diem, quo. Ar. M. Quo die.*
Præcipiens. *Syr. Poſtquàm mandata dediſſet. Oecum. Cùm præcepiſſet. Pagn. Cùm mandaſſet.*
Apoſtolis. *Syr. Apoſtolis illis.*
Per Spiritum ſ. q. e. *Syr. Quos elegit per Spiritum ſanctitatis. Vat. Per Spiritum ſanctum quos elegerat. Al. Imparatus in hoc ipſum Spiritum ſanctum, quos delegerat.*
Aſſumptus. *Syr. Sublatus. S. Chryſ. Receptus in Cælum. Ar. M. Receptus. Caiet. Surſum aſſumptus.*

Verſ. 3.

Quibus & præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionẽ ſuã in multis argumentis, per dies

Et præbuit. *Syr. Inſuper oſtendit. Oecum. Etiam exhibuit. Vat. Etiam exhibuerat.*
Viuum. *Vat. Viuentem.*
Poſt p. ſ. *Oecum. Poſtquàm ipſe paſſus fuerat. Vat. Poſtquàm ſupplicio fuit affectus. Ar. M. Poſt pati ipſum.*
In multis arg. *Syr. Signis quamplurimis. Pagn. Compluribus argumentis. Ar. M. In multis ſignis. Al. Idque compluribus argumentis. Salm. In*

Vulgata Editio.

quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.

Lectionum Varietas.

multis indiciis. Lintr. Argumentis infallibilibus.
Per dies. *Syr. Dum per dies.*
Apparens. *Syr. Apparuit. S.Chrys. Visus est. Vat. Conspiceretur. Pagn. Conspicitur.*
Eis. *S.Chrys. Ab illis.*
Loquens. *Syr. Loquutus est. Vat. Loqueretur eis. Ar.M. Dicens. Pagn. Loquitur eis.*
De Regno. *Ar. M. Quæ de Regno. Lintr. Ea, quæ sunt de Regno.*

Vers. 4.

Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, Quam audistis (inquit) per os meum.

Et conuesc. *Syr. Cùmque comedisset cum eis panem. S.Chrys. Conuescens simul cum illis. Vat. Et congregans eos in idem loci. Ar. M. Et congregans. Vall. ap. Mar. Conuersans.*
Præcepit. *Ar.M. Denunciauit.*
Ab Ierosolymis. *Syr. Ab Ierusalem. S. Epiph. Ierosolymis. S.Chrys.* omittit.
Ne disc. *S.Epiph. Ne discedite S.Chrys.* omittit.
Expectarent. *S.Chrys. Expectate. S. Epiph. Expectantes. Pagn. Vt expectarent.*
Promis. *Syr. Promissum illud. S.Chrys. Promissa.*
Patris. *S Epiph. Spiritus.*
Quam. *Syr. Quod. S.Chrys. Quæ. Oecum. De quo.*
Per os meum. *S. Chrys. Ex me. S. Hil. De ore meo. Ar.M. Me.*

Vers. 5.

Quia Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

Ioan. q. *S.Hil. Ioannes.*
Baptizabim. *S.Hil. Tingemini. Mar. Perfundemini.*
Spiritu sancto. *Syr. In Spiritu sanctitatis. Goth. Spiritu sancto, quem accipietis. S. Hil. Spiritu sancto, quem & accipietis. Quidd. codd. In Spiritu sancto.*
Multos hos dies. *Syr. Multis post diebus. Vat. Post hosce dies multos.*

Vers. 6.

Igitur, qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Igitur qui conu. *Syr. Illic autem cùm congregati essent. Oecum. Itaque congregati. Vat. Illi igitur cùm conuenissent. Ar. M. Qui autem igitur conuenientes. Pagn. Illi igitur vbi conuenissent.*
Interrogabant e. *Vat. Percontabantur illum. Syr. Interrogarunt ipsum.*
Domine. *Syr. Domine noster.*
Si in temp. hoc. *S. Chrys. Num in tempore hoc. Interp. Chrys. Quando. Vat. Num tempore hoc.*
Restitues. *S.Chrys. Restituis. Interp. Chrys. Restituturus es.*
Israël. *Oecum. Israëlis.*

Vers. 7.

Dixit autem eis. Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate:

Non est. *Syr. Hoc quidem non est.*
Nosse. *Syr. Nimirum nosse. S. Cypr. Cognoscere. S. Isid. Hisp. Scire.*
Tempora. *S. Aug. Tempus.*
Vel momenta. *Syr. Aut tempora illa. Oecum. Vel temporum opportunitatis.*
Quæ. *S. Aug. Quod.*
Posuit. *Pagn. Constituit.*
Suâ potestate. *Caiet. Suâ ipsius potestate. Ar. M. Propriâ authoritate.*

Vers. 8.

Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes

Accipietis *Syr. Recipietis.*
Virtutem. *Caiet. Potentiam. Pagn. Fortitudinem.*
Superuenientis. *Syr. Cùm venerit. S. Hil. Superueniente. S. Aug. Superuenientem. Vat. Postquàm aduenit. Caiet. Illapsi.*
Spiritus s. *Syr. Spiritus ille sanctitatis. S. Hil. Spiritu sancto. Vat. Spiritus sanctus.*
In vos. *Vat. Super vos.*
In Ierusalem. *S. Chrys. Tum Ierosolymæ. Orig. Tum*
in

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

in Ierusalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & vsque ad vltimum terræ.

in Ierusalem. Vat. Non solùm Ierosolymis.
Et in omni I. *S. Chrys. Tum in tota Iudeâ. Vat. Verumetiam in vniuersâ Iudeâ. Orig.* omittit.
Et Samariâ *Syr. Ac etiam inter Samaritanos. Orig. Tum in Samariâ.*
Et vsque. *Vat. Denique vsque.*
Ad vltimum. *Syr. Ad fines. S. Chrys. Ad extrema. S. Aug. In fines. Oecum. Ad extremum.* Aliqui Cod. *In totam terram.*

Vers. 9.

Et, cùm hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Et cùm h. d. *Pagn. Vsque hac loquutus. Ar. M. Et hac dicens.*
Videntibus illis. *Syr. Dum ipsi aspicerent eum. Pagn. Videntibus iisdem.*
Eleuatus. *Syr. Sublatus. S. Chrys. Subleuatus. Pagn. In altum sublatus.*
Suscepit. *Syr. Excepit & operuit. Pagn. Subduxit.*

Vers. 10.

Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.

Cúmque intuerentur. *Syr. Et cùm suspicerent. S. Chrys. Erant intendentes oculos. Oecum. Cúmque intentis essent oculis. Orig. Et cùm intenderent. Vat. Cúmque essent defixis in cælum oculis. Ar. M. Et vt attendentes erant.*
In Cælum euntem illum. *Syr. In Cælum eo proficiscente. Goth. In Cælum euntes ille. Vat. Eunte illo.*
Ecce duo. *Syr. Inuenti sunt duo.*
Astiterunt. *Syr. Astantes.*
Iuxta illos. *Syr. Ipsis. S. Chrys. Illis. S. Presb Eis.*
In vestibus. *Syr. Cum vestimentis. S. Chrys. In veste. Pagn. Amicti vestibus. Ar. M. In vestitu.*
Albis. *S. Chrys. Candidâ. Oecum. Albâ. Ar. M. Albo.*

Vers. 11.

Qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

Qui e. d. *Syr. Et dicunt eis.*
Aspicientes. *Syr. Et suspicitis. S. Aug. Intuentes. S. Athan. Suspicientes.*
Hic Iesus. *S. Aug. Iste Iesus.* vel: *Hic est Iesus.*
Assumptus. *Syr. Eleuatus. S. Chrys. Receptus. S. Aug. Acceptus.*
Cœlum. *Syr. Cælos.*
Veniet. *S. Chrys. Veniet iterum. S. Epiph. Illum videbitis.*
Quemadm. *S. Aug. Quomodo.*
Vidistis. *S. Aug. Videtis.*
Euntem i. c. *Syr. Scandentem cælos. S. Epiph. Assumptum. S. Aug. Ire.*

Vers. 12.

Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter.

Tunc. *Syr. Posteà.*
Oliueti. *Syr. Domus oliuarum.*
Est i. I. *Syr. Et iuxta crepidinem Ierusalem. S. Chrys. Abest ab Ierosolymis. Ar. M. Est prope Ierusalem.*
Sabbati habens. *Syr. Et distat ab ea circiter decem stadiis. S. Chrys. Iter sabbatis. Vat. Nempe ad sabbati iter.*

Vers. 13.

Et, cùm introissent, in cœnaculum ascenderunt, vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus,

Cùm. *Syr. Postquàm.*
Introissent. *S. Chrys. Ingressi essent.*
In cœnaculum a. *Syr. Ascenderunt in cœnaculum illud.*
Manebant. *Syr. Degebant. S. Chrys. Erant permanentes. Oecum. Mansitabant. Quidd. codd. Manebat.*
Petrus & Ioannes. *Pagn. Et Petrus & Iacobus & Ioannes.*
Philippus. *Syr. Et Philippus.*

Iacobus

Vulgata Editio.

Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

Lectionum varietas.

Bartholomæus e. M. *Syr. Et Matthæus & Bartholomæus.*
Iacobus Alphæi. *Syr. Et Iacobus filius Alphæi.*
Iacobi. *Syr. Filius Iacobi. Pagn. Frater Iacobi.*

Vers. 14.
Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus. Et Mariâ matre Iesu & fratribus eius.

Erant perseuerantes. *Syr. Perdurabant. S. Cypr. Erant persequentes.*
Vnanimiter. *Syr. Vno animo. S. Aug. Vnanimes. S. Cypr. Omnes Vnanimes. Ar. M. Concorditer.*
In oratione. *S. Chrys. In deprecatione. Vat. In deprecatione & obsecratione. Caiet. In oratione & obsecratione. Ar. M. Oratione & deprecatione.*
Matre. *S. Aug. Quæ fuerat mater. S. Cypr. Quæ fuit mater.*
Fratribus e. *Oecum. Cumque fratribus ipsius.*

Vers. 15.
In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti.)

In diebus i. *Porrò in diebus illis. Pagn. Et in diebus his.*
Exurgens. *Syr. Assurgens. S. Chrys. Surgens. Vat. Cùm exurrexisset.*
Petrus. *Syr. Simon Petrus.*
Fratrum. *S. Chrys. Discipulorum.*
Turba. *Syr. Illic cœtus.*
Hominum s. *Syr. Hominum. Ar. M. Hominum in idipsum. Caiet. Hominum simul.*
Ferè. *Ar. M. Quasi.*

Vers. 16.
Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iudâ, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum.

Oportet. *Syr. Æquum fuit. S. Chrys. Oportebat. Caiet. Oportuit.*
Scripturam. *Syr. Scripturam illam. S. Chrys. Scripturam hanc.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
Iudâ. *Syr. Iudâ illo.*
Qui fuit d. *Ar. M. Facto duce.*
Eorum. *Vat. Iis. Pagn. Itineris. Ar. M. Via.*
Qui comprehend. *Ar. M. Comprehendentibus.*

Vers. 17.
Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

Qui. *S. Chrys. Quoniam. Pagn. Quia.*
Connumeratus e. i. n. *Geth. Connumeratus erat nobiscum. Oecum. Annumeratus erat nobiscum. Vat. Coopertus erat in numerum nostrum. Pagn. Annumeratus erat.*
Sortitus e. s. *Syr. Habeat sortem. Pagn. Sortitus erat partem.*
Ministerij h. *Syr. In hoc ministerio.*

Vers. 18.
Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.

Et hic q. *Syr. Is est, qui. S. Chrys. Hic quidem igitur. Oecum. Siquidem hic.*
Possedit. *Syr. Acquisiuit sibi. Oecum. Adeptus est. Caiet. Parauit. Ar. M. Acquisiuit.*
Agrum. *Syr. Fundum. Oecum. Prædium.*
De mercede. *Syr. Mercede. S. Chrys. Ex mercede.*
Iniquitatis. *Syr. Sceleris. Lintr. Iniustitiæ.*
Suspensus. *Syr. Cecidit in faciem suam humi. Oecum. Et pronus. Ar. M. Præceps factus.*
Medius. *Syr. Per medium sui.*
Diffusa. *S. Chrys. Effusa.*

Vers. 19.
Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem; ita vt appellaretur ager ille, linguâ eorum, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis.

Et notum f. e. *Syr. Idque notum est. S. Chrys. Innotuit.*
Appellaretur. *Syr. Vocetur. Vat. Vocatus sit.*
Ager ille. *Syr. Fundus ille. Oecum. Prædium illud.*
Linguâ e. *Syr. Lingua regionis. S. Chrys. Propriâ eorum linguâ. Oecum. Proprio illorum idiomate. Pagn. Linguâ illis vernaculâ.*
Hoc est. *Syr. Cuius expositio est.*

Vers. 20.
Scriptum est enim in libro Psalmorum:

Commoratio e. *Syr. Habitaculum eius. Caiet. Commoratio eius.*

Fiat

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in eâ: Et episcopatum eius accipiat alter.

Deserta. *Syr. Desertum.*
Qui inhabitet. *Syr. Incola. Oecum. Qui habitet. Ar. M. Habitans.*
Eâ. *Syr. Eo.*
Alter. *Vat. Alius.*

Vers. 21.

Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus,

Ex his. *S. Chrys. E. Pagn. Vt ex iis. Ar. M.* omittit.
Viris. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Virorum.*
Qui n. s. *Syr. Qui fuerunt nobiscum. S. Chrys. Nobis congregatis. Pagn. Qui nobiscum versati sunt. Ar. M. Conuenientium nobis. Vat. Qui nobiscum sunt congregati.*
In omni t. *Syr. Per totum hoc tempus. Oecum. Omni tempore. Vat. Toto tempore.*
Quo. *Ar. M. In quo.*
Intrauit & exiuit, *Syr. Introiit exiitque. Vat. Vitæ consuetudinem egit nobiscum. Pagn. Ingressus fuit & egressus fuit. Al. Perpetuam vitæ consuetudinem egit.*
Inter nos. *Syr. A nobis. S. Chrys. Apud nos.* vel; *Ad nos. Vat. Nobiscum.*
Dominus *Syr. Dominus noster.*

Vers. 22.

Incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem, quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.

Incipiens. *Syr. Qui circuiuit. S. Chrys. Exorsus.*
Vsque in d. *Syr. Ad hunc vsque diem. Oecum. Vsque ad eum diem.*
Quâ. *Pagn. Quo.*
Assumptus est. *Syr. Eleuatus. Pagn. Receptus est.*
Testem r. e. n. f. v. e. i. *Oecum. Vnus quispiam constituatur testis resurrectionis eius nobiscum. Pagn. Vnus quispiam constituatur, qui sit vnà nobiscum testis resurrectionis eius.*

Vers. 23.

Et statuerunt duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus; & Mathiam.

Et statuerunt. *Syr. Statuerunt itaque.*
Vocabatur. *Vat. Vocatur.*
Barsabas. *Mar. Filius Saba.*
Qui cognominatus e. *S. Chrys. Cognomento.*
Iustus *S. Chrys. Iustum. Mar. Vir sanctus.*

Vers. 24.

Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus, vnum,

Orantes. *Syr. Inter orandum.. Oecum. Facta precatione. Pagn. Cum orassent. Salm. Postquàm orassent.*
Dixerunt. *S. Chrys. Dicebant.*
Qui corda. n. o. *Pagn. Cognitor cordium.*
Quem elegeris e. h. d. v. *Syr. Vtrum delegeris ex his duobus. Vat. Vtrum elegeris ex his duobus.*

Vers. 25.

Accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.

Accipere *Syr. Vt ille accipiat. S. Chrys. Et accipiat.*
Locum *S. Chrys. Sortem. Salm. Hæreditatem.*
Et Apostolatus. *S. Chrys. Et Apostolici muneris: Oecum. Apostolatûs.*
De quo *Syr. A quo S. Chrys. Vnde.*
Præuaricatus est. *Syr. Decessit. Oecum. Præuaricatione excidit. Pagn. Præuaricatus excidit. Ar. M. Aberrauit.*
Vt abiret. *Syr. Vt iret. Oecum. Progrediens.*
Suum. *Ar. M. Proprium.*

Vers. 26.

Et dederunt sortes eis: & cecidit sors

Et dederunt. *Syr. Coniecerunt igitur. Vat. Et miserunt. Quidd. ap. Salm. Iecerunt.* vel: *Posuerunt.*
Eis. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Suas. Pagn. Eorum.*
Cecidit. *Syr. Ascendit.*
Super. M. *Syr. Ad Mathiam.*
Et annumeratus. *Syr. Proinde annumeratus. S. Chrys. Et suffragiis additus. Oecum. Et suffragiis*

super

Vulgata Editio.

super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Lectionum Varietas.

additus. Vat. Et in numerum cooptatus. Ar. M. Et simul suffragiis electus. Salm. Et ad numerum cooptatus.
Cum vndecim A. S. *Chrys. Vndecim Apostolis. Vat. Vndecim Apostolorum.*

CAPVT PRIMVM

Actuum Apostolorum

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Primùm quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere.

801. PRÆTER Euangelium etiam *Actus apostolorum* Lucas conscripsit. Nimirum aureum primitiuæ Ecclesiæ seculum ob oculos nobis posuit; vt, illud intuentes, quantum ab illâ sanctitate descinerimus, videremus, & ad illam redire omni studio conaremur. Piorum exempla ad pietatem tacitè inhortantur, & quodammodo alliciunt.

Apostolorum acta hic liber dicitur: posset & *Spiritus sancti acta* appellari; nam, sicut in Euangelio, Christi opera continentur; sic In isto opera leguntur quæ per Apostolos Spiritus sanctus fecit. Præclarè author qui argumentum huic libro Græcè præfixit: *Quanquam circa primordia promittit præsens liber narrationem actionum Apostolicarum, vt tamen manifestiùs dicatur, sancti Spiritus acta in hoc continentur: nam simul vt Apostolis adfuit, quæcunque admiranda per eos acta sunt, per hunc librum cognoscimus, Spiritu videlicet hæc per eos operante. Itaque æquum est, vt Euangelium quidem* ACTIONES CHRISTI *contineat, liber verò Actorum*, SANCTI SPIRITVS.

Vtilis hic liber est, non minùs quàm Euangelium; diuitemque continet thesaurum, thesaurus ipse est. Audiendus hic sanctus Chrysostomus, cuius verba nolim posse taci in nostri æui fideles. Sic ille scribit in libri huius argumento: *Pluribus hic liber omninò ignotus est, adeò vt neque de ipso nouerint, an extet, neque de authore, qui illum vel conscripsit vel edidit. Idcirco ob hanc potissimùm causam pro viribus in hanc descendi prouinciam, vt & ignorantes attraherem, & tantum thesaurum latere, aut in tenebris reconditum esse nequaquàm permitterem. Neque enim minùs nos iuuare poterit quàm Euangelia, tantâ plenus est philosophiâ dogmatumque rectitudine, & horum potissimum, quæ de Spiritu sancto dicta sunt. Itaque, ne librum hunc prætercurramus; sed magnâ cum diligentiâ scrutemur: Siquidem vaticinia illa, quæ Christus in Euangeliis prædixerat, ea opere expleri videre est in hoc libro, ipsumque veritatem rebus ipsis refulgentem, ac magnam discipulorum ad meliora immutationem; idque per Spiritum, qui ipsis infusus erat.*

Insignis pictor extitit sanctus Lucas. Suo ipse penicillo pinxit Virginis imaginem, & infantis Christi, quæ magna veneratione coluntur. Plus illi debemus, quòd in hisce actis perfectam, & numeris omnibus absolutam Christianæ vitæ ideam, & formam pinxerit.

Acta, seu, *actus Apostolorum* hic liber dicitur. Cur ab actis potius, quàm à dictis sortitur nomen, nam & vigintiduæ conciones Apostolorum hic continentur? Apud Deum magis factorum, quàm dictorum habetur ratio. Nimirum statim Christianus Lector admonetur, officij sui potiùs esse facere, quàm docere, simpliciùs, dici potest per *Acta* intelligi etiam dicta.

Multum Lucæ debemus, qui non Euangelicam 802.
tantùm historiam, sed & Apostolicam, qua nobis aurei seculi mores ob oculos ponit. Lucam geminum horce opus conscribentem sic effert sanctus Petrus Damianus: *Beatus Lucas, dum geminâ styli specie, & Euangelicam, & Apostolicam contexit historiam, tanquam diuersis agrum Ecclesiæ frugibus ditat: Vnde videlicet populus esuriens viuat, vnde grex Christi virentia salutis alimenta decerpat. Hæ planè sunt fruges, quas Ioseph fratribus contulit. Hæc pecunia, quam in ore sacci præcepit imponi. Hæc pecunia nunc in Ecclesiæ mensâ proponitur, vt vsura postmodum à negotiatoribus requiratur.* Rem paulò aliter versat idem sanctus Pater, dum ait: *Et bene vitulus (Lucas) quia sacra lingua vomere cordis nostri ardua proculcat, eaque Euangelici seminis iactu vitali fruge fœcundat. Vel certè idcirco B. Lucas vituli prætendit imaginem; quia dum Euangelicam, atque Apostolicam*

Apostolicam describit historiam, hostes Christi, atque aduersarios veræ fidei, tanquam duobus cornibus ventilat, eosque ne aream Catholicæ Ecclesiæ depopulentur, expugnat.

Sermonem feci: Euangelium suum *sermonem* vocat; cur non *Euangelium*? Magnificentius quidem sonat Euangelium, quàm sermo. Ob modestiam igitur, & humilitatem *sermonis* vtitur nomine, non *Euangelij*. Ecclesia hunc titulum addidit, quæ librum eius ita indigitat: *Sanctum Iesu Christi Euangelium secundum Lucam*. Qui se, suaque deprimunt euehentur: deprimi merentur, qui se euehunt, & exaltant.

Quæ Paulus, quæ cæteri Apostoli, post Christi in cælum ascensionem, fecerint narrat in hoc libro Lucas, operum suorum, suique laboris non meminit. Iusti bona, quæ præstant, alto silentio premunt; promptiores alienis laboribus laudandis, quàm suis. Veræ humilitatis consignatio ista est.

803. *O Theophile*: θεόφιλος, Græcè *diligens Deum* significat, vt ait Origenes; vel *dilectus à Deo, Deoque gratus*, vt ait sanctus Ambrosius: Cohærent hæ duæ explicationes; quia, qui à Deo diligitur, debet & Deum diligere; vt mutuus amor sit, mutua dilectio. Theophili nomen proprium est non commune. Fuit vir eximius, & potens, cui & Euan-
Luc.1.3. gelium suum inscripsit, dum ait: *Visum est & mihi, assecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere Theophile*. Hîc rursus eum alloquitur, sed optimi epithetum omittit. Priùs dixerat, *κράτιστε θεόφιλε, optime*, seu *potentissime Theophile*. Præsides, & Præfecti olim *κράτιστοι* optimi vocabantur. Actorum 24. v. 3. *Optime Felix*: & cap. 26. v. 25. *Optime Feste* Hic igitur Theophilus senator fuit, Princeps, aut præses. Sed dubium est; cur hîc Lucas *optimi* titulum omiserit, quo antea eum insigniuerat initio sui Euangelij. An, quia Christianus iam factus magistratu se se abdicauerat, vt modestiæ humilitatisque Christianæ studio vitam quietam, & à curis vacuam ageret? Potuit & nunc omittere Lucas honoris titulum; quia melior iam, suique despicientior Theophilus euaserat, quàm cum Euangelium illi inscriberetur. Iustorum virorum hic mos, vt, quò magis ætate, virtuteque proficiunt, eò magis titulos fugiant, & extimi honoris larуam.

Ad vnum Theophilum scribit, sed ita, vt scriptionis vtilitas in cæteros quoque deriuaret, ad omnes decurreret; docens interim, quanti vel vnius salus facienda: id quod expendens Oecumenius hîc ait: *O Theophile. Præfectus erat hic Theophilus. Ne autem mireris si vnius viri gratiâ tantum curæ susceperit, vt illi duo integra volumina laboris plena conscriberet: Dominicæ namque vocis obseruator erat, quâ dicebat: Non est voluntas Patris mei, vt* PEREAT *vnus pusillorum istorum.*

804. *Quæ cœpit Iesus facere, & docere*: Probus docendi ordo; priùs facere. Efficacia verba sunt, quæ exemplo fuerint, vt ita dicam, animata; nam vita doctrinæ anima est. Fecit priùs Christus, deinde docuit; quia maiorem suæ vitæ partem actioni dedit, minorem prædicationi: nam per annos triginta in actione fuit; docuit verò tribus tantùm suæ vitæ annis, dictis suis per opera, quæ præmisit, fidem, & efficaciam concilians. Nimirum, nihil doctore frigidius, qui nudis dumtaxat verbis edocet.

Cœpit facere, & docere: Signatè dictum, *cœpit*; vt Apostoli deinde sequerentur, & nos ipsi post Apostolos. Cœpit, quia cæteris præiuit. *Cœpit*, inquit Vgo Carensis, *quia semper quasi incipiens fuit*. Quis se absoluisse putet, qui vix incepit? cùm Christus, qui semper absoluit, cœpisse sit dictus?

Vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.

ASsumptus est: Sed à quo, aut à quibus? Non ab Angelis, quorum ministerio non indiguit; 805.
sed a se suâque virtute. Annum agens trigesimum quartum terram Christus deserens, in cælum se contulit. Sed cur tam citò abiit? vt, qui homines suâ præsentiâ lætitiâ perfunderet & Angelos, à quibus auidissimè expectabatur. Præterea pluribus annis suam hominibus præsentiam non exhibuit, vt ab eius abitione disceremus, vitam diuturnam non quærere, sed cælo, rebusque non perituris inhiare.

Quibus & præbuit se ipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis.

POst passionem resurgens viuum se Apostolis exhibuit Christus. Et non viuus erat antequàm moreretur? Erat. Sed cur nunc signatè dicitur: *quibus & præbuit se ipsum viuum?* An, quia vita ante resurrectionem, tot mortibus obnoxia, vix vitæ meretur nomen? Nimirùm vita hæc fluxa, labilis, calamitatibus, morbisque plena, mors potiùs dicenda, quàm vita est. Tunc verè viuemus, cum mortem subierimus immortalitati donati: interim morimur, dum viuimus, & vita ipsa mors quædam est.

Per dies quadraginta: Cur præcisè per tot dies 806.
discipulis Christus apparuit non per plures? An, quia hic numerus in sacris litteris sacer est? An, quia quadraginta horarum spatio suam præsentiam mortuus abstulerat, quam quadraginta dierum spatio compensaret? Hinc scilicet apparet, quàm largior, ditiorque in consolationibus Deus sit, quàm in desolationibus: quadraginta horis in morte præsentiam iustis de causis discipulis negauit, & quadraginta diebus præsentiam exhibet.

Quadraginta hisce diebus vbi Christus fuerit non facilè est definire. Censent aliqui eum fuisse cum Eliâ, & Enoch in paradiso. Certè Elias hoc videbatur meruisse, qui paulò antè ei astiterat, & testimonium ei exhibuerat in transfiguratione, & de eius passione loquutus fuerat, & loquentem audierat. Tam gratum scilicet Christo est, quempiam de suâ passione loqui, eamque meditari, vt suam præsentiam tot diebus Eliæ, qui hoc præstiterat, exhibuerit.

Loquens de regno Dei: In exemplum abire hæc 807.
loquutio debet, vt frequenter de cælorum regno, rebusque cælestibus loquamur, vt ad omnia aduersa ferenda gratâ regni cælestis memoriâ excitemur. Tot pressuras, tot calamitates Apostoli passuri erant: opportunè cum illis de regno cælesti loquitur Christus; illius enim spe contra aduersitates omnes, omnesque aduersarios armari poterant. Nihil timet, qui cælum spectat, nec vinci animus potest, quem regni cælestis spes fouet, animat, erigitque.

Per dies quadraginta apparens eis: Discipulis

suis apparuit; non suis hostibus, non Iudæis, ne in furorem verterentur, maiorique pœnâ digni fierent, si, Christo visu, non resipiscerent, meliorem-que mentem non ebiberant. Rem egregiè vrget sanctus Chrisostomus in hæc verba: *Quam ob causam, cùm resurrexisset, non statim Iudæis apparuit? Verum superuacaneus, & vanus est iste sermo. Si enim ad fidem illos pellecturus fuisset, post resurrectionem omnibus apparere non recusasset: cæterum nequaquam eos illum pellecturum fuisse, si post resurrectionem illis apparuisset per Lazarum indicauit. Cùm enim hunc quatriduanum mortuum, fœtentem, & corruptum suscitasset, & effecisset, vt ligatus institis in conspectum omnium prodiret, non solùm illos ad fidem non attraxit sed etiam irritauit; venientes enim ipsum etiam interficere hac de causâ voluerunt. Si ergo, cùm alterum à mortuis excitasset, non tamen crediderunt: si seipsum ostendisset a semetipso suscitatum, nonne in ipsum furore exarsissent? Tametsi nihil ad effectum perducturi fuissent: tamen irrito conatu suam impietatem exercuissent. Vt igitur eos superfluo furore liberaret, seipsum occultauit: maiori enim illos supplicio obnoxios reddidisset, si post crucem apparuisset. Quocirca, vt illis parceret seipsum quidem oculis eorum subtraxit; sed editis tamen miraculis se ipsum ostendit.*

808. *Per dies quadraginta apparens eis:* Suis apparuit Christus: non se Iudæis prodidit non crucifixoribus; ne eis insultare videretur; & quia illius præsentiâ non erant digni. *Fuit cum eis*, verba sunt sancti Augustini, *quadraginta dies. Impiis Iudæis non se demonstrauit. Illis demonstrauit se, qui in eum crediderant, antequàm crucifigeretur; vt, quos crucifixus dimiserat titubantes, resurgens faceret fortes.*

Per quadraginta dies suis Christus apparuit: non continuè, vt ante passionem faciebat, cum illis versabatur, sed temporibus opportunis; vt DESIDERABILIOREM *eis redderet suam apparitionem ait* Oecumenius. Ita plerunque accidit, vt se à suorum gustu, delectabilique fruitione subducat Christus, quò maiori desiderio in eum ferantur, qui se aufert à suis, vt non auferat.

Non continuò suis apparebat; *sublimiorem, magisque Diuinum se ostendens*, ait Oecumenius hîc. Res in exemplum debet ire. Ibit, si illi, qui spiritaliter resurrexerunt, parciùs se in hominum dent conspectum. *Apparens eis*: Apostolis apparuit: cur non & aliis ex vulgo? *Quia vulgo phantasma visum fuisset, quòd ignorabat arcanum mysterium*, inquit idem author.

Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.

VIrtutem dixit potiùs, quàm lumen, quàm suauitatem; vt qui Spiritum hunc recipit, non lucere tantùm studeat, sed & operari; nec suauitatem amet ab operum labore abiunctam. Pulchrè Sanctus Bernardinus Senensis serm. 8. de Manifest. Spirit. Sanct. *Ait Dominus discipulis suis: Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* VIRTVTEM *dixit potiùs, quàm* DVLCORAM *aut* SPLENDOREM *aut similia.*

SECTIO II.

Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent.

ET *conuescens*, Græcè συναλιζόμενος, *in sale com-* 809.
municans. Qui inuicem vescuntur eodem sale vtuntur. Notatur hîc frugalitas, & temperantia adeò, vt pani obsonium adderetur sal, quòd apud veteres frugalis vitæ sectatores in vsu. Nam sale, vice pulmentarij, vsos fuisse veteres, & salem cum pane comedisse testatur. Plinius lib. 31. cap. 7. Quin & Christiani olim quartâ feriâ, & sabbatho pane & sale dumtaxat vescebantur, prout Apostoli decreuerant. Et sanctus Gregorius Nazianzenus carmine 9. ita canit:

Mihi grata obsonia præbet
Sal purum

Arguit frugalitas ista nostri æui luxum, quo mensæ variorum generum ferculis onerantur, onerantur ventres.

Sal amicitiæ symbolum est, vnde & hospitibus ante alios cibos apponi consueuerat, quo amicitiæ firmitas significaretur. Conuiuia igitur à sale denominantur; vt statim moneamur mensas amicitiæ, charitatisque muniendæ, ac stabiliendæ struendas esse.

Sed cur antequam Christus ascenderat cum 810.
Apostolis comedere voluit? An ne ipsum spectrum & phantasma putarent? An in amicitiæ signum & charitatis? sapit hæc res magnam etiam humilitatem: iam gloriosus Christus, & immortalis pauperum assidet mensæ, & cum eis conuiuatur, vt ostenderet, se quidem alterius gloriæ factum esse, non tamen alterius naturæ, & in sublimi statu quemque se in aliorum salutem, suæ magnitudinis oblitum, demittere debere.

Ab Ierosolymis ne discederent: Cur præcepit ne ab Ierosolymis discederent? Ne passionis eius, & mortis obliuiscerentur, quæ Ierosolymis acciderant? Vult suorum mentibus insidere Christus, quæ pro nobis passus est, sic enim nos ad Spiritus sancti dona recipienda parare possumus, si passionis Christi mysteria assiduè animo voluamus.

Vbi Christus passus est, ibi expectare Spiritum sanctum par erat Apostolos; vt vel sic proderetur, passionis Christi merito, superâ Spiritus sancti gratia repletos Apostolos fuisse.

Præcipitur Apostolis, vt ab Ierosolymis non discederent; ne *suspecta*, inquit Oecumenius, *re-*

surrectio

surrectio esset. Quæ tanquam præcipuum Christianæ religionis fundamentum in credentium animis erat firmanda. *Præterea quoque*(addit idem author) *multi erant ibidem creduturi.* Quùm de animarum salute agitur, adeò non abeundum, vt aliis omnibus omissis illuc accurrere oporteat, vbi salus speratur. Claudit: *simul etiam expectare eos oportebat, ne qui dicerent, quòd notis relictis ad extraneos ostentandi sui gratiâ accedebant; & quia nondum Spiritus virtute armati inutiles redderentur ad hostium congressus.*

Sed expectarent promissionem Patris.

811. PRæcepit, vt expectarent promissionem Patris; ad acuendum in eis desiderium superæ gratiæ excipiendæ. Ad cœlestia dona recipienda se quisque desideriis præparare debet. *Expectarent promissionem Patris:* Quam promissionem? cùm multa Pater promiserit & per os Christi, & per ora prophetarum? Promiserat filium suum, & hoc iam impleuerat: restabat Spiritus sancti aduentus, & diuinæ gratiæ communicatio singulari modo facienda. Hanc, καθ' ἐξοχὴν promissionem Patris vocat, quia inter alia dona hoc præcipuum.

Promissionem Patris: Etiam ipse Christus promiserat,se Spiritum sanctum missurum,vbi ad cælos ascendisset: cur igitur Patris tantùm meminit? An in exemplum humilitatis? An verò potius vt Apostolorum mentes in Patris amorem excitaret, & paulatim affectum illorum exuerent,quo in Christum hominem ferebantur?

Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

812. VIde hîc Christi modestiam. Non dixit: *Baptizabo vos Spiritu sancto:* sed *baptizabimini:* & tamen de ipso Ioannes dixit Matth.3.v.11. *Ipse vos baptizabit.* Quæ potestatis sunt, sibi non tribuit, vt exemplo suo nos modestiam, & humilitatem doceret.

Non post multos hos dies: Cur certos non prædixit dies? Cur non dixit: post decem *dies?* tot enim erant futuri. Fors, vt omni tempore essent parati. Certum non indicauit diem, vt semper essent vigilantes. Qui in rebus spiritualibus certum sibi tempus assignant, quo se parent, vix bene se parant. Temporis angusti limitibus ne se coërceat, qui nullum in amore limitem nouit.

Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

813. QVi conuenerant: Non soli Apostoli conuenerant, sed & alij discipuli cum ipsis conuenerunt simul, vt pudore quodam, ac reuerentiâ multitudinis, quod scire desiderant extorquerent, nec multitudini negaretur, quod fors vni negatum esset.

Domine: Christus ante passionem sæpiùs magister dicebatur, quàm Dominus: post resurrectionem contrà. Creuit enim post resurrectionem reuerentia ergà eum, quæ adolescere semper debet, vt quò magis in spirituali vita proficimus, eò maiorem reuerentiam Christo debeamus.

Nouarin. in Act. Apost.

Etiam cum discedit à suis,à suis non discedit;in nubem intrat,in signum quòd suauitatis suæ rore suos irroraret.Hinc illud Sancti Augustini hom.7. de Ascensione. *Apparuit nubes: intrauit in eam, qui educit nubes ab extremo terræ, vt oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & IRRORARET eos ascendentis de cælo suauitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas.*

Dixit autem eis. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.

SI quærere, ac sciscitari tantùm, quando restitueret Regnum Israëli tale fuit, vt Christus reiiciens eorum interrogationem dicat. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta:* Quàm seuerè illi arguendi, qui regna terrena ambiunt, nec scire solùm volunt, quando aliis restituere statuat, sed quando ipsi possideant nimio ambitu possint.

Non est vestrum nosse: Iratus ad Patrem, correctionis officium non prætermittit. Nimirum nulla felicitas, & gloria nos impedire debet, quin alienæ saluti non inuigilemus, & alios, si res ita ferat, corrigamus. In cælum ascensurus Christus suos corrigit. Qui correctionem facit,talibus moribus esse deberet, vt in cælum esset euolaturus, si abiret.

Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.

SEd accipietis:Magna in his verbis latet vis.Opponit acceptionem Spiritus Sancti eorum curiositati, ac si diceret: Non est vestrum nosse tempora vel momenta; sed accipietis Spiritus sancti virtutem. Non enim bene cohærent curiosè terrena, & temporalia sciscitari, & accipere Spiritum sanctum,illiusque donis cumulari. 814.

Et eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & vsque ad vltimum terræ.

PRiùs Spiritus sanctus in Apostolos superuenturus dicitur, postea Christi mysteriorum testes futuri. Et non poterant etiam antequam reciperent Spiritum sanctum Christi mysteria testari, & prædicare? Si testimonium hoc verbis tantùm fieret, non erat necesse Spiritum sanctum priùs Apostolos recipere: sed, cùm vitæ innocentiâ, & sanctitate præcipuè fiat,idcirco priùs dixit: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos:* & postea addit: *Et eritis mihi testes in Ierusalem,& in omni Iudæâ, & Samariâ, & vsque ad vltimum terræ.* Verus,& idoneus Christi mysteriorum testis, & prædicator est, qui superâ Spiritus sancti gratiâ plenus extiterit.

Et,cùm hæc dixisset,videntibus illis, eleuatus est:& nubes suscepit eum ab oculis eorum.

QVæ, fuerint Christi abeuntis, & remanentis matris,ac discipulorum colloquia; quàm dulcia, quàm suauia; qui amplexus; tacet Euangelista.Contemplari ea possumus,explicare nequimus. Probabile est, vt amorem, & reuerentiam in discipulorum cordibus Christus imprimeret, de- 815.

CC 2 disse

diſſe eis oſculandas ſuas manus, ſuos pedes, matri verò latus obtuliſſe oſculandum, in quod præ amore penè immigrauerat.

Eleuatus eſt: Non ſubitò raptus, vt Elias, & Enoch; non furtim ſublatus; ſed, videntibus illis, ſenſim eleuatus, vt diutiùs intuentium diſcipulorum oculos paſceret, & conſpectus ſui dulcedine eos recrearet, ad cælúmque eorum mentes alliceret, eoſque non ſecus ac magnes ferrum, traheret.

Priùs montem pedes Chriſtus aſcendit, deinde in cælum euolauit. Scilicet humano more, quantum poterat, terram gradiendo, & quaſi gradibus quibuſdam aſcendendo, cælum petit, nec miraculo, quandiu naturæ vis obſequi poterat, vtitur. Quæ res documento nobis eſſe poteſt, ne per miracola petamus, quod propriis viribus poſſumus obtinere. Docemur præterea ad perfectionis culmen paulatim eundum, nec ſtatim volandum eſſe, aut viribus maiora præſtanda.

816. In cælum Chriſtus abiit, nec ſtatim Spiritus ſanctus in Apoſtolos aduenit: cur ita? *Quia oportebat*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *illos deſiderio promiſſi teneri, atque ita donum accipere.*

Aſcendit comitantibus Angelis Chriſtus. Aërem ipſum ſanctificatum nullus ambigit. Sancti Auguſtini hæc ſunt verba, hæc mens: *ſanctificatur Diuino comitatu immenſus aër.*

Et nubes ſuſcepit eum. Cur nubes eum ſuſceperit, ignis Eliam in cælum detulerit, hanc reddit rationem Oecumenius hîc: *Nubes quidem Dominum ſuſcepit, vt honoris æqualitatem ad Patrem demonſtraret. De Patre enim dictum eſt: Nubes & caligo in circuitu eius. Et incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo vſus eſt; nam Dominus erat: Elias verò, igne. Ille enim tanquam Dominus vniuerſi, propria aſcendens virtute, terrenum quiddam & quod deorſum fertur, ad aſcẽſum aſſumſit, nec magis ductus, quàm reducens ipſe vehiculum. Elias verò ſeruus erat, ideoque ſurſùm ferente vehiculo egens, & equis, qui velocitatem itineris illi pararent. Idcirco etiam de hoc dictum eſt: Aſcendit Elias in turbine tanquam in cælum. De Domino verò: Eunte illo in cælum.*

Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt.

C*Vmque intuerentur:* Græcè, ἀτενίζοντες, *intuentes, & intentis defixis oculis:* ſeu, vt vertit Sanctus Ambroſius *ſuſpenſi.* Produnt corporis habitu affectum, quo Chriſtum in cælum euntem proſequebantur.

Qui intueri illum poterant, quem nubes ab eorum oculis, vt dicitur ſuperiùs, abduxerat? Aliqui, ex Græco ſic legunt: *Cúmque intuerentur in cælum, eunte illo.* Sicque nodum ſoluunt, vt illud *in cælum*, Apoſtolorum intuitum reſpiciat, non Chriſti itionem: quòd ſi huic nectatur, dici poteſt, rem intelligendam *non iuxta effectum*, (vt Lintrenſis ait) *ſed iuxta conatum.* Niſi ſic quoque ſoluatur nodus: vt Apoſtoli Chriſtum euntem in Cælum viderint illâ ſplendidâ nube quodam modo veſtitum.

Ecce duo viri: Ideſt duo Angeli, aſſompto hominis habitu, & figurâ. Quidni hominis formam in aſſumpto corpore præſeferant, cum videant Dei filium aſcendentem hominem factum naturam humanam in cælum euehere? Sequuntur miniſtri Dominum ſuum, & homines honorant, & amant, quos amari, & honorari à Domino vident, & mirantur.

In veſtibus albis: Notat hic color pulchritudinem puritatis eorum. Olim milites albati triomphantem Imperatorem deducebant: hîc Angeli quoque triumphantem Chriſtum in veſtibus albis comitantur. In albis veſtibus apparent Angeli, vt & veſtibus clament morum candore candorem veſtium nobis eſſe exprimendum. Veſtibus albis Chriſtum euntem in cælum comitantur, vt, qui mente in cælum cum Chriſto euolat, mentis puritate maximè niteat. 817.

Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum.

V*Iri Galilæi:* Chriſti diſcipuli ferè omnes Galilæi erant; ſed cur id factum? Quia hæc gens ingentis animi, roboriſque corporis erat: ab infantiâ pugnax, ac formidinis prorsùs expers. Scilicet Chriſti diſcipulum non decet, eſſe nimis pauidum ſegnem, ac deſidem, ſed acrem, & impauidum. Præterea Galilæus *transmigrans* interpretatur. Nimirùm à terrâ in cælum mente tranſmigrare quodammodo debet, qui Chriſti diſcipulus audire vult.

Quid ſtatis aſpicientes in cælum? Aliter noſtri æui fideles Angeli nunc alloquerentur, nam potius mirari, & ſciſcitari poſſent; *quid ſtatis aſpicientes in terram:* Terrenis rebus addictis, addictis perituris, *quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Non nudæ contemplationi vacandum eſt, ſed & operi manus admouenda. Prædicandum vobis Euangelium eſt; patienda tormenta multa; ludibria multa ſuſtinenda. Nimirum, *in cælum non benè aſpicit, qui aſpicit tantùm.*

Quid ſtatis aſpicientes in cælum? Bonus in cælum aſpectus eſt; ſed ſolus eſſe non debet: etiam 818.
operi manus admouenda, vt ea præſtentur, quibus viam nobis paremus ad cælum. Cæleſtia contemplanda ſunt, ſed in nudâ meditatione ſiſtere non debemus. Actio ſubſterni meditationi debet.

SECTIO III.

Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.

IN tantâ lætitiâ, in tanto aſcendentis Chriſti 819.
triumpho extremi iudicij mentio fit. Scilicet omni tempore menti inſidere ſupremus iſte dies debet.

debet. Ex vnâ parte cæli aditus, ascendente Christo, patefiebat, & via ad cælum demonstrabatur fidelibus; ex alterâ iudicij memoria refricatur: quò statim intelligeremus, iudicij extremi meditationem mortales vrgere, vt Christi vestigia sequantur, & ad cælum se parent.

Impiis terrori esse poterat denuntiatus iudicij dies, iustis lætitiæ erat; *ne consternarent eos animos, subiecerunt*, inquit sanctus Chrysostomus, *sic veniet. Respirarunt aliquantulum, cum audissent eum denuò rediturum.* Innocentia iudicem expectat: non expectassent si nocentes.

820. *Hic Iesus*: sanctus Augustinus legit: *Hic est Iesus*: ac si, extra se præ admiratione factis Apostolis, opus fuisset dicere, eum, qui ascendebat in cælum, Iesum esse, quem paulò ante viderant, & contrectauerant. *Viri Galilæi, inquit, quid hic statis. Hic est Iesus. Quasi*, addit sanctus Pater, *illi non scirent, quia ipse esset Iesus. Ante se paulò ante eum non viderant? secum loquentem non audierant? Nempe non solum speciem viderunt præsentis, sed & membra contrectauerunt. Ipsi ergò nesciebant, quòd ipse esset Iesus? sed admiratione ipsâ præ gaudio iubilationis, tanquam mente alienatis loquuntur Angeli: Ipse est Iesus. Quasi dicerent: si creditis illi, quo crucifixo, nutauerunt vobis pedes, quo occiso, & sepulto, spem vobis perdidisse putabatis; ecce ipse est Iesus.*

Sic veniet: Felices, qui eâ mente rediturum excipient, quâ euntem aspiciebant Apostoli. *Sic veniet, vna erit euectio*, inquit sanctus Augustinus, *vna lætitia nubifera, vna species mansueta, sed tactus clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Sic veniet, clauorum illæsa vulnera demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filiis sponsi cùm coronam cælestis exhibebit imperij, crucis vulnera non mutabit; quin signum filij hominis fulgebit.*

Tunc reuersi sunt Ierosolymam, à monte, qui vocatur Oliueti.

821. EX his verbis constat Christum è monte Oliueti in cælum ascendisse. Sed cur inde? An, quia in eo monte passionem inchoauit, dum in horto orans sudauit sanguinem, à Iudæis captus & ligatus? scilicet vbi iniustè pœnam sustinuit, & opprobria; ibi innocentia eius declaratur, ostenditur gloria; vt sciamus in decus, honoremque tormenta omnia desinere; omnes contumelias, & passionis instrumenta, & loca in gloriam, in triumphum verti.

A monte Oliueti in cælum Christus euolat: quidni? In hoc monte sæpè Christus orauerat, & pernoctauerat, diuturnas vigilias agens; inde igitur cælos ascendit, vt hinc disceremus; quòd inde in cælos ascendimus, vnde vigilamus, oramus, & aliquid pro Deo patimur.

Recensentur hîc omnes Apostoli, omisso Iudâ proditore, ne putaretur eorum aliquis, mali discipuli exemplum esse sequutum. *Rectè mentionem fecit discipulorum*, inquit sanctus Chrysostomus: *postquam enim vnus prodidit; declarat, quòd, vno excepto, reliqui essent incolumes.* Hoc necessariò erat explicandum, cùm ferè ita accidat, vt vnius lapsus, aliis ruinæ occasio esse soleat.

Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu.

ORationem præmittunt vnanimitati coniunctam, vt se ad Spiritus sancti aduentum præparent. Talis oratio Spiritum sanctum quodammodo allicit. *Perseuerantes*, græcè, προσκαρτεροῦντες, *insistentes, assiduè incumbentes*. Hoc verbum significat insistere rei cuipiam arduæ, & difficili. Et non talis oratio; vt ritè fundatur? Satanici hostis sagacitas, & naturæ imbecillitas superanda est, quæ orationis tempore potissimè nos inuadunt. 822.

Et Mariâ matre Iesu: Vt se ad Spiritum sanctum recipiendum pararent Apostoli, aliique Christi discipuli à Mariâ non discedunt. Nimirum familiaritas Mariæ, & erga illam deuotio corda disponit ad Dei gratiam, eiusque copiam, ac plenitudinem recipiendam.

Et Mariâ matre Iesu. Postrema recensetur Maria, quæ tamen non erat vltima in pace illa firmanda, quæ omnes illos in vnum coëgerat; fuit quippe huic rei prima, atque præcipua. Pulchrè ille: *illa vnanimitas Apostolorum & fidelium magna ex parte oriebatur à Virgine, quæ veluti* PACIS, ET CONCORDIÆ FONS IN MEDITVLLIO *illius orantis gregis reperiebatur.*

Et Mariâ. Quantò maior erat Maria, tantò magis se omnibus demittit; etiam infra eam, de quâ eiecta fuerant septem dæmonia, ineffabili mansuetudine, & singulari bonitate, se collocabat. Sed, quæ infra omnes se posuit, supra omnes superâ Dei gratiâ perfusa est. Nimirum humilitas locum Spiritu sancto parat; ac disponit. *Mulierum se se vltimam exhibebat*, inquit sanctus Bernardus, *vt nouissima omnium poneretur. Meritò facta est nouissima prima, quæ, cum esset prima, omnium se se nouissimam faciebat. Meritò super Angelos exaltata est, quæ infra viduas, & pœnitentes se inclinabat.* Exemplum habes, quod imiteris. Licèt alij ampliùs notent non semper ordinem enumerationis respondere ordini dignitatis. 823.

Quod Virginem postremo loco recensuerit Sanctus Lucas eorum nomina referens qui in cœnaculo orationem fundebant, non id factum tantùm ab ipso, vt Virginis humilitati obsequeretur, sed etiam vt recensionis suæ finem Mariæ nomine tanquam omnium recensitu dignissimo obsignaret, ac perficeret. Huc flexit Marcus Vigerius chorda 9. de lætitia Ascensionis, ait enim: *Certè adorare orare est (vt alibi scripsimus) Adorantes iuxta Euangelij finem regressi sunt; iuxta verò actuum Apostolorum seriem, perseuerantes erant vnanimiter in oratione cum mulieribus, & in primis cum Maria Matre Iesu, quoniam orationis studium in Ascensione inceptum, reuersi in Ciuitatem vnanimiter prosequuntur. Et quoniam sancta Mater Domini Iesu plus erat filio suo comes, quàm discipula, eam post omnes recensuit Euangelista; quoniam, & memoratu dignissima finem apud Oratores narrationibus imponunt.*

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit.

VBique feruidus Petrus. Primus omnium incipit loqui, velut is, cui aliorum præsidentia commissa erat. *Exurgens*; quasi præses, statu gradúque excelsior. Surgit tanquam pastor, vt totum circumlustret gregem, totum circumspiciat. Præterea modestiæ studio exurgit: in totius Ecclesiæ hono- 824.

rem, Beatæque Virginis, quæ aderat, reuerentiam, exurgit, & in medio stat. Felix grex, cuius pastor medium tenet, nec in nullam partem affectu pendet, omnibus se præbet indifferentem.

Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.

AD viros sermonem dirigit; quia electio, quæ facienda, ad solos Apostolos spectabat: vt Virgo, aliæque mulieres adfuerint, ad illas tamen electio ista non pertinebat. Fideles *fratres*, vocat, non cognatione sanguinis, sed fidei. Notatur hîc summa fidelium coniunctio, summa rerum omnium communicatio.

De Iudâ, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum.

825. POterat Iudæ scelera Petrus recensere, poterat eius impietatem multis referre, sed noluit. Non amant viri iusti aliena scelera expendere, ac narrare enucleatè; expendunt, & narrant sua. Sed addere possumus, omnia peccata in illis verbis conclusisse, *qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum*. Vox Græca ὁδηγὸς, ducem viæ, & itineris significat: vnde Pagninus vertit: *Dux itineris*: Vatablus: *Commonstrans viam*. quia qui aliis viam ostendit ad malum, & aliis in malo præit, omnibus sceleribus ferè madet.

Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

SOrs vocatur Apostolatus; quia dignitas ista non ex naturâ, aut merito, sed ex merâ Dei liberalitate, & gratiâ obuenit. Sanctitatis gradum Iudas obtinuit, sed sanctus non euasit. Nemo sibi de statu, nemo de loco blandiatur. Iudas vt probæ notæ Auctores censent, bonus erat cum fuit electus, ac talis etiam aliquo tempore mansit; sed in apostolatu malus euasit. Nullus in dignitate aliquâ constitutus, aut in religionis statu positus tepescat; nullus se putet securum. Quò sanctior, sublimiorque locus est, eò grauior ruina erit, si, tepidè viuentes, inde contingat decidere, quò fueramus euecti. Proditoris Iudæ exemplum in exemplum est.

Connumeratus erat: Nudum numerum impleuit, vacuus meritis. Cum bonis non meretur numerari, qui nudum numerum facit, solùm numerus est.

SECTIO IV.

Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.

PRopriè Iudas non possedit agrum figuli; quia 826.
pretium retulit, & sacerdotibus dedit, & abiens laqueo se suspendit. Eo pretio sacerdotes emerunt agrum in sepulturam peregrinorum. Dicitur autem hunc agrum Iudas possedisse, quia pretium possedit, quo postea ager emptus fuit. Hæc auari possessio est; possidet, quod habet; possidet cum non est, cum abiit.

Possedit: Idest, vt explicat sanctus Gregorius, *possidere fecit*. Tygurina vertit: *parauit*. Vatablus *acquisiuit*: Per emptionem scilicet sacerdotum, ac si auaritiæ affectus, mortuo Iudâ, mortuus in eo non fuerit.

De Iudæ porrò agro hæc habet Oecumenius hîc? *Post multa tormenta & vltiones, quùm in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset, præ fœtore prædium illud desertum permansit, & non habitatum vsque in hodiernum diem. Sed neque ad hoc vsque tempus, locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus.*

Et suspensus crepuit medius.

AVarum nec terra fert, nec cælum sustinet, in aëre pendet proditor Iudas sui carnifex factus. Sed cur se morti addixit, se strangulauit? Vt à conscientiæ cruciatibus, qui omni pœnâ grauiores, se liberaret.

Laqueo se Iudas suffocauit, dignam suo scelere 827.
subiit pœnam. Guttur, per quod vox proditionis exierat, non aliud quàm laqueum merebatur; vt in membrum sæuiret, quo in Dei filium proditor sæuierat. Iusto se supplicio Iudas adiudicat, vt, qui Christum vocis instrumento vendiderat, laqueo strangulatus in vocis organo puniretur. *Laqueo se suspendit*, inquit sanctus Augustinus, *vt qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & vitâ. Intelligens enim quantum scelus admiserit, non sufficit ei sacrilegij carere mercede, nisi careret & salute.*

Crepuit medius: Fors vt anima illa sacrilega non per os, quo perfidè Christum osculatus fuerat, sed per viscera instar dilaniatæ feræ egrederetur.

In Iudæ supplicio nemo Iudâ sæuior esse potuit, nemo crudelior, impias in se manus impius immisit, se Iudas strangulauit. Nimirum auarus sæuus sui carnifex est, & mitis quælibet crudelitas est præ ista, quæ in auaro est.

Multis

828. Multis pecuniæ amor ruinæ occasio extitit. Multos rerum terrenarum affectus perdidit. Plerique censent, Iudam bonum fuisse vsque ad loculorum officium. Vbi pecunias contrectare cœpit, & pecunias amare; in immane proditionis scelus delapsus est.

Sed aliquis hic reponat? Cur pecuniæ cura Iudæ commissa? Ne viderentur aut quasi inhonoris aut quasi egenus Dominum prodidisse; vtque esset inexcusabilis, qui, cùm accepisset à Domino marsupium, loculosque, propter auaritiam tamen eum tradidit.

In aëre medius crepuit, tanquam aërearum potestatum, proditione sui Magistri, similis factus, & quâdam ratione affinis. *Pulchrè omninò Petrus Apostolus*, inquit sanctus Bernardus serm. 8. in Psal. Qui habitat, *filium perditionis in locum suum abiisse testatus est, quod in aëre crepuerit medius*, AEREARVM COLLEGA POTESTATVM: *vt pote quem veri Dei & veri pariter hominis qui de cælo venisset operatum salutem in medio terræ: hunc, inquam, proditorem nec cælum reciperet, nec terra sustineret.*

Et diffusa sunt omnia viscera eius.

829. EFfudit viscera, cui nulla misericordiæ viscera inerant, quippe qui nullum commiserationis motum ergà Christum habuit. Sed cur narrat hic Petrus Iudæ interitum, modumque mortis, qui nihil ad electionem faciebat? Ideo, vt timorem cæteris incuteret, & omnes à lapsu auocarentur, dum audiunt etiam in hac vitâ puniri, qui in vitæ auctorem sæuierat.

Rem tanti momenti præstaturis Apostolis, cur Petrus non tei parem concionem ad fratres habuit? An Iudæ mors iustæ concionis loco esse poterat? Nimirum: *Malorum pœnitu altè inclamat in aliorum auribus, etiam si mali sileant.*

Fiat habitatio eorum deserta.

MVltorum de Iudæ vnius pœnâ dictum, de multis loquitur, ac si in vno Iudâ alij multi deliquerint. An indicare voluit, in vnius impij supplicio paribus idem indici, idem annunciari? Licèt vnum pœna premat, exprimit tamen etiam similes. Pulchrè Rupertus lib. de Intell. cap. 1. *Duo*, inquit, *testimonia connexuit: & alterum quidem singulariter de psalmo centesimo octauo: Et episcopatum eius accipiat alter. Alterum verò pluraliter de sexagesimo octauo: Fiat habitatio eorum deserta; Proposuerat autem tantùm de vno singulariter, sed & hic addit pluraliter. Quid igitur nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem hoc dicta sentimus? Iudam quippè, & infelices Iudæos sicut eodem scelere inuolutos, sic & simili pœna significat addictos: quatenus, quod vni Iudæ contingebat, vt episcopatum eius accipiat alter, idem & Iudæis contingeret, vt episcopalis eorum habitatio deserta fieret.*

Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Mathiam.

DVos statuerunt: sed cur non plures? An, ne plures tollerentur? *non multos* (inquit hic Occumenius) *statuerunt, sed solos duos; ne maior causaretur TRISTITIA, multorum reiectione.*

Et statuerunt: Apostoli scilicet, cæterique fideles vnâ mente vno consensu hos duos è toto septuaginta duorum numero, tanquam excellentiores, digniorésque, nominarunt. Sanctus Augustinus lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. pro *statuerunt*, legit *statuit*; ac si vna omnium esset mens, vnus animus, & in Petri voluntatem omnes consent, discreparet nullus. Fortunata electio, vbi ambitio, & affectus mentes non diuidit, non diducit vota.

Qui cognominatus est iustus: Ab insigni iustitiâ & pietate *iustus* appellatus est, non tamen super illum sors, quam Deus dirigebat, cecidit, cecidit super Mathiam. Nimirum non semper aptiores iusti ad regimen, non semper sanctiores eligendi, sed magis idonei, magis prudentes, & qui muneri sint pares. Prudentia sæpe magis necessaria superioribus, quàm sanctitas. Optimus erit si habet vtrasque. 830.

Dicebatur Barsabas, communi hominum opinione, iustus; vt propterea eligendus videretur: non eligunt tamen in Apostolum Apostoli: rem Deo committunt, qui Mathiam Barsabæ prætulit; *Ostenderet*, inquit sanctus Augustinus, *eum frequenter, qui apud homines in pretio est, apud Deum esse inferiorem*; nec in diiudicandis hominum meritis hominum censioni aut standum, aut fidendum.

Quæ ad laudem Ioseph faciunt in medium adducit Lucas. Vt eius famæ consuleret iustum dictum fuisse dicit: *ne velut indignus repelli videretur*: inquit Vgo. Nimirum bonorum est, bono bonorum nomini consulere, aliorúmque famam tueri.

Qui cognominatus est iustus: Ioseph Iustus nominatur, cum Mathias sine vllo encomio recenseatur, & eligatur: quod factum, ne exclusus credatur Ioseph, tanquam malus, sicque eius famæ consuleretur: nam Mathiam satis sors commendabat, aliis laudibus non indigebat. Docemur laudibus non necessariis aliquem non obtuendum: nec in vnius commendatione alterius nomen obscurandum.

Ioseph iste, qui electus minimè est, cognatus erat Christi, vt aliqui notauere. Vt vel hinc appareret: *dignitates ratione consanguinitatis non esse conferendas, sed secundum merita, & talenta candidatorum*, inquit Titinus hic. 831.

Ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius; & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.

OStende quem elegeris: cur ille non elegit, cui vniuersi Dominici gregis curam demandarat. Petrus, qui tantùm sibi prius fiderat, nunc diffidit sibi. Non ipse aliquem substituit in Iudæ locum, rem Deo committit. Nimirum *iam Petrus*, inquit sanctus Chrysostomus, *fuerat se ipso factus melior*; & à suo lapsu didicerat non labi.

Cum essent meritis, vt videbatur, penè pares; cum nescirent Apostoli vter alteri præferendus, Ioseph Mathiæ, an secus; Dominum consulunt; innuentes homines in eligendo sæpè falli, cum exteriora tantùm respiciant, corda solus Deus agnoscat.

Vt abiret in locum suum: Quem? In laqueum; Sed cur *Iudæ* locus dicitur. Quia eum suis sibi manibus parauerat, suis sibi sceleribus struxerat. Vel in suum locum abiit, quia in infernum descendit. Hic proprius auarorum locus est. In locum suum abiit, qui hactenus occupauerat alienum. Qui sceleribus 832.

onustus sublimen dignitatis tenet locum, alienom tenet, licèt videatur tenere suum. Io damnationem abiit Iudas, quam suam, suis demeritis, fecit.

Vt abiret in locum suum: Ergo locus suus noo erat Apostolatus. Alieous erat, quia & ipse alienus ab Apostolicâ perfectione. Nimitum, qui dignitatum loea occupant, verè pastores, Reges, ae superiores dici non debent, si motibus à munere discrepent. Alienom locum tenent, dum locum in illis ptobitas, vitæque innocenria non habent.

Abiit in locum suum. Er non erat suus, quem tenebar, scilicet Apostolatus. Noo erat; quia illo, vt par erat, non vtebatur. *Abiit in locum suum*, ioquit hîc Caietanus, *quia hactenus* OCCVPAVERAT ALIENVM *Apostolatus & ministerij locum.* Nimitum qui vitâ moribusque dignitati non respoodet, vix habet dignitatem, licèt extimè videatur habere. Alienum locum occopat, qui se finit à suo munere alienari.

Et cecidit sors super Mathiam.

E*T cecidit sors super Mathiam*: Noo tamen tristitia, aut iouidia in cor Ioseph cecidit, videos sibi Mathiam prælatum. Iustè iustus ooo diceretur, si eum liuor iouasisset, aut dolor. Nulla inuidia, tristitia nullâ corripitur, si contingat aliis postponi, qui se oulli præfert, nec vllâ ambitionis labe afficitur, inficitúrque.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT II. ACT. APOSTOLORVM.

Vers. 1.

ET, cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.

Complerentur. *Syr. Impleti essent. Oecum. Compleretur.*
Erant. *Syr. Dum essent.*
Pariter. *Syr. Congregati. S. Chrys. Vnanimiter congregati.*
Io eodem loco. *Syr. Simul. S.Chrys. In vnum. Ar. M. In eodem.*

Vers. 2.

Et factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis; & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.

Et factus est. *Syr. Extitit.*
Repentè. *B.Dion. Alex. De repentè. S.Aug. Subitò.*
De cælo. *B.Dion. Alex. E calo.*
Sonus. *S.Chrys. Sonitus. B. Dion. Alex. Sonus magnus.*
Tanquam. *S.Cypr. Quasi.*
Aduenientis. *Syr.* omittit. *S. Cypr. Ferretur. Ar. M. Ruentis. Pagn. Impetu aduenientis. Salm. Aduemente.*
Spiritus. *Syr. Venti. S.Cypr. Flatus. Caiet. Flatûs. Salm. Vento flatuque.*
Vehementis. *S. Cypr. Vehemens. Ar.M. Violenti. Salm. Violento.*
Et repleuit t. d. *Syr. Eoque repleta est tota domus illa. S. Cypr. Et impleuit totum illum locum. S. Greg. Nyss. Domicilium Apostolorum repleuerat. B Dion. Alex. Ita vt concussa sit tota domus.*
Vbi erant s. *Syr. In quâ sedebant.*

Vers. 3.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis; seditque supra singulos eorum.

Apparuerunt. *S.Chrys. Visa sunt. Caiet. Conspecta sunt.*
Dispertitæ. *Vat. Dissecta. S.Aug. Diuisa.*
Tanquam ignis. *Syr. Instar ignis. S. Chrys. Velut ignea & velut flatus. S.Aug. Sicut ignis. Oecum. In modum ignis. Vat. Velut ignea.*
Sedit. *Syr. Sederunt. S. Aug. Insedit. Orig. Consedisse.*
Super singulos e. *S.Chys. Singulis eorum. S.Aug. Super vnumquenque eorum. Orig. Super Apostolos. Tert. In vnumquenque illorum.*

Vers. 4.

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Spiritu sancto. *Syr. Spiritu sanctitatis.*
Variis. *Syr. Singulis. Vat. Aliis. Salm. Alienis.*
Spiritus sanctus. *Oecum. Ipse Spiritus. Pagn. Spiritus ille. Caiet. Spiritus.*
Eloqui. *S.Chrys. Loqui. S.Aug. Pronunciare. Linr. Apophtegmatizare.*

Vers. 5.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 5.

Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.

Habitantes. *Syr. Commorantes.*
Iudæi. *Syr. Quidam Iudæi.*
Religioſi. *Syr. Timentes Deum.*
Ex omni n. *Syr. Ex omnibus gentibus. Ar. M. Ab omni genere eorum. Caiet. Ex omni natione eorum.*
Sub cælo eſt. *Syr. Sub cælo ſunt. Ar. M. Sub cælo.*

Verſ. 6.

Factâ autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt; quoniam audiebat vnuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes.

Facta. *Syr. Cùm extitiſſet. S. Chryſ. Cùm facta eſſet. Vat. Cùm increbuiſſet.*
Hac voce. *Syr. Sonitus ille. S. Chryſ. Hac vox. Vat. Is rumor.*
Multitudo. *Syr. Totus populus.*
Mente confuſa. *Syr. Commotus. Pagn. Confuſa.*
Quoniam a. *S. Chryſ. Audiebant.*
Vnuſquiſque. *Syr. Vnuſquiſque ex eis. S. Chryſ. Singuli eorum.*
Linguâ. *Ar. M. Idiomate.*
Suâ. *Syr. Propriâ ſuâ. S. Chryſ. Propriâ cuiuſque. Ar. M. Proprio.*

Verſ. 7.

Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt?

Stupebant a. o. *Syr. Percellebantur.*
Dicentes. *Syr. Dicentes alius ad alium. Pagn. Dicentes inter ſeſe. Caiet. Dicentes alius alij. M.SS. Dicentes ad inuicem.*
Qui loquuntur. *Ar. M. Sunt loquentes.*
Galilæi. *S. Proſp. Natione Galilæi.*

Verſ. 8.

Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in quâ nati ſumus?

Audiuimus. *Syr. Audiuimus eos. S. Chryſ. Audiuimus illos loquentes. Oecum. Audimus eos. S. Proſp. Agnoſcimus in illis.*
Vnuſquiſque. *S. Chryſ. Cuiuſque Oecum. Quiſque.*
Linguam noſtram. *Syr. Linguâ ſuâ. S. Chryſ. Propriâ linguâ. Oecum. Propriâ linguâ noſtra. S. Proſp. Sermonem Ar. M. Proprio idiomate.*
In quâ *Syr. Quâ. S. Proſp. In quo.*

Verſ. 9.

Parthi & Medi & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam,

Qui habitant. *Syr. Qui habitamus. S. Chryſ. Qui incolunt. Ar. M. Habitantes. Oecum. Habitatores.*
Meſopotamiam I. e. C. *Syr. Inter fluuios, Meſopotamiam Iudæi, & Cappadoces. Oecum. Meſopotamia, Iudæaque & Cappadocia.*
Pontum e. A. *Syr. Nec non ex regione Ponti & Aſiæ. Oecum. Ponti & Aſiæ. Tert. Incolentes Pontum & Aſiam.*

Verſ. 10.

Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani.

Phrygiam &. P. Ægyp. *Syr. Et ex regione Phryſiæ & Pamphyliæ. Oecum. Phrygiæque & Pamphyliæ, Ægypti.*
Ægyptum. *Tert. Immorantes Ægyptum.*
Partes Lybiæ. *Syr. Partibus Lybiæ. S. Chryſ. Partes Lybiæ eius. Oecum. Partium Lybiæ eius.*
Quæ e. c. C. *Syr. Quæ ſunt prope Cyrenen. Oecum. Quæ eſt finitima Cyrenæ. Ar. M. Quæ ſecundùm Cyrenen.*
Et aduenæ Romani. *Syr. Et ij qui à Româ venerunt. S. Chryſ. Præterea, qui hîc agunt Romani. Oecum. Illîc verſantes Romani.*

Verſ. 11.

Iudæi quoque & proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

Iudæi quoque & proſelyti. *Syr. Iudæi & proſelyti. S. Chryſ. Partim proſelyti.*
Cretes & Arabes. *Syr. A Cretâ denique & Arabiâ.*
Audiuimus. *Syr. Ecce audimus. Pagn. Audimus.*
Noſtris linguis. *S. Chryſ. Noſtrarum linguarum proprietatibus.*
Magnalia. *Syr. Miranda facinora. S. Chryſ. Magnificentias. Pagn. Magnifica.*

Verſ. 12.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Vers. 12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?	Stupebant. *Syr. Admirabantur.* Mirabantur. *Syr. Obstupescebant. S.Chrys. Hæsitabant. Oecum. Admirabantur.* Ad inuicem. *S.Chrys. Inter se. Vat. Alius alij. Pagn. Alius ad alium.* Quidnam volt h. e. *Syr. Quid hoc sibi vult.*
Vers. 13. Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.	Irridentes. *Syr. Irridebant eos. S.Chrys. Subsannabant illos. Ar.M. Cauillantes.* Musto. *Syr. Mustum.* Pleni. *Syr. Biberunt & inebriati. S. Chrys. Repleti. Vat. Expleti. Caiet. Impleti.*
Vers. 14. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea:	Stans autem P. *Syr. Postea verò stans Simon Petrus.* Vndecim. *Syr. Vndecim Apostolis. S. Chrys. Reliquis vndecim.* Leuauit. *S. Chrys. Extulit. Ar. M. Sustulit. Caiet. Eleuauit.* Loquutus est. *Syr. Ait.* Vniuersi. *S.Chrys. Omnes.* Auribus percip. *Syr. Auscultate. S.Chrys. Auribus accipite.* Verba mea. *Syr. Sermones meos.*
Vers. 15. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia:	Æstimatis. *Syr. Putatis. Pagn. Existimatis.* Cùm sit. *Syr. Cùm esse adhuc sit. S. Chrys. Est enim.* Diei tertia. *Syr. Tertia.*
Vers. 16. Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël:	Hoc est. *Syr. Hoc illud est.* Quod dictum est. *Oecum. Quod dictum fuit. Ar. M. Dictum.*
Vers. 17. Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.	Erit. *Syr. Futurum est. Vat. Eueniet.* In nouissimis. *Syr. Nouissimis.* Dicit Dominus. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Dicit Dominus Deus. Pagn. Dicit Deus.* Effundam. *Vat. Vt effundam.* De Spiritu meo. *Syr. Spiritum meum.* Super omnem. *Tert. In omnem.* Prophetabunt. *Syr. Vaticinabuntur. Mar. Annunciabunt futura.* vel: *Declarabunt Dei voluntatem.* Et filiæ vestræ. *S.Chrys.* omittit. Somnia. *S.Chrys. Insomnia.*
Vers. 18. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.	Et quidem. *Syr. Hic. Oecum. Etiam. Ar. M. Atqui.* Super ancillas. *S.Chrys. Ancillas.* De Spiritu meo. *Syr. Spiritum meum.* Prophetabunt. *Syr. Vaticinabuntur.*
Vers. 19. Et dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terrâ deorsum, sanguinem & ignem & vaporem fumi.	Dabo prodigia. *Syr. Edam signa. Goth. Dabunt prodigia.* Sursum. *Syr.* omittit. *S.Chrys. Supernè.* Signa. *Syr. Virtutes.* In terra d. *Syr. Super terram. S. Chrys. In terrâ infernè.*
Vers. 20. Sol conuertetur in tenebras & Luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & manifestus.	Tenebras. *Syr. Caliginem.* Antequam. *S.Chrys. Priùs quàm.* Dies. *Pagn. Dies ille.* Manifestus. *Syr. Tremendus. Goth. Horribilis. Vat. Illustris.*
Vers. 21. Et erit: omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.	Erit. *Oecum. Continget. Vat. Futurum est.* Omnis. *Vat. Vt omnis.* Saluus erit. *Pagn. Seruabitur. Vat. Seruetur.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Vers. 22.

Viri Israëlitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis.

Israëlitæ. *Syr. Filij Israël.*
Audite. *Tert. Auribus mandate.*
Verba hæc. *S.Chrys. Hos sermones meos. Tert. Quæ dico.*
Iesum. *Syr. Iesum illum.*
Approbatum à Deo i. v. *Syr. Qui à Deo apparuit apud vos. S. Chrys. Demonstratum à Deo in vobis. S. Epiph. Probatum à Deo in vobis. Oecum. A Deo designatum ad vos. Tert. Destinatum à Deo vobis. Vat. Exhibitum à Deo erga vos. Pagn. Designatum à Deo erga vos.*
Virtutibus. *Pagn. Potentiis. S.Epiph.* omittit.
Prodigiis & s. *Syr. Præclarè factis illis. S. Epiph. Signis ac prodigiis.*
Fecit. *Vat. Edidit.*
Per illum. *Syr. Per manum ipsius.*
In medio v. *Syr. Inter vos. S. Aug. In medio vestro.*
Et vos. *S.Chrys. Et ipsi. Quidd. codd. Vos.*
Scitis. *Syr. Nostis.*

Vers. 23.

Hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis:

Definito consilio & p. *Syr. Cùm ad hoc expositus esset præscientiâ & voluntate.*
Traditum. *Syr. Tradidistis. S. Chrys. Expositum cùm accepissetis. Pagn. Traditum cùm accepissetis.*
Per manus. *Syr. Manibus. S. Aug. In manus.*
Iniquorum. *Syr. Sceleratis. Ar. M. Exlegum.*
Affigentes. *Syr. Crucique affixistis. S. Chrys. Crucifixum.*
Interemistis. *Syr. Atque trucidastis.*

Vers. 24.

Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

Quem Deus s. *Syr. Deus autem suscitauit eum. Ar. M. Quem Deus resuscitauit.*
Solutis doloribus. *Syr. Soluitque funes. Ar. M. Soluens dolores. Lintr. Soluens dolores.*
Inferni. *Syr. Inferorum. S.Chrys. Mortis.*
Iuxta quod. *Syr. Siquidem. Goth. Quoniam. S.Chrys. Secundùm quod. S.Epiph. Enim. Pagn. Quatenus.*
Teneri. *Syr. Retineri. S.Epiph. Detineri.*
Ab eo. *Syr. In inferis. S. Chrys. Ab eâ. S. Epiph. Ab inferis.*

Vers. 25.

Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commouear:

Dicit. *Syr. Dixit.*
In eum. *S. Chrys. De eo.*
Prouidebam. *Syr. Prospiciebam.*
Dominum. *Syr. Dominum meum.*
In conspectu meo. *Pagn. Coram me.*
Quonniam. *Syr. Quippe qui.*
A dextris est m. *Syr. A dextera meâ fit. S. Chrys. A dextris meis est.*
Ne commouear. *S.Chrys. Vt ne commouear. Ar. M. Vt ne concutiar.*

Vers. 26.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe;

Propter hoc. *Syr. Propterea. S.Chrys.* omittit.
Lætatum est c. m. e. e. *S. Chrys.* omittit.
Lingua mea. *Syr. Gloria mea. S. Chrys.* omittit.
Insuper & c. m. *Syr. Atque adeò corpus meum. S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Insuper verè & caro mea.*
Requiescet in spe. *Syr. Commorabitur in spe. S. Chrys.* omittit.

Vers. 27.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, Sanctum tuum videre corruptionem.

In inferno. *Syr. In inferis. Vat. Apud inferos.*
Dabis. *Oecum. Sines.*

Vers. 28.

Notas mihi fecisti vias vitæ; & replebis me iucunditate cum facie tuâ.

Notas fecisti. *Syr. Reuelasti.*
Vias. *Syr. Viam.*
Iucunditate. *Syr. Lætitiâ.*
Facie tuâ. *Syr. Vultu tuo.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 29.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarchâ Dauid: quoniam defunctus eſt & ſepultus, & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem.

Liceat. *S.Chryſ. Licet. Pagn. Cùm liceat. Al. Quandoquidem licet.*
Audenter. *Syr. Palàm. S. Chryſ. Liberè. Pagn. Cum loquendi fiduciâ. Ar. M. Cum libertate.*
Dicere ad vos. *S. Chryſ. Dicere apud vos. Caiet. Loqui ad vos.*
Quoniam d. e. *Syr. Eum defunctum eſſe. Goth. Quoniam defunctus eſt Dauid. S. Chryſ. Quoniam mortuus ſit. Oecum. Quod & defunctus eſt.*
Sepultus. *Syr. Sepultum.*
Sepulchrum. *Syr. Monumentum.*
Eſt a. n. *Syr. Eſſe apud nos. Ar. M. Eſt in nobis.*
In hodiernum. *Syr. Ad hunc. Ar. M. Hanc.*

Verſ. 30.

Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius;

Propheta igitur c. e. *Syr. Etenim propheta fuit. Ar. M. Propheta igitur exiſtens.*
Sciret. *Syr. Sciebat.*
Iureiurando. *Oecum. Iuramento.*
Illi. *Pagn. Sibi.*
De fructu. *Vat. Futurum, vt de fructu.*
Lumbi eius. *Syr. Ventris ſui. Vat. Lumbi ipſius, quantum ad carnem Chriſtus exoriretur. Ar. M. Lumbi eius reſuſcitaturum Chriſtum.*
Sedere. *Syr. Collocabo. Vat. Ac ſederet. Ar. M. Collocaturum.*
Sedem eius. *Syr. Solium ſuum. Oecum. Thronum ſuum. Ar. M. Throno eius.*

Verſ. 31.

Prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

Prouidens. *Syr. Proſpexitque. Oecum. Praſcius, quòd Chriſtus ſecundùm carnem reſurgeret. Caiet. Prauidens.*
Quia neque d. e. *Syr. Eum non iri derelictum. Pagn. Quod non derelicta ſit anima eius.*
In inferno. *Syr. In inferis. Vat. Apud inferos.*
Caro eius. *Syr. Corpus quidem ipſius.*
Vidit. *Syr. Viſurum. Pagn. Viderit.*

Verſ. 32.

Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus.

Hunc. *S. Chryſ. Illum.*
Reſuſcitauit. *S.Chryſ. Suſcitauit.*
Cuius. *Syr. Et ipſius.*

Verſ. 33.

Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti acceptâ à Patre, effudit hunc, quem vos videtis & auditis.

Dexterâ igitur. *S. Epiph. Dexterâ.*
Exaltatus. *Syr. Exaltatus ille eſt.*
Promiſſione. *Syr. Promiſſum quidem. S. Epiph. Promiſſionem.*
Spiritus ſ. *Syr. De Spiritu Sanctitatis. S. Epiph. Spiritus.*
Acceptâ. *Syr. Accepit. S.Epiph. Accipiens.*
Hunc. *Syr. Hoc donum. Pagn. Hoc.*
Quem. *Syr. Quod ecce. Pagn. Quod nunc.*

Verſ. 34.

Non enim Dauid aſcendit in cœlum: Dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis,

In cælum. *S.Chryſ. In calos. Oecum. Ad calos.*
Dixit autem. *Syr. Quandoquidem ait. Pagn. Sed dicit.*
Dextris meis. *Syr. Dexterâ meâ. Vat. Dextris mihi.*

Verſ. 35.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Donec. *Syr. Vſque dum.*
Ponam. *Oecum. Poſuero.*
Scabellum. *Syr. Suppedaneum.*
Pedum t. *Syr. Pedibus tuis.*

Verſ. 36.

Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël: quia & Dominum eum, & Chri-

Certiſſimè. *S.Chryſ. Certò. S.Greg.Nyſſ.* omittit.
Sciat. *S.Epiph. Manifeſtum ſit vobis. S.Greg.Nyſſ. Notum ſit. Ar.M. Cognoſcat.*
Omnis d. *S.Chryſ. Tota domus. S.Greg.Nyſſ. Omni domui.*
Dominum eum e. C. *S. Epiph. Dominum & Chriſtum*

Lectionum Varietas. | Vulgata Editio.

ſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.

ſtum Ieſum. Pagn. Dominum & Chriſtum. Ar. M. Dominum & Chriſtum eum.
Hunc I. *S. Greg Nyſſ. Hunc ipſum Ieſum.*
Crucifixiſtis. *S. Greg. Nyſſ. In crucem egiſtis.*

Verſ. 37.

His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?

His autem a. *Ar. M. Audientes autem.*
Ad Petrum. *Syr. Simoni. Vat. Petro.*
Ad reliquos A. *Syr. Cæteris Apoſtolis. Vat. Reliquis Apoſtolis.*
Viri fratres? *Syr. Fratres. Goth. Viri fratres, oſtendite nobis.*

Verſ. 38.

Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.

Petrus verò a. i. *Syr. Dixit eis Simon.*
Pœnitentiam i. a. *S. Chryſ. Reſipiſcite. Vat. Delictorum pœnitentiam agite. Ar. M. Pœnitemini. Caiet. Pœniteat vos.*
In nomine. *Vat. Nomine.*
Ieſu Chriſti. *Syr. Domini Ieſu.*
In remiſſionem. *Oecum. Ad remiſſionem.*
Peccatorum v. *Pagn. Peccatorum.*
Accipietis. *Syr. Recipietis.*
Sancti. *Syr. Sanctitatis.*

Verſ. 39.

Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter.

Vobis. *S. Chryſ. Veſtra.*
Eſt repromiſſio. *Syr. Factum eſt promiſſum. Vat. Facta eſt promiſſio.*
Filiis v. *S. Chryſ. Filiorum veſtrorum.*
Omnibus. *Syr. Iis omnibus. S. Chryſ. Omnium.*
Longè ſunt. *Oecum. Longè abſunt. Ar. M. In longè.*
Quoſcunque. *Syr. Quippe quos. Oecum. Quotcunque.*
Aduocauerit. *S. Chryſ. Vocauerit.*
Dominus D. n. *Syr. Deus.*

Verſ. 40.

Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens: Saluamini à generatione iſtâ prauâ.

Aliis etiam: *Syr. Et aliis.*
Verbis. *S. Chryſ. Sermonibus.*
Plurimis. *Syr. Quàm plurimis.*
Teſtificatus eſt. *Syr. Atteſtabatur eis. S. Chryſ. Teſtificabatur. Ar M. Obteſtabatur.*
Exhortabatur eos. *Syr. Efflagitabat ab eis. S. Chryſ. Obſecrabat. Ar. M. Exhortabatur. Al. Exhortatus eſt eos.*
Saluamini. *Pagn. Seruemini.*
Generatione. *Vat. Natione.*
Prauâ. *S. Chryſ. Peruerſâ.*

Verſ. 41.

Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illâ animæ circiter tria millia.

Qui ergo. *Syr. Et quidam ex eis. S. Chryſ. Itaque illi. Ar. M. Qui quidem ergo.*
Receperunt. *Syr. Promptè exceperunt. S. Chryſ. Libenter accepto. Oecum. Libenter ſuſceperunt. Pagn. Libenter acceperunt. Ar. M. Libenter accipientes.*
Sermonem. *S. Chryſ. Sermone.*
Baptizati ſ. *Syr. Credideruntque ac baptizati ſunt. S. Chryſ. Baptizati.*
Et appoſitæ ſ. *Syr. Ita vt addita ſint. S. Chryſ. Et appoſiti ſunt. Pagn. Et acceſſerunt.*
In die illâ. *S. Chryſ. Die illo.*
Circiter. *S. Chryſ. Quaſi.*
Tria millia. *Pagn. Ter mille.*

Verſ. 42.

Erant autem perſeuerantes in doctrinâ Apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.

Erant a. p. *Vat. Continuò autem perſeuerabant.*
In doctrinâ. *Ar. M. Doctrinâ.*
Fractionis panis c. o. *Syr. Et oratione & in fractione Eucharistia. Vat. Et fractione panis & orationibus.*

Nicarin. in Act. Apoſt.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 43.

Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant; & metus erat magnus in vniuerſis.

Fiebat. *Syr. Extiterat. S. Chryſ. Obortus eſt. Pagn. Factus eſt.*
Omni a. *Syr. In vnaquâque animâ.*
Multa quoque. *S. Chryſ. Multaque.*
Prodigia e. ſ. *Syr. Signa virtuteſque.*
Fiebant. *S. Chryſ. Gerebantur. Pagn. Edebantur.*
Et metus e. m. i. v. *Syr. Et alij* omittunt.

Verſ. 44.

Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.

Omnes etiam. *Syr. Cunctique. Oecum. Omnes verò. Caiet. Omnes autem.*
Erant pariter. *Syr. Vnà commorabantur. S. Chryſ. Erant coniuncti. Ar. M. Erant in idem. Caiet. Erant ſimul.*
Habebant o. c. *Syr. Quæcunque habebant erant ſocietatis.*

Verſ. 45.

Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

Poſſeſſiones. *Syr. Et ij, qui habebant poſſeſſionem.*
Et ſubſtantias. *Syr.* omittit. *Ar. M. Et facultates.*
Vendebant. *Syr. Vendebant eam.*
Diuidebant i. *Syr. Diuidebant. S. Chryſ. Partiebantur illa. Oecum. Diſtribuebant ea.*
Omnibus. *Syr. Vnicuique.*
Cuique. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Vnicuique. Ar. M. Quis.*
Opus erat. *Syr. Egebat. Ar. M. Opus habebat.*

Verſ. 46.

Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis,

Quotidie quoque. *S. Chryſ. Quotidie autem. Pagn. Et quotidie. Ar. M. Per diem quoque.*
Perdurantes. *S. Chryſ. Perſeuerantes. Oecum. Perſeuerabant.*
Vnanimiter. *Syr. Vnanimes.*
Frangentes. *Syr. Frangebant. Quidd. ap. Mar. Viuebant.*
Circa domos. *Syr.* omittit. *Goth. Per domos. S. Chryſ. Per ſingulas domos. Ar. M. Per domum. Oecum. Iuxta domum. Quidd. ap. Mar. Omnes.*
Panem. *Syr. Munus benedictum. Quidd. ap. Mar. De communi. S. Pet. Dam. Panes.*
Sumebant. *Syr. Capiebantque. S. Chryſ. Simul accipiebant. Pagn. Inuicem ſumebant.*
Cibum. *Ar. M. Alimentum.*
Cum exultatione. *Syr. Exultantes. S. Chryſ. In exultatione.*
Simplicitate. *Syr. Cum puritate.*

Verſ. 47.

Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui ſalui fierent, quotidie in idipſum.

Collaudantes. *Syr. Laudabant. S. Chryſ. Laudantes.*
Deum. *S. Chryſ. Dominum.*
Et habentes g. *Syr. Cùm iniiſſent gratiam. Vat. Et gratioſi.*
Ad omnem p. *Syr. Coram vniuerſo populo. S. Chryſ. Apud omnem populum. Vat. Apud totum populum.*
Dominus a. *Syr. Ac Dominus noſter. Ar. M. At Dominus.*
Augebat. *S. Chryſ. Addebat eos. Ar. M. Apponebat eos. Pagn. Adiungebat.*
Fierent q. *Ar. Fiebant per diem.*
In idipſum. *Syr. In Eccleſiâ. S. Chryſ. Eccleſia. Pagn. Congregationi.*

CAP. II.

CAPVT II.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.

833. FESTVM Pentecostes indictum Iudæis erat in memoriam datæ illo die legis per Moysem in monte Sina. Sed quæ hîc lex exhibetur è cælo? Supera Spiritus sancti gratia, quæ animæ velut tabulæ insculpitur.

Erant omnes pariter: Pro *pariter*, Græcè est, ὁμοθυμαδὸν, *vnanimiter.* Vnanimis concordia, & consensio. Spiritum sanctum quodammodo allicit. Priùs dicit, *vnanimiter*; postea addit, *in eodem loco:* vt intelligeremus animorum concordiam, & affectuum præmittendam corporali cohabitationi. Scilicèt parum prodest, in vnum locum coire, nisi vnitas adsit animorum.

In eodem loco. Scilicet in cœnaculo, inquit Glossa, quod ascenderant. *Qui enim* (illa subdit) *Spiritum desiderat*, CARNIS DOMICILIVM, *mentis contemplatione transcendens* CALCAT. *Spiritum Dei non meretur accipere, qui suum sua carni non subiicit.*

Erant omnes: Quinam, aut quot? Apostoli, cum aliis fidelibus, qui centum viginti erant. Pende Christi liberalitatem. Duodecim Apostolis Spiritum sanctum promiserat; nunc centum viginti exhibet: multò pluribus dat, quàm esset pollicitus. Homines contrà: multa, & magna spondent; diuites promissis sunt; pauca, & exilia re ipsâ exhibent.

Cur non liberalitatem suam hic Christus ostenderet, cum misericordiæ mater adesset, quæ pro omnibus Spiritus sancti donum postulabat? Tantum vnius Virginis oratio, & intercessio potest.

Et factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis.

SOnus factus est, vt eorum animi ad Spiritum sanctum recipiendum excitarentur. Sed cur 834.
repente? An, vt ostenderetur hanc Spiritus sancti plenitudinem ex verâ eius liberalitate ipsis infundi? An, vt eius celeritas, & efficacia appareret, quâ repentè homines terrenos in cælestes transmutat?

Hic sonus de cælo fit; vt statim significaretur: Spiritum sanctum fidelium mentes in cælum euehere, & in cælestia mentem ei erigendam, qui ad huius Spiritus aduentum se parat. Hinc obseruo signum Spiritus sancti ferè datum desuper, & in superiore aëris parte; in columba, in igne: vt nos ad cælestia raperet, & vt in cælum, illius gratiam recepturi, obtutum figeremus.

Signum sui aduentus Spiritus sanctus exhibuit, sed per sonum, qui aurium obiectum est: cur non per obiectum oculorum? An, quia auris sensus fidei est, & obedientiæ? Debet autem Dei gratiam recepturus per fidem, & obedientiam præparari?

De cælo hic sonus est factus, vt cælestes illi fierent, qui illum erant audituri. *De cælo venit*, inquit Sanctus Bernardinus Senensis serm. 6. in Pentecost. *vt ad cælos eos veheret, &* CÆLESTES EFFICERET, ne ampliùs terrena amarent, ne quærerent.

De soni huius suauitate ac virtute hæc habet Sanctus Bernardinus Senensis serm. 6. in Pentec. *Sonus meritò factus est inenarrabili suauitate & harmonia plenus; superans enim omnium sonorum, vocum, & harmoniarum præsentis vitæ suauitatem & amœnitatem: & hoc quidem, vt discipulorum corda concutiens magis ex suauitate in nihilum suum redigeret, & deinde illos ampliùs exaltaret, & in Deum totaliter transformaret.*

Tanquàm aduenientis spiritus vehementis: Sanctus 835.
Cyprianus: *quasi ferretur flatus vehemens:* Vatablus: *similis flatui violento, qui fertur.* Irruit in cœnaculum vehemens ventus, vt Spiritus sancti efficaciam, ac vehementiam significaret. Ventus magna præstat, licèt non videatur; & qui spiritu diuino agitur, magna operatur, & curat non videri. Tanquam ventus, tanquam flatus, aduenit Spiritus sanctus in signum, quod à carnali palea corda esset purgaturus.

Ex eo, quòd sub specie spiritus ventique vehementia Spiritus sanctus aduenerit, mollem & dissolutum illi excipiendo ineptum esse, colligere possumus. Hinc illud Sancti Chrysostomi hom. 24. *Quomodò*, inquit, VENTVS INCIDANS IN VELVM *laxum & molle, nihil egerit: ita & sanctus Spiritus in animam mollem & dissolutam, pati non potest, vt maneat: sed magnâ intentione opus est & vehementiâ, vt nobis sit ardens animus, & semper sint nostra opera intensa, fortia & constantia, vt, quandò oramus, hoc à nobis cum magnâ faciendum est intensione, animam in cælum intendentibus non funibus, sed magnâ animi alacritate.*

Vebemens hic ventus fuit : *Non tamen aliquem terruit*, inquit Vgo. Nullum terruit, vt amoris potiùs spiritus esse proderetur, quàm timoris. Nullum terruit, vt non fuerit necesse dicere, quod sæpè præstitum : *Nolite timere*. Nullum terruit, qui eos subibat, qui omnibus terrori erant futuri.

In spiritu vehementi Spiritus aduenit : nullum tamen legimus territum, nullum timore concussum, cùm rei nouitas percellere illorum animos deberet. *Non Apostoli, non alij*, inquit hîc Liranus, *fuerunt territi, Deo hoc faciente in signum, quod dabatur eis Spiritus sanctus, qui est* CONSOLATOR CORDIVM, quique trementes & pauidos, fortes & strenuos reddit; non terrorem incutit & pauorem.

Et repleuit totam domum vbi erant sedentes.

SEssio quietæ, & sedatæ mentis indicium est, quæ optima dispositio ad recipiendum Spiritum sanctum. Vel sedere hîc est commorari, degere. Totam domum spiritus, & ventus replet : non totam replent igneæ linguæ; sed singulæ supra singulos apparuere. *Ignis*, inquit Oecumenius, *non repleuit totam domum, ne omnes terreret, ac videntes fugere compelleret*. Præterea maiorem locum ventus occupauit, quàm linguæ; vt rectè moneremur pauciora esse debere verba, contractioresque sermones, vt spiritus augeatur.

Totam domum. In vnâ sunt omnes domo, non in varias diuisi : vt loci vnitate animorum vnitas, vnitas Ecclesiæ significetur. *In vnâ domo sedentibus* (verba sunt Glossæ) *infunditur Spiritus, vt Ecclesiæ* VNITAS *commendetur.*

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.

836. CVr sub specie linguæ Spiritus sanctus Apostolis insedit? In signum, quod eos prædicatores constituebat: prædicationis enim instrumentum lingua est, ac si non aliâ linguâ loqui Euangelicus concionator debeat prætereàm, quam illi Spiritus sanctus format, & exhibet.

Sub linguæ figurâ Spiritus sanctus apparet; vt statim intelligeremus : linguam regere præcipuam vitæ spiritualis partem esse; & à linguæ moderatione profectum nostrum maximè pendere adeò, vt, Spiritum sanctum in animam aduenisse, linguæ custodia, & sermo sanctus facilè significet.

Hæ linguæ dispertitæ dicuntur, sed tanquam ignis; vt, qui Spiritus sancti dona recipit, flammam timeat, si donis non respondeat. *Postquam adepti sumus donum*, inquit Sanctus Chrysostomus; *iam instat* IVDICII, & EXAMINIS *tempus. Nimirùm Dei munera ad Dei tribunal vocant malè muneribus vtentes.*

Præterea *tanquam ignis* aduenit, quia nec minimam quidem paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere. Omnes minimorum defectuum paleas exurit, si verus amor est. In linguis igneis Spiritus sanctus apparet; vt, qui prædicatores constituebantur, VERBA IGNEA *loquerentur*, ait Sanctus Bernardus; non frigida & charitatis calore vidua

837. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ* : sed quando? Quando silentio vacabant, & per silentium orationi. Nimirùm Spiritus sancti linguæ super illos apparent, qui vix in se linguas habere videbantur, cùm silerent.

Igneæ istæ fuere; vt rectè signaretur omnis linguæ duritiem Spiritus sancti virtute fore soluendam. Sancti Augustini hæc sunt verba : *Quid sibi vult, quod Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis? nisi quia* NVLLIVS LINGVÆ DVRITIA *est, quæ non illo igne soluatur.*

Auditus visum præcedit. Priùs *factus est repentè de cælo sonus; deinde & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Auditus ad visum ducit, & fides ad sapientiam.

In linguis igneis venit Spiritus sanctus super 838.
Apostolos, cur non & in columbæ specie, sicut super Christum? *Quia in Apostolis*, inquit Vgo Carensis, *erat aliquid purgandum, & illuminandum, sed in Christo* NIHIL FELLIS *erat.*

Tanquam ignis : Quia verè non erat ignis; ne corporeum aliquod cogitares. *Non ignis*, inquit sanctus Chrysostomus, *sed tanquam ignis, vt nihil sensile de Spiritu sancto suspiceris. Sicut enim ad fluenta Iordanis non columba descendit, sed in specie columbæ; ita & hic non ignis, sed in specie ignis. Et rursus superius ait : Tanquam aduenientis spiritus vehementis : non spiritus vehementis, sed tanquam aduenientis spiritus vehementis.*

Spiritus sanctus in ignis speciem Apostolis apparuit, vt hôc signo sciremus, mundi peccata concremanda, & tanquam igne absumenda esse. Ezechieli liber oblatus est, quia populi sui peccata scribere, & peccatorum pœnas indicere debebat: nouæ legis doctores ignem excipiunt, vt mundi peccata exurerent. Hoc discrimen ita expendebat sanctus Chrysostomus : *Cur Ezechiel quidem donum accipit propheticæ, non in similitudine ignis, sed per librum : Apostoli verò per ignem dona recipiunt? Nam de illo quidem ait scriptura, datum fuisse in ore eius capitulum libri, & scriptam fuisse querimoniam, & carmen, & væ : & fuisse posteriora, & anteriora scripta, & comedisse illud, & factum esse in ore quasi dulcescens. De Apostolis verò non ait; sed apparuerunt eis linguæ, tanquam ignis. Cur igitur illic liber, & litera; hîc verò lingua, & ignis? Quòd ille quidē abiret insectaturus peccata, calamitatésque Iudaicas deploraturus; hi verò peccata orbis terrarum assumpturi exirent : propterea libellum his accepit, qui futuras calamitates memoria suggereret; igne illi accipiebant, vt orbis terrarum peccata exurerent, & cuncta delerent. Nam quemadmodum, si incidat ignis in spinas, illas facilè delet omnes, sic & Spiritus gratiâ peccata hominum absumebat.*

Sub ignis specie Diuinus Spiritus apparet, vt ostenderet, se nulli dona sua inuidere, inuidenda nulli, quæ ille exhibet. Tetigit istuc sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 66. *Apparuerunt*, inquit, *in Apostolis linguæ tanquam ignis : arbitror, id fieri propter* COPIAM INVIDENTIÆ EXPERTAM, *cùm ab vno lychno infinitas accendat lampades, nec tamen minuatur.*

In linguis igneis apparet Spiritus sanctus super Ecclesiæ Doctores, rectè docens, qualis eorum lingua esse debeat : vt nimirùm nulli blandiantur, nulli adulentur, nullos palpent, sed in mortalium peccata sæuiant, & ignis instar ea absumant. *Hîc lingua & ignis*, inquit sanctus Chrys. *Quòd hi peccata orbis terrarum absumpturi erant.*

In linguis igneis apparuit Spiritus sanctus : cur non in igneis manibus aut in igneis oculis? *Vt apertè clarescerét*, inquit S. Bernardinus Senensis de Multiloqu. serm. 20. *quòd membrum illud* PROPTER GVSTVM VETITI CIBI *maximè inflammatum erat diabolico igne; proinde necessarium erat, vt igne Diuino inflammaretur & adureretur : idcirco potius*

co potius

eo potiùs apparuit in linguis igneis, quàm in igneis manibus atque in igneis oculis vel aliis membris. Linguæ succurritur quæ meximè indigebat remedio.

839. Et in igne, & in columba Spiritum sanctum legimus diuersis in locis apparuisse; vt certè moneremur mansuetudini iungendum quoque zelum esse, quo delinquentes corripiamus. Rem tetigit senctus Gregorius lib. 1. moral. cap. 2. *Hinc est*, inquit, *quòd sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus, non in columba selummodò, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippè simplicitas, per ignem verò zelus indicatur. In columba ergo, & in igne, sanctus Spiritus ostenditur: quia quicunque illo pleni sunt, sic* MANSVETVDINI SIMPLICITATIS *inseruiunt, vt contra culpas delinquentium etiam* ZELO RECTITVDINIS *accendantur.*

Ignis speciem Spiritus senctus induit & venti: *Vt nimirum* (probi authoris est mens) *in amoris æstu amorem pro aurâ respiremus.* Felix, qui hoc igne eslet, hac respitat aurâ.

840. Velut ignis Spiritus sanctus venit super illos, vt in illis absumeret quicquid carneum erat, vt aurum purgaret, fœnum combureret. Rem tetigit etiam sanctus Augustinus: *Visæ sunt illis super quos venit, linguæ diuisæ, velut ignis. Sicut ignis venit Spiritus sanctus, fœnum carnis consumpturus; aurum collaturus & purgaturus, sicut ignis venit.*

Seditque supra singulos eorum.

Lingua ignea, quæ Spiritum sanctum repræsentabat singulis Apostolis insidebat. *Sedit*, ait, non *sederunt* (licèt variæ linguæ viderentur) vel quia vna erat totalis lingua in varias partiales velusi dissecta, ac diuisa; vel quia vnus erat spiritus sub illis omnibus linguis. Efficaces illi sermones sunt, qui etsi à diuersis linguis, ac diuersis doctoribus sint, sunt temen ab vno spiritu, qui vnus in multis est. Vim suam verba amittunt, quia varius ea spiritus format, varius affectus. Hic ambitionis, & iactantiæ spiritu agitur, dum loquitur; ille auaritiæ, alius alio.

841. *Sedit super illos*: Verba sunt S. Cyrilli Ierosolymitani: *vt* NOVÆ CORONÆ *spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Lingua coronam format. Eamdem meretur coronam, qui linguam moderatur.

Porrò sessio ista significat animæ tranquillitatem, ac quietem, qua in huius spiritus aduentu fruitur. Sedet linguæ figurà, vt doceamur: quietè, ac maturè loquendum esse, nec verba cum tumultu, strepituque fundenda.

Spiritus sedit supra singulos, vt nullius mentibus insideret, quod carnem sapit. Sedit non pertransit, nunquam ab illis abiturus, quos subibat. Sedit *stabilibus stabilis*: inquit Vgo; quia stabiles in bono facturus eos, super quos stabat.

An vnica lingua singulis Apostolis inhæserit, an verò plures vni, verti in dubium potest. Non videtur improbabile, singulis Apostolis plures insedisse linguas; & plures alias in aëre fuisse. Huic censioni Ecclesia fauet, quæ canit: *Diem sacratissimum Pentecostes celebramus, quo Spiritus sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit*: alioquin, si singulis singulæ apparuissent, non fuissent innumeræ, sicut nec innumeri fuère Apostoli.

SECTIO II.

Vinci beneficiis Deus *nescit*. 842
Qui Spiritu sancto *plenus est, effundere leuia* verba *nescit*. 842
Cur Christus *abierit antequam* Spiritus sanctus *descenderit in Apostolos*. 843
Apostolorum *humilitas vt collecta*. 843
Dei inspirationes *minimè negligendæ*. 843
A quiete, à tranquillitate quàm absint peccatores. 843
Inuidia *quò homines abripiat*. 844
Inuidi *dictis suis fidem non habendam docent*. 845
Diuina ebrietas *qualis*. 845
Sancta & Diuina Apostolorum ebrietas. 845
Cur vocem *suam leuauerit* Petrus. 846
Optimi pastoris *est propria* iniuriæ *obliuisci, vt suis consulat*. 846
Prædicationis *fructus minimè impediendus*. 847
Horâ tertiâ descendit Spiritus sanctus *& cur*. 848
Crucis *& gratiæ nexus*. 848
Spiritus sancti *effusio expenditur*. 849
Quanta reuerentiâ de Dei seruis loquendum. 849
Christi *in occisores suos* clementia. 850
Difficilè homines à prauorum *societate auocantur*. 851
Malorum *consortium cautè vitandum*. 851
Rerum terrenarum *neglectus apud prisci æui fideles*. 852
Fracta largitas vnanimitatem *fregit*. 852
Terrenorum *amor* orationis *& pietatis exercitia impedit*. 852
Austera primorum Christianorum *vita*. 853
Liberalitas *& in pauperes munificentia laudata*. 853

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Qvanta Christi liberalitas, quàm ingens bene- 842.
ficentia Redemptoris! Ex nobis hominem sumpsit, humanam naturam inuexit in cælum, ac è cælo nobis Deum misit in terram. Vinci beneficiis Deus nescit. Exigua à nobis accipit, quæ tamen dona sua sunt, & ingentia exhibet.

Repleti sunt omnes: Nullus vacuus exstitit. *Et cœperunt loqui*: Se continere nequibant, quin statim in Dei laudes erumperent, ac donum sibi exhibitum ostenderent, & in alios effunderent.

Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Pro *eloqui*, Græcè est, ἀποφθέγγεσθαι, idest, præclarè, & sententiosè loqui; diuinas sententias, & apophtegmata cœlestia promere. Qui Spiritu sancto plenus est, leuia effundere verba nescit & nihil profutura. Non verborum elegantiam quærit, & ornatum; vtilia quærit, & vsu necessaria, quibus accendere corda in Dei amorem possit, non aures mulcere. Huius verbi vim expendebat sanctus Chrysostomus dum ait: *Hoc pacto loquitur, indicans apophtegmata, ac velut oracula esse, quæ ab illis dicerentur.*

Discedit priùs Christus ab Apostolis, quàm in 843.
Apostolos Spiritus descenderet. Nunquid Christi præsentia spiritus præsentiam impediebat? An istuc factum, vt maiori desiderio Spiritus tenerentur Apostoli, Christi præsentiâ vidui? *Si venisset Spiritus*; inquit sanctus Chrysostomus, *Christo præsente, non habuisset illos eum ardens expectatio.* Subduxit se Christus ab Apostolis, vt maiorem expectationem induceret in Apostolos: Idem habet idem sanctus Pater in Catenâ Græca Lucæ cap. 19. *Decebat*, inquit, *eos fieri cupidos rei, & sic demùm*

recipere gratiam: idcircò ipse priùs auolauit, & tum deinde Spiritus venit. Si enim Christus adfuisset, NON TAM AVIDE SPIRITVM EXPECTASSENT: *quare, ne ipso quidem ascendente, statim Spiritus sanctus aduenit; sed post octo aut nouem dies.* Nimirum supera Dei dona vix meretur accipere, qui ea auidè non expectat, summo desiderio non excipit.

Cœperunt loqui variis linguis. Vel hinc Apostolorum humilitatem colligas. Audiendus S. Augustinus in Psal. 54. *Per superbos,* inquit, *homines diuisa sunt linguæ: per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas: Spiritus sanctus congregauit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis loquuti sunt, ab omnibus intellecti sunt; linguæ dispersæ,* IN VNVM CONGREGATÆ SVNT.

Factâ autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est: quoniam audiebat vnusquisque linguâ suâ illos loquentes.

MAgna hominum multitudo confluxit in vnum ob vocis sonum, quæ à paucis audita, in plures sparsa fuit, & ob sancti Spiritus impulsum, qui interiùs eos mouit, vt vocis huius causam inquirerent, & ad Apostolos confluerent, sicque Petri concionem audirent, & in Christum credentes conuerterentur; statim motui Spiritus, & internæ inspirationi respondent, vt ob id salutem consequuti sint. Tantum refert Dei voces, & inspirationes non negligere.

Et mente confusa est: Syrus: *conturbata est:* Sanctus Chrysostomus: *Perculsi sunt:* ob pauorem scilicet conscientiæ suggerentis, se Christum occidisse, & sceleris tam immanis vindictam Deum fragore comminatum. Quàm infelix peccati rea conscientia est! Eo sonitu turbantur peccatores, quo turbatæ alioquin mentes sedari possunt. Etiam Spiritus sancti motione, ac sono, qui quietis, & tranquillitatis fons est, reæ conscientiæ percelluntur, adeo longè à quiete, ac tranquillitate peccatores sunt.

Alij autem irridentes, dicebant: quia musto pleni sunt isti.

844. NIhil tam sanctum, nihil tam admirabile, quod malignus aliquis non carpat, non irrideat. Sed quinam sunt isti, qui Spiritu sancto plenos irrident? Scribæ, & Pharisæi, eorúmque sectatores. Ita fit, vt, qui doctiores videntur, Spiritus sancti operationes in simplicibus, & idiotis irrideant, vanum, falsumque putantes, quod ipsi experiri non merentur.

Quò dementiæ homines liuor adigit, quò rapit inuidia! Audiebant peregrinis linguis fideles, Spiritu sancto imbutos, loqui, & id ebrietati tribuebant. Quàm fatua irrisio hæc, & à ratione aliena! Nullum vinum est; quod peregrinas doceat linguas. Naturalem ebrietas mentem obtundendo penè aufert, alienas non inspirat linguas. Nihil tam fatuum, quod inuidiâ correpta mens maledicè non effutiat.

Musto pleni sunt isti: Mustum, quia lentum, turbidum, fæculentum, magis inebriat, quàm vinum vetus, & defæcatum; præsertim quia ob dulcedinem auidiùs, & maiori copiâ bibitur, & ob lubricitatem facilè cerebrum petit, cerebrum permeat. Sed mentitur ipsa sibi iniquitas; nam hæc dicunt tempore Pentecostes, cum adhuc vuæ non essent, nec mustum exprimi ex vuis posset, non curant congruè, sed maledicè loqui. Maledicentia impudentiæ nititur non veritati.

Ebrios putabant, & quod mirere, musto; ac si 845.
autumni tempus esset, non verò veris. Nihil est adeò apertè falsum, quod inuidi, quod maledici non audeant in bonos euomere: *Homines,* inquit Sanctus Chrysostomus, *descendentem ad nos Spiritus gratiam videntes, dicunt ebrios eos esse, qui gratiam receperunt; & ne anni quidem tempestas eos repressit; nam* VERIS TEMPORE *reperiri mustum minimè potest; atqui tum ver erat.* Inuidi dictis suis fidem non habendam docent, dum ea quoque, quæ contra se pugnant, audent asserere.

Ebrij iudicantur Apostoli; erant sed non eo sensu, quo dicebantur; Diuina quadam ebrietate corripiebantur cùm ob oculos posita non viderent, & in Diuina raperentur, mollia contemnerent, dura maximè amarent. Festiuè Sanctus Petrus Damianus serm. 2. *An non erant illi Diuina sobrietate veraciter ebrij de quibus à malè insanientibus dicebatur: Quia musto pleni sunt isti? Numquid* NON QVÆDAM DIVINA EBRIETAS EST, *præsentia, & præ oculis posita, cuncta despicere: atque ad ea, quæ non videntur, toto mentis desiderio medullitus anhelare; mollia quæque, & iucunda contemnere: dura verò, & aspera pro Diuino libenter amore perferre? Hanc ebrietatem, fratres mei, continuæ nobis, necesse est, orationis instantia quærere: hanc, velut ariditis mentis nostræ faucibus, tota debemus intentione sitire.*

Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis.

846. PEtrus, quasi omnium os, causam fidei pro omnibus agit; doctrinâ suâ omnes instruit, omnes informat. Stare perhibetur loquuturus ob constantiam, animique celsitudinem. Qui priùs ad ancillæ vocem expauerat, & negauerat Christum nunc, accepto Spiritu sancto, præcipuus fidei assertor imperterritus maledicentibus occurrit.

Leuauit vocem suam: Qui timore correptus ostiariæ respondit, nunc liberè coram multitudine loquitur. *Extulit vocem suam,* inquit sanctus Chrysostomus, *hoc est multâ cum fiduciâ loquebatur: id autem facit, vti cognoscerem Spiritum esse gratiam; cùm is, qui vilis puellæ non tulerat percontationem, nunc* IN MEDIO POPVLI, *cunctis vociferantibus, tantâ cum fiduciâ disserat.*

Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.

CAlumnia illa, ac irrisio ita in omnes iacta fuerat, vt etiam Petrum peteret; non ab illâ se subduxit; subducit alios. Non dixit: *non enim nos ebrij sumus*; sed, *non enim hi ebrij sunt.* Optimi pastoris munus exercet, qui propriæ iniuriæ oblitus, suos calumniæ eximit, suos defendit, nullâ sui curâ tangitur. Optima boni pastoris consignatio ista est; & pastores audire non merentur, qui suorum nomine, fama rebusque neglectis, commodis propriis incumbunt, propriæ gloriæ.

Tantam calumniam tantâ animi moderatione 847.
tulit; non grauiter scommata iacientes punit, sed modestè respondit, in hoc maximè se Spiritu sancto plenum, & ab ipso edoctum ostendens, quòd forti,

forti, lætoque animo conuitia quælibet ferre possit.

Sicut vos æstimatis: Non dixit: *sicut vos irrideris:* aut: *sicut vos conuitiamini:* ne eorum animos exacerbaret, acriúsque percelleret, sicque prædicationis fructus deperiret. Paucis, modestisque verbis calumniam depellit, nec conuitia regerit, quod exemplum imitari prædicatores debent, ne nimis solicitè, anxiéque se, & sua tueantur, auditorúmque animos offendant, quòd maior illis de suo nomine cura, quàm de animarum lucris.

Cum sit hora diei tertia: Pende Petri modestiam. Non regerit in calumniatores calumnias, nec contumelias contumeliis retundit: modestè falsitatis maledicos arguit; ebrios esse non posse eos, qui Spiritu sancto erant repleti, cum esset hora diei tertia,& ad horam sextam apud omnes ferè gentes prandium produceretur, & quidem Iudæi (vt plerique tradunt) in festis omnibus abstinere solent vsque ad horam sextam.

848. Hinc colligitur tempore matutino horâ ab ortu solis tertia Spiritum sanctum in Apostolos, aliosque descendisse. Cur non post prandium? An quia ieiuni aptiores homines esse solent, ad recipiendos Diuini spiritus illapsus, & auditores magis idonei ad Petri prædicationem audiendam? Scilicet ieiunium Spiritus sanctus amat, quod etiam sanctificat.

Sed cur signatè *horâ tertiâ* Spiritus sanctus descendit? Quia apud Iudæos illa hora erat orationi destinata,& vel a tempore aduentus colligeremus, orationis fusu mentem, ad Spiritus sancti dona recipienda, disponi, ac parari.

Præterea horâ tertiâ, cum scilicet finiretur, Christus crucifixus est: vt ait sanctus Marcus:
Marc.15.25. proinde eàdem Spiritus sanctus descendit; quia nempè hoc donum nobis Christus in cruce promeruit. Rectus crucis, & Spiritus nexus. Qui crucem mortificationis amat, & in eâ affigi quærit, istius Spiritus diuini dona expectet.

Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel.

ETiam Christus Spiritum sanctum promiserat: cur igitur illum non producit in medium Petrus, sed prophetam? Quia Iudæi magis prophetis credebant, quàm Christo: nec sedasset illorum animos; sed inuidiæ occasionem illi arripuissent.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.

EFfundit Spiritum suum Pater, effundit Filius, vt dubius an carne suâ liberalior fuerit an spiritu. Scitè Guillelmus apud Tilmannum in Allegor. *Effudit de Spiritu suo super omnem carnem, postquàm remeauit ad Patrem: nescio an* CARNE *an* SPIRITV *magis prodigus, vt quos caro saturauerat, spiritu inebriaret.*

Effundam. Copiam hoc verbum claudit; abundè enim Dei seruis hic spiritus communicatur, pluribúsque nunc datur, quàm datus legis tempore fuerit. Dictum olim sit: *Effunde iram tuam in gentes.* nunc in gentes non iram effundit, sed amoris Spiritum.

Super omnem carnem. Vt caro non carnem sapiat: nec carnis inficiatur vitiis. Carnem ille non refert, cuius cor in peccatis obdurnit. Benè hîc Liranus: *super omnem carnem, idest, inquit, super omnem hominem, cuius cor erit* TENERVM AD MODVM CARNIS, *idest non obstinatum in peccatis.*

Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum eius est apud vos vsque in hodiernum diem.

SAnctus Petrus, cùm Dauidi Christum prælaturus esset, dicturusque, eum defunctum, & in sepulchro positum, veniam priùs petit, dicens: *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid.* Vt hinc disceremus, quantâ reuerentiâ de Dei seruis loquendum sit. Quid hîc illi, qui iustos carpunt maledictisque proscindunt. Nec dicunt tantùm, eos mortuos, ac sepultos (vt hîc dixit de Dauide Petrus) sed eos maledico ore, quod velut sepulchrum est insepeliunt, & murmurationibus, ac detractionibus obruunt? 849.

Et sepulchrum eius est apud nos: signatè *sepulchrum*, non caro, aut corpus: fors, vt significaret Dauidem inter alios Patriarchas resurrexisse, atque in corpore,& animâ cùm Christo in cælum ascendisse Christi asseclam & stipatorem: nam sancti, qui dormierant, ita surrexerunt, vt rursus non dormierint. Tam miserum fuisset rursùs mori, quàm felix ad vitam surrexisse.

His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres?

INtimo dolore, ac contritione correpti sunt, quòd Christum occidissent. Probabilis aliquorum censio est, hîc nonnullos ex iis affuisse, & conuersos, qui clamarunt: *crucifige, crucifige eum.* In quo apparet Christi in suos parricidas clementia; ad pœnitentiam eos vocauit, & pœnitentes in gratiam recepit. Nimirum nullius salus, nulliusque conuersio desperanda. 850.

Quid faciemus? statim de vitæ mutatione ineundâ cogitant. Prospiciunt rebus suis, seque omnibus præstandis offerunt. Nihil detrectant, omnibus se paratos exhibent.

Viri fratres: Non ampliùs, amentes appellant. Sed fratres; quò ad sui curam illos attraherent,& quia Apostolus eos tali nomine indigitauerat.

Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: saluamini à generatione istâ prauâ.

QVidni plurimis vtatur verbis Petrus? Quidni inclamet, contestetur? Cum illi propositum esset auditoribus, qui compuncti erant, suadere, vt à malorum consuetudine, inter quos viuebant, se subducerent. Superiùs nudè,& simpliciter dixerat: *pœnitentiam agite:* nunc attestatione, & deprecatione vtitur, vt eos à Iudæorum consortio auocet; nam *testificari* hîc est, velut testibus adhibitis, inclamare, *exhortari*, verò est consolari,& deprecari; ac si minis, & pollicitationibus asperè simul,& leniter deserendam malorum consuetudinem esse moneret Apostolus; indicans, difficile esse homines à prauorum societate, cum quibus vixerint, 851.

 auocare,

aoocare; vt plerunque ioeundam pœnitentiam esse faciliùs illis persuadeatur, quàm criminis socios desetendos.

Saluamini à generatione istâ prauâ: Prolixum sermonem Petrus habuerat; omnia in pauca eootrahit, & in summam, vitandam docens malorum consuetudinem. Multorum monitorum ioco hæc cautio est, & plura claudit, quàm præseferat. Signatè ait, *saluamini*; cut non *fugite?* Cùm de malorum fugâ agitur, idem penè est *fugere*, ac *saluari*; sicut non fugere perire est.

Possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

852. ELucet hîc rerum omnium in illius æui fidelibus oeglectus. Vendebant omoia, & ea distribuebant *prout cuique opus erat.* Coosultò hoc additum; nam nullus presbiier terrena hæc quætebat; nihil ibi otiosum, nihil supeibum: indigentiæ subueniebatur, non fastus foeebatur.

Olim, quia eredentium erat cor vnum, & anima vna, domos suas vendebant, veodebant possessiones suas, vt indigentibus succurrerent fideles: *Nunc emimus potius & augemus*, inquit Sanctus Augustinus, *& de patrimonio nec decimas damus.* Vt vnitas animorum passim fracta, sic & largitas diminuta. Eiosdem Patris sunt verba: *In nobis sic* VNANIMITAS DIMINVTA EST, *vt & largitas operationis infracta sit.* Fracta largitas vnanimitatem fregit, & vnanimitas diminuta dimiouit largitatem.

Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem.

POst rerum terrenarum neglectum, statim orationis, diuinique cultus mentio fit, vt enim diuitiarum amor orationem, & pietatis exercitia impedit, aut inficit; ita earum contemptus ad rerum diuinarum contemplationem, Deique obsequium via est. 853.

Frangebant panē, qui deliciis oon frangebantur. *Panem dicens*, inquit S. Chrysostomus, *videtur mihi hoc loco ieiunium significare, & austeram vitam: simul enim accipiebant alimentum, non delicias:* Imò delicias, quę alimentum; Dei quippè amatores ruoe delicias habent, cùm oon habent: eibotom deliciæ asperæ illis sunt, asperitatem omoem pro deliciis habent: ferculorum vilitas illis noo vilis: vilis cibus apud illos, qui non vilis apud alios est.

Frangentes circa domos panem; Fractio ista Apóstolorum non fractam sed integram liberalitatem, charitatemque ostendebat; circa domos frangebāt panem, eonita ac illi faeiant, qui domos pauperibus claudunt, tanquam hostibus; quod grauiter ve solet vrget S. Petr. Dam. opusc. 9. c. 4. *Tanta*, ioquit, *fuerat erga pauperes in Apostolis liberalitas, vt in eorum Actibus legatur; Quia frangebant circa domos panes, & sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes Dominum. Circa domos*, inquit, NON INTRA DOMOS: *quorum scilicet vestigia non sequuntur, qui pransuri pessulos ac repagula foribus claasis obiciant, vectes feris innectunt: sicque se contra pauperes tamquam aduersus circumfusas hestiam acies in obsidione præmuniunt.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT III. ACT. APOST.

Vers. 1.

PEtrvs autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

Petrus a. *Syr. Factum est autem, cùm Simon Petrus.*
Ascendebant. *Syr. Simul ascenderent. S. Chrys. Simul ascendebant. Ar. M. In idipsum ascendebant.*
Ad h. o. o. *Syr. Tempore precationis horâ nonâ. Vat. Ad horam precationis nonam.*

Vers. 2.

Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur: quem ponebant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur, Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeūntibus in templum.

Et quidam vir. *Syr. Et ecce virum quendam.*
Qui erat claudus. *Syr. Claudum. Ar. M. Claudus existens.*
Ex vtero. *Oecum. Ab vtero.*
Baiulabatur. *Syr. Bajulabant homines illi, qui soliti erant eum afferre. S. Chrys. Gestabatur. Lucif. Portabatur.*
Quem p. *Syr. Et ponere.*
Quotidie. *Syr.* omittit. *Ar. M. Per diem.*
Portam. *Syr. Ianuam.*
Dicitur. *Syr. Vocatur. S. Chrys. Dicebatur.*
Ab introeūntibus. *S. Chrys. Ab his, qui ingrediebantur.*

Vers. 3.

Is, cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introïre in templum, rogabat, vt

Is cùm v. *Ar. M. Qui videns.*
Petrum. *Syr. Simonem.*
Incipientes i. *Syr. Introeuntes. Pagn. Ingressuros. Ar. M. Futuros introire.*
Rogabat. *Syr. Petiit ab eis.*

eleemosynam

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

elemosynam acciperet.

Vt acciperet e. *Syr. Vt darent ipsi eleemosynam. Lucif. Eleemosynam.*

Vers. 4.

Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos.

Intuens a. *Syr. Et respexerunt. S.Chrys. Vt autem inspexisset. Vat. Defixis autem oculis. Lucif. Intendens autem.*
Petrus c. I. *Syr. Simon & Ioannes.*
Dixit. *Syr. Dixeruntque ei.*
Respice in nos. *Syr. Intuere nos. Pagn. Aspice in nos. Vat. Aspice nos.*

Vers. 5.

At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

Intendebat in eos. *Syr. Intuitus est eos. Lucif. Respexit in eos. Vat. intendebat oculos in eos. Ar. M. Intendebat eis.*
Sperans. *S. Chrys. Expectans.*
Se aliquid a. *S. Chrys. Aliquid accipere.*

Vers. 6.

Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.

Petrus a. d. *Syr. Ait illi Simon.*
Argentum e. a. *Syr. Aurum & argentum. S. Ambr. Argentum atque aurum.*
Non e. m. *S. Ambr. Non habeo.*
Quod a. *S. Ambr. Sed quod.*
Do. *S. Ambr. Dabo.*
Nomine. *Mar. Virtute.*
Iesu Christi N. *Syr. Domini nostri Iesu Christi Nazareni. Orig. Iesu Christi.*
Et ambula. *Syr. Ambula.*

Vers. 7.

Et, apprehensâ manu eius dexterâ, alleuauit eum; & protinùs consolidatæ sunt bases eius & plantæ.

Alleuauit e. *S. Chrys. Suscitauit. S. Cyp. Excitauit eum. Pagn. Erexit eum.*
Et protinùs. *Syr. Eoque momento. S. Chrys. Et statim. Lucif. Confestimque.*
Consolidatæ. *Syr. Obfirmati. Auct. Confirmatæ. Lucif. Confirmati.*
Bases eius e. p. *Syr. Pedes eius & plantæ. Pagn. Plantæ illius ac tali.*

Vers. 8.

Et exiliens stetit & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum.

Et exiliens. *Syr. Proinde exiliens. Lucif. Et saliens.*
Ambulabat. *Syr. Ambulauit.*
Intrauit. *S. Chrys. Ingressus est.*
In templum. *Syr. Templum.*
Ambulans. *Pagn. Inambulans.*
Exiliens. *S. Chrys. Exultans. Caiet. Saliens.*
Laudans. *Syr. Glorificans.*

Vers. 9.

Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

Omnis. *Oecum. Vniuersus. Pagn. Totus.*
Ambulantem. *Oecum. Inambulantem.*
Laudantem. *Syr. Glorificantem.*

Vers. 10.

Cognoscebant autem illum: quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in eo, quod contigerat illi.

Cognoscebant a. i. *Syr. Et agnouerunt. Vat. Agnoueruntque illum.*
Ad eleemosynam s. *Syr. Mendicus sedebat quotidie. S.Chrys. Ad eleemosynam accipiendam sedebat. Vat. Ad eleemosynam sederat.*
Ad Speciosam p. *S.Chrys. In Speciosâ portâ.*
Stupore e. e. *Syr. Stupore & admiratione. Goth. Stupore & mentis consternatione. Lucif. Pauore & admiratione. Pagn. Admiratione & stupore.*
In eo q. c. i. *Syr. Super eo, quod acciderat. Lucif. Super eo, quod acciderat ei. Ar. M. Super contingente ei.*

Vers. 11.

Cùm teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad

Teneret. *Syr. Ipse teneret. S.Chrys. Sanatus teneret. Caiet. Teneret is, qui sanatus fuerat claudus. M. SS. Teneret.*
Cucurrit. *S. Chrys. Accessit.*
Omnis. *Pagn. Totus.*
Ad eos. *S.Chrys.* omittit.

porticum,

Vulgata Editio.

porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes.

Lectionum varietas.

Ad potticum. *S. Chryſ. Ad vestibulum. Vat. In porticum. Pagn. In porticu.*
Quæ appellatur. *S. Chryſ. Quod vocatur. Occum. Qua dicebatur.*
Salomonis. *Syr. Ipſius Salomonis.*
Stupentes. *Syr. Mirabundus. S. Chryſ. Et obſtupeſcebat. Pagn. Stupefactus.*

Verſ. 12.

Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc; aut nos quid intuemini, quaſi noſtrâ virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?

Videns a. *Syr. Quod cùm vidiſſet. Occum. Intuitus autem. Quo viſo.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Reſpondit a. p. *Syr. Reſpondit & dixit eis.*
Iſraëlitæ. *Syr. Filÿ Iſraël.*
Miramini. *S. Chryſ. Admiramini.*
In hoc. *S. Chryſ. Super hoc.*
Nos quid. *Syr. Cur nos. Ar. M. Nobis quid.*
Intuemini. *Ar. M. Attenditis.*
Quaſi *Ar. M. Quaſi iis, qui.*
Noſtrâ virtute. *Vat. Noſtrapte virtute. Caiet. Propriâ potentiâ.*
Poteſtate. *S. Chryſ. Pietate. Pagn. Religione.*
Fecerimus. *Syr. Effecerimus hoc. S.Chryſ. Effecerimus.*
Hunc a. *Syr. Vt iſte ambularet.*

Verſ. 13.

Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, glorificauit Filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.

Deus. *Syr. Deus ille.*
Et Deus I. e. D. I. *Pagn. Et Iſaac & Iacob.*
Filium. *Ar. M. Puerum.*
Quem v. q. t. *Syr. Illum, quem vos prodidiſtis.*
Negaſtis. *Syr. Abnegaſtis. Occum. Negaſtis ipſum.*
Ante faciem P. *S. Chryſ. In conſpectu Pilati. Occum. Coram Pilato.*
Iudicante i. *Syr. Quum ipſe equum iudicaret S. Chryſ. Qui iudicarat.*
Dimitti. *Syr. Eum eſſe abſoluendum. S. Chryſ. Illum abſoluendum.*

Verſ. 14.

Vos autem Sanctum & Iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis:

Negaſtis. *Syr. Abnegaſtis.*
Petiſtis. *Syr. Poſtulaſtis vobis. S. Chryſ. Poſtulaſtis.*
Donari. *Syr. Vt daretur. S. Chryſ. Vt donaret.*

Verſ. 15.

Authorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus.

Authorem. *Syr. Illum principem. S. Chryſ. Principem.*
A mortuis. *Ar. M. Ex mortuis.*
Cuius n. *Syr. Et eius nos omnes.*

Verſ. 16.

Et in fide nominis huius, hunc, quem vos vidiſtis & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrûm.

In fide. *Occum. Ob fidem. Pag. Per fidem. Ar. M. Per fiduciam.*
Eius. *Syr. Ipſius.*
Vidiſtis. *Goth. Videtis.*
Confirmauit. *S. Chryſ. Conſolidauit.*
Nomen eius. *Syr. Et ſanauit.*
Per eum. *Syr. Per ipſum.*
Dedit. *Caiet. Dedit ei.*
Integram ſ. i. *Syr. Iſtam ſanitatem. S. Chryſ. Integritatem.*
In conſpectu o. v. *Syr. Coram vobis omnibus.*

Verſ. 17.

Et nunc, fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis; ſicut & principes veſtri.

Et nunc f. *Syr. Nunc autem fratres mei.*
Scio. *Occum. Noui.*
Quia per i. *Syr. Per errorem.*
Feciſtis. *Syr. Vos hoc feciſſe.*
Sicut & p. *Syr. Prout fecerunt primatus.*

Verſ. 18.

Deus autem, quæ prænunciauit per os

Quæ. *Quidd. Codd. Qui. Syr. Sicuti.*
Prænunciauit. *Syr. Prænunciauerat. Quidd. Codd. Pronunciauit.*

omnium

Vulgata Editio.

omnium prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit.

Lectionum Varietas.

Prophetarum. *S. Chrys. Prophetarum suorum.*
Pati Christum s. *Pagn. Passurum Christum.*
Sic impleuit. *Oecum. Compleuit hoc modo. Vat. Impleuit hoc pacto.*

Vers. 19.

Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra:

Pœnitemini. *Oecum. Resipiscite. Pagn. Pœnitentiam agite. Tert. Pœniteat vos. Al. Pœniteat vos erroris.*
Conuertimini. *Tert. Resipiscite.*
Vt deleantur. *S. Chrys. Vt remittantur. Oecum. Quò deleantur. Tert. Ad abolenda.*
Peccata. *Tert. Delicta.*

Vers. 20.

Vt, cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Iesum Christum,

Vt, cùm v. *Syr. Et obueniant vobis.*
Refrigerij. *Syr. Quietis. Vat. Refrigerationis.*
Miserit. *Syr. Mittat vobis.*
Qui prædicatus est. *Syr. Qui paratus erat. S. Chrys. Qui antè prædicatus est. Ar. M. Propositum.*

Vers. 21.

Quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à seculo prophetarum.

Oportet quidem. *Syr. Oportet.*
Cælum. *Syr. Cælo.*
Suscipere. *Syr. Capi. S. Chrys. Capi. Oecum. Suscipi. Mar. Continere in se.*
In tempora r. *Syr. Ad complementum temporum. Oecum. Ad tempora Instaurationis. Vat. Ad tempus restitutionis.*
Omnium. *Syr. Illorum omnium.*
Quæ. *Syr. De quibus.*
Sanctorum. *S. Chrys. Omnium sanctorum.*
A seculo. *Vat. Ab æuo.*

Vers. 22.

Moyses quidem dixit: quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis.

Moyses q. *Syr. Moyses enim. Vat. Nam Moses quidem.*
Dixit. *S. Chrys. Dixit ad patres. Vat. Dixit patribus.*
Suscitabit. *Ar. M. Resuscitabit.*
Dominus D. v. *Syr. Dominus.*
De fratribus. *Oecum. E fratribus.*
Tanquam me. *Syr. Sicuti me. S. Chrys. Mei similem.*
Ipsum audietis. *Syr. Hunc audite.*
Iuxta o. *Syr. In omnibus.*
Quæcunque. *Syr. Quæ.*
Loquutus fuerit. *Syr. Colloquutus fuerit. S. Chrys. Dixerit.*
Vobis. *Ar. M. Ad vos.*

Vers. 23.

Erit autem: omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.

Erit autem. *Syr. Et futurum est. Oecum. Continget autem.*
Omnis a. q. *Goth. Quicunque.*
Exterminabitur. *Syr. Anima illa pereat.*
De plebe. *Syr. A populo suo. Pagn. E populo.*

Vers. 24.

Et omnes prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti sunt annunciauerunt dies istos.

Et omnes. *Oecum. Omnes quoque. Pagn. Quin & omnes. Caiet. Sed & omnes.*
Deinceps. *Syr. Et iis, qui post eum fuerunt.*
Qui loquuti. *Syr. Loquuti. S. Chrys. Quotquot loquuti. Ar. M. Quotcunque loquuti.*
Annunciauerunt. *Syr. Ac prædicarunt. Goth. Et annunciauerunt.*
Dies i. *Syr. De diebus istis.*

Vers. 25.

Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine

Testamenti. *Syr. Fœderis. Pagn. Pacti.*
Disposuit. *Syr. Iniit. S. Chrys. Testatus est. Vat. Pactus est.*
Ad p. n. *Syr. Cum patribus nostris. S. Chrys. Ergà patres vestros.*
Dicens ad A. *Syr. Dum dixit Abrahæ.*

tuo

Vulgata Editio.

tuo benedicentur omnes familiæ terræ

Verſ. 26.

Vobis primùm Deus, ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitiâ ſuâ.

Lectionum Varietas.

Et io ſ. t. *Syr. In ſemine tuo. Oecum. Per ſemen tuum.*

Benedicentur. *Syr. Benedictionem conſequentur.*

Suſcitans. *Syr. Suſcitauit. S. Chryſ. Cùm ſuſcitaſſet. Caiet. Quum ſuſcitauit. Ar. M. Reſuſcitans.*

Filium ſ. *Pagn. Filium ſuum, Ieſum. Ar. M. Puerum ſuum, Ieſum.*

Benedicentem. *Syr. Qui benediceret. S. Chryſ. Igitur & alijs, ſed vobis primùm, qui crucifixiſtis illum, benedicentem.*

Vt conuertat ſe v. *Syr. Si conuerſi fueritis & egeritis pœnitentiam. S. Chryſ. Ita vt vnuſquiſque veſtrûm conuertat ſe. Oecum. Dum conuerteremini vnuſquiſque. Vat. Dum vnuſquiſque veſtrûm conuertat ſe. Ar. M. In auertis vnumquenque.*

A nequitia ſua. *Syr. De flagitijs veſtris. S. Chryſ. Ab iniquitate. Oecum. A malitijs veſtris. Vat. A malitioſis ſtudijs ſuis. Ar. M. A nequitijs ſuis. Al. Ab iniquitatibus ſuis.*

CAPVT III.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Alter alteri auxilio *eſſe debet.* 854
Aliorum ſalus *quærenda.* 855
Nihil ad gratiam faciebant Apoſtoli. 855
Orationis *vtilitas vt collecta.* 855
Loci *ſanctitas non ſufficit ſi ſola.* 856
Solius Dei gloriam *quærat qui* orationem *fundit.* 856
Nihil profuturas interrogationes *vitet, qui ſacris aſtat.* 856
Pauperes debiléſque cur ad portam templi *ſtarent.* 857
Nimius mulierum *ornatus damnatus.* 857
Orantes *non interturbandi.* 857
Proniores ferè ad miſericordiam pauperes, *quàm opulenti.* 858
Quid, aliquid, *ſignificet in ſacris.* 859

Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum, ad horam orationis nonam.

854. SIMVL ſe Petrus, & Ioannes ad orationem conferunt: ſimul eunt in amicitiæ, & concordiæ ſignum, quæ orationi præire debet; vnio quippè animorum fundendæ orationi diſpoſitio, & præparatio eſt.

Aſcendebant in templum: Gradibus enim ad templum aſcendebatur, nec ſine cauſâ: vt ſcilicet terrena deſerere viderentur, ac cælo propinquare, qui templum Deum oraturi ingrederentur.

Petrus autem, & Ioannes: Simul eunt ad orationem, vt alter alteri auxilio eſſent, & ſuo exemplo oſtenderent quærendam omnibus aliorum opem. Rem opportunè vrget ſanctus Chryſoſtomus, dum ait: *Hanc hiſtoriam audi. Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Ne oſcitanter hanc narrationem prætereas; ſed in proœmio ſtatim inſiſtas, &, quanta charitas eſſet diſcas; quanta concordia, quantuſque conſenſus, & qua ratione cuncta iſta ſibi inuicem communicabant; & amicitiæ ſecundum Deum vinculo colligati, cuncta faciebant, & in menſâ, & in oratione, & in inceſſu, & in reliquis omnibus iuncti apparebant. Quòd ſi illi, qui columnæ, ac turres erant, qui multam apud Deum fiduciam habebant, mutuo indigebant auxilio, mutuóque ſubſidio corrigebantur: quanto magis nos imbecilles, ac miſeri, nulliuſque pretij homines mutuo auxilio indigemus? Frater enim, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Et rurſus: Ecce, quid bonum, & quid pulchrum, niſi habitare fratres in vnum? Petrus, & Ioannes erant, & Ieſum in medio habebant. Vbi enim fuerint duo, vel tres congregati, inquit, in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Aſcendebant in templum: Vbi ſcilicet multi conuenerant, vt lucrari multos poſſent, multiſque 855.
exemplo prodeſſe, alioquin vbique orare Deum poterant. Audiendus ſanctus Chryſoſtomus: *Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum. Sciſſum eſt velum deſolata ſunt ſancta ſanctorum, ſublata eſt vna addicta loco adoratio. Clamat Paulus, ac dicit: in omni loco puras manus leuate. Cur igitur iſti currunt ad templum, vt orent? Rurſus ad Iudaicam infirmitatem deuoluti ſunt? Abſit: Sed imbecillioribus ſeſe attemperant, illudque Pauli dictum implent, quod ait: Factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus. Imbecillibus ſe attemperant, ac illi maneant imbecilles. Alioquin autem illic quoque tota ciuitas congregabatur. Vt igitur optimi piſcatores eos ſinus in fluminibus ſectantur, vbi piſces omnes conueniunt, vt facilius præda potiantur: ita nimirum & iſti Apoſtoli ſpirituales piſcatores ad illum ſinum feſtinabant, in quo tota ciuitas conueniebat, vt illic expanſo Euangelij reti, facili prædâ potirentur. Hoc autem cùm agerent, magiſtrum imitabantur; nam ait Chriſtus: Quotidie apud vos eram in templo. Quare in templo? Vt, qui in templo verſabantur caperet. Ita quoque iſti, tanquam oraturi quidem pergebant, ſed doctrinam illic erant ſparſuri.*

Orationem fuſuri claudum curant: vel ita ad orationem ſuo minimè eſt fructu deſtituta. Nimirum Diuina ad eos decurrunt bona, qui currunt ad orationem. ORATIONIS APPENDIX, inquit ſanctus

ſanctus Baſilius Seleuc. orat. 21. *erat claudi curatio; & captus ad orationem curſus iacenti claudo inopinatum curſum attulit.*

Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur.

NOn ſolùm erat vir iſte claudus, ſed adeò contractus, vt incedere non poſſet; ideò ad templum portabatur. Sed cur iſtius viri nomen hic non adiicitur? An, quia cura non fuit Apoſtolis, non fuit Lucæ id cognoſcere; cùm nec illi miracula ad gratiam facerent, nec iſte facta deſcriberet? Iactabundus nomen quæſiuiſſet, & ad poſteros tranſmiſiſſet.

856. Quæri hîc poteſt: cur claudus iſte à Chriſto curatus non ſit, vel ad Apoſtolos non adductus poſt Chriſti in cælum Aſcenſionem. An id accidit; quia, qui templo aſſidebant, nec Chriſto, nec diſcipulis eius credebant, ſed omnibus inuidebant? Adeò verum eſt, loci ſanctitatem, ſi ſola ſit, ſanctos non efficere; vt plerunque ſceleratiores ſint, qui in ſanctis, ſacriſque locis verſantur, ſi contingat, ſemel in crimen aliquod graue labi.

Quidam vir: Cur claudi nomen clauditur ſilentio? *Quia illud non nouerant Apoſtoli*, inquit Oecumenius hic, *homo namque penitùs ipſis ignotus erat; idque, ne obſequij, aut affectionis gratiâ ſanitatus perficere viderentur*. Sed reponat hoc loco aliquis: cur peracto miraculo, & claudo ſanitate reſtitutâ, claudi non interrogant nomen? *Quia etiam ipſis non erat*, inquit Idem auctor, *vt* VACARENT CIRCA EA, QVÆ NIHIL CONFERRANT: Nimirum, ille maximè, qui Dei gloriam quærit, non ſuam, qui ad templum ſe confert, qui orationem fuſurus eſt, ab otioſis debet verbis abſtinere, & nihil profuturas interrogationes vitare.

Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa.

857. AD Eccleſiæ fores, vt nunc quoque fit, ſedebant pauperes, debileſque. Non caſu id factum, ſed, vt eorum intuitu tumorem poneret, qui templum ingrediebatur, cogitans ſe eoſdem eſſe cum iis, qui iacebant, & morbo corripiebantur, conditionis, & eadem ſe quoque pati poſſe. Stabant mendicantes ad templi portam, vt miſericordiâ eos afficerent, miſericordiam à Deo quæſituri; eoſque venerarentur, quos Deus ſol templi cuſtodes eſſe voluit; ſimulque ſignificans delectari ſe magis paupertate, quàm diuitiis.

Portæ templi, *Speciosa*, nomen ab eius pulchritudine, ac venuſtate adhæſit. Aliqui *Speciosa* nomen ortum ab ornamento, quod addidit Alexander Hircanus putant: alij cenſent, in inſtauratione templi, ab Herode cæteris altiorem fuiſſe extructam, & portæ aquilam auream fuiſſe impoſitam; & hâc de cauſâ *Speciosa* nomen obtinuiſſe. Nunc Chriſtianorum luxus tulit, vt non templorum portæ *Speciosæ* ob ſpeciem, ac aurea ornamenta dicantur; ſed *Speciosa* mulieres, quæ per portas templum ingrediuntur. Sic ſæpè, proh mirum, fit, vt templa ſordeſcant, & templorum portæ; auro verò, gemmiſque mulierum capita onerentur, quæ templi portas intrare debent.

Ad portam: Ante templi portam ponebatur hic claudus, non ſiſtebatur in templo; ne ſcilicet Eleemoſynæ poſtulatione orantes interturbaret: ante portam locatur, ne portam deuotæ, attentæ-

Nouarin. in Act. Apoſt.

que orationi clauderet, dum ſtipem peteret.

Vt peteret Eleemoſynam ab introeuntibus in templum.

MIſericordes fore credidit, qui templum frequentabant. Promptus ad Eleemoſynas erogandas ſit, qui templa frequens adit, vt Eleemoſynæ largitione non templum tantùm intret, ſed ſpiritale templum fiat. Non eſt dignus, intrare templum ille, ad quem, vt ad templum, non intrat miſericordia. 858.

Is, cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt Eleemoſynam acciperet.

VIdit Claudus Petrum, & Ioannem in templum ingreſſuros; & ſtatim Eleemoſynam poſtulat, pios ex ipſo aſpectu (vultu enim pietatem ſpirabant) eos iudicauit; indicauit etiam ex habitu, qui, cùm pauper eſſet, & tenuibus hominibus conueniens, miſericordiam, & beneficum animum præſeferebat. Compertum ferè eſt, promptiores ad beneficientiam mediocres eſſe, quàm opulentos.

Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos.

CVr Petrus iubet, vt claudus in ſe, Ioannemque figeret obtutus? Vt eius attentionem ad futurum miraculum excitaret, eiuſque ſpem erigeret, quaſi quid ſingulare, ac eximium eſſet accepturus; & attentè animaduerteret, quod eſſet faciendum, ne, magnitudine poſtea facti perterritus, obliuiſceretur: qua ratione id accidiſſet. 859.

Reſpice in nos: Non dixit, *Reſpice in me*; ne vni ſibi tribueret miraculum, & Ioannem excludere videretur: Quid? quòd nec ſibi tribuit, nec Ioanni, ſed Chriſto. Hinc iubet, vt claudus in vtroſque reſpiceret, quò miraculi videret modum, ac ſciret, illud ab illis proficiſci, inuocato Chriſti Ieſu nomine audiens illud: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula:* Nolebat ſibi gloriam tribui, ſed Chriſto. *Reſpice in nos:* Vel ſolus ſanctorum aſpectus vtilis, & ſalutaris. Nocent impij, dum ſpectantur; proſunt iuſti, ſi quis in eos oculos conijciat.

Reſpice in nos. Signatè *in nos* dixit, non *in me*, ne, licèt ſolus poſſet dare ſanitatem, gloriam ad ſe tantùm contrahere videretur. *Communis ſiquidem cum vtroque*, inquit Sanctus Baſilius Seleuc. orat. 20. *miraculi effectio, ex vtroque curationis profecta eſt gratia.* Hoc ipſo laudabilior Petrus, quia laudem & in conſortem ſtuduit deriuare, immò in Deum ſolum.

At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis.

FIgit ſtatim in eos oculos claudus, ſperans ſe *aliquid*, ideſt magnum quid & ſingulare, accepturum: non ſanitatem cogitabat, ſed argentum, ſed aurum. Plerique diuitias à Deo poſtulant, non animæ ſalutem: infirmitatis ſuæ obliti, diteſcere tantùm ſtudent, non ſanari.

SECTIO II.

Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.

860. ARgentum & aurum non est mihi: De paupertate suâ gloriatur Apostolus: de hac quodammodo se iactat potius, quàm de miraculo per ipsum facto. Se opes, pecuniamque non habere confunduntur, opibus inhiantes: Petrus Euangelicæ paupertatis antesignanus, singularis honoris loco paupertatem habet. *Gloriatur in paupertate*, inquit sanctus Ambrosius, *quasi refugiat contaminationem*. Opes, diuitiæque possessores suos ferè attaminant.

Argentum, & aurum non habebat Petrus, & (quod maius) ab habendi amore minimè habebatur. Quàm diues hæc paupertas! Quia aurum non habuit, virtutem habuit auro omni ditiorem. *Quid* (verba sunt sancti Augustini serm. 28. de verbis Apost.) *hac paupertate ditius, argentum & aurum non habeo? Videamus, qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet, virtutem Iesu habet.*

Verè ille diues est qui à se habendi cupiditatem remouet. Aurum, & argentum non habuit Pettus; sed, quod omni thesauro maius, in Christi nomine sanitatem claudo dedit. Abundat Petrus spiritualibus bonis, temporalibus destitutus. Aurum non habet: miraculorum edendorum potestatem habuit. A non habente, auro chariorem sanitatem claudus recepit.

Quod autem habeo, hoc tibi do: Verè habet, qui aliis communicat, quod habet. Auari, cùm aliis opes non dent, opes habere non videntur. *Hoc*, inquit, *tibi do*: non dixit, *tibi dabo*, sed *do*: Beneficentia gratiam suam amittit, nisi statim exhibeatur: diu nolle videtur, qui diu benefacere differt, cùm statim possit.

861. Auro viduus, virtute diues est Petrus: in nomine Iesu Nazareni sanitatem confert. *O* VERE BEATA PAVPERTAS, inquit sanctus Chromatius: *quæ, cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cælo largitur. Non dat quidem argentum vel aurum; sed, quod plus est dimissis omnibus, reddit corporis sanitatem*: Quam nullæ diuitiæ restituere potuissent.

Argentum, & aurum non est mihi: Non confunditur, quòd aurum, argentúmque non habeat; sed gloriatur: vt innueret Christi seruis gloriam esse paupertatem. Scitè sanctus Ambrosius: *Cùm posceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: Argentum, atque aurum non habeo. Ille gloriatur, quod non habeat argentum, neque aurum; vobis pudor est minus adhuc habere, quàm cupitis: est ergo & pauperies gloriosa, quia est & beata, de qua scriptum est: Beati pauperes spiritu*: vt satis sit diues, qui beatam paupertatem possidet.

Non habebat aurum Petrus, non habebat argentum; sed dedit illud, quod dare aurum non poterat, nec argentum. Diues fuit virtute, quia pauper auro fuit: *si* AVRVM HABVISSET, inquit Vgo, *claudum non erexisset*. Sanauit claudum ille, qui diuitiarum amore in Dei obsequio minimè claudicabat: erexit claudum Petrus, qui rerum terrenarum cupiditate non iacebat.

Quod autem habeo, hoc tibi do: Nollem, aliquos hæc verba immutare, vt illis percelli verbis possent, quæ habet S. Hieronymus, qui, spectans ad hæc Petri verba, ait: *At nunc multi, licèt sermone taceant, opere loquuntur: Fidem & misericordiam non habeo: quod autem habeo, argentum, & aurum,* HOC TIBI NON DO. Verè aurum, argentúmque non habet, qui ita loquitur; quia nec se ipsum habet. 862.

Et apprehensâ manu eius dexterâ, alleuauit eum; & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ.

VIta ægri, debilisque artes intrauerat iuuentis voa: vix sermo Petri aures claudi subierat, cùm protinus sanitas irrumpit, & exclusâ infirmitate, suo vsui redduntur membra. Nulla hîc mora interfuit, cunctatio nulla: ne aliunde fuisse sanatio putaretur.

Hoc præcipuum miraculum, & fors primum à Petro factum, non sine causâ narratur. Petrus Ecclesiæ petra, & fundamentum, in homine membrorum fundamenta confirmat, & consolidat, vt Christianus, iam non trepidus, & imbecillis, possit super Ecclesiæ petram, sed robustus, & fortis, incedere.

Consolidata sunt bases eius: Parum erat pedum vsum aliqualem claudum recepisse: recepit & vires, *consolidata*, inquit, *sunt bases eius*: tam copiosam receperunt sanitatem, vt laborem ferre possent. Itaque non nudæ sanitati restitutus est claudus, sed robori, vt non incedere tantùm valeret, sed & laborare. Nimirum, qui supera Dei dona recipit, otio non torpeat, sed alacrior ad opus, ad laborem currat. 863.

Antequam templum ingrederetur, sanitatem Petrus claudo restituit: cur non posteaquam in templo oraterat id præstitit? *Ante virtus ostenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur*, inquit sanctus Chrysostomus; *quia Dominus ipse ante efficit, quàm oretur*. Nimirum, tardam misericordiam misericordiarum Pater nescit: citiùs, quàm postuletur, tribuit: tanta Diuinæ largitatis magnitudo est.

Id quoque factum, vt Apostolorum meritum appareret, qui ante sanitatem restituunt, quàm Dominum in templo deprecarentur; & ita meliùs eorum sanctitas cæteris innotesceret.

Vnum erigit Petrus, vt in vnius exemplo plures erigerentur: claudum vnum sanat, vt cæteri desererent in Dei lege, ac obsequio claudicare. Nolo hîc desiderari sancti Leonis verba ad verba producta: sic enim ille scribit hom. de Gradibus ascensionis: *Beatus Petrus Apostolus, cùm, ascendens in* 864.

templum, à claudo Eleemosyna posceretur; Argentum, inquit, & aurum non est mecum: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ: quem debilem edidit mater ex vtero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in nummo non dedit, imaginem Christi in homine reformauit. Huius autem thesauri opibus non solum ille aditus est, cui gressus est redditus; sed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apostoli ob eiusdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat, quod petenti daret, tantam dedit Diuina gratia largitatem, vt, quemadmodum vnum hominem redintegrat IN PEDIBUS, *sic tot millia credentium sanaret in* CORDIBUS; *faceretque eos in Christo* ALACRES, *quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes.*

Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

865. NOn senserunt claudi pedes pigra remedia, nec velut vnguenti modo lita vestigia reuocantur. Statim exilit, statim exultat, factus sanus. Miraculi magnitudo apparet, quòd illico promptè incesserit, imò exilierit, qui diu pedibus vsus non fuerat. Etiam sani expeditè incedere nequeunt; sed sensim, ac paulatim veluti discunt ambulare, & facilitatem ambulandi ambulando acquirunt.

Et exiliens. Non ambulat duntaxat, sed etiam exilit & saltat. Nescit in donis suis Deus angustias, non indigentiam solùm spectat, sed suam bonitatem. *Parum erat*, inquit Sanctus Augustinus serm. 28. de Verbis Apost. *quod dicebatur in vsum claudus rediisse: vires ei cum sanitate restituitur. Non enim dixit restituta sunt, sed consolidata sunt bases: tam abundantem recipiunt sanitatem, vt* FERANT LABOREM. *Exiliens, inquit, ambulabat: saltus frequenter etiam sanis grauis est.*

Intrauit cum illis in templum: Vt Deo, qui in templo colitur, gratias ageret eumque laudibus extolleret. Vides extra templum editum miraculum fuisse: cur non in ipso? An ne miraculum loci sanctitati tribueretur? Tam salutaris mansio in Dei templo est, vt putari poterit à loci sanctitate miraculum fuisse.

Ambulans, & exiliens: Non semel exilit, aut saltat, sed priùs exilit, & ambulat; deinde post ambulationem rursus exilit, se in seipso præ gaudio non capiens, vt non putetur hypocrisis, ac simulatio, quòd antea exilierit, saltauerit.

Et exiliens stetit. Priùs pecuniam rogabat iste claudus, sed non legimus ampliùs rogasse, postquam redditus est sanitati; vt colligeremus necessitatis fuisse, quòd priùs postulauerit: esset otio torpentis, & nolentis laborare, si sanus factus rursùs peteret. Plus igitur accepit, quàm accepisse legatur. Eatimè claudus esse desiit: intùs habuit, ne noxio terrenorum amore claudicaret. *Cùm ex multis*, verba sunt Sancti Basilij hom. 15. *aurum acciperet, nihilominùs rogabat. Ex Petro gratiam cùm suscepisset,* ROGARE AMPLIVS DESTITIT, *veluti ceruus prosiliens, & Deum laudans.*

866. *Et laudans Deum*: Benefactores suos gratus comitabatur, sed Deum laudat. Cur non Petrum, & Ioannem? Deum laudat, non Apostolos, à Deo sibi per ipsos sanitatis beneficium venisse significans. *Nouarin. in Act. Apost.*

Laudat Deum coram benefactoribus suis, non laudat benefactores ipsos, vt gratus scilicet eis esset: iustis quippè gratius est Dei laudes celebrari, quàm suas. Gratus Petro, gratus Ioanni claudus, sanitati restitutus, exstitit, dum gloriam Deo tribuit, Deum celebrauit: illius sermo non adeò Apostolis placuisset, si eos laudibus extulisset. Nimirum laudari se iusti putant, cùm laudatur Deus.

Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

VIdit populus eum, qui claudus fuerat, ambulantem, & laudantem Deum: cur non exilientem? An minus semper est, quod populus videt, quàm quod Dei serui in Dei obsequium, & laudem præstant? Exiliebat præ gaudio, quod videri, & cognosci ab aliis nequit. Sed omisit, tanquam subintelligeretur.

Sed qui videre eum populus *laudantem Deum* 867.
poterat? Laudantes Deum audire solemus, non videre: cur ait *vidit*, & non potiùs, *audiuit*? Frequens in sacris litteris est, vt videndi verbum etiam ad alios sensus transferatur. Nisi dicere velimus, multitudinem, quæ confluxerat, vidisse eum, qui sanatus fuerat, laudantem Deum; quia non solâ voce, sed omnibus membris, omni motu, & incessu iustus Deum laudat, omnia probi viri opera voces suas habent quibus laudatur Deus. Quidni sanctus Ioannes. *Vox* dicatur? cùm ipse, & (cum proportione) cæteri iusti toto corpore, omnibus membris clamare, & Deum quadam voce celebrare videantur. Nimirum diminutè Deum laudat, qui solâ voce laudat, solo sermone, non bonis operibus, non virtutibus.

Cùm teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes.

TEnet suos benefactores claudus, & eos, à quibus sanitatem acceperat, arctè complectitur, ac stringit, vt ab eis auelli non posset, ac nollet; eosque multitudini, quæ aderat ostenderet, & prædicaret; exemplo suo docens, amorem, reuerentiam, & gratitudinem in benefactores quosque ostendendam.

Putant aliqui, claudum eos tenuisse ex timore; 868.
ne, si ab eis disiungeretur, rursus in eandem infirmitatem relaberetur. Nimirum tenebat Petrum, ne ab infirmitate teneretur. *Arbitrabatur*, inquit Oecumenius, *se eatenus morbo liberatum esse, dum ipsum teneret, & ab eo contrectaretur.* Vide, quàm salutaris Sanctorum consuetudo sit, quàm noxium à iustorum consortio discedere. Abeunt ab hac mente, qui, acceptâ sanitate, à Sanctis abeunt.

Ad porticum quæ appellatur Salomonis: Postquam Claudus curatus fuerat in portâ, se in hanc Salomonis porticum recepit. Hic Iudæi Christum lapidare voluerunt: Ioannis 11. Sic habes: *Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis: sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Vide clementiam Domini, quàm à vindictæ abesset affectu: ibi per suos beneficium confert, vbi lapidibus eum obruere volebant Iudæi, exemplo docens, bonum pro malo reddendum esse, & omnium iniuriarum memoriam abolendam.

Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare.

869. Signum Petrus ediderat, cuius magnitudine ita intuentium oculos perstrinxerat, vt præ admiratione figerent in eum obtutus, sed ipse humilitatis custos, & amicus, omnem laudem, ac gloriam in Deum refert, à se auocat, in Auctorem transcribit.

Aut nos quid intuemini? Ac si diceret: cur in nos, non potiùs in Deum oculos conijcitis? Nos humanam gloriam non quærimus, nec cupimus videri: Deum solummodo spectatorem habere volumus: eundem & vos spectate, non nos. Scilicet, *intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit, sed,* HVMILITATEM CVSTODIENS, *laudem Auctori reddidit*, inquit sanctus Gregorius Magnus. Maiori laude dignus, quia indignum se laude existimauit.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT IV. ACT. APOST.

Vers. 1.

LOQVENTIBVS autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus templi & Sadducæi,

Loquentibus a. i. *Syr. Quumque illi hos sermones loquerentur.*
Ad p. *Lucif. Ad populum verba hæc.*
Superuenerunt. *Syr. Insurrexerunt in eos. Lucif. Insurrexerunt. Pagn. Superuenerunt illis. Vat. Præsto fuerunt illis.*
Magistratus t. & S. *Syr. Sadducæi & præfecti templo. Caiet. Dux templi & Sadducæi. S. Chrys. Magistratus templi. Lucif. Pontifices templi & Sadducæi.*

Vers. 2.

Dolentes, quòd docerent populum, & annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis:

Dolentes. *Syr. Cùm excandescerent in eos. S.Chrys. Molestè ferentes. Ar.M. Labore affecti.*
Quòd docerent. *Syr. Quippe qui docerent. S.Chrys. Eò quòd docebant.*
Populum. *Lucif. Plebem.*
Annunciarent. *Syr. Prædicarent. S.Chrys. Annunciabant.*
In Iesu. *Syr. In Christo. Oecum. Per Iesum. Pagn. In nomine Iesu. Vat. Nomine Iesu. Quid. codd. In Iesum.*
Ex mortuis. *Syr. A mortuis. Oecum. Mortuorum.*

Vers. 3.

Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim iam vespera.

Et. *Syr. Proinde.*
In eos. *S. Chrys. Eis.*
Posuerunt e. i. c. *Syr. Custodierunt eos. Vat. Dederunt eos in custodiam.*
In crastinum. *S.Chrys. Vsque in posterum diem.*
Erat enim iam v. *Syr. Quod prope esset vespera.*

Vers. 4.

Multi autem eorum, quia audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.

Multi autem eorum. *Syr. Multi autem. S. Chrys. Multi verò eorum. Oecum. Multi autem ex iis.*
Qui audierant. *Ar M. Audientium.*
Verbum. *S. Chrys. Sermonem.*
Factus est numerus. *Syr. Erant numero.*
Virorum. *Syr. Circiter viri. Ar. M. Virorum quasi.*
Quinque m. *Syr. Quinquies mille. Goth. Circiter quinque millia.*

Vers. 5.

Factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum & seniores & scribæ in Ierusalem:

Factum est a. *Syr. Cæterum. Oecum. Accidit autem. Vat. Euenit autem.*
In crastinum. *S. Chrys. In diem posterum. Pagn. Postero die.*
Vt congregarentur. *Syr. Congregati sunt.*
Principes eorum. *Syr. Principes.*
In Ierusalem. *Syr.* omittit. *Pagn. Ierusalem.*

Vers. 6.

Et Annas princeps sacerdotum & Caiphas

Et Annas. *Syr. Item Annas. Oecum. Simulque Annas.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

phas & Ioannes & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.

Princeps f. *Syr. Summus sacerdos.*
De genere. *Syr. Ex genere.*
Sacerdotali. *Syr. Summorum sacerdotum. S.Chrys. Pontificio. Ar.M. Pontificali.*

Vers. 7.

Et statuentes eos in medio, interrogabant: In quâ virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?

Statuentes e. *S. Chrys. Cùm statuissent eos. Oecum. Ipsos positos.*
Interrogant. *S. Chrys. Interrogabat. Ar. M. Percontati sunt.*
In quâ. v. *Syr. Quânam virtute. Pagn. Quâ potentiâ. Al. Quâ virtute.*
In quo nomine. *Syr. Quo nomine.*
Hoc vos. *Syr. Hoc.*

Vers. 8.

Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & seniores, audite:

Repletus. *Syr. Repletus est.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Petrus. *Syr. Simon Petrus.*
Seniores. *Syr. Seniores domûs Israël. S.Chrys. Seniores Israel.*

Vers. 9.

Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est,

Si nos. *S.Cypr. Ecce nos.*
Diiudicamur. *Syr. In ius vocamur à vobis. S.Chrys. Examinamur. S.Cypr. Interrogamur à vobis.*
In benefacto h. i. *Syr. Propter beneficium, quod collatum est in hominem ægrotum. S. Chrys. De eo, quod benefecerimus homini infirmo. S. Cypr. Super benefacto homini infirmo. Oecum. Super beneficio præstito homini infirmo. Caiet. In benefacto homini infirmo.*
In quo iste. *S.Chrys. Quomodo ille. Oecum. Propter quod hic. Pagn. Quâ ratione iste.*
Saluus f. e. *Syr. Sanitati sit restitutus. S. Cypr. Saluatus est. Vat. Saluti restitutus est. Ar. M. Seruatus est.*

Vers. 10.

Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

Notum. *Syr. Hoc notum.*
Omnibus vobis. *Oecum. Vobis.*
Omni p. *Oecum. Vniuerso populo. S.Cypr. Omni populo. Pagn. Toti plebi.*
In nomine. *Pagn. Per nomen.*
Iesu Christi. *Quidd. codd. Domini nostri Iesu Christi.*
Nazareni. *Syr. Nazareni illius. Oecum. Nazarei.*
Crucifixistis. *Syr. In crucem egistis.*
Suscitauit. *Syr. Excitauit.*
A mortuis. *S.Chrys. Ex mortuis.*
In hoc. *Syr. In hoc ipso. S. Cypr. In illo. Oecum. Per hoc. Pagn. Per hunc.*
Astat. *Syr. Ecce stat.*
Coram vobis. *S. Chrys. Vobis. S.Cypr. In conspectu vestro.*

Vers. 11.

Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli:

Lapis. *Pagn. Lapis ille.*
Reprobatus est. *S.Cypr. Contemptus est. Pagn. Reiectus est. Ar. M. Nihil habitus.*
Qui f. e. *Ar.M. Ille factus.*
In caput. *Vat. Caput.*

Vers. 12.

Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Aliquo. *S.Chrys. Vllo. Pagn. Quoquam. Ar.M. In nemine.*
Salus. *Syr. Redemptio.*
Aliud. *Orig. Aliud vllum.*
Sub cælo d. h. *Oecum. Datum hominibus sub cælo. Caiet. Sub cælo datum inter homines. A. M. Sub cælo datum in hominibus.*
In quo. *Oecum. Per quod.*
Nos saluos f. *Syr. Eos seruari. S. Chrys. Vos seruari. S.Cypr. Saluari vos.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 13.

Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto, quòd homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur; & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant:

Videntes autem. *Syr. Cùmque audissent.*
Petri. *Syr. Simonis.*
Constantiam. *Syr. Sermonem, quem palàm dixerant. S. Chrys. Libertatem. Oecum. In dicendo constantiam. Orig. Fiduciam. Pagn. In dicendo audaciam. Vat. In dicendo libertatem. Caiet. Audaciam.*
Comperto. *Syr. Intellexerunt. Ar. M. Deprehendentes.*
Quòd h. e. *Syr. Eos esse.*
Sinè litteris. *Syr. Litterarum imperitos. S. Chrys. Illiterati.*
Idiotæ. *Syr. Idiotas. Lucif. Imperiti. Caiet. Plebei.*
Admirabantur. *Syr. Eosque admirati sunt. Oecum. Mirabantur.*
Et cognoscebant. *Syr. Et cognouerunt. Goth. Cognoscebant autem. S. Chrys. Et cognoscebant. Lucif. Cognoscentes etiam. Orig. Cognouerunt autem.*
Quoniam c. I. f. *Syr. Cum Iesu versatos fuisse. S. Chrys. Quòd cum Iesu fuissent. Lucif. Quia cum Iesu erant.*

Vers. 14.

Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

Hominem quoque. *Syr. Porrò claudum illum. Pagn. Hominem autem. Ar. M. At hominem.*
Videntes. *Syr. Conspiciebant.*
Stantem. *Syr. Adstantem.*
Curatus. *Vat. Sanatus.*
Nihil. *Syr. Nihilque.*
Poterant. *Syr. Poterant eis. Ar. M. Habebant.*

Vers. 15.

Iusserant autem, eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad inuicem,

Iusserunt a. *Syr. Tunc iusserunt. Lucif. Cùm iussissent.*
Foràs extra c. *Syr. E synagogâ suâ. S. Chrys. E concilio.*
Secedere. *Syr. Exire. Lucif. Discedere. Ar. M. Abire.*
Conferebant. *Syr. Dicebat.*
Ad inuicem. *Syr. Alius ad alium. S. Chrys. Inter se. Oecum. Mutuò. Vat. Inter sese.*

Vers. 16.

Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos: omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare.

Quoniam quidem. *Syr. Ecce enim. S. Chrys. Nam.*
Notum signum. *Syr. Signum illud manifestum. S. Chrys. Signum conspicuum.*
Factum e. *Syr. Quod editum est. S. Chrys. Editum esse.*
Habitantibus. *Syr. Incolis.*
Manifestum e. *Syr. Notum est. Ar. M. Manifestum.*
Negare. *S. Chrys. Inficiari.*

Vers. 17.

Sed, ne ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum:

Ampliùs. *Syr. Magis. Oecum. Vlteriùs. Ar. M. Super plus.*
Diuulgetur. *Syr. Fama isthæc peruagetur. Oecum. Dispergatur. Lucif. Innotescant verba hæc. Ar. M. Perserpat.*
In populum. *Syr.* omittit.
Comminemur e. *Syr. Interminemur. S. Chrys. Minaciter interminemur. Oecum. Minis interminemur. Vat. Minaciter interminemur. Ar. M. Minaciter comminemur. Caiet. Minando minemur.*
Vltrà. *Syr. Ampliùs. S. Chrys. Post hæc. Oecum. Deinceps.*
In nomine. *S. Chrys. Sub nomine. Oecum. De nomine. Vat. Nomine.*
Hominum. *Ar. M. Homini.*

Vers. 18.

Et vocantes eos denunciauerunt, ne

Et vocantes e. *Syr. Proinde aduocarunt eos. S. Chrys. Et accersitis illis. Lucif. Consentientibus autem*

omnino

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.

omnibus accersentes eos.
Denunciauerunt. *Lucif. Preceperunt illis. Vat. Edixerunt. Salm. Indixerunt.*
Docerent. *S. Chrys. Dicerent.*
In nomine. *Vat. Sub nomine.*

Vers. 19.

Petrus verò & Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.

Si iustum est. *Syr. An rectum sit. S. Chrys. An iustum sit.*
In conspectu D. *Syr. Apud Deum. Oecum. Coram Deo.*
Vos potius a. *Syr. Vobis potius obedire.*
Deum. *Syr. Deo.*

Vers. 20.

Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.

Possumus. *Goth. Nos possumus.*
Quæ. *Syr. Quod.*

Vers. 21.

At illi comminantes, dimiserunt eos: non inuenientes, quomodo punirent eos, propter populum; quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat, in eo, quod acciderat.

At illi. *Syr. Et.*
Comminantes. *Syr. Interminati sunt. S. Chrys. Additis minis.*
Dimiserunt. *Syr. Ac dimiserunt.*
Non inuenientes. *Syr. Non enim inuenerunt. Pagn. Nihil inuenientes.*
Quomodo. *Syr. Causam, quam. Oecum. Quonam modo. Pagn. Quâ ratione.*
Punirent eos. *Syr. Capiti eorum imponerent.*
Quia o. *Syr. Quandoquidem. Oecum. Quòd omnes. Lucif. Omnes enim.*
Clarificabant id q. f. f. *Syr. Glorificabant Deum. Goth. Clarificabant Deum. Oecum. Glorificarent Deum. Lucif. Honorificabant Deum.*
In eo. *Lucif. In Pagn. Super eo.*
Quod acciderat. *Lucif. Facto. Caiet. Quod factum fuerat.*

Vers. 22.

Annorum enim erat ampliùs quadraginta, homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

Annorum. *Syr. Annos.*
Erat. *Syr. Erat natus. Vat. Habebat.*
Amplius. *Syr. Plusquàm.*
Homo. *Syr. Homo ille.*
Factum. *Pagn. Editum.*
Sanitatis. *S. Chrys. Sanationis.*

Vers. 23.

Dimissi autem venerunt ad suos, & annunciauerunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum, & seniores dixissent.

Dimissi a. *Syr. Cùmque dimissi essent.*
Ad suos. *Syr. Ad Fratres suos. Ar. M. Ad proprios.*
Annunciauerunt. *Syr. Renunciauerunt. Oecum. Nunciauerunt. Lucif. Retulerunt.*
Quanta *S. Chrys. Quæcunque.*
Principes s. *Syr. Sacerdotes. Oecum. Pontifices.*

Vers. 24.

Qui, cùm audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt:

Qui cùm a. *Syr. Isti autem cùm audissent. S. Chrys. At illi, qui audierant.*
Vnanimiter. *Syr. Simul. Oecum. Vno animo.*
Leuauerunt. *Syr. Extulerunt. S. Chrys. Sustulerunt. Oecum. Eleuauerunt. Pagn. Attollebant.*
Vocem. *Syr. Vocem suam.*
Dixerunt. *S. Hil. Ipsis dicentibus.*
Tu es. *S. Chrys.* omittit. *Goth. Tu es Deus. M.SS. Tu Deus.*
Mare. *Syr. Et Maria.*
Omnia, quæ. *Oecum. Quæque.*
In eis sunt. *Vat. Eis comprehenduntur. Ar. M. In eis.*

Vers. 25.

Qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

Qui. *Syr. Tuque is es, qui.*
Spiritu sancto. *Syr. Per Spiritum sanctitatis. S. Hil.* omittit. *Lucif. Per Spiritum sanctum.*
Patris n. D. p. *Vat. Dauid serui.*
Dixisti. *Syr. Loquutus es.*
Gentes. *Oecum. Nationes.*
Inania. *Syr. Inane.*

Vulgata Editio.

Verſ. 26.

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.

Verſ. 27.

Conuenerunt enim verè in ciuitate iſtâ aduersùs Sanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël,

Verſ. 28.

Facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.

Verſ. 29.

Et nunc, Domine, reſpice in minas eorum: & da ſeruis tuis, cum omni fiduciâ loqui verbum tuum;

Verſ. 30.

In eo, quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna & prodigia fieri per nomen ſancti Filij tui Ieſu.

Verſ. 31.

Et cùm oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiduciâ.

Verſ. 32.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam

Lectionum Varietas.

Conuenerunt in v. *Syr. Conſilium inierunt ſimul. S. Chryſ. Congregati ſimul. Ar. M. Coacti ſunt in idem.*

Conuenerunt. *S. Chryſ. Congregati ſunt. Ar. M. Coacti ſunt.*

Verè in ciuitate i. *S. Chryſ. Reuerâ in ciuitate hac. Pagn. Verè. Ar. M. In veritate.*

Aduersùs Sanctum. *Ar. M. In Sanctum.*

Puerum. *S. Hil. Filium.*

Vnxiſti. *Syr. Tu vnxiſti. Pagn. Vnxeras.*

Herodes. *S. Chryſ. Tam Herodes. Vat. Herodes ſimul.*

Et Pontius P. *Syr. Et Pilatus. S. Chryſ. Quam Pontius.*

Populis. *Syr. Synagogâ. S. Chryſ. Populi.*

Facere, quæ. *Syr. Vt facerent quæcunque. S. Chryſ. Vt faciant quæcunque.*

Conſilium t. *Syr. Voluntas tua. Lucif. Concilium.*

Decreuerunt. *Syr. Priùs deſignauerat, Lucif. Præfiniuit. Oecum. Antea decreuerat. Pagn. Priùs decreuerat.*

Fieri. *Syr. Eſſe facienda. Lucif.* omittit.

Et nunc. *Syr. Sed & nunc.*

Reſpice in minas. *Syr. Intuere & vide minas. S. Chryſ. Vide in minas. Oecum. Reſpice ad minas. Vat. Inſpice minas. Pagn. Aſpice in minas.*

Cum omni f. *Syr. Vt palàm. S. Chryſ. Liberè. Oecum. Vt cum omni libertate. Caiet. Cum omni audaciâ.*

Loqui v. *Syr. Prædicent ſermonem. Oecum. Loquantur ſermonem.*

In eo quod. *Syr. Quum. S. Chryſ. In hoc, vt. Oecum. Ad hoc, vt. Lucif. Dum.*

Manum t. *S. Chryſ. Manus.*

Extendas. *Syr. Porriges. S. Chryſ. Extendat. Oecum. Porrigendo. Lucif. Extendis.*

Ad ſanitates. *Syr. Ad ſanandum. S. Chryſ. Ad ſanationes. Oecum. Sanatio. Ar. M. In ſanitatem. Caiet. Ad ſanationem.*

Et ſigna & prodigia. *Syr. Vt virtutes. Vat. Et ſigna & miracula.*

Fieri. *Syr. Edantur. Lucif. Facienda.*

Per n. *Syr In nomine.*

Filij. *Ar. M. Pueri.*

Cùm oraſſent. *Syr. Cùm oraſſent ac fuiſſent auſpicati preces. S. Chryſ. Rogantibus autem illis. Pagn. Cùm oraſſent illi. Ar. M. Precatis eis.*

Motus. *Syr. Commotus.*

Repleti. *S. Chyſ. Impleti.*

Sancto. *Syr. Sanctitatis.*

Loquebantur v. *S. Chryſ. Loquuti ſunt ſermonem.*

Cum fiduciâ. *Syr. Palam. Oecum. Cum libertate. Vat. Liberè. Caiet. Cum audaciâ.*

Multitudinis. *Syr. Cœtûs hominum illorum. S. Chryſ. Huius multitudinis. S. Hil. Omnium. S. Cypr. Turba eorum. S. Ambr. Multitudo credentium.*

Credentium. *Syr. Qui Crediderant. S. Hil. Qui credebant. S. Cypr. Qui crediderant.*

Erat cor. v. e. a. v. *S. Cypr. Anima ac mente vnâ agebant.*

Nec quiſquam. *Sy. Nemoque ex eis. Syr. Et nullus ex his. S. Cypr. Nec fuit inter illos vllum diſcri-*

eorum,

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia:

men, nec quicquam. Ar. M. Et neque vnile.
Eorum quæ p. *Syr. De facultatibus, quas possidebat. S. Cypr. Ex bonis quæ eis erant. Ar. M. Existentium ei.*
Aliquid suum. *Syr. Suam. S. Chrys. Aliquid proprium. S. Cypr. Suum. Ar. M. Quicquam propriam.*
Esse dicebat. *S. Cypr. Indicabaat.*
Sed erant i. o. e. *Syr. Omnia, quæ habebant, erant societatis. S. Cyp. Sed fuernat illis omnia communia. Orig. Habebant omnia communia.*

Vers. 33.

Et virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis:

Virtute. *Pagn. Potentiâ.*
Reddebant A. t. *Syr. Testabantur ipsi Apostoli.*
Resurrectionis. *Syr. De resurrectione.*
Iesu C. D. n. *Syr. Iesu Christi. Pagn. Domini Iesu. Ar. M. Domini Iesu Christi.*
Erat. *Syr. Iacrat. Vat. Aderat.*
In o. i. *Syr. Illis omnibus. S. Chrys. Cum omnibus illis. Oecum. Super ipsos. Pagn. Super omnes illos. Ar. M. In omnes eos.*

Vers. 34.

Neque enim quisquam egens erat inter illos: Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,

Neque e. q. *Syr. Caterum nemo. S. Chrys. Neque quisquam.*
Egens. *Syr. Egenus. S. Chrys. Indigebat.*
Inter i. *Ar. M. In ipsis.*
Quotquot enim possessores erant. *Syr. Illi enim qui possidebant. S. Chrys. Quotquot autem erant possessores.*
Agrorum a. d. *Syr. Fundos aut domos. S. Chrys. Prædiorum vel ædium.*
Vendentes a. *Syr. Vendebant & adferebant.*
Vendebant. *Pagn. Vendita fuerant.*

Vers. 35.

Et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

Ponebant. *Syr. Deponebant. S. Chrys. Posuerunt.*
Ante pedes. *S. Chrys. Ad pedes.*
Diuidebatur. a. *Syr. Et dabatur. S. Isid. Hisp. Distribuebatur autem. Orig. Et diuidebant.*
Singulis. *S. Isid. Hisp. Vnicuique. Orig.* omittit.
Cuique n. e. *Syr. Egebat. S. Chrys. Opus habebat. Orig. Quisque opus habebat.*

Vers. 36.

Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, (quod est interpretatum, Filius consolationis) Leuites, Cyprius genere,

Ioseph a. *Syr. Ioseph autem ille. S. Chrys. Ioses autem.*
Qui cognominatus. *S. Chrys. Agnominatus.*
Est interpretatum. *Syr. Exponitur. S. Chrys. Si interpreteris. Pagn. Est.*
Cyprius genere. *Syr. Ex regione Cypri.*

Vers. 37.

Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Cùm h. a. *Ar. M. Existente ei agro.*
Vendidit e. *Ar. M. Vendito.*
Et attulit. *Ar. M. Attulit.*
Pretium. *S. Chrys. Pecuniam.*
Posuit. *Syr. Deposuit.*
Ante pedes. *S. Chrys. Iuxta pedes. Pagn. Ad pedes.*

CAPVT IV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Resilit

Refilit in superiores inferiorum crimen. 876
Fures *in Dei obsequio plerique sunt sed verbis tantùm.* 877
Talis sit sermo *noster, vt eo cognoscatur nos Christi seruos esse.* 877

Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi.

870. PRædicationem Apostolorum impij sacerdotes impediunt, quorum esse deberet populum ad Dei verbum audiendum inhortari. Omnium malorum extrema timenda sunt, vbi Dei verbum Ecclesiastici negligunt, nec curant à populi multitudine audiri.

Et magistratus templi: ὁ στρατηγὸς, singulari numero. Syrus; *præfecti templo.* Huius, qui hîc recensetur, partes erant impedire, ne quid turbarum in templo esset, ne quid indecens in eo fieret. Maior in Christianorum templis tanquam sanctioribus cautio esse deberet, maior reuerentia. Præfectus, qui turbas, strepitusque arceat, & impediat, non alius, quàm Dei timor, verąque religio, sit: hæc intus operetur, quod foris apud Iudæos præfectus militum, militesque.

Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim iam vespera.

VIres malitia acquirit, nisi aboleatur; & impietas maior fit, nisi exterminetur. Sacerdotes, magistratus templi, ac Sadducæi antè, alienâ manu, alienâ proditione Christum comprehenderunt: nunc, audaciores in malo facti, ipsimet in Apostolos iniiciunt manus. Nimirum sistere nequitia nequit, cui medica manus non admouetur: crinitus contagio serpit, sceleri grandius scelus additur in cumulum, nisi obeatur prioris pœnitentia.

Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt.

871. MAgna boni operis vis, magna potentiæ, ac fortitudinis! Manus magistratus templi, & alij in Apostolos iniiciunt, coniiciunt eos in carcerem; forti, æquoque animo id ferunt Apostoli, non conqueruntur ob iniuriam illis illatam, vindictam non quærunt. Quid factum? Statim subditur, eos, qui aderant, credidisse: *Multi*, inquit, *eorum, qui audierant verbum crediderunt.* Exemplo præstant Apostoli, quod antea nudis verbis non præstiterant: vincuntur auditores, dum doctores vinciuntur: tantum in omnium animos patientia in aduersis potest. Vnde nonnulli sanctorum Patrum, vt sanctus Chrysostomus, Oecumenius, aliique aiunt, non propter verbum tantùm hos credidisse, sed propter inconcussum Apostolorum animum, ac singularem eorum in tam ingenti iniuriâ fortitudinem, & modestiam. Suas habet patientia voces suas fortitudo vires; grandiúsque in spectantium aures clamat, quàm lingua, quàm os.

Et factus est numerus virorum quinque millia.

TAm pauci tàm multos conuertunt; quia illi singulariter sancti, isti probè dispositi. Vtrunque nunc in nobis desideratur, nunc multi paucos conuertimus, & nostri culpâ, & nostrorum auditorum. Doctores à sanctitate absunt: auditores non bene in doctores affecti, nec ad ea præstanda parati, quæ ex eorum ore exceperint. Pauci multos vincunt, & Christi seruituti submittunt: quia, non quantitate numeri, sed sancti Spiritus gratiâ iusti vim suam tenent; nec docentium multitudini fidunt, sed Diuinæ virtuti.

Virorum quinque millia: Vt videas, plures adfuisse fortes, & robustos viros, quorum ope, viribusque se ab opprimentium violentiâ tueri Apostoli poterant. Noluerunt potentiâ vincere, sed patientiâ, mansuetudine: non defuit illis hominum præsidium; sed vti noluerunt, vt magis eorum modestia eluceret, ac fortitudo. 872.

Quinque millia: Cùm primâ vice Petrus concionaretur, tria millia conuertit ad Christum; hîc verò quinque. Creuit conuersorum numerus: cur adeò plures? Fors quia hîc verbis, & exemplo prædicat, & ibi non patiebatur, sicut modò. Viderê inconcussum in Apostolis animum incomparabilem eorum fortitudinem, & patientiam dum comprehenderentur, ligarentur, ac demum in carcerem coniicerentur; hoc fecit, vt plures conuerterentur. Habet latentem quandam energiam patientis viri vox; & altiùs audientium animis sermo insidet, ab homine fluens, qui æquo libentique animo aduersa omnia ferat, omnia sustineat. Plerunque doctores nostri nullum, aut exiguum laborum suorum fructum referunt, quia nec leues offensas, verborumque puncturas ferre possunt, ne dum grauium iniuriarum ictus.

Et statuentes eos in medio, interrogabant: in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos.

STatuerunt in medio homines idiotas, vt ibi tali consessu, metu, ac reuerentiâ perculsi, desinerent Christum Iesum prædicare. Futilis hæc eorum censio fuit: quò magis comprimuntur, fortiores euadunt Apostoli; & ab astantium numero, ac dignitate animos sumunt, Christum liberiùs, vt ex eorum verbis patet, celebrant, extollunt. 873.

Fecistis hoc vos: Nec claudi sanitatem nominant, nec qualitatem explicant miraculi: tantùm per contemptum dicunt: *fecistis hoc vos*! Inuidia, quâ laborabant, miraculum eos explicare non permisit.

Aliquorum censio est, claudum ipsum eum Apostolis in custodiâ positum, & in concilium cum iisdem productum: quod maius beneficium exstitit, quàm sanitatem, quâ destitutus fuerat, accepisse. In tribulationibus Dei seruos comitari, & iniuriarum participem fieri ingentis beneficij loco haberi debet.

Statuerunt Petrum, & Ioannem in medio. Cur non ad Pilatum prouocant, & ducunt, sicut in causâ Christi fecerunt? An, quia recordabantur, Pilatum inuitum contra Christum dixisse sententiam, cuius patronum magis, quàm iudicem se exhibuerat?

Tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite.

REpletur Spiritu sancto, qui repletus eo antea erat? Non est inconueniens multoties aliquem 874.

quem Spiritu sancto repleri ad varios scilicet effectus : hîc ad fortiter, sapienterque respondendum datus est Petro. Prætereà datur iuxta plenitudinem dispositionis ; adeo, vt dilatato veluti magis subiecto, noua Spiritus repletio fiat. Nimirum, dum corpore vinciretur, stringeretur, angustiaretur, Petrus corde dilatabatur, vt pleniorem Spiritus sancti gratiam reciperet; ac si angustiæ, pressuræque, quas iusti patiuntur, cor maiori gratiæ recipiendæ dilatent, ac velut extendant.

Principes populi, & seniores audite : Pende modestiam Petri. Non dedignatur, eos principum titulo honorare, à quibus tam indignis modis accipiebatur, ac tam manifestâ iniuriâ prouocabatur. Principum nomen haud merebantur, qui inuidiæ cæterisque vitiis seruiebant. Dei seruus, suarum iniuriarum oblitus, eorum salutem quærit, à quibus afficitur iniuriâ : tanto desiderio alienæ salutis procurandæ iustus ardet, vt sui penè obliuiscatur, proprias iniurias vlcisci non curet, & nolit.

Principes populi, ac seniores alloquitur Petrus. Cur non scribas, milites, & aliam turbam, quæ aderat ? An, quia non ad istos, sed ad principes, & seniores iudicium, causæque definitio spectabat: Fors populi primores ad audiendum excitat, sciens horum exemplo alios excitari, & principum bonitatem, ac malitiam populis communicari. Facilè scilicet resipiscit populus, si princeps, ac rex resipiscat, & audito Dei verbo meliorem induat moorem, melior fiat.

Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hôc iste astat coram vobis sanus.

875. QVàm liberè, quàm fortiter respondit Petrus! Qui ante passionem ad vnius ancillulæ vocem Magistrum negauerat ; hîc contra principes, contra seniores audacter eum prædicat, nihil timet, nihil pauescit Petrus, quem Spiritus sancti gratia roborauerat. Fòrs, si fœmina quæpiam eum interrogasset, cogitans à fœminâ se victum, primo adspectu timuisset.

Notum sit, inquit, *vobis, & omni plebi Israël :* Plebem adiungit, cui, per principes, & seniores decebat, veritatis cognitionem communicari: tantum abest, vt prædicatores veritatis impedire deberent, & plebem à Diuini verbi auditione auocare.

Quem vos crucifixistis : Quàm acriter eos pungit? Quàm apertè eos arguit? superiùs principes videtur excusare cum dixit : *Et nunc* fratres, *scio quia per ignorantiam fecistis*, Auctorem scilicet vitæ interficientes, *sicut & principes vestri*. Vides, vt principes excuset ? nunc apertè, & absque vllo velamine ait: *quem vos crucifixistis*. Cur nunc quoque eos non nititur excusare, sicuti fecerat priùs? agebat cum populo, apud quem principum peccata minùs conuenit reprehendere, cùm pronior populus esse soleat, ad detrahendum principibus, & obloquendum de ipsis : vnde maledicendi, & detrahendi materia non est populo offerenda, sed auferenda.

876. Prætereà, Petrus absentes principes, ac seniores excusat, vt potest, coram verò, eos seuerè arguit, ac eorum crimen in apertum producit, & illis obiicit. Nunc contrà ferè fit, plerique principibus in facie palpum obtrudunt, adulantur ; absentes verò, lacerant, linguis proscindunt, ac mordent eorum peccata, quin & labeculas in vulgus producunt. Res Christiano homine indigna, & maximè à fidelium cœtu ablegǎnda. Petri factum in exemplum eat : absentes, quantum possumus, excusemus : præsentes arguamus ; sicut debemus.

Quem vos crucifixistis : Sæpè passionis Christi mentio fit, & in Christi Domini gloriam, & in nostræ salutis memoriam. Non confunditur, crucifixum dicere Dei filium, sciens hôc ipsô magis glorificandum, quò magis se pro nobis vsque ad crucem exinaniuit : crux Christi gloria est. *Quem vos crucifixistis.* Etiam plebs crucifixit, quæ clamauit : *crucifige, crucifige eum.* Sed maior principum, & seniorum culpa, maius crimen, qui & exemplo, & imperio has voces à plebe exculpserunt. Mirum resilit in superiores inferiorum crimen, quum, qui impedire debent, adeò non impediunt; vt vrgeant potiùs, & incitent ad malum.

In hoc iste astat coram vobis sanus. Dixisset : *In hoc nomine eum sanauimus.* Abstinuit, vt adstantium declinaret inuidiam, & maiorem modestiam præseferret ; *astat*, inquit, *coram vobis sanus*, qui priùs claudus, & attractus iacuerat.

Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant.

V*Identes :* Aliter Syrus, *audientes.* Græcè, 877.
θεωροῦντες, *contemplantes.* Nimirum, non voce solùm fortitudinem, præseferebant, sed habitu, aspectu, rebusque omnibus, vt eorum constantia non ex verbis audiendo perciperetur, sed factis videndo probaretur. Plerique fortes, & constantes in Dei obsequio sunt, sed verbis duntaxat, & voce, non rebus, non factis. Infirma hæc fortitudo est, & inconstans constantia, quæ in ore solummodo apparet, non apparet in actu.

Admirabantur: Non eorum doctrinam approbantes, sed molestè ferentes, aliquos existere, qui doctrinam ab ipsis non hausissent.

Et cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant: Felix, qui ita loquitur, vt ex eius sermone, ac doctrina statim pateat, eum fuisse cum Iesu, & à Iesu fuisse edoctum.

Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

SVos seruatores claudus non deseruit, nec solos in loco iudicij dereliquit : quin sponte, vt aliqui opinantur, eos in custodiam comitatus est, paratus idem cum illis discrimen & pro veritate, & pro accepto beneficio subire ; atque adeo Apostolos defendere, & vel sanguinis fusu à calumniâ tueri : vera hæc gratitudinis nota est.

SECTIO II.

Flagella *propter Deum gaudium pariunt ferentibus, inferentibus tristitiam.* 878

Quàm

Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Ieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.

878. MIracoli euidentiâ ita perplexi ſunt, vt quid in Apoſtolos agerent, neſcirent: adeò manifeſtum miraculum erat, vt non poſſent vllo velamine veritatem ita operire, quâ aut ad mortem, aut ad carcerem eos damnarent. *Manifeſtum eſt*, inquiunt, *& non poſſumus negare*: fatentur euidentiam ſigni, ſed credere, malitiâ excæcati, nolunt.

Quid faciemus hominibus iſtis? Diceres affligi, qui affligunt. Nimirum, iuſtos dum premunt iniuſti, à iuſtis premuntur, flagellantur dum flagellant. Impij flagellauerant Apoſtolos, & deinde dicunt: *quid faciemus hominibus iſtis?* quæ verba ſic expendebat ſanctus Chryſoſtomus: *Tametſi flagella non gaudij ſint occaſiones, ſed triſtitiæ, & mœroris: nihilominus* FLAGELLA PROPTER DEVM, AT CAVSA PROPTER QVAM FLAGELLABANTVR, GAVDIVM EIS PARIEBANT. *At ij, qui flagellarant, in magnâ animi conſternatione, & hæſitatione, neſciebant, quid facerent. Audi enim illos, quomodo, poſt flagellationem, animo fluctuent, & dicunt: quid faciemus hominibus iſtis? quid dicis? flagellaſtis, innumeris malis eos affeciſtis; & adhuc dubitatis? Tam fortis, inuictaque*
879. *res eſt virtus: & dum patitur affligentes vincit.*

Quid faciemus hominibus iſtis? Malitiæ imbecillitas; virtutiſque virtus in his verbis elucet; Audiendus Auctor ab auten nre: *qui Apoſtolos vrgebant, & adducebant in medium, & quaſi dentibus aduerſus eos fremebant, inter ſe dicunt: quid faciemus viris iſtis? In manibus illos habebant, & dubitabant ſecum, quid de eis facerent.* TANTA, TAMQVE VALIDA RES EST VIRTVS, TAMQVE IMBECILLIS MALITIA, *vt illa quidem, licèt patiatur, vincat; hæc verò, & ſi quid faciat, nihil proficit, quàm quòd ſuam prodit infirmitatem.*

Sed ne ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum.

880. CVr non morti Apoſtolos adiiciunt, aut carceri? Non à pietate hoc fuit, ſed à populi timore: verebantur populum, qui adeò affectus Apoſtolis erat. *Comminemur eis*, inquiunt, *ne vltra loquantur in nomine hoc*: In quo? Non exprimunt, ad contemptum, Ieſu Chriſti nomen, indigni, qui nominarent. Obſeruo Iudæos ferè à Ieſu nomine recenſendo abſtinuiſſe: non abſtinuit dæmon, cum
Matth.7.v.29. non ſemel clamarit: (dæmonum voces ſunt) *quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei.* Dæmones Ieſum nominant, dedignantur nominare homines: peiores aliquando dæmonibus videntur homines. Dei, Ieſuque nomen contemnunt magis homines, quàm dæmones ipſi. Recenſent poſtea; ſed non in honorem, prohibent enim, ne nomen iſtuc proferrent, cùm ſubditur.

Et vocantes eos, denuntiauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu.

NOn miraculum Claudi vulgari tantùm prohibent, ſed & prædicationem ne in nomine Ieſu docerent: hoc eos vrgebat, hoc vexabat. Magna perſecutio iſta, & exitialis prohibitio, licèt videatur exigua. Tanti momenti prædicatio eſt, & doctrina in Chriſti Ieſu nomine tradita, vt ei Eccleſia Chriſtiana innitatur: vnde Iudæi omnia caſura cenſent, ſi prædicatio auferatur. Vide, quanti referat, Dei verba à doctoribus expoſita audire.

Petrus verò & Ioannes reſpondentes, dixerunt ad eos: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.

VNa vtriuſque mens eſt, vnus animus, eadem 881.
vox: alter alteri exemplo erat: ambo excuſſo timore intrepidi, ambo in veritatis prædicatione ſtabiles. Quidni? cùm eodem Spiritu eſſent repleti, à quo robur, & fortitudo? *Si iuſtum eſt*, inquiunt, *in conſpectu Dei:* Magnam poſtrema hæc verba vim continent. Qui ſpectatorem Deum habent, & habere ſe cogitant; qui Deum præ oculis tenent, iuſtè iudicant, atque ſincerè, nec iniquam ferre ſententiam poſſunt.

Si iuſtum eſt in conſpectu Dei. Elucet hîc ſumma horum Apoſtolorum modeſtia, ab omni iactantiâ immunis. Nimirum eos non extulerat miraculum, quod fecerant, ſed humiliores reddiderat. *Vide* (inquit Oecumenius) *quanta fuerit eorum, qui interrogabantur*, MODESTIA; NEQVE ENIM CVM FEROCITATE RESPONDENT: *ſiquidem præceptores erant, nec indignabantur, ſed miſerabantur eorum, idque intendebant, vt illos errore eximerent. Non enim aduersùs ipſos rixati ſunt: aut elati dono ſignorum à Deo per eos editorum, contumelioſè illis reſponderunt, ipſos aduersùs ſtimulum calcitrare dicentes; ſed primùm quidem aiunt obedientiam Deo promptiùs referendam eſſe, quàm hominibus: occultiùs ipſos accuſantes tanquam contemptores eorum, quæ propter illos peracta erant.*

Non enim poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.

ADeò in bono firmati erant, vt, quæ ad Ieſu Chriſti gloriam, & proximorum ſalutem erant, non tacere tantùm nollent, ſed nec poſſent, tanquam res in naturam verſa eſſet. Nimirum, vino cæleſti ebrij, ſe continere minimè valent, quin prædicationis verba effunderent. *Non poſſumus*, inquiunt: ſcilicet non poteſt, aut debet, quod iutè, licitéque quis præſtare non poteſt.

Non enim poſſumus: Nunquid non intentatæ illa minæ? *Comminemur eis*, inquiunt, *ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum.* Quibus verbis mortem Apoſtolis comminatos aliqui cenſent; tamen ipſi confidenter dicunt: *non poſſumus.* Non

terrentur

terrentur supplieiis Dei serui nec ab lis, quæ ad Dei gloriam spectant, mortis comminatione auocantur; potiùs excitantur, cùm singularis mercedis loco habeaot pro Deo ioiurias pati.

At illi comminantes dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos, propter populum.

882. DImirtunt Apostolos eorum fortitudine, & loquendi libertate victi: non alias io eos excogitant calumnias, adeò ionoceutes erant Apostoli; & populi gratiam tam plenè inierant, vt principes noua eis crimina affingere uon audereot. Felix conscientia! quam nec malignus carpere potest, licèt studeat.

Quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.

CLarificabant: Græcè, ἐδόξαζον τὸν Θεόν, *Glorificabant Deum.* Ita clarificabant id, quod acciderat, vt gloria iu Deum resiliret.

Dimissi autem venerunt ad suos: & annuntiauerunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent.

883. A Vinculis liberarl ad suos se conferuot hi duo Apostoli, eisque narrant qoæ ad eos à principibus sacerdotum, & seoioribus dicta. Quæri potest: cur eorum, quæ ipsi Apostoli dixerunt, hîc mentio uoo fit? An, ue viderentur soam fortitudinem, & magnanimitatem iactare, supprimont, quæ respouderiot? Hinc & de claudi curatione aliquid eos dixisse non legitur; uoo enim, qui Dei spiritu pleui erant, inani gloriâ extimulabantur. Magnorum virorum est, magna, multaqoè præstare, parua, & pauca referre; ne sibi aliquid tribuere videantur. Fors longior, pleniorque eorum sermo fuit, quem breuitatis causâ Lucas coutrahit.

Qui, cùm audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum.

REm, quæ aceiderat, uarrari audientes discipuli, *vnanimiter leuauerunt vocem suam:* Voo animo, vnâ voluntate; imo quasi vno ore eadem verba nou sine magno miraculo proferentes. Non lego in priocipum, & seniorum coorumeliam ora laxasse, nec de illatis Apostolia iniuriis fuisse conquestos: clamor iste aut Dei laudem præfert, ex magno affectu prodeuntem; aut signum est communem calamitatem deplorantium, noo quia Apostoli iuiuria afficerentur, sed quia Dei verbi prædicatiooi impedimentum à principibus sacerdotum, ac seuioribus obiiciebatur.

Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiduciâ loqui verbum tuum.

884. ELucet hîc orantium mansuetudo: pati non detrectant, nec mala imprecantur adoersariis. Minas respicere Deum quærunt, non quia eas timerent sui soliciti, sed quia cupiuot prædicationis impedimentum remoueri. Qui, diuinæ gloriæ studiosus, nullas minas timet, nullas iniurias, non

mortem iutentatam: hæc omnia magnæ mercedis haber loco.

Da seruis tuis cum omni fiduciâ loqui verbum tuum: Rectus horum verborum nexus, *seruis tuis, &, loqui verbum tuum:* vt statim doctor moneatur; se Dei seruum esse debere, vt Dei verbum loquatur. Ineptus prædicationi est, qui adeò Dei seruitute abest, vt non seruus Dei sit; sed, malis moribus, & vitæ impuritate, Dei hostis. *Loqui verbum tuum:* Omoia propter Deum pétuor, nihil ad suam gloriam. Animum imperterritum præferunt, summomqoe Diuini verbi prædicaodi desiderium.

Non petunt à periculis eximi, à prauorum hominoom violentiâ liberari; sed posse in mediis periculis loqui verbum Dei. Qui Dei Spiritu est plenos ooo fugit pati, quin potius patitor, cùm non patitur: quærit taorùm in periculis auxilium Dei, eamque loquendi libertatem, quâ ostendatur, quanta sit vis illa superi Spiritus, quæ suos contra omnia aduersa munit, aoimatque.

SECTIO III.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.

IN animis, sensibusque concordes illius primi æoi fideles erant, ac si omues vnum cor, vnamque animam habuisseot. Nec mirom, cùm omnes Dei voluntatem quærerent, non suam; ad Dei gloriam omnia dirigerent, oou ad suam: alioquin, si Deum omnes non respexissent, concordes inter se esse oon poterant. Hinc S. Augustinus verba hæc ita legit: *Multitudinis credentium erat illis anima vna, & cor vnum in Deum.* Vouin cor, vnaque omnium anima esse uon potest, nisi in Deum; à quo vera vnitas, vera concordia est. 885.

Cor vnum, animamqoe vnam fideles primi æui habuisse leguntur; nam omnia habuisse communia dicuntur. *Quia vt fieret* (verba sunt sancti Prosperi lib. 2. de Vitâ contemplat. cap. 17.) *& esset animorum* SANCTA CONIVNCTIO, *necessaria est facultatum iudicata communio:* ibi namqoe diuersitas animorum est, vbi aoimos didocunt opes.

Multitudinis cor vnom erat, erat auima vna: aberat animorum diuisio, qoia & rerum. *Vbi non erat diuersitas rerum*, sancti Petri Damiani verba sunt, *vigebat vnitas voluntatum. Nimirum*, VAT NON EST DIVISIO CENSVS, IN VNIONE CHARITATIS PLVRIMARVM MENTIVM CONFLATVR AFFECTVS. *Illic mens à mente diuiditur, vbi facultatum communio non tenetur, vbi possessionum diuersa proprietas, ibi mens possidentium non est vna.* Rerum diuisione mens diuiditur: scinduntur ferè facultatum partitiooe animi, qui io vnum coalescerent, si terrenarum rerum proprietas à fidelibus exularet.

884. Cor vnum, & anima vna erat multitudinis, vt iam, multi, non essent multi, sed vnum à rerum pereuntium affectu semoti. Nimirum vnus, multus fit, si multitudinem rerum amet: multi, vnus fiunt, si Deo soli hæreant, vnum Deum quærant. *Perit enim multiplicitas*, inquit sanctus Augustinus, *& singularitas tenetur in sanctis, de quibus dicitur in Actibus Apostolorum: multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum. Singulares ergo, & simplices, idest secreti à multitudine, ac turbâ nascentium rerum, ac morientium, amatores æternitatis, & vnitatis esse debemus; si vni Deo, & Domino nostro cupimus inhærere.*

Quid sit vnum cor habere, quid vnam animam sic explicat sanctus Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 1. *Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait: Erat eis cor vnum, & anima vna. Vnum quippè eis cor erat, QVIA PER INTENTIONAM RATIONIS, solum Conditorem aspexerant: vnam animam habebant, quia per affectionem amoris, solùm eius faciem videre desiderabant.*

Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

885. PRiùs dixerat vnius voluntatis fuisse fideles, omnino concordes, vt vna omnium anima esse videretur, vnum cor; nunc omnia illis fuisse communia asserit, nec quicquam proprium habuisse. Rectus nexus: vbi, *meum*, ac, *tuum*, auditur, pax vnitasque exulat: vbi concordia viget meum, tuumque exulare debent adeò, vt omnibus omnia communia sint. Verus ille, qui cecinit:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Verba hæc *meum*, ac, *tuum*, frigida dicuntur Beato Chrysostomo, circa quod epitherum nos ita lusimus, vt vera seriò diceremus:

FRIGIDA *dicantur verba ista, meumque,* TVVMQVE:
At lusu flammam maxima bella vomunt.

Et virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri.

886. ORdinem pende: præmiserat omnia illis fuisse communia, nec aliquid, tanquam suum, quemquam respexisse: ad prædicationis virturem, fructumque statim calamum flectit. Vbi enim à prædicatoribus, & ab auditoribus terrenarum rerum affectus abfuerit, sperari omne bonum potest, alioquin, vbi illorum, & istorum animos cupiditas inuaserit, prædicationis vis retunditur. Euangelicæ prædicationis ritè munus exercent; Iesu Christi resurrectionem facilè persuadēt Apostoli; auditores credunt. Nil mirum; cùm terrenorum neglectus præmittatur, Nimirum, *Illi dumtaxat apti sunt ad prædicationis officium, qui nullo terrenarum rerum affectu possidentur.* Propriis igitur renuntient lucris, qui animarum lucra, prædicationis munere, quærunt. Rem luculenter versat sanctus Petrus Damianus opusc. 24. cap. 6. *Qui*, inquit, *captus est amore pecuniæ, nequaquam idoneus est ad ministranda verba doctrinæ. Quod etiam in eo, quod superius proposuimus, Apostolico declaratur exemplo. Nam cùm Scriptura præmittat: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; moxque subiungit: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia, protinus addidit: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Deinde subinfert: Nec enim quisquam egens erat inter illos. Quid autem sibi vult, quod huius sacræ Scriptor historiæ dum de continentia loquitur Apostolica & communi vita, repente quasi materiam interrumpit: & ad enarrandam prædicationis constantiam tamquam mutato stylo prosilit; dicens: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis. Cur vni materiæ aliam interpolat, quis cœptam persequi, & continuare debuerat, nisi vt patenter ostendat, quia illi dumtaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum: & dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident? Nihil scilicet habentes, & omnia possidentes. Ij nimirum dum nullis terrenarum rerum præpediuntur obstaculis, expediti stant pro Dominicis castris in campo certaminis: & quia rebus exuti solis virtutum armis accincti, gladio spiritus aduersùs vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare ceruices.*

Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.

MAgna debetur verbi Dei prædicatoribus, & iustis reuerentia. Ad pedes Apostolorum, agrorum, ac domorum pretia fideles afferebant, In Apostolorum reuerentiam & honorem. Præterea, offerentium modestiam, & humilitatem ab omni fastu, ac iactantiâ alienam hæc res præsefert: absque arrogantiâ, ac fastu contemnendæ opes sunt. 887.

Ad pedes Apostolorum pretia ponunt; innuentes, calcandas diuitias esse: dextris pecunias tangere dedignantur Apostoli. Pulchrè Arator:

Volue quid esse putas, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris.
Destruus debere probant, quod tangere vitant;
CALCANDVMQVE DOCENT, *quod subdunt pedibus, aurum.*

Statua illa Nabucdonozor aurum in capite habuit, in pedibus terram: nil mirum, si, lapide in pedibus tacta, corruit, & tota confracta est; non abiisset in puluerem, si aurum habuisset in pedibus. Exitium timeat, qui aurum omnibus præfert & in capite gestans, aurum cogitans, auaritiæ studet. Qui sub pedibus aurum habet, firmus erit, nec facilè expositus ruinæ.

Præterea, notat hic ritus perfectam dominij translationem; nam & possessio, quasi pedum positio dicta est: ius ergo omne in Apostolos se transferre, ostendunt fideles, dum agrorum pretia ad eorum pedes collocant.

Aliquorum censio est, fideles, flexis in terram genibus, sua Apostolis obtulisse: quod humilitatem magnam præsefert, qua opes suas Apostolis offerebant. Nunc contra fit: pauperes inclinantur, & genua licèt flectant, vt eleemosynam obtineant, diuites misericordiæ affectu non flectuntur, vt eam largiantur.

Ad pedes Apostolorum: Pretia, quæ afferebantur,

tur, ad pedes Apostolorum ponebantur. Apostolorum est, virorumque Apostolicum spiritum habentium, opes oblatas ad pedes habere, habere in corde eos, qui opes offerunt. Nunc aliter accidit; plerique enim oblationes efferunt super caput; offerentes in neglectus signum ad pedes locant: animarum lucra paruipendunt; temporalia lucra multi æstimant.

Ad pedes Apostolorum: Apostolorum habitum ostendit qui opes ad pedes habet; opes calcatunus. Iudam refert, qui opes super caput habet, diuitias rebus cælestibus præfert: Ad pedes qui opes habet, in Dei obsequio rectè incedit: incedere non potest, qui ad pedes non habet, habet in corda, opum scilicet cupiditate. *Compedes diuitia sunt, nisi calcentur, locentur ad pedes, subque diuitiarum pedibus erit, qui diuitias sub pedibus non habet.*

Pretia possessionum, ad Apostolorum pedes posita, pretium fecere paupertati, diuitiis ademerunt. Maximè calebat Christi sanguis, cùm adeò diuitiarum amor frigesceret in fidelibus Christi. *In Actis Apostolorum*, verba sunt sancti Hieronymi, *quando Domini nostri adhuc calebat cruor, vendebant omnes, possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes; vt ostenderent*, PECVNIAS ESSE CALCANDAS. Nunc, quia Christi sanguis in nobis friguit, calet diuitiarum amor.

Diuitiarum amorem à suo corde proiecerant, qui ad Apostolorum pedes proiiciebant diuitias. Crediderim hac positione significasse reuerentiam qua Apostolos prosequebantur, tectéque indicasse; munera se potiùs accipere, quàm dare, cùm darent opes. Pulchrè sanctus Chrysostomus. *Non dicit, quòd in manus ipsorum proiiciebant, sed ad pedes ponebant, declarando simul fidem, pietatem, atque* REVERENTIAM, *quam habebant Apostolis: maioris enim ducebant, quòd ab eis reciperentur, quàm quòd darentur dona. Hoc enim potissimum est, contemnere opes.*

Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere.

ADdixit se Ioseph Apostolis: diues magnum latifundium vendidit, & pretium ad pedes Apostolorum attulit. *Barnabas*, idest, *filius consolationis*, cognominatus est: iure indeptus hoc nomen; quia, qui terrena spreuit, præsentia reiicit, verâ Spiritus sancti consolatione fruitur. Vel, *Filius consolationis*, dictus est ob Eleemosynam, quâ pauperes, quibus eius opes distributæ fuerunt, consolatus est. Aut etiam, quia, alios exemplo suo ad diuitiarum contemptum prouocans, Apostolos ingenti voluptate, ac consolatione affecit, non propter pecuniæ acquisitionem, longè ab hoc Apostuli fuere, & viri Apostolici esse debent; sed ob perfectionis viam, quam Barnabæ exemplo, qui omnia contempsit, inituri erant. Tandem, *consolationis filius*, dictus est Ioseph, quia ad consolandum aptissimus erat: consolabatur alios, sed simul consolatione afficiebatur. Iusti, dum voluptate pauperes, ac miseros afficiunt, afficiuntur & ipsi.

Porrò, *Ioseph*, &, Barnabas, rectè inter se cohæ- 888
rent: Ioseph, *accrescens*, interpretatur; *Barnabas, filius consolationis*: qui in spiritali profectu, & virtutibus crescit, consolatione, eâque inexplicabili, perfunditur. Ergo, vt *Barnabas* audias, ac *filius consolationis*, cura, vt Ioseph dici virtutum incremento possis.

Filius consolationis: Græcè, παρακλήσεως. Hæc vox, παράκλησις, &, *exhortationem* significat, & *consolationem*: Conueniunt hæ duæ notiones inter se; doctoris enim est, ita exhortari, vt etiam consoletur suos auditores: ita increpet, & arguat, vt etiam erigat, & alliciat.

Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

HVius vnius mentio hîc fit, tanquam illustris, & inter fideles primarij; & vt huius exemplo alij allicerentur, & grauitas sacrilegij Ananiæ, & Saphiræ appareret. Agrum vendidit, vt agri venditione pinguior, ac fertilior ager animæ redderetur, qui plerunque solet inter agrorum possessionem sterilescere. *Cùm haberet agrum vendidit*: meliùs habuit, cùm non habuit, sed vendidit: terrana meliùs possidentur cum Christi amore non possidentur. Vendidit agrum: plures ab agris suis venduntur, emuntur à suis agris, cùm, eorum cupiditate, sui esse desinunt.

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT V. ACT. APOST.

Vers. 1.

VIR autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ vxore suâ vendidit agrum,

Nomine Ananias. *S. Chrys. Ananias.*
Vendidit. *S. Chrys. Vendiderat.*
Agrum. *Syr. Fundum suum. S. Chrys. Possessionem suam.*

Et fraudauit. *Syr. Abstulit autem. S. Chrys. Seposuerat. Vat. Et sibi reseruauit. Pagn. Et fraudauerat. Ar. M. Et interuertit.*
De pretio a. *Syr. Ex pretio, abdiditque. S. Chrys. De pretio.*
Consciâ. *Pagn. Consciâ etiam.*
Vxore suâ. *S. Chrys. Vxore.*
Afferens. *Syr. Attulit. S. Chrys. Illatam. Caiet. Allatam.*

Vers. 2.

Et fraudauit de pretio agri, consciâ vxore suâ: &, afferens partem quandam,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

ad pedes Apostolorum posuit.

Quandam. *Syr. Pecunia. Pagn. Aliquam.*
Ad p. *Syr. Ante pedes.*
Posuit. *Syr. Deposuit.*

Vers. 3.

Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

Dixit a. P. *Syr. Cui dixit Simon.*
Cur tentauit. *Syr. Cur ita impleuit. S.Chrys. Quare impleuit. S. Greg. Nyss. Cur impleuit. Lucif. Vt quid repleuit. Ar. M. Propter quod impleuit.*
Mentiri te. *S.Greg.Nyss. Vt mentireris. S.Chrys. Vt mentireris tu. S.Epiph. Fraudare te.*
Spiritui s. *Syr. In Spiritum sanctitatis. S. Epiph. Spiritum sanctum. S.Aug. Apud Spiritum sanctum. Quidd. codd. Greg. In Spiritum sanctum.*
Fraudare *Syr. Interuerteres. S.Chrys. Seponeres. Lucif. Subtrahere. Vat. Fraudares.*
De pretio. *Syr. Ex pecuniâ pretij.*
Agri. *Syr. Fundi illius. Lucif. Pradij.*

Vers. 4.

Nónne manens tibi manebat, & venundatum erat in tuâ potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.

Manens tibi m. *Syr. Tuus erat priusquàm vendidisses. S.Chrys. Manens tibi mansisset. Oecum. Manens (non venditus) tibi mansit. Vat. Omnino tibi manebat. Pagn. Prorsùs tibi manebat.*
Venundatum. *Syr. Postquàm venundatus est. Lucif. Venditum.*
In tuâ e. p. *Syr. Rursùs tu potestatem habebas super pretium.*
Quare posuisti i. c. t. *Syr. Quid tibi venit in mentem. S.Chrys. Quid quod ponis in corde tuo. Lucif. Quid est quod posuisti in corde tuo. Vat. Quare induxisti in animum tuum.*
Hanc rem. *Syr. Vt exequereris hanc voluntatem.*
Es mentitus. *S.Epiph. Mentiti estis.*
Hominibus. *Syr. In homines. S.Epiph. Homini.*
Deo. *Syr. In Deum.*

Vers. 5.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt.

Audiens a. *Syr. Cúmque audisset.*
Hæc verba. *S. Chrys.* omittit. *Oecum. Hos sermones.*
Cecidit e. e. *Syr. Cecidit & mortuus est. Pagn. Collapsus expirauit.*
Et factus est. *Syr. Et incessit. S. Chrys. Factus est autem. Pagn. Et ortus est. Vat. Et ingruit.*
Timor m. *Syr. Pauor ingens. S.Chrys. Metus magnus.*
Super omnes. *Syr. Omnes. Vat. In omnes.*
Audierunt. *S. Chrys. Audierant hæc. Lucif. Audiebant.*

Vers. 6.

Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

Surgentes. *Syr. Surrexerunt.*
Iuuenes. *Syr. Hi, qui iuuenes erant inter eos. S. Chrys. Iuniores. Lucif. Adolescentes.*
Amouerunt. *Syr. Et collegerunt. Lucif. Sustulerunt. Ar. M. Corripuerunt.*
Et efferentes s. *Syr. Sepultúmque eduxerunt. S. Chrys. Elatumque sepelierunt. Lucif. Et euntes sepelierunt.*

Vers. 7.

Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiuit.

Factum e. *Syr. Et alij* omittunt.
Quasi horarum. t. s. *Syr. Tribus post horis. Pagn. Intercessit fermè horarum trium interuallum.*
Et vxor. *Vat. Cùm vxor quoque.*
Factum f. *Syr. Actum esset. Oecum. Acciderat.*
Introiuit. *Syr. Ingressa est. S.Chrys. Intrauit.*

Vers. 8.

Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier,

Dixit. *Vat. Respondit.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Dic mihi, mulier. *S.Chry.* omittit. *Pagn. Dic mihi.*
Si tanti. *Syr. Num his pretiis. S.Chrys. Num tanti.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

lier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

Agrum. *Syr. Fundum. Lucif. Pradium.*
Etiam tanti. *Syr. Etiam his pretiis.*

Vers. 9.

Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis, tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te.

Petrus. *Syr. Simon.*
Quid vtique. *Syr. Quoniam. S.Chrys. Cur.*
Conuenit vobis. *Syr. Æquales fuistis S.Chrys. Conspiratum est inter vos. Lucif. Conuenit inter vos. Caiet. Conuenistis vos.*
Tentare. *Syr. Ad tentandum. Pagn. Vt tentaretis.*
Domini *S.Chrys. Sanctum.*
Virum. *Syr. Maritum.*
Ad ostium. *Syr. Sunt pro foribus. S. Chrys. Ad ianuam. Lucif. In ostio sunt. Pagn. Ad ostium adsunt. Vat. In foribus.*
Efferent. *Syr. Ipsi efferent.*

Vers. 10.

Confestim cecidit ante pedes eius & expirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.

Confestim. *Syr. Et eo ipso momento.*
Ante pedes e. *Syr. Ad pedes eorum. Oecum. Ad pedes eius.*
Expirauit. *Syr. Mortua est.*
Intrantes. *S.Chrys. Ingressi.*
Iuuenes. *Syr. Iuuenes illi.*
Inuenerunt. *Syr. Nacti sunt. Pagn. Repererunt.*
Extulerunt. *Syr. Collectam in feretrum efferentes. S. Chrys. Elatam.*
Ad v. s. *Syr. Ad tumulum mariti sui. Goth. Iuxta virum suum. S.Chrys. Iuxta maritum suum.*

Vers. 11.

Et factus est timor magnus in vniuersâ Ecclesiâ; & in omnes, qui audierunt hæc.

Factus est. *Syr. Extitit. Vat. Ingruit. Al. Ortus est.*
Magnus. *Syr. Ingens.*
In vniuersâ. *Syr. In totâ. S. Chrys. Super totam. Pagn. Super vniuersam. Vat. In vniuersam.*
Ecclesia. *S. Chrys. Ecclesiam. Pagn. Congregationem.*
In omnes. *Syr. In omnibus. S.Chrys. Super omnes.*
Qui a. *S.Chrys. Qui audiebant. Ar. M. Audientes.*

Vers. 12.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.

Manus. *Syr. Manum.*
Fiebant. *Oecum. Edebantur.*
Prodigia. *Syr. Virtutes. Vat. Miracula.*
Multa. *Syr. Multa.*
Plebe. *Pagn. Populo.*
Erant. *Syr. Erant congregati.*
Vnanimiter. *Syr. Simul. Lucif. Vno animo.*

Vers. 13.

Cæterorum autem nemo audebat, se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

Cæterorum. *Syr. Ex aliis. S.Chrys. Aliorum.*
Nemo. *S.Chrys. Nullus.*
Se coniungere i. *S.Chrys. Adhærere illis. Lucif. Ad illos accedere. Ar.M. Coniungi.*
Populus. *Lucif. Plebs.*

Vers. 14.

Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum;

Magis autem. *Lucif. Magisque. Vat. Immo verò.*
Augebatur. *Syr. Accrescebant. S. Chrys. Apponebantur. Oecum. Accedebant. Lucif. Addebantur. Vat. Accrescebat.*
Credentium. *Syr. Hi, qui credebant. S.Chrys. Credentes.*
In Domino. *S.Chry.* omittit. *Pagn. Domino.*
Multitudo. *Syr. Cœtus. Oecum. Multitudo nempe. Ar.M. Multitudines.*
Virorum. *S.Chrys. Virorum simul.*

Vers. 15.

Ita vt in plateas eiicerẽt infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt, veniente

In plateas. *Oecum. Per plateas. Ar. M. Secundum plateas.*
Eiicerent. *Syr. Efferrent. S.Chrys. Exportarent.*
Infirmos. *Syr. Ægrotos.*
Ponerent. *Syr. Coniicerent.*

Vulgata Editio.

Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

Lectionum Varietas.

Lectulis ac grabatis. *Syr. Grabatis.*
Veniente Petro. *S.Chrys. Venientis Petri.*
Saltem vmbra. *S. Chrys. Vel vmbra. Ar. M. Etsi vmbra.*
Obumbraret. *Syr. Operiret.*
Quenquam. *S.Chrys. Aliquem. Oecum. Quempiam.*
Et liberarentur a. i. s. *Syr. Goth. & aly* omittunt. *Lucif. Et liberarentur ab infirmitate suâ.*

Vers. 16.

Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem offerentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Concurrebat. *Syr. Conueniebant ad eos. S. Chrys. Conueniebat.*
Multitudo. *Syr. Plurimi.*
Vicinarum c. *Syr. Ex vrbibus alijs adiacentibus. Ar. M. Earum, quæ circa ciuitatum.*
Afferentes. *S.Chrys. Afferens. Lucif. Portantes.*
Ægros. *S.Chrys. Infirmos.*
Et vexatos a. s. i. *Syr. Eosque in quibus essent spiritus immundi.*
Curabantur. *S.Chrys. Sanabantur.*

Vers. 17.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo.

Exurgens autem. *Syr. Proinde. S. Chrys. Surgens autem. Vat. Exortus autem.*
Princeps s. *Syr. Summus sacerdos.*
Omnes. *Syr. Cuncti.*
Cum eo e. *S.Chrys. Cum eo.*
Quæ est hæresis. *Syr. Quum essent ex doctrinâ. S. Chrys. Quæ est secta. Vat. Quæ est factio. Ar. M. Illa existens hæresis.*
Repleti sunt. *Syr. Replebatur. S. Chrys. Impleti sunt.*
Zelo. *S.Chrys. Æmulatione. Lucif. Inuidiâ.*

Vers. 18.

Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodiâ publicâ.

Manus. *Ar. M. Manus suas.*
In A. *Lucif. Apostolis.*
Et posuerunt e. *Syr. Prehensosque obuinxerunt. Vat. Dederuntque eos.*
In custodiâ p. *Syr. In carcere. Lucif. In custodiam. Vat. In custodiam publicam.*

Vers. 19.

Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit:

Angelus autem. *Syr. Tunc Angelus Pagn. Sed Angelus.*
Per noctem. *Syr. Noctu. Oecum. Nocte. Lucif.* omittit.
Aperiens I. *Syr. Reserauit fores. S. Chrys. Aperuit fores. Oecum. Aperuit ostia.*
Educens. *Syr. Eduxit.*

Vers. 20.

Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

Et stantes. *Syr. State.*
Loquimini in t. *Syr. In templo & loquimini.*
Plebi. *S. Chrys. Populo. Lucif.* omittit. *Vat. Ad populum.*

Vers. 21.

Qui, cùm audissent, intrauerunt diluculò in templum, & docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium &

Qui cùm a. *Syr. Exierunt igitur tempore matutino. S.Chrys. His autem auditis. Pagn. Illi verò cùm hæc audissent.*
Intrauerunt d. *Syr. Et introierunt. S.Chrys. Ingressi sunt sub ipsum diluculum. Lucif. Introierunt sub luce. Ar. M. Intrauerunt sub diluculum.*
Adueniens a. p. *Syr. Princeps autem. Vat. Cùm aduenisset autem princeps.*
Cum eo erant. *S.Chrys. Cum eo.*
Conuocauerunt c. *Syr. Aduocarunt socios suos.*
Omnes seniores. *Syr. Seniores. S. Chrys. Cœtum omnium seniorum. Oecum. Vniuersum senatum. Lucif. Omnem congregationem. Pagn. Vniuersum seniorum ordinem. Caiet. Ordinem seniorum. Ar. M. Omnem senatum. Al. Vniuersum ordinem.*

omnea

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omnes seniores filiorum Israël; & miserunt ad carcerem, vt adducerentur.

Filiorum I. *Syr. Israël.*
Ad carcerem. *Syr. In custodiam. Lucif. In carcerem.*
Vt adducerentur. *Syr. Qui adducerent Apostolos. Lucif. Vt adducerent.*

Vers. 22.

Cùm autem venissent ministri, &, aperto carcere, non inuenissent illos; reuersi nunciauerunt,

Cùm a. v. *Syr. Cúmque profecti essent. Oecum. Accedentes autem. Lucif. Venerunt autem.*
Ministri. *Syr. Ij, qui missi fuerant ab eis.*
Et aperto carcere. *Lucif. Et in carcere. Ar. M. In custodia.*
Non inuenissent. *Lucif. Non inuenerunt. Pagn. Nec reperissent.*
Reuersi. *Syr. Reuersi itaque. Ar. M. Reuersi autem.*
Nunciauerunt. *Syr. Venerunt. S. Chrys. Annunciauerunt. Vat. Nuncium attulerunt.*

Vers. 23.

Dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentiâ, & custodes stantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intùs inuenimus.

Cum omni d. *Syr. Cautè. S. Chrys. Cum omni integritate. Lucif. In omni diligentiâ. Ar. M. In omni securitate.*
Et custodes. *Syr. Atque adeo custodes.*
Stantes a. i. *Syr. Stantes pro foribus. S. Chrys. Ante fores. Oecum. Foris stantes. Lucif. Stantes in ianuâ. Pagn. Foris stantes ante ianuas.*
Aperientes a. *Syr. Et aperuimus. S. Chrys. Vt autem aperuimus. Oecum. Verùm aperuissemus. Pagn. Cùm aperuissemus.*
Neminem intùs. *Syr. At neminem illic.*
Inuenimus. *Pagn. Reperimus.*

Vers. 24.

Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi & principes sacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret.

Vt a. a. h. s. *Oecum. Cùm autem audissent.*
Magistratus t. & p. s. *Syr. Principes sacerdotum & praefecti templo. S. Chrys. Et princeps sacerdotum & dux militiae templi & primarij sacerdotes. Oecum. Et pontifex & dux templi principesque sacerdotum. Lucif. Princeps & Pontifex sacerdotum. Vat. Et sacerdos, & praefectus templi ac pontifices. Castr. Et summus sacerdos & dux templi & principes sacerdotum. Mar. Gubernator* vel: *Rector templi & principes sacerdotum.*
Ambigebant de i. *Syr. Obstupescebant super his. Lucif. Haesitabant de illis.*
Quidnam f. *Syr. Et cogitabant, quid hoc esset. Goth. Quidnam esset illud. S. Chrys. Quidnam hoc futurum esset. Oecum. Quidnam hoc factum esset. Lucif. Quid illud esset. Vat. Quidnam sibi vellet hoc. Ar. M. Quidnam fieret hoc.*

Vers. 25.

Adueniens autem quidam nunciauit eis: Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum.

Nunciauit. *Vat. Renunciauit.*
Quia ecce viri. *Syr. Viri illi.*
Posuistis. *Syr. Vinxeratis. S. Chrys. Posueratis.*
In carcerem. *Syr. In carcere. Lucif. In custodiâ.*

Vers. 26.

Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timebant enim populum, ne lapidarentur.

Abiit. *Syr. Abierunt. Ar. M. Abiens.*
Magistratus. *Syr. Praefecti. S. Chrys. Dux militiae. Lucif. Princeps. Vat. Praefectus. Pagn. Dux.*
Et adduxit. *Syr. Vt adducerent. Oecum. Ac duxit. Ar. M. Adduxit.*
Sine vi. *Lucif. Non cum vi.*

Vers. 27.

Et, cùm adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum,

Et cùm a. i. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Adducentes autem illos.*
Statuerunt in c. *Syr. Statuerunt coram totâ synagogâ. S. Chrys.* omittit. *Lucif. Statuerunt eos in concilio.*
Et interrogauit e. *Syr. Exorsus est autem eis.*
Princeps s. *Syr. Summus sacerdos. Lucif. Sacerdote*

Vulgata Editio.

Vers. 28.

Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: Et ecce repleſtis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.

Vers. 29.

Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Vers. 30.

Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.

Vers. 31.

Hunc Principem & ſaluatorem Deus exaltauit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum.

Vers. 32.

Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.

Vers. 33.

Hæc cùm audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos.

Vers. 34.

Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legiſdoctor, honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras ad breue homines fieri.

Vers. 35.

Dixitque ad illos: Viri Iſraëlitæ, atten-

Lectionum Varietas.

Dicens. *Syr. Dicere.*
Præcipiendo. *Syr. Nónne præcipiendo. S. Chryſ. Nónne etiam atque etiam. Lucif. Nónne denunciatione. Pagn. Nónne præcepto. Gagn. Nónne concepti verbis.*
Præcep. *Lucif. Denunciauimus. Gagn. Interdiximus.*
Ne doceretis. *Syr. Vt neminem doceretis.*
In nomine. *Vat. Sub nomine.*
Et ecce repleſtis. *Syr. Vos autem en repleuiſtis.*
Inducere ſuper nos. *S. Chryſ. Inducere. Vat. Intendere nobis. Ar. M. Superinducere ſuper nos. Gagn. Imputare nobis.*
Hominis. *Syr. Viri.*

Petrus. *Syr. Simon.*
Et Apoſtoli. *Syr. Cum Apoſtolis.*
Obedire. *S. Aug. Obtemperare. Lucif. Vtrum obedire.*
Magis, quàm. *Syr. Potiùs quàm. Lucif. An.*

Suſcitauit I. *Syr. Excitauit Ieſum illum.*
Interemiſtis. *Syr. Trucidaſtis.*
Suſpendentes. *Syr. Quum ſuſpendiſtis eum. Orig. Suſpenſum.*

Hunc. *Syr. Hunc ipſum excitauit.*
Saluatorem. *Syr. Viuificatorem S. Chryſ. Seruatorem.*
Exaltauit. *Syr. Et exaltauit eum.*

Teſtes. *S. Chryſ. Teſtu ei. Ar. M. Teſtu eius.*
Horum verborum. *Syr. Horum ſermonum. S. Chryſ. Eorum verborum, quæ dicimus. Pagn. Horum quæ dicimus.*
Et Spiritus ſ. *Syr. Et Spiritus ille ſanctitatis. S. Chryſ. Inſuper autem & Spiritus ſanctus. Caiet. Quin & Spiritus ſanctus.*
Omnibus o. ſ. *Syr. Iis, qui credunt in ipſo. S. Chryſ. Obedientibus ſibi. Al. Omnibus obaudientibus ipſum.*

Hæc. *Syr. Hoſque ſermones. S. Chryſ. Hac autem.*
Diſſecabantur. *Syr. Corripiebantur furore. Lucif. Tremebant. Ar. M. Furebant.*
Cogitabant. *Syr. Machinabantur. S. Chryſ. Conſultabant. Ar. M. Conſulebant.*
Interficere. *S. Chryſ. Vt interficerent. Lucif. Occidere. Ar. M. Tollere.*

Surgens. *Syr. Surrexerat.*
Quidam. *Syr. Vnus.*
In concilio. *Pagn. In conſilio.*
Phariſæus. *Syr. Ex Phariſæis.*
Honorabilis. *Syr. Et honoratus. S. Chryſ. In pretio habitus.*
Vniuerſæ p. *Syr. Ab vniuerſo populo. S. Chryſ. Apud totum populum. Vat. Apud vniuerſum populum. Ar. M. Omni populo.*
Ad breue. *Syr. Paulùlum temporis. Goth. Puſillum. S. Chryſ. Paulíſper. Ar. M. Breue quid.*
Homines f. *Syr. Vt illi abducerent Apoſtolos. Goth. Apoſtolos ſecedere. S. Chryſ. Vt ſecederent Apoſtoli. Caiet. Apoſtolos facere.*

Illos. *Oecum. Alios.*
Iſraëlitæ. *Syr. Filij Iſraël.*
Attendite v. *Syr. Attendite vobis ipſis. S. Chryſ. Proſpicite vobis.*

Vulgata Editio.

dite vobis, super hominibus istis quid acturi sitis:

Vers. 36.

Ante hos eoim dies extitit Theodas, diceos, se esse aliquem, cui consenfit oumerus virorum circiter quadriogeotorum: qui occisus est; & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

Vers. 37.

Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se: & ipse periit, & omoes, quotquot consenseruot ei, dispersi sunt.

Vers. 38.

Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sioite illos: quooiam, si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur:

Vers. 39.

Si verò ex Deo est, ooo poteritis dissoluere illud, oe fortè & Deo repugoare inueniamini. Coosenseruot autem illi.

Vers. 40.

Et conuoeantes Apostolos, cæsis denuociaueruot, oe omnino loquereotur io nomine Iesu; & dimiserunt eos.

Vers. 41.

Et illi quidem ibaot gaudentes à con-

Lectionum Varietas.

Super h. *Syr. Et de hominibus.*
Acturi sitis. *Syr. Vos oporteat facere. S. Chrys. Facturi sitis. Ar. M. Estis futuri agere.*

Aote hos. *Syr. Ante hoc. S. Chrys. Ante illos.*
Dies. *Syr. Tempus.*
Extitit. *Syr. Chrys. Surrexit.*
Dicens. *Syr. Dicens de se ipse.*
Se esse a. *Syr. Se esse quid eximij. Goth. Se esse aliquem magnum. S. Chrys. Se esse aliquem. Ar. M. Esse aliquem seipsum magnum. Mar. Ex. Gr. Se esse magnum.*
Cui consentit. *Syr. Et sequuti sunt eum. S. Chrys. Cui adhæsit. Ar. M. Cui aduocatus est.*
Numerus v. c. q. *Syr. Circiter quadringenti viri.*
Qui o. e. *Syr. Ipse autem interfectus est. S. Chrys. Et ille periit. Ar. M. Qui sublatus est.*
Omnes, qui. *Syr. Qui. Oecum. Omnes quotquot. Caiet. Omnes quicunque.*
Credebant ei. *Syr. Fuerant eum sequuti. Oecum. Ei adhærebant. Ar. M. Assensi sunt ei.*
Dissipati. *Syr. Fusi. Ar. M. Dissoluti.*
Redacti. *Ar. M. Facti. M.SS. Redactus est.*
Ad nihilum. *S. Chrys. In nihilum.*

Extitit. *S. Chrys. Surrexit.*
In diebus. *Syr. Quibus diebus.*
Professionis. *Syr. Descripti sunt quique in pecuniâ capitatim. Pagn. Descriptionis.*
Populum. *S. Chrys. Populum magnum. Caiet. Populum multum.*
Periit. *Syr. Mortuus est.*
Consenserunt ei. *Syr. Eum sequuti fuerant. S. Chrys. Paruerant ei. Ar. M. Assensi sunt ei.*

Et nunc i. *Oecum. Et de rebus præsentibus.*
Discedite. *Syr. Abstinete vos. Pagn. Abstinete. Ar. M. Absistite.*
Sioite. *Syr. Omittite.*
Consiliom h. *Syr. Hæc cogitatio.*
Dissoluetur. *Syr. Dissoluetur & cessabunt.*

Si verò. *S. Chrys. Sin autem.*
Non poteritis. *Syr. Non pertinet ad vos. S. Chrys. Non potestis.*
Dissoluere illud. *Syr. Manibus vestris illud compescere. Quid. Codd. Dissoluere eos.*
Ne fortè. *S. Chrys. Ne quo pacto. Oecum. Ne quando.*
Deo. *Syr. Contra Deum. S. Chrys. Et cum Deo vel: Aduersus Deum.*
Repugnate. *Syr. Insurgere. S. Chrys. Pugnare.*
Inueniamini. *Pagn. Reperiamini.*
Consueuerunt autem i. *Syr. Proinde acquieuerunt ei. S. Chrys. Persuasi autem sunt ab illo. Vat. Huic verè assensum est. Pagn. Paruerunt autem ei. Al. In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris.*

Conuocantes. *Syr. Ipsi aduocauerunt S. Chrys. Accersitos.*
Cæsis. *S. Chrys. Et flagellarunt eos. Ar. M. Cædentes.*
Denunciauerunt. *S. Chrys. Et præceperunt eis.*
Ne omnino. *Syr. Ne.*

Et illi quidem. *Syr. Et. Oecum. Illi itaque.*
Ibant. *Syr. Exierunt. S. Chrys. Recedebant.*
Conspectu. *S. Chrys. Facie.*

Vulgata Editio.

ſpectu concilij;quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Verſ. 42.

Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa domos docentes & Euangelizantes Chriſtum Ieſum.

Lectionum Varietas.

Concilij. *Syr. Eorum.*

Quoniam d.h.ſ. *Syr. Quippe qui digni habiti eſſent. Oecum. Quòd digni eſſent.*

Nomioe Ieſu. *Syr. Nomine. S. Chryſ. Nomine Chriſti. Pagn. Nomine eius.*

Contumeliam p. *Syr. Ignominiam pati. S. Chryſ. Ignominiâ notari. Pagn. Vt contumeliâ afficerentur.*

Omoi autem d. *S. Chryſ. Et quotidie.*

Citea domos. *S. Chryſ. In domibus ſingulis. Goth. Per domos. Vat. Domeſticatim. Ar. M. Circa domum.*

Docentes & e. *Syr. Docere & annunciare.*

Chtiſtum I. *Syr. De Domino noſtro Ieſu Chriſto. Goth. Dominum Ieſum Chriſtum. Pagn. Ieſum Chriſtum.*

CAPVT V.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Filiotum *cauſa plerunque ab Eleemoſyna eroganda coniuges abſtinent.* 889
Ioanis gloriæ *damna.* 890
Plerique occaſionem tentaodi *diabolo dant.* 890
Inanis gloriæ *ventus à corde excludendus.* 890
A deſidia *noſtrâ diabolus animos ſumit, vt nos inuadat.* 891
Ægrè auaritiæ *vitium tolli poteſt.* 891
Iunenis *vocabulum quid ſignificet.* 892
Vnius pœoâ, *multorum ſanantur vulnera.* 892
Aliena peccata *occultanda, non prodenda.* 893
Ad pœnitentiam *omnes alliciendi.* 894
Molierum *familiaritas vitanda.* 894. 895
Mulieres *ad confeſſionem & pœnitentiam leniter alliciendæ,* 895
Qui verbis *aut* exemplis *malum aliis perſuadet, diaboli munus exercet.* 896
Salutis oecaſio *cuilibet præbenda.* 897
Paucorum eaemplo *alij terrendi ne peccent.* 897
Tunc timete *debemus quum alij plectuntur,* 898
Petti *honor & reuerentia.* 899
Ægrè ſalutis viam *ineunt, qui ſuper alios ſunt diuitiiſque ſeruiunt ac faſtui.* 899

Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ vxore ſuâ, vendidit agrum.

889. ANANIAS Hebtaicè ſonat, *donum Domini,* aut, vt alij notanerunt, *paupertas Domini.* Nimirum, paupertas, Domino facta, eximium donum eſt. *Cum Saphira vxore ſuâ:* Mirum fuit, vttiuſque coniugis fuiſſe conſeoſum in agro alienando. Deetant fors illis liberi, quibus hæreditas relinqueoda eſſet: pletunque à bonis operibus, & Eleemoſynis erogandis coniuges abſtioent, nimis quàm par ſit ſolieiti, vt filij ditiores ſint. Sæpè falluntur: diuitiæ non tarò conſumuntur, & pereunt, quia minimè diſttibountur: &, licèt ditiores liberi relinquantur, at & peiores fiunt.

Saphira, Hebraicè idem, quod, *numerans:* Syrus, *pulchra,* vel *formoſa:* ægrè, quæ pulchra, diuitias pauperibus erogari patitur; augere, & ornare pulchritudinem ſuam ſtudet. Fors Saphira virum perſuaſit, vt de agri pretio fraudaret, & callidè ſurriperet, quod Deo vouerat, certè non legimus ſe huic fraudi oppoſuiſſe.

Et fraudauit de pretio agri, conſciâ vxore ſuâ: & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.

CVm nollent hi coniuges omnibus renuntiare quid eos impulit, vt perfectam reountiatiooem ſimolantes, omnia ſe ad Apoſtolorum pedes ſiſtere, ptæſeferrent? Impulit humanæ gloriæ, laudiſqoe cupiditas. Aoanias, quicqoid bonorum habebat, palam ſe Deo conſectate fingit, aliqua ſibi furtioè tetinens, vt hominum de ſe opinionem excitaret. Pende, quæ mala inanis glotiæ vitium inoehat, & in quæ ptæcipitia homines adigat. 890.

Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri.

STatim in Ananiam Petrus iooehitur, nec patitur tantum ſcelus abire inultum: *Cur tentauit,* inqoit, *ſatanas cor tuum?* Cur ita Petros Ananiam arguit? cùm teprehenſio in ſatanam teſiliat: peccatum non eſt tentari. Dicete poterat Ananias, tentauit me ſatanas, quia voluit: hoc eius officium eſt: tentatot à tentandi munete dieitur. Inſtè tamen Ananiam Petros reptehendit, quætens, cur eum diabolus tentauerit, ideſt tentatione vicetit: hîc enim verbum, *tentauit,* in actu completo ſumitur. Quòd ſi ſimpliciter, & in actoetiam inehoato ſumatur, adhuc reprehendendus erat Ananias; quia ſuâ cupiditate, & auatitiâ occaſionem diabolo dederat, vt eum ad furtom allieeret, ac vrgetet. Ita fit, vt, quòd diabolus tentet, non fraus tantum eius ſit, ſed deſidia ooſtra, & culpa.

Cur tentauit ſatanas. Codices pletique habent: *Cur impleuit ſatanas.* Impleuit vento inanis gloriæ, quo amiſit, qoicqnid habuetat. Humanæ gloriæ amote ſoa vendidit, vt ſe amiſerit & ſua. Aodiendus hîc Sanctus Baſilius orat. 17. de Humilit. *Integrum erat Anania, à principio poſſeſſionem ſuam Deo non promittere; ſed, poſtquàm* GLORIAM HV-

MANAM

MANAM SPECTANS, *eam ideo consecrauisset, vt ab hominibus suspiceretur*, &c.

891. *Cur tentauit satanas cor tuum?* Aliquis diceret, id à satenâ fuisse perquirendum: qois enim de satenæ mente in tentando, nisi ipsemet setanas, reddere rationem queat? At rectè sciscitatur Petrus, rectè ab Ananiâ inquirit: *Cur tentauit satanas cor tuum?* Nam à torpore, desidiâ, & ignauiâ nostrâ, vires, & animos satanas sumit, vt nos aggrediatur, & inuadat. Minùs nos timet, si nos illom timeamus; & ad tentandum prouocatur; dum torpemus.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.

VIm duræ illius reprehensionis ferre Ananias non potuit; conscientiæ morsus sentiens, ingentique timore correptus cecidit, & expirauit. Cur non priùs eum correxit Apostolus, priùs non emendauit? Satius erat mori in eo auaritiam, quàm ipsum tam repentinâ morte rapi: rapitur tamen, idque in Petri conspectu. Si Petri auctoritas hoc in Anania potuisset, morte non molestasset, sed emendasset: puniuit, quia emendare nequiuit. Scilicet, ægrè auaritiæ vitium ab eius mente auferri potest, qui hoc vitio corripitur, huic vitio obnoxius est. *In Anania Petrus*, ait sanctus Ambrosius, *si auaritiam potuisset corrigere, non puniisset; sed*, DVM ILLVM PVNIT, ALIOS CORRIGIT: vt eius exemplo è se terum terrenarum affectum excuterent, si quem haberent; non admitterent, qui non haberent. Quàm multos Ananias habuissemus si vnus punitus non fuisset.

892. Qui se Deo sacrauit, & in religiosas familias nomen dedit, consideret istuc, & expauescat, ita secum arguens: si morte ille dignus fuit, qui eos, quos vouerat nummos Deo, surripuit; quo supplicio in Dei iudicio dignus erit, qui non nummos, sed semetipsum Deo, cui se vouerat, & sacrarat, subtrahit?

Cecidit & expirauit Ananias, ac si Petri verbis, veluti quibusdam esset telis ictus. Sed cur tam durus Petrus, cùm & ipse peccauerit antea grauiùs Christi sui negatione? Mitis sæuities est, quâ vnius pœnâ multorum sanantur vulnera: quin occurritur, ne vitiis vulnerentur. Præclarè Cæsarius Dial. 5. *Quamobrem ergo tam enormiter lapsus est Petrus & veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ & Saphiræ, sed in vnâ horâ vtrosque occidit verbo? licèt nullus esset lapsus respectu illius abnegationis. Aurum absconderant proprium, non alienum. Vel etiam si alienum fuisset, non est par peccatum, priuatarum rerum parum quid abscondisse, & abnegasse Iesum. Non clementia est, primarij illius aduersùs semet erroris; sed præscia disciplina plurima mortalium sanantis vitia. Quandoquidem semel Deo dicatum aurum, sacrilegio vulneratus, alienauerat, interrogatúsque negauerat. Nec enim facultas concedendi scelus erat, non consentiente eum labiis corde.*

Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

APtè iuuenes funus extulisse feruntur, non solum quia, tanquam robustiores, huic muneri pares erant; sed vt iræ mortis, mortuum efferentes, recordarentur, cuius ferè ob virium, ætatisque vigorem obliuiscuntur. Syrus hunc locum ita extulit: *Illi, qui iuuenes erant inter illos.* Sed & iuuenes pro famulis aliquando vsurpari non dubium est. Claudianus ita canit.

Portatur Iuuenum ceruicibus aurea sedes.

Vbi, iuuenum vocabulo, famulos, ac seruos intelligere, multorum censio est.

Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius, nesciens quòd factum fuerat, introiuit.

893. HOrarum trium spatium vxori cur conceditur? An, vt pœnitentiæ tempus ei concederetur? Vir peccati dux fuerat: mulier excusationem aliquam merebatur. Aduenit vxor nesciens, quod factum fuerat: cur nullus mariti mortem vxori nuntiauit? Nemo præ timore ausus fuit: nullus id, quod acciderat, referre tentauit: adeò Petrum obseruabant, & reuerebantur.

Sed qui res adeò magna in vulgus sparsa non est, vt ad vxoris aures saltem trium horarum spatio perueneri? Tam cauti erant illius æui fideles, ne aliena crimina publicarent, & alienæ famæ notam inurerent; vt & à publicis factis narrandis abstinerent, in quibus alienum peccatum claudebatur. Omnes silent, ne cogerentur, Ananiæ mortem referentes, referre Ananiæ crimen, quo de pretio agri fraudauit. Quid hîc nostri æui fideles, qui tam facilè aliena crimina, non publica, sed occulta, in omnium aures exonerant, & in publicam lucem producunt?

In multorum frequentiâ acta res erat, quam tamen ad vxorem nullus detulit. Tantus timor omnes inuaserat, tanta Dei reuerentia omnes sepiebat. Præclarè rem versat Sanctus Theodorus Studita serm. 117. *Quin habeo*, inquit, *charissimi, quod accusem vos quoque. Quid ita? Scriptum est in Actis Apostolorum: Factum est quasi horarum trium spatium, & Saphira vxor ipsius nesciebat, quod factum fuerat. Certè in publico acta fabula est, & frequenti vulgi coronâ: sed erat indidem, nimirum* CIRCVNSPECTIO, MODESTIA, DEI REVERENTIA.

894. *Introiuit*: Non vocauit vxorem Petrus: ipsa suâ sponte introiuit, nullo inuitante, nullo vrgente. Expectabat Petrus, vt ipsa, dum vellet, ingrederetur, datâ illi potestate resipiscendi. Noluit tempus illi ad pœnitentiam concessum Petrus coercere, ne pœnitentiam impedire videretur. Non resipuit tamen mulier, sed impudenter ingressa est, vt ob id etiam culpam auxerit, non eluerit.

Respondit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

REspondit: Sed cur respondisse mulieri dicitur, cùm nihil eloquuta mulier dicatur? *Respondit*, inquit Caietanus, *salutanti mulieri.* Non eam resalutauit, & quia se indignam, meditato sacrilegio, exhibuerat, quæ à Petro resalutaretur; & vt pastoris daretur exemplum, mulierum familiaritatem vitandi. Cùm de mulieribus agitur, inurbanitas vrbana esse videtur, & quælibet rusticitas officiosa.

895. *Dic mihi mulier*: Mulieris nomen addidisset, sicuti viri superiùs addidit dicens: *Anania, cur tentauit satanas cor tuum.* Docet, cauendam esse omnem cum muliere familiaritatem adeò, vt tutum non sit mulierum efferre nomen. Quî tutum esse poterit solum cum solâ versari?

Dic

Dic mihi mulier : Virum non interrogauit Petrus, sed seuerè reprehendit, seueriùs puniuit. Cur nunc mulierem interrogat? An, vt ab eâ confessionem eliceret, & ad pœnitentiam vocaret? Mulieres suâ naturâ timidæ non terrendæ duris verbis sunt, sed ad confessionem leniter alliciendæ. Virum non interrogat, sed reprehendit, tanquam reum culpæ maioris, & propriæ sors vxoris seductorem: ab infirmiore fœminâ, ac minus reâ exigitur confessio.

Etiam tanti : Pretij, quod attulerat, Ananias quantitatem nominatim expresserat, de qua interrogat vxorem Petrus, num tanta esset, non quia nesciret, sed vt pœnitentiæ locus exhiberetur. Mentitur mulier, &, vt mariti assertionem affirmaret, animam suam mendacio maculauit. Nimius vxoris in virum affectus hos fructus parturit, hæc mala gignit.

Petrus autem ad eam: quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini?

896. ALiter increpat fœminam Petrus, ac virum increpauerit. Ad Ananiam dixit: *Cur tentauit satanas cor tuum?* Quæ verba mulierem arguens prætermisit; cur eidem crimini obnoxios eâdem reprehensione, eisdem verbis non premit? An satanas virum tentauit, non tentauit mulierem? Fors dæmonis partes vir egit, qui ad mali consensum vxorem traxit. Tentauit satanas Ananiam & per ipsum vxorem. Nimirum, qui verbis, aut exemplo malum aliis persuadet, diaboli munus obit, diabolus ferè fit.

Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit.

897. QVæ cecidit ante pedes Petri, iuxta Petri pedes stabat. Non casu id factum, sed in hoc quoque eius saluti, pudorique consultum. Iuxta Petrum cecidit, vt, si resipiscere vellet, ac crimen confiteri, posset, nec vereretur, alios, qui audirent.

Ananiam, & Saphiram repentino interitu puniuit Petrus. Non factum hoc ex sæuitiâ, & iracundiâ, sed ex misericordiâ. *Exemplo eorum noluit perire cæteros*, ait sanctus Ambrosius. Periissent, ni hoc exemplo fuissent admoniti.

Et factus est timor magnus in vniuersâ Ecclesiâ, & in omnes, qui audierunt hæc.

898. MVlti timent, nullus ingemiscit, nullus eiulat: Diuinum iudicium omnes venerantur, scientes, Deum non esse contemnendum. Coniuges delinquunt, & puniuntur: cæteros timor corripit. Scilicet tunc maximè timere debemus, cùm plecti alios videmus, ac si nos quoque eandem pœnam simus subituri. Qui sapit, ex alienis malis discat, sibi consulere.

Quæri hîc potest: an pretium, quod hi coniuges cum fraude obtulerunt, à Petro reiectum. Recipi munus non debuit, quod auaritia infecerat, & corruperat.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.

899. PEtri miracula Lucas narrauerat: ne quis cæterus Apostolorum præteriri putaret, quòd per illos nulla fierent; congruè adiecit per Apostolorum manus signa, & prodigia multa in plebe edita fuisse. Petri nomen ponitur: cæterorum, ob Petri honorem, tacetur.

Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe: Cur non dicit in principibus? Principes nec digni erant, nec dispositi: non credebant Christo, nisi pauci, vt Nicodemus, Gamaliel. Ægrè salutis viam ineunt, qui, cùm super alios sint, diuitiis seruiunt, & fastui.

SECTIO II.

Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.

OMnes, tum Apostoli, tum discipuli alij inferiores in porticu Salomonis vnanimiter erãt. 900.
Magna hæc Apostolorum laus; & eorum humilitatis, & modestiæ commendatio non exigua. Miraculorum magnitudo nihil Apostolos extulerat, vt cum aliis passim conuersari dedignarentur; nec gratiarum excellentia sensuum diuersitatem in eis gignebat: vno omnes animo erant, vnâ voluntate, vno sensu.

Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

OMnibus erant admirabiles Apostoli, summis eos efferebat laudibus populus: non efferebant se, non se iactabant, non miracula sua potiùs referebant: quidni à populo magnificentur? Verè magnus censeri, prædicarique debet, qui, cùm verè sit, tanquam huiusmodi se non iactat: fors, si in suâ laude effusi Apostoli fuissent, contractior exstitisset populus. Scilicet omnium laudem meretur, qui eam non quærit.

Itaus

Itaut in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

901. INsignis Petrus in signis, ac miraculis. Cuius admirationem in stuporem non vertat hoc, quod de salubri illius vmbrâ narratur? Quos Petri vmbra tangit, hos sanat: sed cur præcipuè istue vmbræ Petri tributum? An, vt intelligeremus, quantum vel sola Prælati, ac Pastoris vmbra subditis prosit? Vmbra Petri salubris est: vt verò vmbra quæque proprium, non alienum, corpus sequitur; ita superiorum, Præsulumque præsenti curâ, non vicariâ alterius, obumbrandi, ac tegendi, regendique subditi sunt; alioquin, tantum aberit, vt ab infirmitatibus, quibus corripiuntur curentur, vt nouas potiùs contrahant, nouis obsideantur. O, si hoc præsulum mentibus insideret, quàm studiosè cauerent, ne suos facilè desererent, & ab eorum præsentiâ se subducerent?

Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodiâ publicâ.

RVrsus in Apostolos manus iniiciunt nimis impudenter, nimia audacter. Superiùs in custodiâ positi leguntur; sed, *publica*, nominata minimè est; quod hic, vt vides, fit. Facilè adducor, vt credam, ante in priuatam custodiam fuisse coniectos, nunc in publicam, ob carcerum scilicet firmitatem, ne his fractis fugerent: publici, & ad hunc finem ædificati, firmiores, munitioresque esse solent. Præterea publicæ custodiæ adiiciuntur, vt publici malefactores haberentur. Græcè vocatur hoc loco, *τήρησις δημοσία, custodia popularis*. Nobiles in carcere secreto, atque adeò honoratiore ponebantur: Apostoli, tanquam ignobiles, in popularem carcerem ad maiorem contemptum truduntur; sed ignobilis carcer, dum iustos recipit, nobilis euasit.

902. Maligni isti persecutores in carcerem coniiciunt: cur non statim ad iudicium eos perducunt? An, vt timore carceris, facti pœnitentiam ab illis extorquerent, & à bono proposito auocarentur? Impij, quò minùs crudeles in iustos esse videntur, eò sæuiores sunt crudelioresque.

In custodiâ fuisse Apostolos habemus: quid in custodiâ gesserint, nescimus: quis illis animus, quæ occupatio fuerit ignoramus. Sed quis dubitet, orationi, diuinisque laudibus vacasse, ingenti lætitiâ refectos, singulari voluptate plenos? Iusti etiam carcerem vertunt in templum, vt improbi templum ipsum in carcerem commutant.

Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit.

IN pressuris, & aduersitatibus suos Deus non deserit; quin, quò magis desperatæ res videntur, eò illustrius se diuina prouidentia in tutorem auxilium prodit. Igitur, cùm in arcto res sitæ sunt, tunc maximè spe diuinâ pasci debemus, & pleniori fiduciâ inuocandus Deus.

903. Angelus Domini *per noctem* ianuas aperuit: cur non *per diem*? Vt clam, & sine strepitu id præstaret, neue ab hominibus videretur. Nimirum, qui nullo inanis gloriæ affectu tactus, nullâ humanæ laudis prurigine affectus aliis prodest, Angelum referre videtur: qui hominum laudes quærit, in die, cunctis videntibus, miseris opem fert; quod à malo Angelo est. Qui humanæ laudis lucem fugit, Angelum refert.

Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

POst carceris squalorem, ad prædicandum mittuntur ab Angelo: sed vbi se ad hnc munus parauerant; vbi, quid loquerentur, meditati fuerant? Carcer ipse scholæ locus esse potuit. Christianæ philosophiæ gymnasium tribulatio est. Qui pro Christo aduersa patitur, aliis, Christum prædicare, videtur discere.

A carcere liberati mittuntur ad prædicandum Apostoli: non alias delicias quærunt, post carceris molestias. Nimirum prædicandi munus, alioquin tam laboriosum, & illo tempore adeò periculosum, demandatur Apostolis; quia Christi amatoribus labor ille refrigerij loco, quo animas Christo lucrantur. 904.

Qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.

STatim Angelo obediunt Apostoli: non se excusant, nec imminentia obiiciunt discrimina: alienæ salutis quærendæ, & diuinæ gloriæ promouendæ ardor hæc eos cogitare non sinebat. Angelo parent, Angelo fermè pares: tam celeriter ad prædicationem se parant, vt non iuisse, sed aduolasse videantur.

Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Ierusalem doctrinâ vestrâ.

VIolati præcepti Apostolos princeps sacerdotum insimulat: sæpè, seriò, ac cóceptis verbis, vobis inhibuimus ne in hoc nomine plebem doceretis: vos autem doctrinâ vestrâ Ierusalem replestis; tam abfuit, vt à prædicatione abstineretis. Pende hic de carceris fugâ mentionem nullam fieri, fora ne id refricaret, quod in Apostolorum gloriam, honoremque erat. Inuidi non facilè narrant, quod in aliorum laudem resilit. 905.

Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

VIde eximiam Petri, cæterorumque Apostolorum modestiam. Poterant, edita à se miracula narrare, & ea principi sacerdotum obiicere, vt se à calumniâ vindicarent, & persequentium iniuriam ostenderent. Noluerunt, ne, dum se defendunt, sua inaniter iactare videantur: malunt tot iniurias pati, tot flagella, quàm inanis gloriæ vel leue indicium exhibere.

Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

AD conciliandam beneuolentiam eundem Deum, eosdem patres, communes sibi Iudæisque, 906.

884. Cor vnum, & anima vna erat multitudinis, vt iam, multi, non essent multi, sed vnum à rerum pereuntium affectu semoti. Nimirum vnus, multus fit, si multitudinem rerum amet: multi, vnus fiunt, si Deo soli hæreant, vnum Deum quærant. *Perit enim multiplicitas*, inquit sanctus Augustinus, *& singularitas tenetur in sanctis, de quibus dicitur in Actibus Apostolorum: multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum. Singulares ergo, & simplices, idest secreti à multitudine, ac turbâ nascentium rerum, ac morientium, amatores æternitatis, & vnitatis esse debemus; si vni Deo, & Domino nostro cupimus inhærere.*

Quid sit vnum cor habere, quid vnam animam sic explicat sanctus Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 1. *Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait: Erat eis cor vnum, & anima vna. Vnum quippè eis cor erat*, QVIA PER INTENTIONEM RATIONIS, *solum Conditorem aspexerant: vnam animam habebant, quia per affectionem amoris, solùm eius faciem videre desiderabant.*

Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

885. PRiùs dixerat vnius voluntatis fuisse fideles, omnino concordes, vt vna omnium anima esse videretur, vnum cor; nunc omnia illis fuisse communia asserit, nec quicquam proprium habuisse. Rectus nexus: vbi, *meum*, ac, *tuum*, auditur, pax vnitasque exulat: vbi concordia viget meum, tuumque exulare debent adeò, vt omnibus omnia communia sint. Verus ille, qui cecinit:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Verba hæc *meum*, ac, *tuum*, frigida dicuntur Beato Chrysostomo, circa quod epithetum nos ita lusimus, vt vera seriò diceremus:

FRIGIDA *dicantur verba ista, meumque*, TVVMQVE:
At luis flammam maxima bella vomunt.

Et virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri.

885. ORdinem pende: præmiserat omnia illis fuisse communia, nec aliquid, tanquam suum, quemquam respexisse: ad prædicationis virtutem, fructumque statim calamum flectit. Vbi enim à prædicatoribus, & ab auditoribus terrenarum rerum affectus abfuerit, sperari omne bonum potest, alioquin, vbi illorum, & istorum animos cupiditas inuaserit, prædicationis vis retunditur. Euangelicæ prædicationis ritè munus exercent, Iesu Christi resurrectionem facilè persuadent Apostoli; auditores credunt. Nil mirum; cùm terrenorum neglectus præmittatur. Nimirum, *Illi dumtaxat apti sunt ad prædicationis officium, qui nullo terrenarum rerum affectu possidentur.* Propriis igitur renuntient lucris, qui animarum lucra, prædicationis munere, quærunt. Rem luculenter versat sanctus Petrus Damianus opusc. 24. cap 6. *Qui*, inquit, *captus est amore pecuniæ, nequaquam idoneus est ad ministranda verba doctrinæ. Quod etiam in eo, quod superius proposuimus, Apostolico declaratur exemplo. Nam cùm Scriptura præmittat: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; moxque subiungit: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia, protinus addidit: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Deinde subinfert: Nec enim quisquam egens erat inter illos. Quid autem sibi vult, quod huius sacræ Scriptor historiæ dum de continentia loquitur Apostolica & communi vita, repente quasi materiam interrumpit: & ad enarrandam prædicationis constantiam tamquam mutato stylo prosilit; dicens: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis. Cur vni materiæ aliam interpolat, qui cœptam persequi, & continuare debuerat, nisi vt patenter ostendat, quia illi dumtaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum: & dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident? Nihil scilicet habentes, & omnia possidentes. Ij nimirum dum nullis terrenarum rerum præpediuntur obstaculis, expediti stant pro Dominicis castris in campo certaminis: & quia rebus exuti solis virtutum armis accincti, gladio spiritus aduersùs vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare ceruices.*

Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.

MAgna debetur verbi Dei prædicatoribus, & 887.
iustis reuerentia. Ad pedes Apostolorum, agrorum, ac domorum pretia fideles afferebant, In Apostolorum reuerentiam & honorem. Præterea, offerentium modestiam, & humilitatem ab omni fastu, ac iactantiâ alienam hæc res præsefert: absque arrogantiâ, ac fastu contemnendæ opes sunt.

Ad pedes Apostolorum pretia ponunt; Innuentes, calcandas diuitias esse: dextris pecunias tangere dedignantur Apostoli. Pulchrè Arator:

Volue quid esse putas, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris.
Destium debere probant, quod tangere vitant;
CALCANDVMQVE DOCENT, *quod subdunt pedibus, aurum.*

Statua illa Nabuchodonozor aurum in capite habuit, in pedibus terram: nil mirum, si, lapide in pedibus tacta, corruit, & tota confracta est; non abiisset in puluerem, si aurum habuisset in pedibus. Exitium timeat, qui aurum omnibus præfert & in capite gestans, aurum cogitans, auaritiæ studet. Qui sub pedibus aurum habet, firmus erit, nec facilè expositus ruinæ.

Præterea, notat hic ritus perfectam dominij translationem; nam & possessio, quasi pedum positio dicta est: ius ergo omne in Apostolos se transferre, ostendunt fideles, dum agrorum pretia ad eorum pedes collocant.

Aliquorum censio est, fideles, flexis in terram genibus, sua Apostolis obtulisse: quod humilitatem magnam præsefert, qua opes suas Apostolis offerebant. Nunc contra fit: pauperes inclinantur, & genua licèt flectant, vt eleemosynam obtineant, diuites misericordiæ affectu non flectuntur, vt eam largiantur.

Ad pedes Apostolorum: Pretia, quæ afferebantur,

tur, ad pedes Apostolorum ponebantur. Apostolorum est, virorumque Apostolicum spiritum habentium, opes oblatas ad pedes habere, habere in corde eos, qui opes offerunt. Nunc aliter accidit; plerique enim oblationes efferunt super caput, offerentes in neglectus signum ad pedes locant: animarum lucra paruipendunt; temporalia lucra multi æstimant.

Ad pedes Apostolorum: Apostolorum habitum ostendit qui opes ad pedes habet, opes calcatu-rus. Iudam refert, qui opes super caput habet, diuitias rebus cælestibus præfert: Ad pedes qui opes habet, in Dei obsequio rectè incedit: incedere non potest, qui ad pedes non habet, habet in corde, opum scilicet cupiditate. *Compedes diuitiæ sunt, nisi calcentur, locentur ad pedes, subque diuitiarum pedibus erit, qui diuitias sub pedibus non habet.*

Pretia possessionum, ad Apostolorum pedes posita, pretium fecere paupertati, diuitiis ademerunt. Maximè calebat Christi sanguis, cùm adeò diuitiarum amor frigesceret in fidelibus Christi. *In Actis Apostolorum*, verba sunt sancti Hieronymi, *quando Domini nostri adhuc calebat cruor, vendebant omnes, possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes; vt ostenderent*, PECVNIAS ESSE CALCANDAS. Nunc, quia Christi sanguis in nobis friget, calet diuitiarum amor.

Diuitiarum amorem à suo corde proiecerant, qui ad Apostolorum pedes proiiciebant diuitias. Crediderim hac positione significasse reuerentiam qua Apostolos prosequebantur, rectéque indicasse; munera se potiùs accipere, quàm dare, cùm darent opes. Pulchrè sanctus Chrysostomus. *Non dicit, quòd in manus ipsorum proiiciebant, sed ad pedes ponebant, declarando simul fidem, pietatem, atque* REVERENTIAM, *quam habebant Apostolis: maioris enim ducebant, quòd ab eis reciperentur, quàm quòd darentur dona. Hoc enim potissimum est, contemnere opes.*

Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere.

ADdixit se Ioseph Apostolis: diues magnum latifundium vendidit, & pretium ad pedes Apostolorum attulit. *Barnabas*, idest, *filius consolationis*, cognominatus est: iurè indeptus hoc nomen; quia, qui terrena spernit, præsentia reiicit, verâ Spiritus sancti consolatione fruitur. Vel, *Filius consolationis*, dictus est ob Eleemosynam, quâ pauperes, quibus eius opes distributæ fuerunt, consolatus est. Aut etiam, quia, alios exemplo suo ad diuitiarum contemptum prouocans, Apostolos ingenti voluptate, ac consolatione affecit, non propter pecuniæ acquisitionem, longè ab hoc Apostoli fuere, & viri Apostolici esse debent; sed ob perfectionis viam, quam Barnabæ exemplo, qui omnia contempsit, inituri erant. Tandem, *consolationis filius*, dictus est Ioseph, quia ad consolandum aptissimus erat: consolabatur alios, sed simul consolatione afficiebatur. Iusti, dum voluptate pauperes, ac miseros afficiunt, afficiuntur & ipsi.

Porrò, *Ioseph*, &, Barnabas, rectè inter se cohæ- 888.
rent: Ioseph, *accrescens*, interpretatur; *Barnabas, filius consolationis*: qui in spiritali profectu, & virtutibus crescit, consolatione, eâque inexplicabili, perfunditur. Ergo, vt *Barnabas* audias, ac *filius consolationis*, cura, vt Ioseph dici virtutum incremento possis.

Filius consolationis: Græcè, παρακλήσεως. Hæc vox, παράκλησις, &, *exhortationem* significat, & *consolationem*: Conueniunt hæ duæ notiones inter se; doctoria enim est, ita exhortari, vt etiam consoletur suos auditores: ita increpet, & arguat, vt etiam erigat, & alliciat.

Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

HVius vnius mentio hîc fit, tanquam illustris, & inter fideles primarij; & vt huius exemplo alij allicerentur, & grauitas sacrilegij Ananiæ, & Saphiræ appareret. Agrum vendidit, vt agri venditione pinguior, ac fertilior ager animæ redderetur, qui plerunque solet inter agrorum possessionem sterilescere. *Cùm haberet agrum vendidit*: meliùs habuit, cùm non habuit, sed vendidit: terrena meliùs possidentur cum Christi amore non possidentur. Vendidit agrum: plures ab agris suis venduntur, emuntur à suis agris, cùm, eorum cupiditate, sui esse desinunt.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT V. ACT. APOST.

Vers. 1.

VIR autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ vxore suâ vendidit agrum,

Nomine Ananias. *S. Chrys. Ananias.*
Vendidit. *S. Chrys. Vendiderat.*
Agrum. *Syr. Fundum suum. S. Chrys. Possessionem suam.*

Et fraudauit. *Syr. Abstulit autem. S. Chrys. Seposuerat. Vat. Et sibi reseruauit. Pagn. Et fraudauerat. Ar. M. Et interuertit.*
De pretio 2. *Syr. Ex pretio, abdiditque. S. Chrys. De pretio.*
Consciâ. *Pagn. Consciâ etiam.*
Vxore suâ. *S. Chrys. Vxore.*
Afferens. *Syr. Attulit. S. Chrys. Illatam. Caiet. Allatam.*

Vers. 2.

Et fraudauit de pretio agri, consciâ vxore suâ: &, afferens partem quandam,

Vulgara Editio.

ad pedes Apoſtolorum poſuit.

Lectionum Varietas.

Quandam. *Syr. Pecunia. Pagn. Aliquam.*
Ad p. *Syr. Ante pedes.*
Poſuit. *Syr. Depeſuit.*

Verſ. 3.

Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?

Dixit a. P. *Syr. Cui dixit Simon.*
Cur tentauit. *Syr. Cur ita impleuit. S.Chryſ. Quare impleuit. S. Greg. Nyſſ. Cur impleuit. Lucif. Vt quid repleuit. Ar. M. Propter quod impleuit.*
Mentiri te. *S.Greg.Nyſſ. Vt mentireris. S.Chryſ. Vt mentireris tu. S.Epiph. Fraudare te.*
Spiritui ſ. *Syr. In Spiritum ſanctitatis. S. Epiph. Spiritum ſanctum. S. Aug. Apud Spiritum ſanctum. Quidd. codd. Greg. In Spiritum ſanctum.*
Fraudare. *Syr. Interuerteres. S.Chryſ. Seponeres. Lucif. Subtrahere. Vat. Fraudares.*
De pretio. *Syr. Ex pecuniâ pretij.*
Agri. *Syr. Fundi illius. Lucif. Pradij.*

Verſ. 4.

Nónne manens tibi manebat, & venundatum erat in tuâ poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.

Manens tibi m. *Syr. Tuus erat priuſquàm vendidiſſes. S.Chryſ. Manens tibi manſiſſet. Oecum. Manens (non venditus) tibi manſit. Vat. Omnino tibi manebat. Pagn. Prorsùs tibi manebat.*
Venundatum. *Syr. Poſtquàm venundatus eſt. Lucif. Venditum.*
In tuâ e. p. *Syr. Rursùs tu poteſtatem habebas ſuper pretium.*
Quare poſuiſti i. c. t. *Syr. Quid tibi venit in mentem. S.Chryſ. Quid quod ponis in corde tuo. Lucif. Quid eſt quod poſuiſti in corde tuo. Vat. Quare induxiſti in animum tuum.*
Hanc rem. *Syr. Vt exequereris hanc voluntatem.*
Es mentitus. *S.Epiph. Mentiti eſtis.*
Hominibus. *Syr. In homines. S.Epiph. Homini.*
Deo. *Syr. In Deum.*

Verſ. 5.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes, qui audierunt.

Audiens a. *Syr. Cúmque audiſſet.*
Hæc verba. *S. Chryſ.* omittit. *Oecum. Hos ſermones.*
Cecidit e. e. *Syr. Cecidit & mortuus eſt. Pagn. Collapſus expirauit.*
Et factus eſt. *Syr. Et inceſſit. S. Chryſ. Factus eſt autem. Pagn. Et ortus eſt. Vat. Et ingruit.*
Timor m. *Syr. Pauor ingens. S.Chryſ. Metus magnus.*
Super omnes. *Syr. Omnes. Vat. In omnes.*
Audierunt. *S. Chryſ. Audierant hæc. Lucif. Audiebant.*

Verſ. 6.

Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt.

Surgentes. *Syr. Surrexerunt.*
Iuuenes. *Syr. Hi, qui iuuenes erant inter eos. S. Chryſ. Iuniores. Lucif. Adoleſcentes.*
Amouerunt. *Syr. Et collegerunt. Lucif. Suſtulerunt. Ar. M. Corripuerunt.*
Et efferentes ſ. *Syr. Sepultúmque eduxerunt. S. Chryſ. Elatumque ſepelierunt. Lucif. Et euntes ſepelierunt.*

Verſ. 7.

Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & vxor ipſius, neſciens quod factum fuerat, introiuit.

Factum e. *Syr. Et alij* omittunt.
Quaſi horarum. t. ſ. *Syr. Tribus poſt horis. Pagn. Interceſſit fermè horarum trium interuallum.*
Et vxor. *Vat. Cùm vxor quoque.*
Factum f. *Syr. Actum eſſet. Oecum. Acciderat.*
Introiuit. *Syr. Ingreſſa eſt. S.Chryſ. Intrauit.*

Verſ. 8.

Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier,

Dixit. *Vat. Reſpondit.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Dic mihi, mulier. *S.Chry.* omittit. *Pagn. Dic mihi.*
Si tanti. *Syr. Num his pretiis. S.Chryſ. Num tanti.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

lier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

Agrum. *Syr. Fundum. Lucif. Prædium.*
Etiam tanti. *Syr. Etiam his pretiis.*

Vers. 9.

Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis, tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te.

Petrus. *Syr. Simon.*
Quid vtique. *Syr. Quoniam. S.Chrys. Cur.*
Conuenit vobis. *Syr. Æquales fuistis S.Chrys. Conspiratum est inter vos. Lucif. Conuenit inter vos. Caiet. Conuenistis vos.*
Tentare. *Syr. Ad tentandum. Pagn. Vt tentaretis.*
Domini *S.Chrys. Sanctum.*
Virum. *Syr. Maritum.*
Ad ostium. *Syr. Sunt pro foribus. S. Chrys. Ad ianuam. Lucif. In ostio sunt. Pagn. Ad ostium adsunt. Vat. In foribus.*
Efferent. *Syr. Ipsi efferent.*

Vers. 10.

Confestim cecidit ante pedes eius & expirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.

Confestim. *Syr. Et eo ipso momento.*
Ante pedes e. *Syr. Ad pedes eorum. Oecum. Ad pedes eius.*
Expirauit. *Syr. Mortua est.*
Intrantes. *S.Chrys. Ingressi.*
Iuuenes. *Syr. Iuuenes illi.*
Inuenerunt. *Syr. Nacti sunt. Pagn. Repererunt.*
Extulerunt. *Syr. Collectam in feretrum efferentes. S. Chrys. Elatam.*
Ad v. s. *Syr. Ad tumulum mariti sui. Goth. Iuxta virum suum. S.Chrys. Iuxta maritum suum.*

Vers. 11.

Et factus est timor magnus in vniuersâ Ecclesiâ; & in omnes, qui audierunt hæc.

Factus est. *Syr. Extitit. Vat. Ingruit. Al. Ortus est.*
Magnus. *Syr. Ingens.*
In vniuersâ. *Syr. In totâ. S. Chrys. Super totam. Pagn. Super vniuersam. Vat. In vniuersam.*
Ecclesia. *S. Chrys. Ecclesiam. Pagn. Congregationem.*
In omnes. *Syr. In omnibus. S.Chrys. Super omnes.*
Qui a. *S.Chrys. Qui audiebant. Ar. M. Audientes.*

Vers. 12.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.

Manus. *Syr. Manum.*
Fiebant. *Oecum. Edebantur.*
Prodigia. *Syr. Virtutes. Vat. Miracula.*
Multa. *Syr. Multa.*
Plebe. *Pagn. Populo.*
Erant. *Syr. Erant congregati.*
Vnanimiter. *Syr. Simul. Lucif. Vno animo.*

Vers. 13.

Cæterorum autem nemo audebat, se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

Cæterorum. *Syr. Ex aliis. S.Chrys. Aliorum.*
Nemo. *S.Chrys. Nullus.*
Se coniungere i. *S.Chrys. Adhærere illis. Lucif. Ad illos accedere. Ar. M. Coniungi.*
Populus. *Lucif. Plebs.*

Vers. 14.

Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum;

Magis autem. *Lucif. Magisque. Vat. Immo verò.*
Augebatur. *Syr. Accrescebant. S. Chrys. Apponebantur. Oecum. Accedebant. Lucif. Addebantur. Vat. Accrescebat.*
Credentium. *Syr. Hi, qui credebant. S.Chrys. Credentes.*
In Domino. *S.Chry.* omittit. *Pagn. Domino.*
Multitudo. *Syr. Cœtus. Oecum. Multitudo nempe. Ar. M. Multitudines.*
Virorum. *S.Chrys. Virorum simul.*

Vers. 15.

Ita vt in plateas eiicerēt infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt, veniente

In plateas. *Oecum. Per plateas. Ar. M. Secundùm plateas.*
Eiicerent. *Syr. Efferrent. S.Chrys. Exportarent.*
Infirmos. *Syr. Ægrotos.*
Ponerent. *Syr. Coniicerent.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

Lectulis ac grabatis. *Syr. Grabatis.*
Venieote Petto. *S.Chrys. Veaientis Petri.*
Saltem vmbra. *S. Chrys. Vel vmbra. Ar. M. Etsi vmbra.*
Obombratet. *Syr. Operiret.*
Quenquam. *S.Chrys. Aliquem. Oecum. Quempiam.*
Et liberarentur a. i. s. *Syr. Goth. & aly* omittunt. *Lucif. Et liberareatar ab infirmitate suâ.*

Vers. 16.

Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem offerentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Concurrebat. *Syr. Conaeniebant ad eos. S. Chrys. Conueniebat.*
Moltitudo. *Syr. Plurimi.*
Vicioarum c. *Syr. Ex vrbibus aliis adiacentibus. Ar.M. Earum, quæ circa, ciaitatam.*
Affereotes. *S.Chrys. Afferens. Lucif. Portantes.*
Ægtos. *S.Chrys. Infirmos.*
Et vexatos a. s. i. *Syr. Eosque in qaibus essent spiritus immundi.*
Curabantut. *S.Chrys. Sanabantur.*

Vers. 17.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo.

Exurgens autem. *Syr. Proinde. S. Chrys. Surgens autem. Vat. Exortus autem.*
Prioceps s. *Syr. Summus sacerdos.*
Omnes. *Syr. Cuncti.*
Cum eo e. *S.Chrys. Cum eo.*
Quæ est hæresis. *Syr. Quum essent ex doctrinâ. S. Chrys. Quæ est secta. Vat. Quæ est factio. Ar.M. Illa existens hæresis.*
Repleti sunt. *Syr. Replebatur. S. Chrys. Impleti sunt.*
Zelo. *S.Chrys. Æmulatione. Lucif. Inaidiâ.*

Vers. 18.

Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodiâ publicâ.

Manus. *Ar.M. Manus suas.*
In A. *Lucif. Apostolis.*
Et posuetoot e. *Syr. Prehensosque obuinxerant. Vat. Dederuntque eos.*
In custodiâ p. *Syr. Ia carcere. Lucif. In custodiam. Vat. In custodiam pablicam.*

Vers. 19.

Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit:

Aogelus aotem. *Syr. Tunc Angelus Pagn. Sed Angelus.*
Per noctem. *Syr. Noctu. Oecum. Nocte. Lucif.* omittit.
Apetiens i. *Syr. Reserauit fores. S. Chrys. Aperuit fores. Oecum. Aperuit ostia.*
Educens *Syr. Eduxit.*

Vers. 20.

Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

Et stantes. *Syr. State.*
Loquimini in t. *Syr. In templo & loquimini.*
Plebi. *S. Chrys. Populo. Lucif.* omittit. *Vat. Ad populam.*

Vers. 21.

Qui, cùm audissent, intrauerunt diluculò in templum, & docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium &

Qui cùm a. *Syr. Exierunt igitur tempore matutino. S.Chrys. His autem auditis. Pagn. Illi verò cùm hæc audissent.*
Intrauerunt d. *Syr. Et introierunt. S.Chrys. Ingressi sunt sub ipsum dilaculum. Lucif. Iatroierant sub luce. Ar. M. Intrauerunt sub diluculum.*
Aduenieos a. p. *Syr. Princeps autem. Vat. Cùm aduenisset autem princeps.*
Com eo erant. *S. Chrys. Cum eo.*
Conoocauerunt e. *Syr. Adaocarunt socios suos.*
Omnes seniores. *Syr. Seniores. S. Chrys. Cœtum omnium seniorum. Oecum. Vniuersum senatum. Lucif. Omnem congregationem. Pagn. Vniuersum seniorum ordinem. Caiet. Ordinem seniorum. Ar. M. Omnem senatum. Al. Vniuersum ordinem.*

omnes

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

omnes ſeniores filiorum Iſraël; & miſerunt ad carcerem, vt adducerentur.

Filiorum I. *Syr. Iſraël.*
Ad carcerem. *Syr. In cuſtodiam. Lucif. In carcerem.*
Vt adducerentur. *Syr. Qui adducerent Apoſtolos. Lucif. Vt adducerent.*

Verſ. 22.

Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere, non inueniſſent illos; reuerſi nunciauerunt,

Cùm a. v. *Syr. Cúmque profecti eſſent. Oecum. Accedentes autem. Lucif. Venerunt autem.*
Miniſtri. *Syr. Ij, qui miſſi fuerant ab eis.*
Et aperto carcere. *Lucif. Et in carcere. Ar. M. In cuſtodia.*
Non inueniſſent. *Lucif. Non inuenerunt. Pagn. Nec reperiſſent.*
Reuerſi. *Syr. Reuerſi itaque. Ar. M. Reuerſi autem.*
Nunciauerunt. *Syr. Venerunt. S. Chryſ. Annunciauerunt. Vat. Nuncium attulerunt.*

Verſ. 23.

Dicentes: Carcerem quidem inuenimus clauſum cum omni diligentiâ, & cuſtodes ſtantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intùs inuenimus.

Cum omni d. *Syr. Cautè. S. Chryſ. Cum omni integritate. Lucif. In omni diligentiâ. Ar. M. In omni ſecuritate.*
Et cuſtodes. *Syr. Atque adeo cuſtodes.*
Stantes a. i. *Syr. Stantes pro foribus. S. Chryſ. Ante fores. Oecum Foris ſtantes. Lucif. Stantes in ianuâ. Pagn. Foris ſtantes ante ianuas.*
Aperientes a. *Syr. Et aperuimus. S. Chryſ. Vt autem aperuimus. Oecum. Verùm aperuiſſemus. Pagn. Cùm aperuiſſemus.*
Neminem intùs. *Syr. At neminem illic.*
Inuenimus. *Pagn. Reperimus.*

Verſ. 24.

Vt autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi & principes ſacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret.

Vt a. a. h. ſ. *Oecum. Cùm autem audiſſent.*
Magiſtratus t. & p. ſ. *Syr. Principes ſacerdotum & praefecti templo. S. Chryſ. Et princeps ſacerdotum & dux militiae templi & primarij ſacerdotes. Oecum. Et pontifex & dux templi principeſque ſacerdotum. Lucif. Princeps & Pontifex ſacerdotum. Vat. Et ſacerdos, & praefectus templi ac pontifices. Caiet. Et ſummus ſacerdos & dux templi & principes ſacerdotum. Mar. Gubernator* vel: *Rector templi & principes ſacerdotum.*
Ambigebant de i. *Syr. Obſtupeſcebant ſuper his. Lucif. Heſitabant de illis.*
Quidnam f. *Syr. Et cogitabant, quid hoc eſſet. Goth. Quidnam eſſet illud. S. Chryſ. Quidnam hoc futurum eſſet. Oecum. Quidnam hoc factum eſſet. Lucif. Quid illud eſſet. Vat. Quidnam ſibi vellet hoc. Ar. M. Quidnam fieret hoc.*

Verſ. 25.

Adueniens autem quidam nunciauit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes populum.

Nunciauit. *Vat. Renunciauit.*
Quia ecce viri. *Syr. Viri illi.*
Poſuiſtis. *Syr. Vinxeratis. S. Chryſ. Poſueratis.*
In carcerem. *Syr. In carcere. Lucif. In cuſtodiâ.*

Verſ. 26.

Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: timebant enim populum, ne lapidarentur.

Abiit. *Syr. Abierunt. Ar. M. Abiens.*
Magiſtratus. *Syr. Praefecti. S. Chryſ. Dux militiae. Lucif. Princeps. Vat. Praefectus. Pagn. Dux.*
Et adduxit. *Syr. Vt adducerent. Oecum. Ac duxit. Ar. M. Adduxit.*
Sine vi. *Lucif. Non cum vi.*

Verſ. 27.

Et, cùm adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps ſacerdotum,

Et cùm a. i. *S. Chryſ.* omittit. *Ar. M. Adducentes autem illos.*
Statuerunt in c. *Syr. Statuerunt coram totâ ſynagogâ. S. Chryſ.* omittit. *Lucif. Statuerunt eos in concilio.*
Et interrogauit e. *Syr. Exorſus eſt autem eis.*
Princeps ſ. *Syr. Summus ſacerdos. Lucif. Sacerdote*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 28.

Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: Et ecce repleſtis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.

Dicens. *Syr. Dicere.*
Præcipiendo. *Syr. Nónne præcipiendo. S. Chryſ. Nónne etiam atque etiam. Lucif. Nónne denunciatione. Pagn. Nónne præcepto. Gagn. Nónne conceptis verbis.*
Præcep. *Lucif. Denunciauimus. Gagn. Interdiximus.*
Ne doceretis. *Syr. Ve neminem doceretis.*
In oomioe. *Vat. Sub nomine.*
Et ecce repleſtis. *Syr. Vos autem en repleuiſtis.*
Inducere ſuper nos. *S. Chryſ. Inducere. Vat. Intendere nobis. Ar. M. Superinducere ſuper nos. Gagn. Imputare nobis.*
Hominis. *Syr. Viri.*

Vers. 29.

Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Petrus. *Syr. Simon.*
Et Apoſtoli. *Syr. Cum Apoſtolis.*
Obedire. *S. Aug. Obtemperare. Lucif. Verum obedire.*
Magis, quàm. *Syr. Potiùs quàm. Lucif. An.*

Vers. 30.

Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.

Suſcitauit I. *Syr. Excitauit Ieſum illum.*
Interemiſtis. *Syr. Trucidaſtis.*
Suſpendentes. *Syr. Quum ſuſpendiſtis eum. Orig. Suſpenſum.*

Vers. 31.

Hunc Principem & ſaluatorem Deus exaltauit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum.

Hunc. *Syr. Hunc ipſum excitauit.*
Saluatorem. *Syr. Viuificatorem. S. Chryſ. Seruatorem.*
Exaltauit. *Syr. Et exaltauit eum.*

Vers. 32.

Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.

Teſtes. *S. Chryſ. Teſtes ei. Ar. M. Teſtes eius.*
Horum verborum. *Syr. Horum ſermonum. S. Chryſ. Eorum verborum, quæ dicimus. Pagn. Horum quæ dicimus.*
Et Spiritus ſ. *Syr. Et Spiritus ille ſanctitatis. S. Chryſ. Inſuper autem & Spiritus ſanctus. Caiet. Quin & Spiritus ſanctus.*
Omnibus o. ſ. *Syr. Iis, qui credunt in ipſo. S. Chryſ. Obedientibus ſibi. Al. Omnibus obaudientibus ipſum.*

Vers. 33.

Hæc cùm audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos.

Hæc. *Syr. Hoſque ſermones. S. Chryſ. Hæc autem.*
Diſſecabantur. *Syr. Corripiebantur furore. Lucif. Tremebant. Ar. M. Furebant.*
Cogitabant. *Syr. Machinabantur. S. Chryſ. Conſultabant. Ar. M. Conſulebant.*
Interficere. *S. Chryſ. Vt interficerent. Lucif. Occidere. Ar. M. Tollere.*

Vers. 34.

Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legiſdoctor, honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras ad breue homines fieri.

Surgens. *Syr. Surrexerat.*
Quidam. *Syr. Vnus.*
In concilio. *Pagn. In conſilio.*
Phariſæus. *Syr. Ex Phariſæis.*
Honorabilis. *Syr. Et honoratus. S. Chryſ. In pretio habitus.*
Vniverſæ p. *Syr. Ab vniuerſo populo. S. Chryſ. Apud totum populum. Vat. Apud vniuerſum populum. Ar. M. Omni populo.*
Ad breue. *Syr. Paululum temporis. Goth. Puſillum. S. Chryſ. Pauliſper. Ar. M. Breue quid.*
Homines f. *Syr. Vt illi abducerent Apoſtolos. Goth. Apoſtolos ſecedere. S. Chryſ. Vt ſecederent Apoſtoli. Caiet. Apoſtolos facere.*

Vers. 35.

Dixitque ad illos: Viri Iſraëlitæ, atten-

Illos. *Oecum. Alios.*
Iſraëlitæ. *Syr. Filij Iſraël.*
Attendite v. *Syr. Attendite vobis ipſis. S. Chryſ. Proſpicite vobis.*

dite

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

dite vobis, super hominibus istis quid acturi sitis:.

Super h. *Syr. Et de hominibus.*
Acturi sitis. *Syr. Vos oporteat facere. S. Chrys. Facturi sitis. Ar. M. Estis futuri agere.*

Vers. 36.

Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens, se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

Ante hos. *Syr. Ante hoc. S. Chrys. Ante illos.*
Dies. *Syr. Tempus.*
Extitit. *Syr. Chrys. Surrexit.*
Dicens. *Syr. Dicens de se ipso.*
Se esse a. *Syr. Se esse quid eximij. Goth. Se esse aliquem magnum. S. Chrys. Se esse aliquem. Ar. M. Esse aliquem seipsum magnum. Mar. Ex. Gr. Se esse magnum.*
Cui consensit. *Syr. Et sequuti sunt eum. S. Chrys. Cui adhesit. Ar. M. Cui aduocatus est.*
Numerus v. c. q. *Syr. Circiter quadringenti viri.*
Qui o. e. *Syr. Ipse autem interfectus est. S. Chrys. Et ille periit. Ar. M. Qui sublatus est.*
Omnes, qui. *Syr. Qui. Oecum. Omnes quotquot. Caiet. Omnes quicunque.*
Credebant ei. *Syr. Fuerant eum sequuti. Oecum. Ei adhaerebant. Ar. M. Assensi sunt ei.*
Dissipati. *Syr. Fusi. Ar. M. Dissoluti.*
Redacti. *Ar. M. Facti. M.SS. Redactus est.*
Ad nihilum. *S. Chrys. In nihilum.*

Vers. 37.

Post hunc extitit Iudas Galilaeus in diebus professionis, & auertit populum post se: & ipse periit, & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.

Extitit. *S. Chrys. Surrexit.*
In diebus. *Syr. Quibus diebus.*
Professionis. *Syr. Descripti sunt quique in pecuniâ capitatim. Pagn. Descriptionis.*
Populum. *S. Chrys. Populum magnum. Caiet. Populum multum.*
Periit. *Syr. Mortuus est.*
Consenserunt ei. *Syr. Eum sequuti fuerant. S. Chrys. Paruerant ei. Ar. M. Assensi sunt ei.*

Vers. 38.

Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam, si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur:

Et nunc i. *Oecum. Et de rebus praesentibus.*
Discedite. *Syr. Abstinete vos. Pagn. Abstinete. Ar. M. Absistite.*
Sinite. *Syr. Omittite.*
Consilium h. *Syr. Haec cogitatio.*
Dissoluetur. *Syr. Dissoluetur & cessabunt.*

Vers. 39.

Si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne fortè & Deo repugnare inueniamini. Consenserunt autem illi.

Si verò. *S. Chrys. Sin autem.*
Non poteritis. *Syr. Non pertinet ad vos. S. Chrys. Non potestis.*
Dissoluere illud. *Syr. Manibus vestris illud compescere. Quid. Cedd. Dissoluere eos.*
Ne fortè. *S. Chrys. Neque pacto. Oecum. Ne quando.*
Deo. *Syr. Contra Deum. S. Chrys. Et cum Deo* vel: *Aduersus Deum.*
Repugnare. *Syr. Insurgere. S. Chrys. Pugnare.*
Inueniamini. *Pagn. Reperiamini.*
Consueuerunt autem i. *Syr. Proinde acquieuerunt ei. S. Chrys. Persuasi autem sunt ab ille. Vat. Huic verò assensum est. Pagn. Paruerunt autem ei. Al. In huius autem sententiam pedibus itum est à caeteris.*

Vers. 40.

Et conuocantes Apostolos, caesis denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu: & dimiserunt eos.

Conuocantes. *Syr. Ipsi aduocauerunt S. Chrys. Accersitos.*
Caesis. *S. Chrys. Et flagellarunt eos. Ar. M. Caedentes.*
Denunciauerunt. *S. Chrys. Et praeceperunt eis.*
Ne omnino. *Syr. Ne.*

Vers. 41.

Et illi quidem ibant gaudentes à con-

Et illi quidem. *Syr. Et. Oecum. Illi itaque.*
Ibant. *Syr. Exierunt. S. Chrys. Recedebant.*
Conspectu. *S. Chrys. Facie.*

spectu

Vulgata Editio.

ſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Verſ. 42.

Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa domos docentes & Euangelizantes Chriſtum Ieſum.

Lectionum Varietas.

Concilij. *Syr. Eorum.*

Quoniam d.h.ſ. *Syr. Quippe qui digni habiti eſſent. Oecum. Quòd digni eſſent.*

Nomine Ieſu. *Syr. Nomine. S. Chryſ. Nomine Chriſti. Pagn. Nomine eius.*

Contumeliam p. *Syr. Ignominiam pati. S. Chryſ. Ignominiâ notari. Pagn. Vt contumeliâ afficerentur.*

Omni autem d. *S. Chryſ. Et quotidie.*

Circa domos. *S. Chryſ. In domibus ſingulis. Goth. Per domos. Vat. Domeſticatim. Ar. M. Circa domum.*

Docentes & e. *Syr. Docere & annunciare.*

Chriſtum I. *Syr. De Domino noſtro Ieſu Chriſto. Goth. Dominum Ieſum Chriſtum. Pagn. Ieſum Chriſtum.*

CAPVT V.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Filiorum *cauſa plerunque ab Eleemoſyna eroganda coniuges abſtinent.* 889

Inanis gloriæ *damna.* 890

Plerique occaſionem tentandi *diabolo dant.* 890

Inanis gloriæ *ventus à corde excludendus.* 890

A deſidia *noſtrâ diabolus animos ſumit, vt nos inuadat.* 891

Ægrè auaritiæ *vitium tolli poteſt.* 891

Iuuenis *vocabulum quid ſignificet.* 892

Vnius pœnâ, *multorum ſanantur vulnera.* 892

Aliena peccata *occultanda, non prodenda.* 893

Ad pœnitentiam *omnes alliciendi.* 894

Mulierum *familiaritas vitanda.* 894. 895

Mulieres *ad confeſſionem & pœnitentiam leniter alliciendæ.* 895

Qui verbis *aut* exemplis *malum aliis perſuadet, diaboli munus exercet.* 896

Salutis occaſio *cuilibet prabenda.* 897

Paucorum exemplo *alij terrendi ne peccent.* 897

Tunc timere *debemus quum alij plectuntur,* 898

Petri *honor & reuerentia.* 899

Ægrè ſalutis viam *ineunt, qui ſuper alios ſunt diuitiiſque ſeruiunt ac faſtui.* 899

Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ vxore ſuá, vendidit agrum.

889. ANANIAS Hebraicè ſonat, *donum Domini,* aut, vt alij ootauerunt, *paupertas Domini.* Nimirum, paupertas, Domino ſacra, eximium donum eſt. *Cum Saphira vxore ſuâ:* Mirum fuit, vtriuſque coniugis fuiſſe conſenſum in agro alienando. Deerant fors illis liberi, quibus hæreditas relinquenda eſſet: plerunque à bonis operibus, & Eleemoſynis erogandis coniuges abſtinent, nimia quàm par ſit ſoliciti, vt filij ditiores ſint. Sæpè falluntur: diuitiæ non rarò conſumuntur, & pereunt, quia minimè diſtribuuntur: &, licèt ditiores liberi relinquantur, at & peiores fiunt.

Saphira, Hebraicè idem, quod, *numerans:* Syrus, *pulchra,* vel *formoſa:* ægrè, quæ pulchra, diuitias pauperibus erogari patitur: augere, & ornare pulchritudinem ſuam ſtudet. Fors Saphira virum perſuaſit, vt de agri pretio fraudaret, & callidè ſurriperet, quod Deo voverat, certè non legimus ſe huic fraudi oppoſuiſſe.

Et fraudauit de pretio agri, conſciâ vxore ſuâ: & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.

CVm nollent hi coniuges omnibus renunciare quid eos impulit, vt perfectam renuntiationem ſimulantes, omnia ſe ad Apoſtolorum pedes ſiſtere, præſeferrent? Impulit humanæ gloriæ, laudiſque cupiditas. Ananias, quicquid bonorum habebat, palam ſe Deo conſecrare fingit, aliqua ſibi furtiuè retinens, vt hominum de ſe opinionem excitaret. Pende, quæ mala inanis gloriæ vitium inuehat, & in quæ præcipitia homines adigat. 890.

Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri.

STatim in Ananiam Petrus inuehitur, nec patitur tantum ſcelus abire inultum: *Cur tentauit,* inquit, *ſatanas cor tuum?* Cur ita Petrus Ananiam arguit? cùm reprehenſio in ſatanam reſiliat: peccatum non eſt tentari. Dicere poterat Ananias, tentauit me ſatanas, quia voluit: hoc eius officium eſt: tentator à tentandi munere dicitur. Iuſtè tamen Ananiam Petrus reprehendit, quærens, cur eum diabolus tentauerit, id eſt tentatione vicerit: hîc enim verbum, *tentauit*, in actu completo ſumitur. Quòd ſi ſimpliciter, & in actu etiam inchoato ſumatur, adhuc reprehendendus erat Ananias; quia ſuâ cupiditate, & auaritiâ occaſionem diabolo dederat, vt eum ad furtum alliceret, ac vrgeret. Ita fit, vt, quòd diabolus tentet, non fraus tantum eius ſit, ſed deſidia noſtra, & culpa.

Cur tentauit ſatanas. Codices plerique habent: *Cur impleuit ſatanas.* Impleuit vento inanis gloriæ, quo amiſit, quicquid habuerat. Humanæ gloriæ amore ſua vendidit, vt ſe amiſerit & ſua. Audiendus hîc Sanctus Baſilius orat. 17. de Humilit. *Integrum erat Anania, à principio poſſeſſionem ſuam Deo non promittere; ſed, poſtquam* GLORIAM HV-

MANAM

MANAM SPECTANS; eam ideo confecrauisset, vt ab hominibus susticeretur, &c.

891. *Cur tentauit satanas cor tuum?* Aliquis diceret, id à satanâ fuisse perquirendum: quis enim de satanæ mente in tentando, nisi ipsemet satanas, reddere rationem queat? At rectè sciscitatur Petrus, rectè ab Ananiâ inquirit: *Cur tentauit satanas cor tuum?* Nam à torpore, desidiâ, & ignauiâ nostrâ, vires, & animos satanas sumit, vt nos aggrediatur, & inuadat. Minùs nos timet, si nos illum timeamus; & ad tentandum prouocatur, dum torpemus.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.

VIm duræ illius reprehensionis ferre Ananias non potuit; conscientiæ morsus sentiens, ingentique timore correptus cecidit, & expirauit. Cur non priùs eum correxit Apostolus, priùs non emendauit? Satius erat mori in eo auaritiam, quàm ipsum tam repentinâ morte rapi: rapitur tamen, idque in Petri conspectu. Si Petri auctoritas hoc in Anania potuisset, morte non mulctasset, sed emendasset: puniuit, quia emendare nequiuit. Scilicet, ægrè auaritiæ vitium ab eius mente auferri potest, qui hoc vitio corripitur, huic vitio obnoxius est. *In Anania Petrus*, ait sanctus Ambrosius, *si auaritiam potuisset corrigere, non puniisset; sed*, DUM ILLUM PUNIT, ALIOS CORRIGIT: vt eius exemplo à se rerum terrenarum affectum excuterent, si quem haberent; non admitterent, qui non haberent. Quàm multos Ananias habuissemus si vnus punitus non fuisset.

892. Qui se Deo sacrauit, & in religiosas familias nomen dedit, consideret istuc, & expauescat, ita secum arguens: si morte ille dignus fuit, qui eos, quos vouerat nummos Deo, surripuit; quo supplicio in Dei iudicio dignus erit, qui non nummos, sed semetipsum Deo, cui se vouerat, & sacrarat, subtrahit?

Cecidit & expirauit Ananias, ac si Petri verbis, veluti quibusdam esset telis ictus. Sed cur tam durus Petrus, cùm & ipse peccauerit anteà grauiùs Christi sui negatione? Mitis sæuiries est, quâ vnius pœnâ multorum sanantur vulnera: quin occurritur, ne vitiis vulnerentur. Præclarè Cæsarius Dial. 3. *Quamobrem ergo tam enormiter lapsus est Petrus & veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ & Saphiræ, sed in vnâ horâ vtrosque occidit verbo? licèt nullus esset lapsus respectu illius abnegationis. Aurum absconderant proprium, non alienum. Vel etiam si alienum fuisset, non est par peccatum, priuatarum rerum parum quid abscondisse, & abnegasse Iesum. Non clementia est, primarij illius aduersùs fontes erroris; sed præscia disciplina plurima mortalium sanantis vitia. Quandoquidem semel Deo dicatum aurum, sacrilegio vulneratum, alienauerat, interrogatúsque negauerat. Nec enim facultas concedendi scelus erat, non consentiente cum labiis corde.*

Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

APtè iuuenes funus extulisse efferuntur, non solum quia, tanquam robustiores, huic muneri pares erant; sed vt ira mortis, mortuum efferentes, recordarentur, cuius ferè ob virium, ætatísque vigorem obliuiscuntur. Syrus hunc locum ita exculit: *Illi, qui iuuenes erant inter illos.* Sed & iuuenes pro famulis aliquando vsurpari non dubium est. Claudianus ita canit.

Portatur Iuuenum ceruicibus aurea sedes.

Vbi, iuuenum vocabulo, famulos, ac seruos intelligere, multorum censio est.

Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius, nesciens quòd factum fuerat, introiuit.

HOrarum trium spatium vxori cur conceditur? An, vt pœnitentiæ tempus ei concederetur? Vir peccati dux fuerat; mulier excusationem aliquam merebatur. Aduenit vxor nesciens, quod factum fuerat: cur nullus mariti mortem vxori nuntiauit? Nemo præ timore ausus fuit: nollus id, quod acciderat, referre tentauit: adeò Petrum obseruabant, & reuerebantur. 893.

Sed qui res adeò magna in vulgus sparsa non est, vt ad vxoris aures saltem trium horarum spatio peruenerit? Tam cauti erant illius æui fideles, ne aliena crimina publicarent, & alienæ famæ notam inurerent; vt & à publicis factis narrandis abstinerent, in quibus alienum peccatum claudebatur. Omnes silent, ne cogerentur, Ananiæ mortem referentes, referre Ananiæ crimen, quo de pretio agri fraudauit. Quid hîc nostri æui fideles, qui tam facilè aliena crimina, non publica, sed occulta, in omnium aures exonerant, & in publicam lucem producunt?

In multorum frequentiâ acta res erat, quam tamen ad vxorem nullus detulit. Tantus timor omnes inuaserat, tanta Dei reuerentia omnes sepiebat. Præclarè rem versat Sanctus Theodorus Studita serm. 117. *Quin habeo*, inquit, *charissimi, quod accusem vos quoque. Quid ita? Scriptum est in Actis Apostolorum: Factum est quasi horarum trium spatium, & Saphira vxor ipsius nesciebat, quod factum fuerat. Certè in publico acta fabula est, & frequenti vulgi coronâ: sed erat indidem, nimirum* CIRCUNSPECTIO, MODESTIA, DEI REVERENTIA.

Introiuit: Non vocauit vxorem Petrus: ipsa suâ sponte introiuit, nullo inuitante, nullo vrgente. Expectabat Petrus, vt ipsa, dum vellet, ingrederetur, datâ illi potestate resipiscendi. Noluit tempus illi ad pœnitentiam concessum Petrus coercere, ne pœnitentiam impedire videretur. Non resipuit tamen mulier, sed impudenter ingressa est, vt ob id etiam culpam auxerit, non eluerit. 894.

Respondit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

REspondit: Sed cur respondisse mulieri dicitur, cùm nihil eloquuta mulier dicatur? *Respondit*, inquit Caietanus, *salutanti mulieri.* Non eam resalutauit, & quia se indignam, meditato sacrilegio, exhibuerat, quæ à Petro resalutaretur; & vt pastoris daretur exemplum, mulierem familiaritatem vitandi. Cùm de mulieribus agitur, inurbanitas vrbana esse videtur, & quælibet rusticitas officiosa.

Dic mihi mulier: Mulieris nomen addidisset, sicuti viri superiùs addidit dicens: *Anania, cur tentauit satanas cor tuum.* Docet, cauendam esse omnem cum muliere familiaritatem adeò, vt tutum non sit mulierem efferre nomen. Quî tutum esse poterit solum cum solâ versari? 895.

Dic

Dic mihi mulier: Virum non interrogauit Petrus, sed seuerè reprehendit, seueriùs puniuit. Cur nunc mulierem interrogat? An, vt ab eâ confessionem eliceret, & ad pœnitentiam vocaret? Mulieres suâ naturâ timidæ non terrendæ duris verbis sunt, sed ad confessionem leniter alliciendæ. Virum non interrogat, sed reprehendit, tanquam reum culpæ maioris, & propriæ fors vxoris seductorem: ab infirmiore fœminâ, ac minus reâ exigitur confessio.

Etiam tanti: Pretij, quod attulerat, Ananias quantitatem nominatim expresserat, de qua interrogat vxorem Petrus, num tanta esset, non quia nesciret, sed vt pœnitentiæ locus exhiberetur. Mentitur mulier, &, vt mariti assertionem affirmaret, animam suam mendacio maculauit. Nimius vxoris in virum affectus hos fructus parturit, hæc mala gignit.

Petrus autem ad eam: quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini?

896. ALiter increpat fœminam Petrus, ac virum increpauerit. Ad Ananiam dixit: *Cur tentauit satanas cor tuum?* Quæ verba mulierem arguens prætermisit; cur eidem crimini obnoxios eâdem reprehensione, eisdem verbis non premit? An satanas virum tentauit, non tentauit mulierem? Fors dæmonis partes vir egit, qui ad mali consensum vxorem traxit. Tentauit satanas Ananiam & per ipsum vxorem. Nimirum, qui verbis, aut exemplo malum aliis persuadet, diaboli munus obit, diabolus ferè fit.

Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit.

897. QVæ cecidit ante pedes Petri, iuxta Petri pedes stabat. Non casu id factum, sed in hoc quoque eius saluti, pudorique consultum. Iuxta Petrum cecidit, vt, si resipiscere vellet, ac crimen confiteri, posset, nec vereretur, alios, qui audirent.

Ananiam, & Saphiram repentino interitu punit Petrus. Non factum hoc ex sæuitiâ, & iracundiâ, sed ex misericordiâ. *Exemplo eorum noluit perire cæteros*, ait sanctus Ambrosius. Periissent, ni hoc exemplo fuissent admoniti.

Et factus est timor magnus in vniuersâ Ecclesiâ, & in omnes, qui audierunt hæc.

898. MVlti timent, nullus ingemiscit, nullus eiulat: Diuinum iudicium omnes venerantur, scientes, Deum non esse contemnendum. Coniuges delinquunt, & puniuntur: cæteros timor corripit. Scilicet tunc maximè timere debemus, cùm plecti alios videmus, ac si nos quoque eandem pœnam simus subituri. Qui sapit, ex alienis malis discat, sibi consulere.

Quæri hîc potest: an pretium, quod hi coniuges cum fraude obtulerunt, à Petro reiectum. Recipi munus non debuit, quod auaritia infecerat, & corruperat.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.

899. PEtri miracula Lucas narrauerat: ne quis cæterus Apostolorum prætermitti putaret, quòd per illos nulla fierent; congruè adiecit per Apostolorum manus signa, & prodigia multa in plebe edita fuisse. Petri nomen ponitur: cæterorum, ob Petri honorem, tacetur.

Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe: Cur non dicit in principibus? Principes nec digni erant, nec dispositi: non credebant Christo, nisi pauci, vt Nicodemus, Gamaliel. Ægrè salutis viam ineunt, qui, cùm super alios sint, diuitiis seruiunt, & fastui.

SECTIO II.

Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.

OMnes, tum Apostoli, tum discipuli alij inferiores in porticu Salomonis vnanimiter erãt. 900.
Magna hæc Apostolorum laus; & eorum humilitatis, & modestiæ commendatio non exigua. Miraculorum magnitudo nihil Apostolos extulerat, vt cum aliis passim conuersari dedignarentur; nec gratiarum excellentia sensuum diuersitatem in eis gignebat: vno omnes animo erant, vnâ voluntate, vno sensu.

Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

OMnibus erant admirabiles Apostoli, summis eos efferebat laudibus populus: non efferebant se, non se iactabant, non miracula sua putidè referebant: quidni à populo magnificentur? Verè magnus censeri, prædicarique debet, qui, cùm verè sit, tanquam huiusmodi se non iactat: fors, si in suâ laude effusi Apostoli fuissent, contractior exstitisset populus. Scilicet omnium laudem meretur, qui eam non quærit.

Itaus

Itaut in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

901. INsignis Petrus in signis, ac miraculis. Cuius admiratioonem in stuporem oon vertat boc, quod de salubri illius vmbrâ oarratur? Quos Petri vmbra tangit, hos sanat: sed cur præcipuè istue vmbræ Petri tributum? An, vt intelligeremus, quaotum vel sola Prælati, ac Pastoris vmbra subditis prosit? Vmbra Petri salubris est: vt verò vmbra quæque proprium, noo alienum, corpus sequitot; ita superiorum, Præsulumque præsenti curâ, non vicariâ alterius, obumbrandi, ac regendi, regendique subditi suot; alioquin, taotum aberit, vt ab infirmitatibus, quibus corripiuotur curentur, vt nouas potiùs cootrahant, nouis obsideaotur. O, si boc præsulum menribus insideret, quàm studiosè cauerent, oe suos facilè desererent, & ab eorum præsentiâ se subduceteot?

Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodiâ publicâ.

RVrsus in Apostolos manos ioiiciunt nimis impudenter, oimis audacter. Superiùs io custodiâ positi leguntur; sed, *publica*, nominata minimè est; quod hic, vt vides, fit. Facilè adducor, vt credam, ante in priuatam costodiam fuisse coniectos; nunc in publicam, ob carcerum scilicet firmitatem, oe his fractis fugerent: publici, & ad hunc finem ædificati, firmiores, monitioresque esse solent. Præterea publicæ custodiæ adiiciuotur, vt publici malefactores habereotur. Græcè vocatur hoc loco, τήρησις δημοσία, *custodia popularis*. Nobiles io carcere secreto, atqoe adeò booorabiote ponebaotur: Apostoli, tanquam ignobiles, io popularem carcerem ad maiorem contemptum trudun-tut; sed ignobilis carcer, dum iustos retiouit, nobilis euasit.

902. Maligni isti persecutores in carcerem coniiciunt: cur noo statim ad iodicium eos perducunt? An, vt timore carceris, facti pœniteotiam ab illis extorqoereot, & à bono proposito auocareotur? Impij, qoò minùs crudeles io iustos esse videotur, eò sæuiores fuot erudelioresque.

In custodiâ fuisse Apostolos habemus: quid in custodiâ gesseriot, nescimus: quis illis animus, quæ occupatio fuerit igooramus. Sed quis dubitet, orationi, dioinisque laudibus vacasse, ingenti lætitiâ refectos, singulari voluptate plenos? Iusti etiam carcerem vertunt io templum, vt improbi templum ipsum io carcerem commutant.

Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit.

IN pressuris, & aduersitatibus suos Deus noo deserit; quin, quò magis desperatæ res videntur, eò illustrius se diuina prooideotia in iustorom auxilium prodit. Igitor, cùm in arcto tes sitæ sunt, tunc maximè spe diuinâ pasci debemus, & pleoiori fiduciâ iooocandus Deus.

903. Angelus Domini *per noctem* ianuas aperuit: cur noo *per diem*? Vt clam, & sine strepitu id præstaret, neue ab hominibus videretur. Nimirum, qoi oollo inanis gloriæ affectu tactus, nullâ humanæ laudis prurigine affectus aliis prodest, Angelum referre videtur: qui hominum laudes quærit, io die, cuoctis videntibus, miseris opem fert; quod à malo Angelo est. Qui humanæ laudis lucem fugit, Angelum refert.

Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

POst carceris squalorem, ad prædicandum mittuntur ab Angelo: sed vbi se ad hoc munus paraueraot; vbi, quid loqoerentur, meditati fuerant? Carcer ipse scholæ locus esse potuit. Christianæ philosophiæ gyonasium tribulatio est. Qui pro Christo aduersa patitur, aliis, Christum prædicare, videtur discere.

A carcere liberati mittuntur ad prædicandum Apostoli: oon alias delicias quærunt, post carceris molestias. Nimirum prædicandi monus, alioquio tam laboriosuo, & illo tempore adeò periculosum, demandatur Apostolis; quia Christi amatoribus labor ille refrigerij loco, quo aoimas Christo lucrantur. 904.

Qui cùm audissent, intrauerunt diluculò in templum, & docebant.

STatim Angelo obediuot Apostoli: non se excusant, oec immineotia obiiciunt discrimioa: alienæ salutis quæreodæ, & dioinæ gloriæ promouendæ ardor hæc eos cogitare ooo sinebat. Angelo pareot, Angelo fermè pares: tam celeriter ad prædicatiooem se paraot, vt oon iuisse, sed aduolasse videaotur.

Præcipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Ierusalem doctrinâ vestrâ.

VIolati præcepti Apostolos princeps sacerdotum insimulat: sæpè, seriò, ac cóceptis verbis; vobis inhibuimus oe io hoc nomioe plebem doceretis: vos autem doctrinâ vestrâ Ierusalem replestis; tam absuit, vt à prædiestione abstioeretis. Pende bic de carceris fugâ mentionem oollam fieri, fors ne id refricaret, quod io Apostolorum gloriam, honoremqoe erat. Inoidi ooo facilè oarraot, quod io aliorum laudem resilit. 905.

Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

VIde eximiam Petri, cæterorumque Apostolorum modestiam. Poterant, edita à se miracula narrare, & ea principi sacerdotum obiicere, vt se à calumniâ vindicarent, & persequentium iniuriam osteoderent. Noluerunt, oe, dum se defendunt, sua inaoiter iactare videantor: maluot tot iniurias pati, tot flagella, quàm inanis gloriæ vel leue indicium exhibere.

Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

AD cooiliandam beneuolentiam eundem Deum, eosdem patres, communes fibi Iudæisque, 906.

que, fatenrut Apoſtoli, ne eos contemnere videcentnt. Ita increpandus peccator eſt, vt ſuæ dignitatis memoriâ ſibi ipſi vileſcere deſinat, & ad meliorem, ſublimioremque vitam traducatur, qui in imo, & vitiorum ſterquilinio iacet.

Hunc Principem & ſaluatorem Deus exaltauit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſsionem peccatorum.

OPportunè remiſſionis peccatorum mentio fit, cùm Iudæi nouum facinus ſint moliti, & iniuſtè contra Apoſtolos ſæuiant. Nimirum, iniuriarum obliti, remiſſionis indulgentiam eis, ſi reſipiſcant, patere ſignificant: adeò a vindictæ aberant affectu.

Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concily; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

COntumeliæ, ac flagella, quæ triſtitiæ, mœto-
907. riſque occaſionem præbere ſolent, præbent Apoſtolis lætitiæ cauſam. Nuda flagella triſtitiam parlunt: gaudium parturiunt, ſi quis ea propter Chriſtum patiatur.

Sublimis hic fortitudinis gradus eſt, non patienter tantùm, & libenter, ſed & lætantet aduerſa ferre, & cum gaudio ſuſtinere flagella: Apoſtolici hoc ſpiritus eſt, Euangelicæ perfectionis hæc nota eſt,
Ierem. 37. 14. & conſignatio. In teſtamento veteri etiam Ieremias flagellatus eſt: Eliæ, aliiſque prophetis minæ intentatæ ſunt: non legimus tamen; tam ingenti gaudio fuiſſe perfuſos, quo perfunduntur Apoſtoli; vt vel ſic vtriuſque legis diſcrimen cognoſceremus, & Euangelium ad maiorem perfectionem homines euehere, quàm lex vetus, colligeremus.

908. *Ibant gaudentes*: Hoc ſignis ipſis magis eſt admirabile: maius mihi videtur, Apoſtolos in contumeliis gaudio delibutos fuiſſe, quàm claodum ſanaſſe, & alia miracula præſtitiſſe. Verè magnus, qui contumeliis affectus adeò non triſtatur, & mœret, vt lætetur potiùs, & gaudeat.

Lætantur Apoſtoli; *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Nimirum contumeliâ affici, iniurias ferre, magna dignatio eſt; & ingens Dei beneficium. Obſeruo, Apoſtolos à conſpectu concilij cum gaudio abiiſſe quia digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati: non audio, gaudio exiliiſſe, quòd ſigna, & miracula fecerint, quòd magiſtratus ſuis reſponſis, ſuâ doctrinâ, ac patientiâ confuderint, & vicerint: lætantur ob contumelias magis, quàm ob miracula. Magni iuſtis iniuriæ fiunt: gaudent, cùm inferuntur.

Ibant: Sed quò? Ad conſpectum Dei; nam ſtatim ibi dicuntur ſe ad templum contuliſſe: hoc quoque ad lætitiæ, & gaudij cumulum faciebat: ad templum ibant contumeliarum, & flagellorum tolerantiâ Dei templum facti. Vbi quis ſe cogitat ad Deum ire, coram Deo ambulare, facilè aduerſa omnia tolerat; & nuda hæc cogitatio vires, ferendis contumeliis, addit.

Gaudio afficiuntur, quòd afficerentur contumeliis. *Si de tribulatione*, inquit Vgo, *eſt amicis tantum gaudium; quantum putas erit gaudium de triumpho?* Contumeliæ illis gaudium pepererunt. *Ibant gaudentes*, nec gaudium ſiſtebatur, cum euntibus ibat, & creſcebat: *Quid ergo*, inquit ſanctus Gregorius ad hæc verba lib. 6. moral. cap. 7. *eorum mentibus* LABOR *eſt, quibus & pœna verberum labor non eſt?*

Quoniam digni habiti ſunt. Nimirum ſummi ho- 909.
noris & gloriæ loco iuſti habent, ſi quid patiantur ob Chriſtum. O idem nos affectus corriperet, qui Apoſtolos, & Apoſtolorum imitatores corripiebat! Sancti Paulini pietas hæc ab eius calamo verba exculpſit epiſt. 6. ad Seuerum: *Vtinam, mi frater, digni habeamur, qui maledicamur & notemur & conteramur atque etiam interficiamur in nomine Ieſu Chriſti;* DVM NON IPSE OCCIDATVR CHRISTVS *in nobis.*

Ibant gaudentes. Non legimus gauiſos Apoſtolos, quòd illis Regni cœleſtis poſſeſſio eſſet promiſſa: gauiſi leguntur, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, *vt magis lætarentur* (inquit Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 12. de Martyrio) MALA PATI PROPTER *Chriſtum, quàm propter promiſſa Regna cælorum.*

Flagella pariunt gaudium: non nuda flagella; nam alioquin omnia paterent, & in omnibus: ſed quæ Dei cauſâ excipiuntur. *Tametſi*, inquit Sanctus Chryſoſtomus hom. 23. in Geneſim, FLAGELLA NON GAVDII SINT OCCASIONES, *ſed triſtitiæ & mœroris: nihilominùs flagella propter Deũ, & cauſa, propter quam flagellabantur, gaudium eis pariebat.*



Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT VI. ACT. APOST.

Verſ. 1.

IN diebus autem illis, creſcente numero Apoſtolorum, factum eſt murmur Græcorum aduersùs Hebræos: eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.

Illis. *Oecum. His.*

Creſcente n. d. *Oecum. Cùm multiplicarentur diſcipuli Pagn. Cùm plures fierent diſcipuli.*

Factum eſt murmur. *Syr. Murmurabant. S.Chryſ. Ortum eſt murmur. Oecum. Exortum eſt murmur. Orig. Cùm factum fuiſſet murmur.*

Græcorum. *Syr. Ionii diſcipuli. S.Chryſ. Inter Græcos. Vat. Græciſtarum.*

Aduersùs H. *Orig. Ad Hebræos.*

Deſpicerentur. *Syr. Deſpectui haberentur.*

Verſ. 2.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verf. 2.

Conuocantes autem dundecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Nnn est æqunm nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis:

Conuocantes a. *Syr. Aduocarunt igitur. S. Chryf. Caterùm cùm iussissent adesse.*
Duodecim. *Syr. Duodecim Apostoli. S. Chryf. Duodecim illi.*
Multitudinem. *Syr. Omnem cœtum.*
Est æquum. *Syr. Decet. S. Chryf. Est placitum. S. Isid. Hisp. Placet. Orig. Bonum. Vat. Est commendabile.*
Nos derelinquere v. *Syr. Vt relinquamus sermonem. Orig. Relinquentes. Pagn. Vt nos derelicto sermone.*
Et ministrate. *Syr. Et ministremus. Orig. Ministrare.*

Verf. 3.

Considerate ergn, fratres, virns ex vobis boni testimnnij septem, plenns Spiritu sanctn, & sapientiâ, quns constituamus super hnc opus.

Considerate. *Syr. Exquirite. S. Chryf. Circunspicite. Orig. Eligite. Mar. ex. Syr. Disquirite.*
Fratres. *Syr. Fratres mei. Orig.* omittit.
Boni t. *Syr. De quibus extet testimonium. S. Chryf. Spectata probitatis. Pagn. Testimonio comprobatos. Orig.* omittit.
Spiritu sancto. *Syr. Spiritu Domini. S. Chryf. Spiritu.*
Quos constituamus. *Syr. Et constituemus eos. Vat. Quibus Delegabimus.*
Super h. o. *S. Chryf. In hoc ministerio. Oecum. Super hoc negotio. Orig. In hunc vsum. Ar. M. Super vsu hoc. Vat. Hoc negotij. Caiet. Super hanc necessitatem.*

Verf. 4.

Nos verò nratinni, & ministerio verbi instantes erimus.

Orationi. *Syr. In oratione. S. Chryf. Deprecationi. Pagn. Rationi. Orig.* omittit.
Ministerio v. *Syr. In administratione sermonis. Orig. Verbo Dei.*
Insistentes e. *Syr. Perseuerabimus. S. Chryf. Incumbemus. Orig. Intenti erimus. Ar. M. Perdurabimus.*

Verf. 5.

Et placuit sermn coram nmni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum & Prochorum & Nicanorem & Timnnem & Parmenam & Nicnlaum aduenam Antiochenum.

Sermo. *Pagn. Hic sermo.*
Coram o. m. *Syr. Coram vniuerso populo. S. Chryf. Coram omni populo. Oecum. Coram totâ multitudine. Vat. Toti multitudini,*
Et elegerunt. *Syr. Proinde elegerunt.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Aduenam. *S. Chryf. Proselytum.*

Verf. 6.

Hns statuerunt ante cnnspectum Apostolnrum: & orantes imposuerunt eis manns.

Ante c. A. *S. Chryf. Coram Apostolis. Pagn. In conspectu Apostolorum.*
Orantes. *Syr Cùm precati fuissent. S. Chryf. Cùm orassent.*

Verf. 7.

Et verbum Domini crescebat & multiplicabatur numerus discipulnrum in Iernsalem valde: mnlta etiam turba sacerdotum nbediebat fidei.

Et v. *Syr. Itaque sermo Dei. Ar. M. Et verbum Dei.*
Multa etiam. *Syr. Et multus. S. Chryf. Multaque.*
Turba. *Syr. Populus.*
Sacerdotum. *Syr. Ex Iudæis.*
Obediebat. *Syr. Auscultabat. Oecum. Obtemperabat.*

Verf. 8.

Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.

Plenus. *Syr. Erat plenus.*
Gratiâ. *S. Chryf. Fide.*
Fortitudine. *S. Chryf. Virtute.*
Faciebat p. *Syr. Edebatque signa. Pagn. Edebat prodigia. Vat. Edebat miracula.*
Signa m. *Syr. Miracula.*

Verf. 9.

Surrexerunt autem quidam de synagogâ, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium & Alexandrinorum, & eorum

Surrexerunt. *Pagn. Exorti sunt.*
Quidam. *S. Chryf. Quidam eorum.*
De synagogâ. *S. Chryf. Ex synagogâ. Oecum. De congregatione.*
Appellatur. *S. Chryf. Dicebatur: Pagn. Appellabatur.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
qui erant à Ciliciâ & Aſiâ, diſputantes cum Stephano:	Diſputantes. *Ar. M. Simul altercantes.* Cum S. *Ar. M. Stephano.*
Verſ. 10. Et non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.	Poterant. *S. Chryſ. Potuerunt.* Qui. *Syr. Per quem. S. Chryſ. Quo.*
Verſ. 11. Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerent, ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.	Summiſerunt. *Syr. Miſerunt. S. Chryſ. Subornarunt. Oecum. Subordinarunt. Pagn. Clam acceperunt.* Viros. *Syr. Quoſdam.* Qui d. *Syr. Et docuerunt eos, vt dicerent. S.Chryſ. Dicentes.* Se audiuiſſe. *Syr. Nos audiuimus. S. Chryſ. Audiuimus.* Dicentem. *S. Chryſ. Loquentem.* Blaſphemiæ. *S. Chryſ. Blaſphema. Vat. Impiè contumelioſa. Al. Contumelioſa.* In M. e. D. *S. Chryſ. Contra Moſem ac Deum.*
Verſ. 12. Commouerunt itaque plebem, & ſeniores & ſcribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,	Commouerunt i. *Syr. Concitaruntque.* Plebem. *S. Chryſ.* omittit. *Vat. Populum.* Seniores. *S. Chryſ. Presbyteros.* Et concurrentes. *Syr. Proinde venerunt & inſurrexerunt in eum. S.Chryſ. Atque inuadentes. Oecum. Et inſurgentes. Ar. M. Et inſtantes.* Rapuerunt. *S. Chryſ. Corripuerunt.* In concilium. *Syr. In medium ſynagogæ. S. Chryſ. Concilium.*
Verſ. 13. Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſùs locum ſanctum & legem:	Qui dicerent. *S. Chryſ. Dicentes.* Ceſſat. *S. Greg. Nyſ. Deſinit.* Verba. *S. Chryſ. Verba blaſphema. S. Greg. Nyſſ. Verba contumelioſa. Vat. Verba impiè contumelioſa. Al. Verba contumelioſa.* Aduerſùs locum ſ. e. l. *Syr. Contra legem & contra locum. S.Greg.Nyſſ. Aduerſùs locum ſanctum hunc & legem.*
Verſ. 14. Audiuimus enim eum dicentem: quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.	Eum d. *S. Greg. Nyſſ. Ex eo cùm diceret.* Nazarenus hic. *Vat. Nazarenus ille.* Deſtruet. *S. Greg. Nyſſ. Demolietur. Ar. M. Diſſoluet.* Traditiones. *Syr. Ritus. S. Chryſ. Mores. S. Greg. Nyſſ. Inſtituta. Pagn. Conſuetudines.* Quas. *Syr. Quos. S. Greg. Nyſſ. Quæ.*
Verſ. 15. Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.	Et intuentes eum. *Syr. Itaque intuiti ſunt eum. S. Chryſ. Et cùm inſpexiſſent eum. Ar. M. Et intendentes in eum.* Omnes. *Syr. Cuncti illi. Oecum. Vniuerſi.* Sedebant. *Syr. Erant.* Concilio. *Syr. Synagogâ.* Viderunt. *Syr. Conſpicati ſunt.* Faciem eius t. f. *Syr. Vultum eius quaſi vultum.*

CAPVT VI.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Ægrè

Ægrè patiuntur se doceri, qui solent docere alios. 915
Sacerdotum *exemplum in cæteros quantas vires habeat.* 916

In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos.

910. CREVIT, inter tribulationes, discipulorum numerus; vt Ecclesiæ proprium sit, tunc vincere, cùm læditur; tunc augeri cum deseritur, imo impugnatur. Tantum in audientium animos patientia in aduersis, & fortitudo in tribulationibus potest. Christum, & Christi doctrinam verbis docebant Apostoli; sed, vbi contumelias cum gaudio ferre in Christi gloriam cœperunt, tunc demùm magnum post se discipulorum traxerunt numerum. Exemplis fortiùs homines persuadentur, quàm verbis.

Factum est murmur Græcorum: Post tot tribulationes, calumnias, contumelias, quibus contra Apostolos, nascentemque Ecclesiam diabolus pugnauerat, cùm nihil effecisset, ad alia machinamenta nunc conuertitur: murmurationes excitat & contentiones, ac si tanquam fortiori telo impetere, & deiicere eos putaret. Nimirum sæpè à bono magis domesticorum murmurationes, & contentiones deturbant, quàm externorum supplicia, carceres, iniuriæ, contumeliæ.

Pende, Græci in Ecclesiâ primi murmurant, sed & primi ab Ecclesia defecerunt vt aliqui obseruarunt. Scilicet, qui promptiores ad detractiones sunt, hi ferè fœdius labuntur, & deficiunt: tam ingentium malorum mater detractio est.

Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

911. PRædicationi incumbere, se mensis ministrare, agrorumque pretia indigentibus distribuere, inter se congruere non putant Apostoli. Nimirum prædicationis officium hominem exigit ab omnibus curis vacuum: quòd si facultatum liberalis distributio impedimento prædicationi erat; quantò magis erit auara, sordidaque diuitiarum coacervatio? cui plerumque student, qui doctoris funguntur munere.

Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: At hoc etiam *sanctum erat, & Apostolicum ministerum*, inquit sanctus Hieronymus, *viduis & pauperibus ministrare*; & tamen inquiunt non esse æquum ministrare mensis, prædicationis causâ. Quod hîc igitur illi, qui rebus temporalibus inhiant, terrenisque negotiis distenduntur, nec curant Diuini verbi prædicationem?

Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

912. COnsiderate: Græcè, Ἐπισκέψασθε, *Perspicite.* Syrus, *Exquirite.* Non tumultuaria, aut inconsulta electio esse debet: non sanguinis, & affe-

Nouarin. in Act. Apost.

ctus habenda ratio est, sed bonitatis, & prudentiæ. Digna hæc res summâ disquisitione, diligentique examine, ac scrutinio; cùm difficile, periculosum, ac errori maximè sit obnoxium de aliorum moribus iudicare.

Viros ex vobis boni testimonij septem: Hi septem viri eligendi septem illis Angelis comparantur, qui Deo iugiter assistunt: Angelos imitari Diaconi debent, Ecclesiæque ministri: certè sanctus Ignatius, *imitatores Angelorum virtutum*, Diaconos vocat.

Quos constituamus super hoc opus: Syrus, *super hoc munus*, vel, *apparatum*. Ferè omnes hæc verba de ministerio rerum temporalium accipiunt, vt mensis ministrarent, & vnicuique necessaria exhiberent. Et tantam in his, qui ad hoc munus eliguntur, probitatem requirunt, vt essent boni testimonij, pleníque Spiritu sancto? Pende: si hæc exiguntur in iis, qui ministraturi erant mensis; quàm maior probitas, sanctitasque requirenitur in his, qui Domini corpus ministrant, & distribuunt fidelibus? Videant præsules, quos ad hoc munus promoueant. Si pleni esse debent sapientiâ, pleni Spiritus sancti gratiâ ij, qui mensis ministrant; quàm decet pleniores esse diuinorum sacramentorum administratores? 913.

Diaconi eleemosynis distribuendis, & rebus necessariis administrandis præficiuntur, & non Diaconorum est altari deseruire, sacerdoti ministrare? Est. Cur ergo nunc ministerio rerum temporalium diuidendarum adiiciuntur? An res quædam sacra, quoddam sacrificium, eleemosyna est, liberalisque largitio? Sacrificium offerre videtur, qui opes indigentibus distribuit: tanti beneficentia facienda est.

Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

REctus ordo est, nec inuertendus. Oratio prædicationi præmittitur, tanquam eius fundamentum: oratio operi, & voci gratiam, & efficaciam obtinet: prædicatio languet, quam oratio non firmat, non munit, non animat. 914.

Elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto.

SVperiùs requirebatur in his ministris Spiritus sancti plenitudo, ac sapientia: hîc pro sapientiâ *fides* ponitur. Sapientiæ nomen non meretur, quæ cum fide pugnat: veræ sapientiæ adeò fides necessaria, vt conuerti cum ipsâ, ac penè vnum quid esse, videatur. Fides hîc, vt theologicam virtutem significet, non aliené etiam pro fiduciâ accipiatur: congruit hæc notio muneri, quod exercere Stephanus, aliique diaconi debebant. Nimirum, fiduciam magnam habeat, necesse est, qui diuitias distribuit; penuriæ damna non timeat, auarus minimè sit, sed liberalis.

Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde.

INter flagella, inter persecutiones & verbum Domini crescebat, & augebatur discipulorum numerus. Flagellis cæsi Apostoli fuerant; non tamen à Dei verbi prædicatione abstinuerant: maior illis aliorum salutis cura, quàm sui. 915.

In Ierusalem: Locus rem magis admiratione dignam reddit. Nimirum, vbi crucifixus Christus fuerat, ibi eorum, qui conuertebantur, maximè augebatur numerus; vt statim colligeremus, iniuriarum oblitum Dominum, & salutem pro vindictâ contulisse.

Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

NOn semel antea de plebis conuersione facta mentio est: hîc tandem, vt nouum aliquid, & insolens adiungeret, & sacerdotes conuersos narrat; ac si difficiliùs ad meliorem frugem mali Sacerdotes, & Ecclesiastici transeant, quàm seculares, & homines idiotæ soleant. Ægrè patiuntur, se doceri, qui solent docere alios.

916. Pro eo, quòd vulgatus noster habet, *multa turba sacerdotum obediebat fidei*, Syrus ita vertit: *Populus multus ex Iudæis obediens erat fidei.* Quod vulgatus de sacerdotibus, hoc de populi turbâ Syrus affirmat. Nectere has versiones in hunc modum possumus: vt vtrumque verum fuerit, & sacerdotes fidei obediuisse, & etiam populi turbam; imo idcirco magnus populi numerus conuersus est, quia videbat sacerdotes conuersos esse. Nimirum, si bonum exemplum sacerdotes præbeant, consequens est, vt populi pastorum sequantur vestigia, vt fiat populus sicut sacerdos.

Obediebat fidei. Dixisset, *assentiebatur fidei.* Non sufficit ad salutem assensus nudus: obedientia necessaria est. Ille obedit fidei; qui factis ea exequitur, quæ fides docet. Frustra est, qui operibus neglectis, de solâ sibi fide blanditur. *Vix fides est habenda, qui habet nudam fidem.*

SECTIO II.

Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.

917. PLenus gratiâ: Græcè, πλήρης πίστεως, *plenus fide.* Syrus, *plenus bonitate, seu beneficentiâ.* Hominum scilicet gratiam init, qui hominibus beneficus est. *Faciebat prodigia*: Non faciebat tantùm, sed prodigium etiam erat. Quærat hîc aliquis: cur nunc fecisse legatur prodigia, non ante. *Ante electionem prodigia non faciebat*, inquit Oecumenius: *vbi per electionem cognitus effectus est, tunc donum, quod electionem consequutum erat, demonstrabatur.* Vt prodigiorum editione Dei minister electus commendaretur; Dei quippè est eos euehere, ac probare, quos ad munus aliquod eligit.

Surrexerunt autem quidam de Synagogâ, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Ciliciâ, & Asiâ, disputantes cum Stephano.

MIrum hîc videatur, tot ex tot Synagogis in 918.
vnum Stephanum insurrexisse, & multos contra vnum, velut agmine facto, conspirasse. Cur non idem in Apostolos fecerunt? An hos aggredi disputando noluerunt, tanquam idiotas, & imperitos? Stephanum à Gamaliele eruditum aggrediuntur, indignè ferentes, tantâ gratiâ, tantâ sapientiâ præditum, res adeò eximias, totque signa edere. Nimirum inuidum eruditio excitat. Fors & ætatem, auctoritatemque Apostolorum veriti fuerunt, ne eos aggredi auderent.

Et non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.

SVmmâ sapientiâ præditus erat sanctus Stephanus, quam ex ingenio, & assiduo studio sibi comparauerat, sed præcipuè Spiritus Sancti gratiâ, cuius præsidio eam muniuerat. Sapientia sine supernâ diuini Spiritus gratiâ, mera stultitia est, sapientiæ nomen non meretur.

Verba tanta virtute referta Spiritui, non sapientiæ iure tribuit Sanctus Lucas, vt innueret, *Sermonis, & doctrinæ efficaciam*, vt ille ait, *ab Spiritu proficisci*; loquebatur nimirum in sancto Stephano Sanctus Spiritus, quo erat plenus.

Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem, & in Deum.

CVm resistere eius sapientiæ, & Spiritui, qui in 919.
eo loquebatur, non possent, ad fraudes se conuertunt, suppositios testes immittunt, qui crimina, falsò conficta, innocenti Leuitæ affigerent; dicentes scilicet se audiuisse, eum blasphema in Moysem, ac Deum dixisse. Sed cur Mosis nomen Dei nomini præmittunt? An, vt oratio cresceret? Non defuerunt, qui dicerent, priùs Mosem nominasse, quàm Deum; quia Mosem Deo saltem in sua opinione pariarent, quin etiam re, ac factis præferrent, licèt id non speculatiuè, agerent tamen practicè. Ingentium malorum præcipitia timeri possunt, vbi creatura creatori præponitur. Quid hîc illis, qui non sanctos Deo pariant, sed sanctitatis hostes, & terrenas delicias, sanctitatis venena, Deo anteponere videntur, dum, Deo relicto, deliciis, voluptatibusque terrenis adhærent?

Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.

EMicuit in Stephani ore Angelica facies; & Mosem splendenti vultu ille referebat, quem in Mosem blasphemiæ verba euomuisse falsò subornati testes dixerunt. Vultu prodit, Mosi se non fuisse contrarium, quem vultus lux Mosi parem fecit.

Stephanus, vt Angelus apparuit; quòd in viduarum causis, quibus tractandis ab Apostolis præpositus fuerat, Angelicam puritatem imitaretur. Non 920.
iam

iam homo, sed Angelus videtur, qui inter fœminas fœminarum negotia tractat, & nullâ, vel leui, maculâ, castitatis candorem attaminat, inficitque.

Tanquam faciem Angeli: In signum purissimæ castitatis. *Quod prapositus est fœminis*, inquit S. Augustinus, *testimonium meruit sincerissima castitatis*: sicque omnis suspicio ab omnium mente elueretur. Scilicet, vt illius probetur castitas, qui cum fœminis egit, quemadmodum singulare hoc signum est, sic & singulari ostenditur indicio.

921. Præterea vultu Angelum referebat Stephanus, vt pro illo, inter calumnias tacente, Angelica claritas responderet. Scilicet illius promptiùs patrocinium Deus suscipit, qui in tolerantiæ exemplum sibi non patrocinatur, se non defendit, nõ excusat.

Qui inter criminationes, & iniurias tacet non tam homo, quàm Angelus censeri potest; & ideirco Stephanus malorum calumniis tantum non obrutus, sed lætus, tacitusque sustinens, Angelicum vultum præsefert; vt disceremus Angelum fieri, qui patitur, & sustinet, & tacet.

Præterea Angeli speciem referebat, quia eodem loco longam habiturus concionem erat, vt illâ formâ dictis suis auctoritatem conciliaret; doceremurque, Angelicæ vitæ exemplis præditum esse debere, qui dignè docendi munus exercere vult. Angelicam faciem Stephano præbere vehemens martyrij desiderium potuit ac sanguinis fundendi lætitia: *gaudium quippè martyrij subeundi*, ait sanctus Chrysostomus, *ex ore prosiliens, efficiebat, vt Angelica gratia ex adolescente splendor emicaret*, Angelumque, antequam cum Angelis in cælo esset, referret.

Tandem, quòd ij, qui in concilio sedebant, videre Stephani vultum, tanquam Angeli, potuerint, non fuit præmij, sed pœnæ, atque cruciatus. Non poterât acriùs torqueri, quàm hoc aspectu. Inuidorum supplicium, aliorum visa felicitas est. *Viderunt faciem eius*, inquit Eucherius hom. de Sancto Stephano, *tanquam faciem Angeli: non fuit hoc illis* GRATIA MERITI, SED PŒNA PECCATI; *nam, dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia*. Nimirum quò pulchrior visus vultus Martyris, eò grauiùs intùs laniabantur lapidatores; non minùs scilicet in illos inuidia sæuiebat, quàm illi in martyrem sæuirent.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT VII. ACT. APOST.

Vers. 1.

DIXIT autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent?

Dixit autem. *Syr. Et interrogauit eum.*
Princeps s. *Syr. Summus sacerdos.*
Si. *S. Chrys. Num.*

Vers. 2.

Qui ait: Viri fratres & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan,

Qui. *Syr. Ipse verò.*
Patres. *Syr. Patres nostri.*
Deus. *Syr. Deus ille.*
Apparuit. *Vat. Visus est. Pagn. Conspectus est.*
Cùm esset. *Ar. M. Existenti.*
In Mesopotamiâ. *Syr. Inter fluuios. Mar. In Chaldeâ.*
Moraretur. *Syr. Venisset habitatum. Oecum. Habitaret.*
Charan. *S. Chrys. Mesopotamiâ.*

Vers. 3.

Et dixit ad illum: Exi de terrâ, & de cognatione tuâ, & veni ad terram, quam monstrauero tibi.

Dixit a. i. *Syr. Dicebat ei.*
Exi. *Orig. Egredere.*
Et de cognatione t. *Syr. Et ex filiis cognationis tuæ. S. Chrys.* omittit.
Veni. *Ar. M. Tu veni.*
Quam. *Pagn. Quancunque.*
Monstrauero. *Syr. Commonstrauero. Oecum. Ostendero.*

Vers. 4.

Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, postquàm mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in quâ nunc vos habitatis.

Tunc. *Syr. Tunc igitur. S. Chrys. Et.*
Exiit. *Syr. Exiit Abraham. S. Chrys. Egressus est. Ar. M. Tunc exiens.*
De terrâ. *Syr. Chrys. Ex terrâ. Pagn. E terrâ.*
Et h. *Syr. Venitque habitatum. Ar. M. Habitauit.*
Charan. *Mar. Mesopotamiâ.*
Postquàm m. e. *Syr. Quum obiisset.*
Transtulit. *Syr. Transtulit Deus. S. Chrys. Fecit habitare.*
Terram i. *S. Chrys. Terrâ hac.*
Nunc. *Syr. Hodie.*
Vos. *S. Chrys. Vos quidem.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 5.

Et non dedit illi hæreditatem in eâ, nec passum pedis: sed repromisit illi dare eam in possessionem & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.

Nec passum. *S. Chrys. Neque vestigium. Pagn. Ne vestigium quidem.*
Sed r. *Syr. Tamen pollicitus fuerat eis. S. Chrys. Sed promisit. Quidd. Codd. Et repromisit.*
Dare. *Goth. Se dare. Pagn. Se daturum.*
In possessionem. *Oecum. Possidendam. Ar. M. Possessionem.*
Eius post ipsum. *Syr. Eius.*
Cùm n. h. f. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Non existente ei nato.*

Vers. 6.

Loquutus est autem ei Deus: quia erit semen eius accola in terrâ, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis.

Loquutus est a. *Syr. Et alloquutus fuerat. S. Chrys. Loquutus est autem sic. Oecum. Loquutus est autem ita.*
Ei D. *Syr. Eum Deus, dum diceret ei. Goth. Ei Deus ita. S. Chrys. Deus.*
Quia e. *Oecum. Quòd futurum esset.*
Accola. *Goth. Aduena. S. Chrys. Peregrinum. Caiet. Inquilinum.*
Alienâ. *Syr. Extraneâ.*
Seruituti. *S. Chrys. In seruitutem. Vat. Seruitute.*
Eos s. *S. Chrys. Redigent illud. Pagn. Illud subiecturi essent. Vat. Futurum vt illud premerent.*
Malè t. e. *Syr. Malis afficient. S. Chrys. Affligent. Pagn. Malè tractaturi.*
Annis quadringentis. *Syr. Per quadringentos annos.*

Vers. 7.

Et gentem, cui seruierint, iudicabo ego, dixit Dominus: & post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.

Et gentem. *Syr. Sed gentem.*
Cui *Pagn. Cuicunque.*
Seruierint. *Syr. Seruitutem seruierint. S. Chrys. Seruierit.*
Iudicabo. *Syr. Condemnabo.*
Dixit Dominus *Oecum. Dixit Deus. M. SS. Dicit Dominus.*
Post hæc. *S. Chrys. Post hoc.*
Exibunt. *S. Chrys. Egredientur.*
Seruient mihi. *Syr. Colent me.*

Vers. 8.

Et dedit illi testamentum circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac, Iacob: & Iacob, duodecim patriarchas.

Et dedit. *Syr. Proinde dedit. Vat. Tradiditque.*
Testamentum. *Syr. Fœdus. Ar. M. Pactum.*
Et sic. *Syr. Et tunc. Pagn. Atque hic.*
Die. *Syr. In die.*
Et Isaac. *Syr. Isaac autem genuit.*
Iacob. *Syr. Iacob genuit.*
Patriarchas. *Syr. Patres nostros.*

Vers. 9.

Et patriarchæ æmulantes Ioseph vendiderunt in Ægyptum: & erat Deus cum eo,

Et patriarchæ. *Syr. Ipsi autem patres nostri.*
Æmulantes I. *Syr. Inuidiâ moti sunt in Ioseph. S. Chrys. Qui æmulabantur, Ioseph. Oecum. Inuidiâ accensi, Ioseph. Pagn. Inuidiâ moti, Ioseph.*
Vendiderunt. *Syr. Et vendiderunt eum.*
In Ægyptum. *Syr. Ægyptiis.*
Et erat. *Syr. Sed erat. Vat. Aderatque.*
Deus cum eo. *Vat. Ei Deus.*

Vers. 10.

Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius: & dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.

Eripuit. *Syr. Liberauit.*
Ex omnibus. *Syr. Ab omnibus.*
Tribulationibus e. *Syr. Oppressionibus eius. Pagn. Afflictionibus eius.*
In c. Phar. r. *S. Chrys. Coram Pharaone rege. Vat. Apud Pharaonem regem.*
Et constituit e. *S. Chrys.* omittit.
Præpositum. *Syr. Principem. S. Chrys.* omittit. *Vat. Præfectum.*
Super Ægyptum. *S. Chrys.* omittit. *Vat. Ægypto.*
Et super o. d. s. *S. Chrys.* omittit. *Vat. Totique domui suæ. Pagn. Et super totam domum suam.*

Vulgata Editio. / *Lectionum Varietas.*

Vers. 11.

Venit autem fames in vniuersam Ægyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.

Venit. *Syr. Extitit. S.Chrys. Facta est. Vat. Inuasit.*
In vniuersam Æ. *Syr. In vniuersâ Ægypto. S. Chrys. In omni terrâ Ægypti. Oecum. Super vniuersum terram Ægypti. Vat. In vniuersam terram Ægypti.*
Chanaan m. *Syr. Oppressio ingens. Pagn. Afflictio magna.*
Et non i. *Syr. Nec habebant.*
Cibos. *Syr. Vnde explerent. Vat. Alimentum.*

Vers. 12.

Cùm audisset autem Iacob, esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primùm:

Cùm audisset. *Ar. M. Audiens.*
Esse frumentum. *S. Chrys. Esse frumenta. Ar. M. Existentia frumenta.*
Misit. *Syr. Miserat.*

Vers. 13.

Et in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius.

In secundo. *Syr. Cùm bis profecti essent. Goth. Secundò. S.Chrys. Cùm iterum misisset eos. Caiet. In secundo descensu patrum in Ægypto.*
Cognitus est. *Syr. Patefecit se ipsum. S. Chrys. Agnitus est.*
Manifestatum e. *S. Chrys. Innotuit. Ar. M. Manifestum factum est.*
Genus e. *Syr. Cognatio ipsius Ioseph.*

Vers. 14.

Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.

Mittens a. *S. Chrys. Misso autem nuncio. Pagn. Cùm verò misisset.*
Cognationem s. *Quidd. Codd. Cognationem.*
In animabus. *Syr. Erant autem animæ numerò. Vat. Cum animabus.*

Vers. 15.

Et descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & patres nostri.

Et descendit I. *Syr. Proinde descendit.*
Defunctus est. *Syr. Mortuus est illic.*

Vers. 16.

Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor, filij Sichem.

Sepulchro. *S. Chrys. Monumento.*
Emit. *S. Chrys. Emerat.*
Pretio argenti. *Syr. Argento. S. Chrys.* omittit.
Filiis Hemor f. S. *Syr. Filiis Hemor. Goth. Hemor. qui erat Sichem.*

Vers. 17.

Cùm autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto:

Appropinquaret. *Oecum. Instaret.*
Promissionis. *Syr. Illius rei.*
Quam conf. e. *Syr. Quam pollicitus fuerat iureiurando. S.Chrys. De quâ iurauerat. Oecum. Quam promisit. Caiet. Quam iurauerat.*
Abrahæ. *Syr. Ipsi Abrahæ.*
Creuit. *Syr. Creuerat.*
Multiplicatus e. *Syr. Præualuerat.*

Vers. 18.

Quoadvsque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph.

Quoadusque. *S. Chrys. Donec surgeret. Pagn. Donec exortus est.*
Rex in Ægypto. *Syr. Rex super Ægyptum. S. Chrys. Rex.*
Non sciebat. *S. Chrys. Nesciebat. Pagn. Non nouerat.*
Ioseph. *Syr. Ipsum Ioseph.*

Vers. 19.

Hic circumueniens genus nostrum afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.

Hic c. *Syr. Et dolosè egit.*
Genus nostrum. *Syr. In cognationem nostram.*
Vt exp. *Syr. Ac præcepit eiici Ar. M. Ad faciendum expositos.*
Ne viuificarentur. *Syr. Ne seruarentur. Oecum. Ne in vitâ seruarentur. Vat. Ne fœtus essent vitales. Ar. M. Ad non sobolescere.*

Vers. 20.

Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo: qui nutritus est tribus

Eodem t. *Syr. Eo ipso tempore. S. Chrys. In quo tempore.*
Et f. g. *Syr. Qui charus fuit. Ar. M. Et fuit venustus.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

mensibus in domo patris sui.

Qui nutr. *Syr. Et educatus.*
Trib. mens. *Ar, M. Tres menses.*
Patris sui. *Pagn. Patris.*

Vers. 21.

Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.

Exposito a. i. *Syr. Cùmque fuisset expositus à populo suo. S. Chrys.* omittit. *Pagn. Expositum autem illum.*
Sustulit eum. *Syr. Nacta est eum. S.Chrys.* omittit. *Oecum. Tulit. Pagn. Sustulit.*
Filia Pharaonis. *S. Chrys.* omittit.
Et nutriuit e. s. *S. Chrys.* omittit. *Oecum. Et educauit eum sibi. Ar. M. Et nutriuit eum sibi ipsi.*
In filium. *Syr. Pro filio. S. Chrys.* omittit. *Pagn. Vice filij.*

Vers. 22.

Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum; & erat potens in verbis & in operibus suis.

Et erud. e. *M. S. Chrys.* omittit.
Omni s. Æ. *S. Chrys.* omittit. *Oecum. In omni sapientia Ægyptiorum.*
Et erat p. *Syr. Diuesque erat. S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Erat autem potens.*
In verbis. *Syr. Dictis. S. Chrys.* omittit. *Oecum. In operibus. Pagn. Cùm dictis. Vat. Factis.*
Et in o. s. *Syr. Et factis suis. S. Chrys.* omittit. *Oecum. Et sermonibus. Pagn. Tum factis. Vat. Et dictis.*

Vers. 23.

Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israël.

Cùm a. i. *Syr. Cùm autem esset natus. S. Chys. Vt autem impletum est. Pagn. Vt verò expletum est.*
Annorum t. *Syr. Annos.*
Ascendit i. c. *Syr. Subiit in animum. Vat. Subiit in cor.*
Visitaret. *S. Chrys. Inuiseret.*

Vers. 24.

Et, cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.

Cùm vidisset. *Syr. Conspicatus.*
Quendam. *Syr. Quendam ex filiis suæ prosapia.*
Iniuriam p. *Syr. Vim patientem. S. Chrys. Iniustè affligi. Pagn. Iniuria affici. Ar. M. Iniuriâ affectum.*
Vindicauit. *S. Chrys. Vltus est. Pagn. Defendit.*
Fecit vltinnem e. *Syr. Causam eius egit. S. Chrys. Fecit vindictam pro eo. Pagn. Vltus est vocem eius. Ar. M. Fecit vltionem.*
Qui iniuriam s. p. Æ. *Syr. Interemitque Ægyptium illum, qui offenderat eum. Vat. Qui affligebatur caeso Ægyptio. Ar. M. Oppresso, percutiens Ægyptium.*

Vers. 25.

Existimabat autem, intelligere fratres quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

Existimabat. *S.Chrys. Putabat.*
Fratres. *Syr. Filios Israël fratres suos. Goth. Fratres suos.*
Quoniam Deus. *Syr. Deum.*
Daret s. *Syr. Daturum libertatem.*

Vers. 26.

Sequenti verò die apparuit illis litigantibus; & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis: vt quid nocetis alterutrum?

Sequenti v. *Syr. Ac postero.*
Apparuit. *S. Chrys. Visus est. Oecum. Conspectus est. Vat. Apparuit.*
Litigantibus. *Syr. Cùm ipsi inter se rixarent. Ar. M. Pugnantibus.*
Reconciliabat eos. *Syr. Suadebat eis. S.Chrys. Redegit eos. Gagn. Compulit eos.*
In p. *Syr. Vt in gratiam redirent. S.Chrys. In concordiam. Gagn. Ad pacem.*
Fratres. *Oecum. Vos fratres.*
Vt quid. *Syr. Cur.*
Nocetis alter. *Syr. Alius alium offenditis? S.Chrys. Vos inuicem laeditis? Vat. Vos inuicem afficitis iniuriâ? Ar.M. Iniuriâ afficitis alij alios?*

Vulgata Editio. | ***Lectionum varietas.***

Vers. 27.

Qui autem iniuriam faciebat proximo repulit eum, dicens. Quis te constituit principem & iudicem super nos?

Qui a. *Syr. Is porrò, qui. S.Chrys. Caterùm is, qui. Oecum. Is autem qui. Ar.M. At.*
Iniuriam f. *Syr. Offendebat. Oecum. Irrogabat iniuriam. Ar.M. Iniuriâ afficient.*
Proximo. *Syr. Socium suum. Oecum. Primò. Ar. M. Proximum.*
Super nns. *Vat. Nobis.*

Vers. 28.

Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?

Me. *Syr. Nos.*
Vis. *Syr. Quaris.*

Vers. 29.

Fugit autem Moyses in verbo isto: & factus est aduena in terrâ Madian, vbi generauit filios duos.

Fugit a. *Syr. Proinde fugit.*
In v. i. *Syr. Ob hunc sermonem. S. Chrys. Ad dictum hoc. Oecum. Ad verbum hoc.*
Factus e. a. *Syr. Factus est inquilinus Vat. Peregrè habitauit.*
Vbi generauit. *Syr. Habuitque. Vat. Vbi genuit.*

Vers. 30.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

Et expl. a. *Syr. Cúmque illic impleuisset annos. Vat. Et exactis annis.*
Apparuit. *Vat. Visus est.*
Angelus. *S.Chrys. Angelus Domini.*
Igne flammæ. *Syr. Igne, qui ardebat. S.Chrys. Flamma incendio. Pagn. Flammâ ignis.*
Rubi. *Syr. In rubo.*

Vers. 31.

Moyses autem videns, admiratus est visum: Et, accedente illo, vt consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:

Mnyses a.v. *Syr. Quod vt conspexit Moyses. Oecum. Intuitus autem Moses.*
Visum. *Syr. Visionem.*
Et accedente i. *S. Chrys. Porrò cùm accederet.*
Consideraret. *Syr. Videret. S. Chrys. Attenderet. Vat. Inspiceret.*
Facta est a. e. v. D. *Syr. Dixit ei Dominus voce.*

Vers. 32.

Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

Egn sum D. *Ar. M. Ego Deus.*
Deus Isaac e. D. I. *Syr. Et Isaac & Iacob.*
Tremefactus a. *Syr. Cúmque tremeret. Oecum. Tremebundus verò.*
Cnnsiderare. *Syr. Intueri visum. S. Chrys. Attendere. Vat. Inspicere.*

Vers. 33.

Dixit autem illi Dominus: solue calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est.

Calceamentum. *Syr. Calceos tuos. Goth. Calceamēta.*
Pedum t. *Syr. A pedibus tuis.*
Locus. *Syr. Terra.*
In quo. *Syr. In quâ.*
Terra sancta. *Syr. Sancta.*

Vers. 34.

Videns vidi afflictionem populi, qui est in Ægypto & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos: & nunc veni, & mittam te in Ægyptum.

Videns v. *Syr. Videndo vidi. Vat. Vidi, vidi inquam.*
Afflictionem. *Syr. Oppressionem.*
Qui est. *Ar. M. Qui.*
Gemitum e. *Syr. Gemitus eius.*
Liberare. *S. Chrys. Vt eripiam. Pagn. Vt eruam.*
Et nunc. *Syr. Nunc igitur.*
Veni. *Vat. Venio.*
Mittam te. *S. Chrys. Mittam.*

Vers. 35.

Hunc Moysen, quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem, & iudicem? hunc Deus principem & re-

Negauerunt d. *Syr. Negauerant dum dicerent. S. Chrys. Hi negauerunt, qui dixerunt.*
Iudicem. *S. Chrys. Iudicem super nos. Quidd. Codd. Ducem.*
Hunc Deus. *Syr. Hunc ipsum Deus. Pagn. Hunc, inquam, Deus.*
Redemptorem. *Oecum. Liberatorem.*
Misit. *Syr. Misit eis. Al. Miserat.*
Cum manu A. *Syr. Per manus Angeli illius. Pagn. Per manum Angeli. Vat. Per interpretem Angeli. Ar. M. In manu Angeli.*

demp torem

Vulgata Editio.

demptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

Vers. 36.

Hic eduxit illos faciens prodigia & signa in terrâ Ægypti & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

Vers. 37.

Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis.

Vers. 38.

Hic est, qui fuit in ecclesiâ in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis:

Vers. 39.

Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Ægyptum,

Vers. 40.

Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terrâ Ægypti; nescimus, quid factum sit ei.

Vers. 41.

Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

Lectionum Varietas.

Qui apparuit. *Oecum. Qui apparuerat. Vat. Qui visus fuit. Pagn. Qui conspectus fuerat.*

Hic eduxit illos. *Syr. Hic est qui eduxit eos. S. Chrys.* omittit.
Faciens prodigia. *Syr. Dum edidit signa. S. Chrys.* omittit. *Vat. Edens miracula.*
Et signa. *Syr. Miracula virtutesque. S. Chrys.* omittit.
In terrâ Æ. *S. Chrys.* omittit. *Pagn. In Ægypto.*
Et in r. m. *Syr. Et in mari Souph. (carectoso.) S. Chrys.* omittit.
Et in deserto. *S. Chrys.* omittit.
Annis quadr. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Anno quadraginta.*

Hic est M. *Syr. Hic est Moyses ille. S. Chrys.* omittit.
Qui dixit. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Dicens.*
Filiis Israël. *S. Chrys.* omittit.
Suscitabit v. *S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Vobis resuscitabit.*
Deus *Syr. Dominus Deus. S. Chrys.* omittit. *Oecum. Dominus Deus vester.*
De fratribus v. *Syr. Ex fratribus vestris. S. Chrys.* omittit. *Pagn. E fratribus vestris.*
Tanquam me. *S. Chrys.* omittit. *Pagn. Mei similem.*
Ipsum a. *S. Chrys.* omittit. *Vat. Illum audietis.*

Qui f. *Ar. M. Ille factus.*
Ecclesia. *S. Chrys. Congregatione.*
Solitudine. *Syr. Deserto. Oecum. Deserto in monte Sina.*
Angelo. *Syr. Angelo ille.*
Loquebatur ei. *Syr. Alloquebatur eum. S. Chrys. Loquutus est ei.*
In m. S. e. c. p. n. *Syr. Et cum patribus nostris in monte Sinai.*
Qui accepit. *Syr. Is est denique, qui excepit. S. Chrys. Accepit.*
Verba v. *S. Chrys. Eloquia viua. Oecum. Verbum viuens. Vat. Sermonem viuum. Ar. M. Verba viuentia.*
Dare. *Syr. Qua traderet. Vat. Dandum.*

Cui n. *Syr. Et noluerunt ad eum.*
Obedire. *Syr. Mentem aduertere. S. Chrys. Obedientes esse. Ar. M. Auscultantes fieri.*
Repulerunt. *Syr. Dereliquerunt eum. Goth. Repulerunt eum.*
Auersi. *Syr. Conuersi.*
Cordibus s. *Chrys. Corde suo.*
In Ægyptum. *Syr. Ad Ægyptum.*

Ad Aaron. *Syr. Aaroni.*
Præcedant n. *Syr. Praeant nobis.*
Moyses e. h. *Syr. Moysi siquidem isti. S. Chrys. Moysi enim illi.*
Factum s. ei. *S. Chrys. Acciderit.*

Et vitulum. *Syr. Proinde vitulum.*
Fecerunt *Syr. Fecit sic.*
Obtulerunt. *Syr. Sacrificarunt.*
Hostiam *Syr. Sacrificia.*
Simulachro. *Syr. Idolis. S. Chrys. Idolo.*
Lætabantur. *Syr. Oblectarunt sese. S. Chrys. Laetati sunt.*
In operibus. *Syr. Opere. Pagn. Super operibus. Vat. Operibus.*

Vers. 42.

Vulgata Editio.

Verſ. 42.

Conuertit autem Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Nunquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſraël?

Verſ. 43.

Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem

Verſ. 44.

Tabernaculum teſtimonij fuit cum patribus noſtris in deſerto ſicuti diſpoſuit illis Deus loquens ad Moyſen, vt faceret illud ſecundùm formam, quam viderat.

Verſ. 45.

Quod & induxerunt, ſuſcipientes patres noſtri cum Ieſu in poſſeſſionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum; vſque in diebus Dauid:

Verſ. 46.

Qui inuenit gratiam ante Deum, & petiit, vt inueniret tabernaculum Deo Iacob.

Verſ. 47.

Salomon autem ædificauit illi domum.

Verſ. 48.

Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut propheta dicit:

Verſ. 49.

Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt?

Verſ. 50.

Nónne manus mea fecit hæc omnia?

Verſ. 51.

Durâ ceruice, & incircumciſis cordibus

Lectionum Varietas.

Conuertit a. *Syr. Et auerſus eſt. Caiet. Conuertit ſe autem.*
Seruirent. *Pagn. Colerent.*
Militiæ. *Syr. Exercitibus. Pagn. Militiam.*
Hoſtias. *S. Chryſ. Sacrificio.*
Annis. *Ar. M. Annos.*
Domus. *Syr. Filij.*

Et ſuſcepiſtis. *Syr. Quia immo baiulaſtis. S. Chryſ. Et accepiſtis.*
Tabernaculum. *Syr. Conopæum.*
Dei veſtri. *Syr. Dei.*
Figuras. *Syr. Imagines.*
Adorare. *S. Chryſ. Vt adoretis. Oecum. Vt adoraretis.*
Trans B. *Pagn. Vltra Babel.*

Tabernaculum. *Syr. Ecce tabernaculum.*
Fuit. *S. Chryſ. Erat.*
Cum p. n. *Syr. Patrum noſtrum. Vat. Patribus noſtris. Ar. M. In patribus noſtris.*
Diſpoſuit illis D. *Syr. Præceperat is. S. Chryſ. Ordinauerat illis. Vat. conſtituerat iis.*
Loquens ad M. *Syr. Qui colloquutus fuerat Moyſi. Vat. Qui loquebatur cum Moſe.*
Secundum f. *Syr. Ad ſimilitudinem. Ar. M. Secundùm exemplar.*
Quam. *Ar. M. Quod.*
Viderat. *Syr. Et oſtenderat.*

Quod. *Syr. Quod quidem tabernaculum. S. Chryſ.* omittit.
Induxerunt. *Syr. Introduxerunt. Vat. Intulerunt.*
Suſcipientes. *Syr. Introducendo. S. Chryſ. Qui ſucceſſerunt.*
In p. *Syr. In terram, quam dedit eis Deus hereditatem.*
Gentium. *Syr. Gentibus illis. S. Chryſ. Earum gentium.*
Expulit. *Syr. Eiecit.*
A facie p. n. *Syr. Ab eorum conſpectu.*
Vſque. *Et deductum eſt vſque.*
In diebus. *Syr. Ad dies. Vat. Ad tempus. Pagn. In dies. Ar. M. Dies.*

Inuenit. *Oecum. Nactus eſt.*
Ante D. ſ. *S. Chryſ. Coram Deo. Vat. Apud Deum.*

Illi domum. *Syr. Ædem. Vat. Illi ædem.*

Excelſus. *S. Chryſ. Altiſſimus. Pagn. Excelſiſſimus ille.*
Manufactis. *S. Chryſ. Manufactis templis.*
Per Prophetam. *Pagn. Propheta.*

Mihi ſ. e. *Syr. Cùm thronus meus ſit. S. Chryſ. Mihi ſedes. S. Hil. Mihi thronus eſt.*
Terra a. *Syr. Et terra. Ar. M. At terra.*
Scabellum. *Syr. Suppedaneum.*
Quam d. *Syr. Quam ædem. S. Chryſ. Et qualem ædem.*
Requietionis. *Syr. Requietis. S. Chryſ. Quietis.*

Nónne m. *S. Hil. Manus enim.*
Fecit. *Syr. Condidit.*
Hæc o. *S. Hil. Hæc, & ſunt omnia hæc mea.*

Durâ. *Syr. O duri. Pagn. Duri.*

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

& auribus: vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut patres veſtri, ita & vos.

Incircuncisis. *Goth. Incircuncisi. S. Aug. Non circuncisi.*
Cordibus. *Goth. Corde. S. Chryſ. Labiis.*
Et auribus. *Syr. Et auditu ſuo. Orig.* omittit.
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Reſiſtitis. *Syr: Obſtitiſtis. Goth. Reſtitiſtis.*
Veſtri ita & vos. *Goth. Veſtri.*

Verſ. 52.

Quem prophetarum non ſunt perſequuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis.

Quem. *Orig. Quem enim.*
Sunt perſequuti. *Oecum. Occiderunt.*
Occiderunt. *Syr. Interfecerunt.*
Qui. *Syr. Eorum qui.*
Prænuntiabant. *S. Chryſ. Prædixerunt. Orig. Annunciabant. Quidd. Codd. Pronunciabant.*
De aduentu. *Orig. Aduentum.*
Iuſti. *Pagn. Iuſti illis.*
Cuius vos n. p. *Syr. Quem vos prodidiſtis.*
Homicidæ f. *Syr. Interemiſtis. S. Chryſ. Occiſores fuiſtis. Orig. Interfectores eſtis. Vat. Interfectores extitiſtis.*

Verſ. 53.

Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.

Qui. *Syr. At. S. Chryſ. Qui ſcilicet.*
Accepiſtis. *Syr. Recepiſtis.*
In diſpoſitione. *Syr. Per diſpoſitionem. S. Chryſ. Per diſpoſitiones. Oecum. Ad diſpoſitiones. Vat. Iuxta præcepta. Caiet. In diſpoſitiones.*
Et non cuſtodiſtis. *Syr. Neque ſeruaſtis eam. S. Chryſ. Nec ſeruaſtis. Ar. M. Et non cuſtodiſtis.*

Verſ. 54.

Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.

Audientes a. h. *S. Chryſ. His autem auditis.*
Diſſecabantur c. ſ. *Syr. Repleti ſunt furore intra ſe. S. Chryſ. Diſſecabantur in cordibus ſuis. Lucif. Fremebant in cordibus ſuis.*
Stridebant. *Vat. Frendebant.*
Dentibus. *Pagn. Dentibus ſuis. Ar. M. Dentes.*

Verſ. 55.

Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.

Cùm a. e. *Syr. Ipſe verò cùm eſſet. Ar. M. Exiſtens. Vat. Ipſe autem, vt qui eſſet.*
Spiritu ſ. *Syr. Fide & Spiritu ſanctitatis.*
Intendens. *Syr. Inſpexit. S. Chryſ. Intentis oculis. S. Nyſſ. Qui intentis oculis contuitus.*
Vidit. *Syr. Viditque.*
Stantem. *Syr. Adſtantem.*
A dextris D. *Syr. A dextrâ Dei. S. Epiph. A dextris Dei & Patris. S. Aug. Ad dexteram Dei. Ar. M. Ex dextris Dei. Quidd. Codd. A dextris virtutis.*

Verſ. 56.

Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.

Cælos a. *S. Aug. Cælum apertum.*
Stantem. *Syr. Adſtantem.*
A dextris d. *Syr. A dexterâ Dei. Ar. M. Ex dextris Dei. Quidd. Codd. A dextris virtutis.*

Verſ. 57.

Exclamantes autem voce magnâ, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter eum.

Exclamantes a. *Syr. Proinde clamarunt. S. Nyſſ. Hi verò exclamantes.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Continuerunt. *Syr. Obturauerunt. S. Nyſſ. Et continentes. S. Aug. Clauſerunt. Lucif. Compreſſerunt.*
Impetum f. v. *Syr. Irruerunt omnes. Lucif. Impetum fecerunt vno animo. Ar. M. Irruerunt vnanimiter.*

Verſ. 58.

Et, eiicientes eum extra ciuitatem, la-

Eiicientes. *Syr. Comprehenſum eiecerunt. Lucif. Eiectum. Orig. & poſt hoc expulerunt. Pagn. Cùm eieciſſent.*

pidabant:

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
pidabant : & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.	Extra ciuitatem. *S. Chrys. E ciuitate.* Lapidabant. *Syr. Lapidibus obruebant eum.* Et testes. *Syr. Illi autem, qui testimonium tulerant aduersus eum.* Deposuerunt. *Syr. Posuerunt.* Vestimenta s. *S. Chrys. Vestimenta.* Secus p. *S. Chrys. Ad pedes.* Adolescentis. *Goth. Cuiusdam adolescentis.*
Vers. 59. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem : Domine Iesu, suscipe spiritum meum.	Et lapid. *Syr. Itaque lapidabant.* Inuocantem & d. *Syr. Quum ipse precaretur ac diceret. Orig. Clamantem.* Domine. *Syr. Domine noster.* Iesu. *S. Chrys. Iesu Christe.* Suscipe. *S. Chrys. Accipe.*
Vers. 60. Positis autem genibus, clamauit voce magnâ, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et, cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci eius.	Magnâ. *Syr. Altâ.* Domine. *Syr. Domine noster.* Statuas i. *S. Greg. Nyss. Imputes eis.* Peccatum. *S. Aug. Delictum.* Et cùm h. d. *S. Chrys.* omittit. Obdormiuit i. D. *S. Chrys.* omittit. *Pagn. Obdormiuit.* Erat consentiens. *Syr. Consentiebat communicabatque. S. Chrys. Consenserat.* Neci. *Syr. In cadem. S. Chrys. In necem.*



CAPVT VII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Contra sauientium furores lenitas & mititas *paranda.* 922

Blandè cur persequutores suos *alloquutus S. Stephanus.* 922. 923

Sui iusti obliuiscuntur, vt *Christum aliis predicent.* 924

Loco sancto *nullus nimis fidat.* 926

Mali *suis sceleribus bonos ad meliora vrgent.* 926

Mundum *qui corpore deserit, deserat & mente ac affectu.* 927

Viri fratres, & Patres, audite.

922. PRODIT hìc sanctus Stephanus suam modestiam : blandè, & honorificè compellat suos persecutores, vt eorum iram leniret, ac frangeret. Illi manus lapidibus armabant; obtutu, dentium collisione sæuitiam præseferentes, comminantes cædem : Stephanus verò, tanquam fratres, eos aspicit, tanquam patres, veneratur. Nimirum, contra sæuientium furorem lenitas, ac mititas paranda est. Sæuientis maris vndæ exili comprimuntur arenâ : & irâ feruentis animi æstus, leni, mollique responsione sedandus. Non est prudentis, non est sapientis, iniuriosa verba in persecutores intorquere: mollia, &, quæ animi moderationem sapiant, intorquenda sunt.

923. Duris loquitur, sed non durè, lenibus vtitur verbis, quia maxima illi cura vt Dei verba audirentur à duris & duri esse desinerent; Peritè sanctus Augustinus serm. 51. de diuersis : *Stephanus sic cœpit ad suos persecutores loqui, quasi timeret eos : Viri fratres & patres audite. Quid lenius? Quid clementius? Conciliabat auditorem, vt commendaret Saluatorem Blandè cœpit, vt diu audiretur : & quia hinc fuerat accusatus quòd verba dixerat contra Deum & legem, ipsam legem illis exposuit, vt eius legis esset prædicator, cuius accusabatur esse vastator.*
Nouarin. in Act. Apost.

Viri fratres, & patres, audite : Coæuos, & seniores alloquitur : illos *fratres* vocat, hos verò *patres*. Syrus addit pronomen, *nostri*, in hunc modum: *Viri fratres, & patres nostri* : quod maiorem animi moderationem, maiorem lenitatem præsefert. Suos patres vocat, qui in eum tam crudeliter sæuire cœperant. Verè etiam, aliud cogitantes, patres sæuiendo se præbuerunt; quia Christo pepererunt, dum lapidando fecerunt, vt Christi martyr Stephanus euaderet.

Blandè suos persecutores Stephanus alloquitur; non quia eos timeret, vtque se ab eorum cruciatibus eximeret : non fugiebat flagella, non persecutiones, qui Christi martyr patiendo fieri, Christi amore æstuans, vehementer desiderabat. Leniter, ac clementer ad suos persecutores loqui incipit, vt eorum beneuolentiam sibi concilians, commendare Saluatorem posset, vtque diu de eo, deque re salutis loquens diu, & patienter audiretur. Sui obliuiscuntur iusti : Christum prædicare quærunt, eius laudes audiri student, ac aliorum salutem suis commodis præferunt. 924.

Audite : Cur non dixit? *credite*. Adhuc duriores erant, quàm vt submittere fidei iugo mentem vellent. *Audite, non dico, credite*, verba sunt sancti Chrysostomi, *noui siquidem vestra mentis incredulitatem, sed audite* : &, postquam audiueritis, etiam credite, omni duritie posita.

Dei legem exponit; vt se probaret legis prædicatorem, qui legis destructor fuerat dictus. *Quia*, inquit sanctus Augustinus, *hinc fuerat accusatus, quòd verba dixerat contra Deum, & Legem; ipsam Legem exposuit, vt eius Legis esset prædicator, cuius accusabatur esse vastator.* 925.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamiâ, priusquam moraretur in Charan.

DEus gloriæ : Statim apparet, non blasphemum fuisse Stephanum, sed diuinæ potiùs gloriæ studiosum, cui omnia sua opera adscriberet. *Deum gloriæ* Deum dicere iustè non potest, qui gloriam propriam quærit, sibi aliquid tribuit.

926. *Apparuit patri nostro Abrahæ:* signatè Abraham meminit, ne Iudæi nimium in lege, temploque confiderent, & sibi blandirentur. Deus Abrahæ apparuit, cùm nondum templum esset, nondum lex populo tradita; & tamen Abraham Deo vitæ innocentiâ tantum placuit: non ergo erat, quòd adeò de templo gloriarentur, cùm etiam sine templo sanctissimus Abraham fuerit.

In Charan : Sanctus Chrysostomus, *In Mesopotamiâ.* Nullus locus iusto officit. Deus gloriæ Abrahæ apparet, cùm esset in Mesopotamiâ: *non in Ierusalem,* inquit idem sanctus Pater, *non in illo celebri templo, sed in Mesopotamiâ, vbi deditus idololatriæ locus erat, vbi regio impiorum cœtibus opprimebatur, illic apparuit Abrahæ; sciebat enim inter spinas rosas nasci, & in medio Zizaniorum genuinum triticum germinare.* Mali suis sceleribus bonos ad meliora vrgent.

Et dixit ad illum : Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ.

927. EAdem verba capite duodecimo Genesis referuntur, sed additur, *& de domo patris tui* : quod tanquam iis notum, quibus loquebatur, omisit Stephanus. Hebraicè in Genesi *exi* est, לך לך, *lech lecha, vade tibi,* id est ad tuam vtilitatem, licèt simpliciùs de quocunque egressu, siue vtilis ambulanti, siue secus, hæc phrasis adhibeatur.

Exi de terrâ tuâ : Iam vt apparet ex Genesi, ex terrâ suâ Abraham exierat; cur igitur denuo illi præcipitur, vt exiret? Laborant in his verbis exponendis interpretes, vt videre est apud ipsos. Sanctus Augustinus, Glossa ordinaria, & Beda dicunt, egresso præcipi, vt exeat; quia, quod corpore reliquimus debemus mente, & affectu deserere : non satis est à suis re abire, nisi & desiderio abeamus, vt rursus ad illos redire non velimus. Multis, qui nomen in religiosas familias, relicto mundo, dedere, dici posset, vt iterum mundum relinquerent, quem affectu deserere noluerunt. Alij aliter hunc nodum soluunt, literæ fors magis cohærenter : Auctores consule: interim morale hoc documentum animo insculpe.

SECTIO II.

Aduersitatis & tribulationis *dies in Diuinis diariis diligenter notantur.* 918

Qui Diuinæ vocationi *non respondet, & bonum, quod inchoauerat, relinquit mortuus est, licèt viuere videatur.* 918

Terrenæ possessioni *minimè inhiandum.* 929

Iusti *collata sibi* beneficia, *sua putant.* 930

Quam vtiles aduersitates. 931

Leniores remissioresque patres *in filios minimè sint.* 931

Parentum obliuisci *debet, qui Deo obsequitur.* 932

Vera elegantia *& pulchritudo quænam sit.* 931

Moyses *cur tardus ad loquendum.* 933

Dei serui *quò maiora præstant, eò demissiùs de se sentiunt.* 934

Otioli *titulus quàm fugiendus.* 934

Qui imitari Angelos *vult, Dei gloriam quærat, & non suam.* 935

Inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

INdicat hîc Lucas, mortuo Abrahæ patre, de terrâ suâ in terram Chanaam Deum eum transtulisse: 928.
Inde, inquit, *postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam.* Dubium hoc videtur, cùm Gen. 12.
Genesis duodecimo constet exiisse de terrâ suâ Abraham, dum septuaginta quinque annorum erat: pater autem ipsius, Thare mortuus est, cùm esset annorum ducentorum quinque, vt apparet ex capite vndecimo Genesis : ex quo sequitur, cùm exiuit à terrâ suâ Abraham, patrem eius adhuc mortuum non fuisse : quomodo hæc loca inter se cohærere possunt? Multi Hebræi volunt, Mosem computasse annos septuaginta quinque Abrahæ, non ab ortu suo, sed ab eo tempore, quo ex *Vr*, id est ex igne, in quem eum Chaldæi coniecerant, quoniam ignem adorare noluerat, diuinitùs incolumis euasit : quæ natiuitas quædam fuisse videretur; ac si homo tunc verè viuere incipiat, cùm pro Deo suo mortis periculum fortiter subit, aut aliquid pro Deo patitur. Hæc annorum spatia, quæ alicuius aduersitatis passione consignamus, in diuinis diariis diligenter notantur.

Plerique inter quos Andreas Masius in caput vltimum Iosue, putant hîc à Stephano dictum, Abrahamum post patris sui Thare mortem exiisse à terrâ suâ, & in Chanaam à Deo fuisse translatum, non quia eius Pater verè mortuus esset; sed quia spiritualiter erat iam defunctus, quando scilicet constituit vlteriùs non progredi in terram Chanaan, quò vocabat Deus filium, mallens apud Deos suos remanere. Nimirum, qui diuinæ vocationi non respondet, & bonum, quod inchoauerat relinquit, mortuus iam est, licèt viuere videatur.

Nonnulli Mosem Stephano conciliant dicentes 929.
bis Abraham ex Charam venisse in terram Chanaan : primò, cùm esset septuaginta quinque annorum relicto patre viuo : deinde, cùm, auditâ patris morte, in Charam reuertit, vt iusta patri persolueret, curaret funus, bona à patre relicta assumeret, quibus confectis iterum terram Chanaam repetiit: de primâ profectione locutus est Moses, de secundâ Stephanus.

In qua nunc vos habitatis : Fideles ab auditoribus his verbis distinguit : *in qua* inquit, *vos habitatis.* Non ait, *nos habitamus.* Apostoli terram illam affectu reliquerant. Stephanus iam morti proximus in cælo potiùs degere videbatur, quàm in terris: cæli possessioni inhiabat, non terræ Chanaam.

Et non dedit illi hæreditatem in eâ, nec passum pedis.

NEc passum pedis in terrâ Chanaam Abraham 930.
possedisse mirum alicui videri potest, quum Genesis vigesimotertio constet de empta speluncâ ad sepulturam. Sed respondetur, speluncam illam hæreditario iure non possedisse, neque vt eam aut incoleret, aut coleret; sed vt mortuus eam occuparet. Difficilior ille nodus, qui ex Ezechielis verbis

cap. 33.

Ezech. 33. 24. Gen. 13. 15. cap. 33. oritur, ait enim: *Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram.* Quin, Gen. 13. ait Deus Abrahæ: *omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Quæ verba non videntur cum his, quæ habet hîc sanctus Stephanus cohætere, non possedisse scilicet Abraham in terrâ hac *nec passum pedis.* Sed tamen vtrumque verum, omnia inter se cohærent. Non possedit nec passum pedis, per se ipsum scilicet: possedit verò in posteris suis. Nimirum iusti tantâ suorum sollicitudine tanguntur, tanto in suos afficiuntur affectu, vt, quod bis tribuitur, sibi concessum putent; & suis collata beneficia, collata sibi arbitrentur.

Locutus est autem ei Deus: quia erit semen eius accola in terrâ alienâ, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis.

931. PRædicit Deus Abrahæ posterorum calamitates, tribulationes, pressuras. Quæri hîc potest: cur Abraham preces pro suis non fuderit, ab eis Dei iram auertens, qui pro Sodomitis pessimis hominibus adeò enixè orauerat, vt apparet ex capite

Gen. 18. decimo octauo Genesis? Pro Sodomitis orat Abraham, non preces pro suis interponit, vt Dei minas auerteret, Deum placaret? An abstinuit, quia intellexit, semen suum, suosque posteros diuinæ legi recipiendæ, accipiendis diuinis beneficiis idoneos, aptosque reddi, si diu vexarentur, variis premerentur calamitatibus? Explicari non potest, quàm vtiles adoersitates sint, quas Deus in nostri profectum mittit.

Venit autem fames in vniuersam Ægyptum, & Chanaam, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.

CVr etiam Iacob patriarcham inopia incessetit, fames afflixerit, præter communem causam, quâ istos ad plenius meritum Deus afflixit, est quoque alia peculiaris, vt plerique notauere: quia scilicet filios, quorum mala fama percrebuerat, quorum crimina à Ioseph ad patrem delata fuerant, vt apparet Gen. 37. 2. indulgentior Iacob, segniùs, remissiúsque admonerit, correxerit, castigauerit. Tot mala pertulit Iacob, tot angustiis filiorum causâ pressus fuit, qui filios, cùm delinquerent, corrigere neglexerit: vt discant patres, filios arguere nec filiorum criminibus conniuere; alioquin molta mala perpessuri sunt, si fuerint indulgentiores.

Cùm audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto: misit patres nostres primùm

932. DVbia hîc quæstio mentem pungit: cur Ioseph, tot annis in Ægypto degens, inscio, imo & afflicto patre, de statu suo certiorem illum non fecerit, quem sciebat, magno, ipsius causâ, mœrore opprimi: non suorum inopiæ succurrere curauerit. Arcana alia indicauerat ei Deus; non indicauit penuriam, quâ sui premebantur? Ob hoc ipsum meruit ad sublimem dignitatis gradum euehi, somniorum interpres factus est, & primus post Pharaonem habitus. Nimirum, qui parentum suorum obliuiscitur, ad grandia extollitur à Deo; &, qui à suis, affectu, abiungitur, maiorem familiaritatem cum Deo habet, maius ad cælestia ius.

Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo.

MOsem Stephanus laudat, Deoque charum, ac gratum fuisse affirmat, vt statim proderet se Moysem non blasphemasse, nec Mosi hostem esse, cùm eius laudator, & encomiastes sit. *Fuit*, inquit, *gratus Deo*: Græcè est vox. ἀστεῖος, *elegans*, sicut interpres vertit. Exod. 2. v. 2. Syrus, *dilectus Deo.* Nimirum hæc vera elegantia, venustas ac pulchritudo est, quæ à Dei gratiâ, à Dei dilectione est. *Fuit gratus Deo*: fuit etiam hominibus; sed viri iusti Dei gratiam mire student: hominum gratiam non venantur.

Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.

SActa scriptura Exodi secundo, vbi Mosis institutio describitur, huius eruditionis non meminit: solùm tradit, *adoptatum in filium filiæ Pharaonis.* Sed his verbis innuit regiam educationem in artibus liberalibus; ex eo enim, quòd in reginæ filium adoptatus est, consequens erat, vt in omni doctrinarum genere erudiretur. 933.

Potens in verbis: id est *eloquens*; & tamen ipse se ineloquentem appellat Exod. 4. si tenerâ potens in sermone erat, & eloquens; cur *tardioris sermonis* se vocat? Græcus quidam auctor ait, Moysem *fuisse tardam ad loquendum, quia ita se assuefecerat, vt tutius, cautiusque loqueretur.* Hæc tarditas, & ineloquentia, vera eloquentia apud Deum est. Satis expeditè loquitur, qui cunctatur loquens, ne loquendo labatur. Exod. 4. 10.

Erat potens in verbis, & in operibus suis: Nihil tale legitur in libro Exodi. Nil mirum: Moses cùm humilis esset, sui historiam texens, ab his verbis abstinuit quæ adeò singularem, eximiamque laudem continent. Dei serui, quò maiora præstant, eò demissiùs de se sentiunt. 934.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

QVem *Angelum* Stephanus vocat, Moses ipse, iuxta vulgati interpretis versionem, *Dominum* appellat, dicens: *Apparuitque ei Dominus.* Quia nempe personam Domini sustinebat. Sed quæri potest: cùm tenerâ Angelus fuerit, qui Mosi loquebatur, cur Angelum, Deique ministrum se esse non prodidit? Cur populum Angeli non monebant, dicentes, se esse à Deo missos? Ne populus Iudaicus, audiens, semper Angelos mitti, putaret Deum otiosum, & nihil agere per se ipsum. Nec Deus otiosus haberi vult. Et haberi homo volet, cuius est, laboribus, & operibus cælum acquirere?

Præterea Angeli, qui apparebant, & loquebantur, tanquam Dei ministri, à Deo se missos esse apud eudem illum populum non dicebant, ne plùs nimio Angelis se obligatos putarent, & diuinos illis honores offerrent: quod facilè præstitissent. Nimirum, Angelum refert, qui diuinos sibi honores non vsurpat, omnem gloriam, quæ illi tribui potest, in Deum resilire studet. 935.

Tandem, Angeli, Domini personam sustinentes, se Dei ministros esse non produnt; vt ille populus magis ad Deum diligendum alliceretur; vtque plu-

ris faceret, quæ ipsi à Deo proponebantur. Angelis magis curæ est Diuinorum verborum honor, quàm sui: parere Deo homines studeant, de suâ gloriâ posterior illis, aut nulla cura est. Igitur, qui imitari Angelos cupit, non quærat honorem sibi exhiberi, quærat vt Deo exhibeatur.

SECTIO III.

Moyses autem videns, admiratus est visum: & accedente illo vt consideraret, facta est ad eum vox Domini.

936. ACcedit ad rubum Moses, non vt curiosè spectaret, sed vt attentè rem adeò miram consideraret, & mente secum volueret. Curiositas abesse à Dei seruis debet: ne quis igitur accessum istum ad curiositatem factum putaret, signatè additum, *vt consideraret.* Nimirum hac illustri visione indignus Moses fuisset, si solâ curiositate actus accessisset. Dei mirabilia aut videre, aut audire ineptus est, qui curiositatis laborat vitio.

Dixit autem illi Dominus: solue calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

ARdens rubus calamitatibus oppressos significabat: quòd autem non comburerotur, portendebat, non perituros, qui affligebantur aduersariorum violentiâ, sed eorum constum fore tritum, & Iudæos incolumes euasuros. Ergo ob loci reuerentiam, & sanctitatem calceamenta soluere iubetur Moses: quia de iusto agitur, qui tribulationibus premitur, & iniuriarum igne aduritur, Moses ipse, in eius honorem, ac reuerentiam, soluere calceamenta iubetur.

Calceamentorum corium mortem signat: iubetur ergo Moses calceamenta soluere populi dux, & doctor futurus; vt, qui mittitur ad huiusmodi munus, ad quod Moses mittebatur, non retardetur mortis periculo; nec vitæ amittendæ metu ab aliorum salute procurandâ auocetur.

937. In Israel vigebat hic mos; vt qui iuri, rebusque suis renuntiabat, solueret calceamenta: iurè id Moses præstare iubetur; vt disceremus, superioris, & præsulis esse, rerum suarum oblinisci, propriis commodis renuntiare, vt aliorum salutem curet.

Dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos.

HVc Iudæorum insipientia euaserat, vt ab homine, Deos sibi fieri, postularent. Cur in hunc errorem lapsi Iudæi sunt? Maximè quia recentium beneficiorum obliti fuerant. Scilicet malorum extrema timenda sunt, vbi Diuinorum beneficiorum obliuio mentem inuadit, & occupat.

Moyses enim hic, qui eduxit nos de terrâ Aegypti, nescimus quid factum sit ei.

MAgna hîc Hebræorum apparet ingratitudo: eductionem ex Ægypto, quæ à Deo tot miraculis, signis, ac prodigiis facta fuerat, non Deo tribuunt, sed Mosi; vt non mirum, si in tam grauem lapsi fuerunt culpam, Idola sibi fieri petentes. Cùm beneficia, quæ à Dei manu nobis prouenere, hominibus tribuuntur, non Deo auctori, ingens timeri præcipitium potest. 938.

Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel.

COnqueritur hîc Deus, Iudæorum populum spatio annorum quadraginta, quibus in deserto fuit, nunquam illi sacrificasse. Non leue ex his verbis dubium oritur; nam Leuit. 8. & 9. & Numerorum 7. constat, Iudæos sacrificia, hostiásque cùm in deserto essent, obtulisse: cur igitur Deus hîc ait, vt refert sanctus Stephanus, nullas hostias, nullas victimas sibi à Iudæis oblatas? An, quia rarissimè in deserto Deo sacrificarunt? Adeò paucæ fuerunt oblatæ vero numini, victimæ, vt vix in numerum recenseri mereantur. Hinc disce, pauca, & exigua in Dei obsequium non præstare, cùm multa, & magna queas. Præterea, aliqua sacrificia obtulerint in deserto Iudæi: id non puro in Deum amore, & affectu sed pœnarum fecerunt metu. Fieri in Dei cultum, ferè non videtur, quod amore non fit, sed nudo supplicij timore.

Denique iurè conqueritur, sibi à Iudæis non fuisse, dum in deserto degerent, oblata sacrificia, mactatas victimas, quamuis id aliquando præstiterint; quia, vbicumque occasio fuit, corde reuersi sunt in Ægyptum, & in ipsis sacrificiis non in Deum mentem dirigebant, sed in porros, pepones, allia, aliaque quæ in Ægypto reliquerant. Nimirum opus, quod in Deum, Deique gloriam non dirigitur, quod mente in terrena sparsâ fit, tanquam si non fieret, in Dei rationariis minimè describitur. Id cogitent, qui rebus diuinis corpore assistunt, mente verò in externa, & temporalia diffluunt, & per domos, plateasque animo vagantur, licèt sacris adstare videantur. 939.

Durâ ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis sicut patres vestri, ita & vos.

HVcusque se ab obiecto crimine excusauit, Mosem laudauit, Dei legem asseruit: purgatus à crimine, de quo falsi testes, ita à Iudicibus persuasi, eum insimulauerant, incipit Iudæos arguere. Nimirum à crimine liber esse debet, qui alios docet, alios corripit: ineptè alios reprehendit & arguit, qui eodem cum illis, aut etiam grauiori scelere tenetur, grandiori culpâ ligatur. Leniter ac mansuetè loquutus Stephanus fuerat: nunc seueriùs agere incipit; quia scilicet videbat illos, animum non aduertere his, quæ dicebantur. Serui Dei ferre 940.

non

non possunt, negligi Dei verba: Stephanus magis dolebat ob Diuinorum verborum contemptum, quàm quòd ipse iniuriis proscinderetur. Tam seuerè eos corripit, tam acriter in eos inuehitur; sed absque furore, absque indignatione. Hæc loquendi libertas est, quod probauit, quando in criminibus pro illis orauit.

941. *Incircuncisis cordibus & auribus*: Cur non addidit? *Et labiis*. Nam, & labia se incircuncisa habere, ostenderunt, cùm iniurias in eum euomuerunt. Fors incircuncisos auribus dixit, non labiis, licèt vtraque incircuncisa haberent; quia auribus Dei verba se contemnere significabant, hta quippè quæ dicebantur, minimè attendebant; sed labiis maledica in ipsum verba intorquebant: vt igitur proderet, Diuinorum verborum contemptum se ægrè ferrè, iniurias sibi illatas nihili facere, *auribus incircuncisis*, dixit, non dixit, *labiis*. Digna res, quæ in exemplum eat; adeo vt Domini iniurias sentiamus, non sentiamus nostras: contra ferè accidit.

Magna cordis, & linguæ connexio est: ferè quæ in corde ebulliunt, lingua prodit. Dixerat *incircuncisis cordibus*, non addidit, *incircuncisis labiis*, tanquam in illo priori subintelligeretur: nam, qui corde incircuncisus est, est etiam labiis. Hinc illud: *de corde exeunt cogitationes malæ, stultiloquia.*

SECTIO IV.

Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.

942. IN dispositione Angelorum: Data est lex; quia Angeli recto ordine legem disponentes tradiderunt eam Mosi: Angelus enim Dei vice Mosi legem dedit. *Angelorum*, dicit, non, *Angeli*, quia, licèt vnus fuerit primarius Angelus, & fors sanctus Michael, qui Dei nomine decalogum proclamauit in Sinâ, is tamen multos alios Angelos secum habuit, qui ei, tanquam superiori, assiderent, & ignem, fumum, terræmotum, tonitrua, cæteraque prodigia excitarent. Angelorum lex dicitur, vt studeant pares Angelis fieri, qui legem accipiunt. Vocat sanctus Stephanus legem veterem, *legem Angelorum*: cur non Mosis? An, vt ostenderet, quam i legem faceret, cuius contemptorem eum esse dicebant? indicat quippè cælestem, ac diuinam legem fuisse, non humanam.

Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

INtimo dolore audientes ea, quæ à Stephano dicebantur, distumpebantur Iudæi. Sed cur non statim interficiunt? Cur tanquam feræ belluæ in eum non insiliunt? Verisimilem sceleri occasionem præstare studebant; nec videri volebant interimere illum ob proprias iniurias, quia scilicet eos violatæ legis reprehenderat. Adeò indignum est, proprias iniurias vlcisci, vt Iudæi, alioquin inuidiâ obcæcati, ab hoc abstinuerint. 943.

Præterea, quòd in eum statim non insiliunt, quòd eum statim non lapidant, & interficiunt, non pietatis fuit, sed inuidentiæ, maiorisque sæuitiæ: scilicet non contenti erant homicidium perpetrare, sed & gloriæ eius nocere conabantur; metuebant siquidem ne celebris magis redderetur: nolebant innocentem mori, cupiebant nocentem, eique ideo ingloriam, inhonorum. Sed irrita hæc eorum intentio fuit: celebris in toto mundo Stephani memoria euasit, quia lapidatus à Iudæis ob crimine falsò illi obiecta. Audiri hîc potest Oecumenius; *Si eum occidere volebant*, inquit, *quomodo non statim occidebant? Quia verisimilem sceleri occasionem prætexere volebant. Nam iniuria aduersùs ipsos non erat rationabilis prætextus ad interemptionem, sed ad eiectionem aut ad flagellationem fortassis: ad occisionem verò causa sufficiens non erat; aliqui etiam neque ipsius contumelia erat, sed Prophetæ aduersùs illos accusatio; nec videri volebant interimere illum ob proprias iniurias, quemadmodum neque Christum. Etenim contenti non erant homicidium perpetrare, sed & gloriæ eius nocere conabantur: siquidem metuebant, ne celebris magis redderetur, si ob iniuriam ipsis illatam interimeretur.*

Stridebant dentibus: Etiam in inferno, *stridor dentium*, futurus dicitur. Quidni & isti dentibus strideant? cùm illi, qui inuidiæ morbo laborent, gehenna sibi sint.

Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei.

NOta verborum nexum, sententiarum consecutionem: priùs dicit, *plenus Spiritu sancto*, postea adiecit, *intendens in cælum*. Quia nimirum Spiritu Diuinitatis afflatur, qui, contemptis, ac conculcatis terrenis rebus, cælestibus inhiat, & æternis: terreno spiritu; qui plenus est, terram respicit, respicit terrena. 944.

Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.

IEsum dispicit, qui despicit seipsum: Iesum spectatorem habet, qui, Christo affixus, lapidum non sentit ictus, vulnera non considerat carnis. *Ecce video cælos apertos*: Etiam Christus post baptismum cælos apertos vidit: an in hoc par Christo Stephanus? Sed vbi eius baptismus? An tribulatio, & persecutio, æquo animo excepta, baptismi instar est? Baptismalem innocentiam acquirit, purissimus euadit, qui illatas iniurias, non æquo modò, sed etiam libenti animo fert.

Ecce video. Cur id non tacuit Stephanus, ne se efferre videretur? Quia hæc ei ostensa, non vt celarentur, sed cæteris fierent nota; sicque cæteri possent ad cælestium amorem excitari *Vidit Iesum stantem*, inquit sanctus August. serm. 94. de diuersis

ad dexteram Patris : vidit, vt non taceret. Non tacuit ille, quod vidit, vt perueniret ad eum, quem vidit. Fors putauit, idem & alios visuros, si oculos in cælum eleuarent, quos in terram fixerant.

945. *Filium hominis* : Cur non dixit Filium Dei? cùm ita plus honoris, & gloriæ Domino deferre videretur. An, vt statim Iudæorum incredulitatem argueret? Martyri Filius hominis ostenditur in cælo ad dexteram Patris stans, qui impiè à perfidis negabatur in mundo.

Et filium hominis : Plerique & inter alios sanctus Chrysostomus, volunt sub illud tempus, quo tractus est in concilium, & concionem habere cœpit sanctus Stephanus, ostendisse se illi Christum, adeò vt ob id conspiceretur vultus eius, tanquam Angeli. Sed quæri potest : cur statim iam singularem visionem non manifestauit? Cur tamdiu eam narrare distulit? Ne se, ne sua iactare videretur. Humilis Dei seruus ea exponere palam aut vitat omninò, aut quantum potest differt, quæ in eius gloriam, & honorem sunt. Necessitate quâdam compulsus narrauit tandem; cùm scilicet rationibus, atque persuasionibus nihil promoueret. Ergo, dum visionem narrat, non gloriam suam quærit, sed auditorum suorum salutem.

946. Non temerè, aut vanè visioné, quam viderat, deprædicat Stephanus : congruè id facit, sapitque narratio ista modestiam summam. Fortiter ferens Stephanus suorum hostium impetus, & iniurias, videre se Christum stantem monet; vt statim discerent spectatores, fortitudinem illam, infractumque animum non à suis viribus esse, sed à Christo, qui auxilium pugnanti præbebat, &, militis sui adiutor, in cælis stare perhibetur. Vera hæc animi magnitudo est, nihil suis viribus tribuere, omnia Deo. Imbecillis statim fit omnis fortitudo, quæ propriis lacertis tribuitur, non refertur in Deum.

Stat Iesus, quia & Iesu stat miles. *Stat cum stante*, inquit sanctus Petrus Damianus, *cum bellatore bellatur; quia lapidatur cum lapidato.*

Ecce video cælos apertos : Qui cælos apertos videt, audit multa contra se hominum ora aperiri. Despicit persequutorum iras, qui cælo aperto Iesum videt ad ferendam opem paratum. Cælos apertos se videre asserit sanctus Stephanus, vt Iudæos ad pœnitentiam inuitaret; illosque à malo deterreret, iudice ostenso.

947. Aperiuntur ei cæli, qui cordis ostium suis hostibus aperuerat : igitur habendi pro amicis sunt, per quos cælum nobis aperitur. Vix vnquam alibi nobis homines prosunt, quàm cùm exutâ humanitate in nos sæuiunt. Vidit cælos apertos Stephanus: hoc quoque persequutorum suorum sæuitiei debet; vt non mirum si irasci illis non potuerit, quin pro illis os ad orationem aperuerit, per quos oranti cælum aperiebatur. *Nesciebat*, inquit Hilarius, *iis irasci, per quos videbat, aulam Regni cælestis sibi aperiri.* Sed interim illi, per quos cælum Stephano aperiebatur, inferni sibi ianuam aperiebant, vt nocere sibi persequutores studeant, dum aliis prosunt.

Cùm priùs esset dictum, Angeli faciem Stephanum habuisse, additur cælos illum apertos vidisse. *Tali miraculo*, inquit Sanctus Fulgent. Serm. de Sancto Steph. *Angeli faciem decebat honorari.* Nimirum, Angelorum domicilium aperitur Angeli faciem referenti. Contra plerunque dæmonis malitiâ fit : Angelicam pulchritudinem vnius sexus, alteri alterius ostendit, & infernum diducit, vt malè visæ pulchritudinis culpâ correptos eò trahat.

Aperitur cælum Stephano pugnanti: *Non abs re*, inquit Beatus Laurentius Iustinianus, *Dei Verbum Dominus reseratum cælum : séque suo militi in articulo mortis constituto ostendere dignatus est. Magnâ quidem sapientiæ arte vsus est : Nam tacitè imitatoribus suis, & amicis fidelibus significauit, quòd, qui seculo renuntiat, & Cvi negatvr terra, tribvatvr cœlvm:*

Ecce video cælos apertos: Aperiuntur cæli ei qui charitatis viscera nec lapidatoribus suis clauserat; Pulchrè hæc verba expendebat Sanctus Augustinus serm. 51. de diuersis dum ait: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei. Vidit Christum confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum, & in extremis cùm ictus crebrescerent lapidum, & dura vulnera à duris cordibus iactarentur, vidit se vicinum non exitio sed exitui, vidit animam suam iam exituram & commendauit eam. Cui? Illi quem videt, illi quem coluit, illi cui seruiuit, illi cuius nomen prædicauit, illi pro cuius Euangelio animam posuit, illi commendauit ipsam animam, Domine, inquit, Iesu, accipe Spiritum meum. Fecisti me victorem. Fac me recipi in triumphum.* 948.

Et Filium hominis: Dixisset, Filium Dei, quod honorificentius videbatur. Sed illud Iudaicæ perfidiæ euertendæ aptius erat. *Considerate attentiùs* (verba sunt sancti Maximi hom. in Natali sancti Stephani) *cùm Beatus martyr Dominum nostrum Iesum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidisset, cur se Filium hominis videre, testatus est, & non potiùs Filium Dei; cùm vtique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potiùs, quàm hominis Filium videre dixisset. Sed certa ratio postulabat, vt hoc ita & ostenderetur in cælo, & prædicaretur in Mundo : omne enim Iudæorum scandalum in hoc erat, cur Dominus noster Iesus Christus, qui secundum carnem est Filius hominis, esse etiam Dei Filius diceretur. Ideo ergo, pulchrè scriptura Diuina Filium hominis ad dexteram Dei Patris stare memorauit; vt, ad confundendam Iudæorum incredulitatem, illi martyri ostenderetur in cælo, qui à perfidis negabatur in Mundo; & illi testimonium Cælestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogarat.*

Stantem Iesum vidit, tanquam paratum ad opem pugnanti ferendam. Stabat Iesus, Iesu ne iaceret miles vel vnus Iesu intuitus inhalare Stephano animum potuit, ne lapidibus appetitus deficeret: quin, eo adspectu recreatus, sensit, se singulari amore in eos ferri, qui in eum sæuiebant; adeò vt pro illis oraret. Audiendus Beatus Laurentius Iustinianus in Festo sancti Stephani : Non iacentem non sedentem *vidit Dominum*, Sed stantem *paratum (videlicet) ad sibi impendendum suffragium. Hinc martyris sancti solidata mens, nec perturbata in se, neque aduersùs persecutores est vindicta zelo permota: quin potiùs superno irradiata splendore, spiritualis præcincta gladio & virtutum armis circumquaque protecta, etiam percutientium rabiem orando, & immundorum spirituum æquanimiter perferendo tormenta, superauit insultus. Tota quidem cælesti consolatione iam plena Mundum vniuersum desiderio transcendebat. Lætabatur quippe Protomartyr egregius propulsari è sæculo : & in patentis cæli introducendus palatium, vilissima carnis gratanter tentorium deserebat, immortalitatis stolam adepturus in breui.* 949.

Iesum in cælum iurè videt, qui Iesu amore lapidantibus ita parcit, vt pro eis oret. Egregiè S. Stephanum hîc offert sanctus Maximus hom. 4. de 950.

Sepulturâ

Sepultu à Domini: *Stephanus*, inquit, *beatus fide sua non super terram quasiuit Christum, sed stantem illum ad Dei dexteram recognouit: ibi illum reperit, vbi mentis deuotione quasiuit. Non solum autem Stephanus in cælo videt Christũ, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit enim Dominum, cùm pro inimicis suis orans, velut fide sua tenens illum, dicit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Intellige ergo, quanta deuotionis sit gloria. Maria iuxta Dominum consistita eum tangere non meretur. Stephanus in terris positus Christum tangit in cælo. Illa inter Angelos præsentem non videt Saluatorem: Stephanus* INTRA CÆLOS *Dominum cernit absentem.*

Dum lapidatur Stephanus, apertum cælum vidit, & Iesum stantem: sed cur non etiam terrenis præsidiis munitor? Amanti Iesum, Iesus sufficit; & Cæli ipsius visio tanti est, vt cætera omnia nihil sint Cælo comparata. Scitè Beatus Laurentius Iustinianus in festo Sancti Stephani: *Dum saxorum,* inquit, *crepitantium ictibus ferirctur attollens oculos cælos coram se apertos intuens inquit: Ecce ego video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. O mira Conditoris nostri dignatio! ô profusa Regis Christi largitio! Militi suo laboranti in stadio non exhibuit temporales opes, terrenáque præsidia; SED CÆLVM; ET HOC VTIQVE APERTVM, quatenus plenam posset de ingressu illum percipere fiduciam, de visione gaudium, concupiscentiam de plenitudine, & de adiutorio constantiam.*

Ecce video; Quid videbas, ô magne? *gloriam Dei, & Iesum stantem*; Iacob quoque Deum vidisse legitur, sed scalæ innixum: hic stat nullaque est scalæ mentio; Festiuè nobilis quidam doctor: *Quidam beatum Deum vidit decumbens in lapide, hic occumbens lapide. Vtre spectat obiecta maior, qui inuixum, an qui stantem vidit Deum? quæris, cur hic nulla tendant in cælum scala? non vtitur scalarum gradibus, sed pennis amor. Nunquam hic lenior, quàm inter aspera fuit saxa; iater surdas versatus aspides mel ex ore pro veneno fudit. Clausit & Vlysses aures sed Sirenum illecebris, ne ad cantus allideretur incautus; at hi cælestem Sirenem surdi appetunt cautibus. Nouus Orpheus inter canoras preces trahit ad se saxa. Comminuti sunt lapides in magni vindictis morte, iu tenuia frustra concisi, vt hunc ferirent mitius. Parum ei gentis fuit lapidescere dura ceruice, nisi etiam lapidesceret dura manu.*

Ecce video cælos apertos; Dum cælum apertum videt, via sentie se lapidibus peti: Vides, inquit, B. Eucherius hom. 1. de sancto Stephano, quòd *expectantis intuitus* ARMAT CONSTANTIAM *triumphantis? dignè patentibus cæli portis comparatur cælum, bella desudans: ac sic dum occupatur in stupore, & amore cælestium meritò ingruentium non turbatur duro imbre saxorum.* Nimirum libenter fert quæcumque mala, quoscumque malos qui malis se ferri ad regnum cogitat, efferri ad cælum.

SECTIO V.

Exclamantes autem voce magnâ continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.

CONtinuerunt aures suas: Syrus, *obturauerunt aures suas*: ne iis videlicet blasphemiam excipere viderentur. Cùm cæli ianuæ aperiuntur, clauduntur Iudæi aures, vt proderent, se nihil eum cælo habere commune, nihil cum cælitibus. Obturant aures: non dignæ erant impurorum aures, quæ Diuinæ apparitionis exciperent verba. 951

Continuerunt aures suas.

PRo *continuerunt*, aliqui habent, *obturauerunt*. Nimirum, *vt in suâ duritie perseuerarent*, ait sanctus Augustinus serm. 99. de diuersis: vbi addit: *Cùm cæli ianua* APERIRENTVR, *ipsi Iudæi mentes* CLAVDEBANT; quæ tunc maximè aperiendæ, cùm cæli aperirentur.

Continuerunt aures suas: Sanctus Augustinus, *clauserunt aures suas*: tanquam aspides surdæ essent. Sic enim ait Sanctus Pater: *Quid de eis Scriptura dicit: quid de illis narrat? Clauserunt, inquit, aures suas. Non erant surdi, sed fecerunt se surdos. Ecce aspides surda, duriores lapidibus, quibus incantatorem suum lapidauerunt.* 952

Exclamantes, de hoc clamore ita sentit sanctus Gregorius Nyssenus encomio in sanctum Stephanum: *Hi verò exclamantes voce magnâ & continentes aures suas, impetum vnanimiter in eum fecerunt. Rectè adiecit, eorum facti historia clamorem, vt ostenderet designata voluntatis eorum* CVM SODOMITIS COGNATIONEM; *etenim illorum scelus, clamor à indicante nominatim est. Clamor enim, inquit, Sodomorum & Gomorræ ad me ascendit. Clamauerunt igitur hi quoque, vt etiam eorum aduersus Stephanum clamor audiretur.*

Et, eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant.

APud Iudæos blasphemi pœna lapidatio erat: lapidant ergo Stephanum tanquam blasphemum. Iniquè hæc pœna huic peccato deputata, licèt iniquissimè Stephano, qui innocens erat, & ab omni blasphemiæ notâ maximè alienus. Porrò blasphemo lapidatio decreta erat; vt pœnæ executor populus esset, quo maiorem conciperet huius peccati horrorem, cuius vindex ex lege erat.

Non blasphemiæ tantùm pœna, sed etiam adulterij pœna erat lapidatio, vt constat ex illo Susannæ exemplo apud Danielem c. 13. 62. & ex illo de adulterâ apud Ioannem cap. 8. Non ab re hoc factum; sed, vt, qui lapides iaciebant, eâdem actione profiterentur, se ab illo crimine & immunes esse, & perpetuo velle ab eo longè recedere.

Et

Et testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.

953. VT expeditiùs Stephanum lapidarent, testes, & cum illis etiam alij, vestes ad pedes Sauli deposuerunt: deposuit & Christus vestes, cùm vellet discipulorum pedes abluere: hi, non vt alienas maculas abstergant, demittunt vestes; sed vt peccati sordes ipsi contraherent, innocentis sanguinem effundentes.

Deposuerunt vestimenta sua: Vestes exuunt, qui pietatem exuerant; & ponunt ea *ad pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.* Nominis huius notio nota est; Saulus, *postulatus*, à verbo, שאל *Schaal* dicitur, eo quod ad vexandam Ecclesiam fuisset à diabolo postulatus; quemadmodum videlicet & primus Rex, quia postulatus à Deo, Saul est nominatus.

Alij aliam nominis etymologiam assignant, vt significet, *infernum* à voce שאול *Scheol*, quæ de inferno, sepulchro, ac morte dicitur. Ab inferno Saulus nomen sortiatur; infernus quippè sibi peccator est, sibi gehenna, qui sæuit in innocentes, & Dei Ecclesiam persequitur.

Infernum, mortem, ac sepulchrum nomine suo hic adolescens claudit: Saulus dicitur, vt inferni, mortis, ac sepulchri memor, desineret peccare, ac veluti frænum ei suum nomen inijceret, ne in scelera rueret. Explicari non potest, quàm proficua mortis, & sepulchri memoria sit, & quam fortiter a peccato auocet gehennæ metus.

Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum.

954. AD lapides Iudæi decurrunt, in quibus quandam sui similitudinem videbant: *ad lapides currunt, duri ad duros: iactabant in illum pares suos.* Lapides Iudæos referunt, lapidibus in iustos sæuiunt, nihil ita nocere iusto potest, quàm impij. Obruere Stephani pietatem lapidantium sæuities non potuit: per vitæ, mortisque contemptum fortitudinem suam Martyr prodit: orationis adiungit studium, vt Christi se discipulum probet, probet imitatorem, qui moriturus orauit Patrem: *Pater*
Luc 23.v 46 inquiens, *in manus tuas commendo spiritum meum*: Christus orauit priùs pro alijs deinde spiritum suum Patri commendauit: Stephanus orat primo pro se; quia Christus non egebat oratione pro se ipso, sicut nos egemus; ordo autem charitatis postulat, vt priùs nostram salutem quæramus, deinde aliorum.

Lapidabant Stephanum; nimirum vt ait sanctus Augustinus serm. 207. de tempore, *Lapides mittunt lapides*, DVRA DVRI. *Qui in lapide legem acceperunt, lapides mittunt*; Quales sunt talia mittunt, mittentium naturam sapiunt lapides missi.

955. *Suscipe spiritum meum*: Non corporis curam gerit, sed spiritus duntaxat. Ritè ille hinc migrat, à quo priùs omnis corporis, & rerum corporalium cura migrat. Sui corporis oblitus est Stephanus: non fuit ille oblitus, pro quo Stephanus patiebatur; vt à piis, & religiosis viris, quorum dux fuit Gamaliel, curari voluerit, ac, adhibito planctu septuaginta dierum, sepeliri. Qui moriturus nullà sui corporis curà tangebatur, mortuus tantà funeris pompà est sepultus: neque enim à suis cultoribus, vinci se, Deus patitur, qui patiuntur pro Deo.

Positis autem genibus, clamauit voce magnâ, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.

STephanus, qui pro se stans orauerat, pro lapidantibus oraturus genua flectit: plùs nimirum dolebat persequentium peccata, quàm sua vulnera: magis iniquitatem sæuientium Iudæorum odio habuit, quàm suam mortem. 956.

Quòd tam fortis in hac persecutione fuerit Stephanus, tam lenis, tam patiens, vt pro persequutoribus ipsis orauerit, post Deum, Mariæ precibus debemus: tandiù Beata Virgo pro Stephano fudit orationem, quamdiù durauit lapidatio. Borcardus, Adricomius, Michael Ausingus, aliique eius lapidis mentionem faciunt super quem orauit Virgo, dum Stephanus lapidaretur: Apparet hinc quanta vis orationis eius sit, quantam fortitudinem, quantum robur obtinere nobis contra hostes omnes possit Maria, si pro nobis deprecatur. Æquo, lætoque animo omnes iniurias feremus, si pro nobis preces Virgo fundat. Potuit vnus Stephanus contra tot Iudæos stare, & superâ fortitudine, ac lenitate eos vincere: potuit Saulum conuertere, Mariæ orationibus fultus. Cùm Moses quondam oraret, vincebat hostes suos populus: cur non idem pleniùs orans Maria obtiouerit? Obtiouit: idem pro nobis præstatura, si, vt par est, nos eius patrocinio commendabimus.

Pro se orans, stetit Beatus Stephanus: orans pro inimicis, genua flexit, vt hôc habitu indicet, difficile, durumque esse, eos ad Deum conuertere, qui duri in alios sæuiunt. Sancti Augustini hæc sunt verba, Stephanum interrogantis: *Sed paululum quæso te, sancte Stephane, expone nobis hoc: nescio quid. Quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu flexisti? Respondebis fortasse, quod intelligimus*: PRO ME STANS ORAVI, *quia pro me, qui rectè Deo seruiui, orando, & impetrando, non laboraui. Pro me non laboraui; quia, qui pro iusto orat, non laborat. Ideo stans, pro se orauit. Ventum est, vt orares pro Iudæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis: attendit nimiam, & magnam esse impietatem ipsorum, qua difficilè donari possit*, ET GENV FIXIT. *Fige genu in hac vineâ fortissimè operare: fige, inquam, genu in opere huius vineæ fortissimè operare. Magnum opus tuum, egregium, & laudandum multum. Multùm altum fodisti, qui odium inimicorum de corde exuisti.* 957.

Ne statuas illis hoc peccatum: Sanctus Augostinus legit, *hoc delictum*, additque: *Amabat, à quibus occidebatur, quia & pro ipsis moriebatur*: pro illis offerebat vitam, qui vitam auferebant. *Domine ne statuas illis hoc peccatum*: Grauiter priùs eos corripuerat inquiens: *Incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis*, nunc genua pro eisdem ponit, oratque Deum pro illis, probans, quòd nec priora ex ira dixerit.

Vires à Iudæorum sæuitiâ Stephanus hauriebat. 958.
Tam fortis in tam sæuâ persecutione extitit, quia, post visum Iesum, Mariæ Virginis sensit preces. Nunc quoque lapis ostenditur, in quo Maria cum suo Ioanne, dum Stephanus lapidaretur, pro Stephano fudit preces vt superius tetigimus. Sterni non potuit ille, pro quo Magna Magni Dei Mater sternebat

ſternebat preces, & cum Ieſu Matre diſcipulus, quem Ieſus Diligebat.

959. Pro inimicis vix orauerat, cùm in Domino obdormiuit. Felix poteſt quieſcere, tutuſque dormire, qui orat pro ioimicis, inimicis parcens. Hunc nexum ita expendebat ſanctus Auguſtinus: *Primò Beatus Stephanus ſtans orauit pro ſe, & ait: Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Deinde genu flexit, & flexo genu ait: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Hoc dicto obdormiuit. O felix ſomnus, & requies vera! Ecce quid eſt requieſcere: pro inimicis orare.*

Miſericordiæ viſcera diducit, dum diduci ſibi cælum videt; lapidum ictus cæleſtem rorem putans, dum ſternit ſibi per lapides viam ad cælum cogitat. *Idcirco*, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus orat. 8. de Beatitud. *magnus ille Stephanus gaudet, lapidibus vndique petitus; ac veluti* SVAVEM QVENDAM RORRM CREBROS LAPIDVM ICTVS *in modum floccorum niuis inſidentium corpore cupidè excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas proſequitur, pro his ipſis, ne peccatum hoc eis imputaretur, orans; quoniam & promiſſionem audiuerat, & ſpem cum iis, quæ apparebant, congruere & conuenire videbat. Nam cùm audiſſet eos, qui propter Dominum perſequutionem paſſi eſſent, in Regno cælorum verſaturos eſſe; dum perſequutionem pateretur, vidit id, quod ſperabatur: currenti enim ei per confeſſionem, quod ſperabatur, oſtenditur: cælum apertum, Diuina gloria ad certamen currentis de ſupramundanis partibus reſpectans, ille ipſe, qui in certaminibus, athleta teſtimonio celebrabatur.*

960. Veræ hæc dilectionis conſignatio eſt; plus cruciabant Stephanum aliorum vulnera quàm ſua, vt ſui oblitus, pro lapidantibus preces offerat: Benè de illo B. Thomas à Villanoua conc. 4. in die natali Domini. *Oblitus*, inquit, *vulnerum, & memor eſt animarum; plus illum proximi, quàm* SVA SOLICITANT VVLNERA.

In lapidantium ſæuitie beneficium agnoſcebat Sanctus Stephanus, vt non mirum ſi pro iis orationem fuderit, qui iaciebant in eum lapidem, & veniam illis peteret, à quibus petebatur lapidibus. Sciit Sanctus Gregorius Nyſſenus Encomio in Sanctum Stephanum: *Non ignorabat athleta ſe per crudelitatem cædem nefariam perpetrantium beneficium accipere: nam crebè lapides vndique conicientium quaſi coronâ cinctus, ita accepit id, quod agebatur, quaſi corona, victoriæ premium in manibus aduerſariorum necteretur. Quare etiam benigna precatione ſanguinarios compenſat, rogans, ne in contrarios euentus facinus, quod in ipſo perpetrabatur, diuideretur; vt ſibi quidem vitam, aduerſariis autem exitium adferret: ſed quibus ipſe dignus iudicatus eſſet, ab iis ne hoſtes quidem, quaſi bonorum ſibi aliquâ ex parte authores, excluderentur.*

Diuinæ vindictæ genus elegit Stephanus: pre- 961.
ces lapidibus obiicit, pro lapidantibus orat. Quidni tantâ patientiâ hoſtes ſuos ferat, cùm vidiſſe dicatur ipſum patientiæ legiſlatorem Ieſum, qui idem in crucifixores ſuos præſtitit ad cæterorum exemplum? Ducem ſuum imitatur hic miles. Præclarè Sanctus Gregorius Nyſſenus in encomio Sancti Stephani, *Benignâ*, inquit, *precatione ſanguinarios compenſat. Sic is, qui Chriſtum cernit, aduerſus hoſtes ſeſe gerere nouit.* QVONIAM ENIM PATIENTIÆ LEGISLATOREM VIDEBAT, *recordatus eſt legum ab eo latarum, inimicos diligere iubentium, & benefacere odio proſequentibus, & pro hoſtilia facientibus orare.*

Saulus autem erat conſentiens neci eius.

SÆuiebat Saulus in Stephanum, preces tamen Stephanus pro Saulo fudit, vt Paulus fieret, & ex perſecutione Apoſtolus, quod in tanti martyris gloriam reſilit; vt non mirum ſi legamus cùm Paulus emitteret ſpiritum, adfuiſſe Stephanum, qui eum Deo offerret; id diuinitùs cognouiſſe B. Mariam Ogniacenſem refert Cardinalis à Vitriaco lib. 2. cap. 11. vbi ait: *Cum de Beato Stephano Protomartyre caneret, quem Paradiſi Roſarium appellabat, dicebat illi ſub mortem oranti Dominum pro munere dediſſe S. Paulum, & S. Paulo peracto martyrio è corpore excedendo, S.* STEPHANVM ADFVISSE, *eiuſque ſpiritum obtuliſſe Domino, atque dixiſſe: Domine hoc ingenti & ſingulari munere tu me donaſti; ego verò multiplici fructu auctum illud tibi reddo.*

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

CAPVT VIII. ACT. APOST.

Verſ. 1.

FACTA eſt autem in illâ die perſecutio magna in Eccleſiâ, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos.

In illâ d. *Syr. Per illud tempus. Pagn. In illo die. Vat. Illo die.*
In Eccleſiâ. *Syr. In Eccleſiam. S. Chryſ. Aduerſus Eccleſiam.*
Regiones. *Syr. Pagos.*
Et Samariæ. *Syr. Atque adeò Samaritanos.*
Apoſtolos. *Syr. Apoſtolos tantùm.*

Verſ. 2.

Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

Curauerunt a. *Syr. Collectum autem in arcam ſepelierunt. Goth. Comportauerunt autem. S. Chryſ. Curauerunt autem vnà Gagn. Extulerunt autem. Mar. Collegerunt autem.*
Stephanum. *Goth. Corpus Stephani.*
Timorati. *Syr. Fideles. S. Chryſ. Religioſi.*
Fecerunt planctum. *Syr. Planxerunt. Vat. Edideruntque planctum.*
Magnum. *Syr. Vehementer.*
Super eum. *S. Chryſ. Super illo.*

Verſ. 3.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 3.

Saulus autem deuastabat Ecclesiam: per domos intrans,& trahens viros ac mulieres,tradebat in custodiam.

Saulus a. *Syr. Saulus porrò. S.Chrys. Saulus verò.*
Deuastabat. *Syr. Persequebatur.*
Ecclesiam. *Syr. Ecclesiam Dei.*
Per d. *Syr. Dum domos. Chrys. Per singulas domos. Vat. Domesticatim.*
Intrans. *Syr. Ingrederetur. S.Chrys.* omittit.
Trahens. *Syr. Traheret.*
Tradebat in c. *Syr. Traderetque carceri.*

Vers. 4.

Igitur,qui dispersi erant, pertransibant, Euangelizantes verbum Dei.

Qui dispersi e. *S. Chrys. Illi dispersi. Salm. Qui disseminati erant.*
Pertransibant. *Syr. Perlustrabant regionem. S. Chrys. Peragrabant.*
Euangelizantes. *Syr. Prædicabantque. S.Chrys. Annunciantes.*
Verbum Dei. *Syr. Sermonem Dei. Pagn. Sermonem. Quidd. codd. Verbum.*

Vers. 5.

Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ,prædicabat illis Christum.

Descendens. *S.Chrys. Vt descendit. Oecum Digressus. Pagn. Peruenit.*
Ciuitatem S. *Syr. Vrbem Samaritanorum.*
Prædicabat i. *Syr. Prædicabat. S.Chrys. Prædicauit illis. Pagn. Ac prædicabat illis.*

Vers. 6.

Intendebant autem turbæ his , quæ à Philippo dicebantur , vnanimiter audientes,& videntes signa,quæ faciebat.

Intendebant a. t. *Syr. Hominesque qui illic,attendebant ei.*
His,quæ à Ph. d *Syr. Cùm audirent sermonem eius.*
Vnanimiter audientes. *Syr. Tum acquiescebant omnibus, quæ dicebat. Ar.M. Vnanimiter in audire ees.*
Et videntes. *Syr. Cùm viderent. S.Chrys.* omittit. *Ar.M. Et videre.*
Faciebat. *S.Chrys. Faciebant. Pagn. Edebat.*

Vers. 7.

Multi enim eorum,qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant.

Multi. *Ar.M. Multorum. Vat. E multis.*
Qui h. f. i. *Syr. Quos tenebant spiritus immundi. Vat. Qui ab ipsis tenebantur. Ar.M. Habentium spiritus immundos.*
Clamantes. *Syr. Clamabant.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Exibant. *Syr.* Exibant *ab eis.Vat.Spiritus immundi exibant.*

Vers. 8.

Multi autem paralytici & claudi curati sunt.

Multi. *Syr. Alij.*
Curati. *Syr. Sanitati restituti. S.Chrys. Sanati.*

Vers. 9.

Factum est ergo gaudium magnum in illâ ciuitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ , dicens se esse aliquem magnum,

Factum e. e. *Syr. Et extitit.*
Vir a. *Syr. Erat autem illic homo.*
Ante f. i. c. m. *Syr. Habitauerat in illâ vrbe multo tempore & magicis suis artibus. S.Chrys. Ante in eâ ciuitate artem exercüerat magicam.*
Seducens.*Syr.Seduxerat.S.Chrys.Ac Dementauerat.*
Gentem Samariæ. *Syr. Plebem Samaritanorum.*
Dicens. *Syr. Cùm magnificaret se ipsum,diceretque. Orig. Qui se pranunciabat.*
Se esse a. m. *Syr. Ego sum ille magnus. S. Chrys. Se esse quempiam magnum. Orig. So esse Dei virtutem magnam.*

Vers. 10.

Cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum,dicentes:Hic est virtus Dei,quæ vocatur magna.

Cui asculltabant omnes. *Syr. Proinde inclinabantur ad eum. Geth. Cui intendebant omnes. Vat. Cui auscultabant illi.*
A minimo v. a. m. *Syr. Tam proceres , quàm tenues. Vat. Tam parui,quàm magni.*
Virtus. *Ar.M. Virtus illa. Caiet. Potentia.*
Quæ vocatur magna. *Caiet. Magna.*

Vers. 11.

Attendebant autem eum,propter quod

Attendeb. a. e. *Syr. Et acquieuerant ei. S. Chrys. Auscultabant autem ei.*

multo

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

multo tempore magiis suis dementasset eos.

Magiis s. *S. Magicis suis incantationibus. S. Chrys. Magicis suis artibus. Ar. M. Magicis. Caiet. Magicis artibus. Quidd. codd. Magiis suis.*
Dementasset. *Syr. Obstupefecerat.*

Vers. 12.

Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres:

Euangelizanti. *Vat. Prædicanti Euangelium.*
De Regno. *Syr. Regnum. Ar. M. Quæ de Regno.*
In nomine. *S. Chrys. Déque nomine. Caiet. Nomine.*
Iesu. *Syr. Domini nostri Iesu.*
Viri. *S. Chrys. Viri simul.*

Vers. 13.

Tunc Simon & ipse credidit: &, cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Tunc. *Syr. Quin Simon. Ar. M. At Simon.*
Credidit. *Syr. Credebat.*
Videns e. *Syr. Cùmque spectaret. S. Chrys. Vidensque.*
Signa. *Oecum. Virtutes. Vat. Potentia facta.*
Virtutes maximas. *Syr. Virtutes magnas. S. Chrys. Virtutes. Oecum. Signa. Pagn. Potentias. Ar. M. Signa magna.*
Fieri. *Syr. Quæ edebantur per eum. Oecum. Quæ fiebant. Vat.* omittit. *Ar. M. Facta.*
Stupens a. *Syr. Obstupefiebat & admirabatur. Ar. M. Obstupefiebat.*

Vers. 14.

Cùm autem audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem:

Cùm a. a. *Ar. M. Audientes autem.*
Quòd r. *Syr. Recepisse.*
Samaria. *Syr. Populum Samaritanorum.*
Verbum. *Pagn. Sermonem.*
Petrum. *Syr. Simonem Petrum.*

Vers. 15.

Qui, cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum:

Qui c. v. *Syr. Itaque descenderunt. S. Chrys. Qui cùm descendissent.*
Orauerunt. *Syr. Et precati sunt.*
Acciperent. *Syr. Reciperent.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*

Vers. 16.

Nondum enim in quenquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.

Venerat. *Syr. Ingressus fuerat. S. Chrys. Illapsus fuerat. M. SS. Superuenerat.*
Baptizati erant. *Syr. Baptizabantur.*
In nomine. *S. Chrys. Sub nomine.*
Domini. *Syr. Domini nostri. S. Chrys. Christi.*

Vers. 17.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Manus. *Syr. Manum.*
Super i. *Syr. Eis.*
Accipiebant. *Syr. Recipiebant.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*

Vers. 18.

Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,

Cùm v. *Syr. Conspicatus. S. Chrys. Vt vidit. Oecum. Intuitus. Ar. M. Conspiciens.*
Manus. *Pagn. Manum.*
Daretur. *S. Chrys. Datus est. Oecum. Daretur eis.*
Pecuniam. *Syr. Argentum. S. Chrys. Pecunias.*

Vers. 19.

Dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

Manus. *Syr. Manum.*
Accipiat. *Syr. Recipiat.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*
Petrus. *Syr. Simon Petrus.*

Vers. 20.

Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.

Pecunia tua. *Syr. Argentum tuum.*
Sit. *Syr. Abeat.*
Perditionem. *Orig. Interitum. S. Petr. Dam. Perditione.*
Quoniam. *Syr. Quippe qui. S. Petr. Dam. Qui.*
Donum. *S. Cypr. Gratiam.*
Existimasti. *Syr. Putaueris. S. Chrys. Putasti.*
Pecuniâ. *Syr. Diuitiis Mundi. S. Chrys. Pecuniis. S. Cypr. Per pecuniam. Ar. M. Per pecunias.*
Possideri. *Syr. Acquiri. S. Aug. Comparare. Orig. Possidere. Vat. Parari.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 3.

Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam: per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam.

Saulus a. *Syr. Saulus porrò. S.Chryſ. Saulus verò.*
Deuaſtabat. *Syr. Perſequebatur.*
Eccleſiam. *Syr. Eccleſiam Dei.*
Per d. *Syr. Dum domos. Chryſ. Per ſingulas domos. Vat. Domeſticatim.*
Intrans. *Syr. Ingrederetur. S.Chryſ.* omittit.
Trahens. *Syr. Traheret.*
Tradebat in c. *Syr. Traderetque carceri.*

Verſ. 4.

Igitur, qui diſperſi erant, pertranſibant, Euagelizantes verbum Dei.

Qui diſperſi e. *S. Chryſ. Illi diſperſi. Salm. Qui diſſeminati erant.*
Pertranſibant. *Syr. Perluſtrabaat regionem. S. Chryſ. Peragrabant.*
Euangelizantes. *Syr. Prædicabantque. S.Chryſ. Annunciantes.*
Verbum Dei. *Syr. Sermonem Dei. Pagn. Sermonem. Quidd. codd. Verbum.*

Verſ. 5.

Philippus autem deſcendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.

Deſcendens. *S.Chryſ. Vt deſcendit. Oecum Digreſſus. Pagn. Peruenit.*
Ciuitatem S. *Syr. Vrbem Samaritanorum.*
Prædicabat i. *Syr. Prædicabat. S.Chryſ. Prædicauit illis. Pagn. Ac prædicabat illis.*

Verſ. 6.

Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes ſigna, quæ faciebat.

Intendebant a. t. *Syr. Hominesque qui illic, attendebant ei.*
His, quæ à Ph. d. *Syr. Cùm audirent ſermonem eius.*
Vnanimiter audientes. *Syr. Tum acquieſcebant omnibus, quæ dicebat. Ar. M. Vnanimiter in audire eos.*
Et videntes. *Syr. Cùm viderent. S.Chryſ.* omittit. *Ar. M. Et videre.*
Faciebat. *S.Chryſ. Faciebant. Pagn. Edebat.*

Verſ. 7.

Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant.

Multi. *Ar. M. Multorum. Vat. E multis.*
Qui h. ſ. i. *Syr. Quos tenebant ſpiritus immundi. Vat. Qui ab ipſis tenebantur. Ar. M. Habentium ſpiritus immundos.*
Clamantes. *Syr. Clamabant.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Exibant. *Syr.* Exibant *ab eis. Vat. Spiritus immundi exibant.*

Verſ. 8.

Multi autem paralytici & claudi curati ſunt.

Multi. *Syr. Alij.*
Curati. *Syr. Sanitati reſtituti. S.Chryſ. Sanati.*

Verſ. 9.

Factum eſt ergo gaudium magnum in illâ ciuitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum,

Factum e. e. *Syr. Et extitit.*
Vir a. *Syr. Erat autem illic homo.*
Ante f. i. c. m. *Syr. Habitauerat in illâ vrbe multo tempore & magicis ſuis artibus. S.Chryſ. Ante in eâ ciuitate artem exercuerat magicam.*
Seducens. *Syr. Seduxerat. S.Chryſ. Ac Dementauerat.*
Gentem Samariæ. *Syr. Plebem Samaritanorum.*
Dicens. *Syr. Cùm magnificaret ſe ipſum, diceretque. Orig. Qui ſe pronunciabat.*
Se eſſe a. m. *Syr. Ego ſum ille magnus. S. Chryſ. Se eſſe quempiam magnum. Orig. Se eſſe Dei virtutem magnam.*

Verſ. 10.

Cui auſcultabant omnes à minimo vſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.

Cui aſcultabant omnes. *Syr. Proinde inclinabantur ad eum. Goth. Cui intendebant omnes. Vat. Cui auſcultabant illi.*
A minimo v. a. m. *Syr. Tam proceres, quàm tenues. Vat. Tam parui, quàm magni.*
Virtus. *Ar. M. Virtus illa. Caiet. Potentia.*
Quæ vocatur magna. *Caiet. Magna.*

Verſ. 11.

Attendebant autem eum, propter quod

Attendeb. a. e. *Syr. Et acquieuerant ei. S. Chryſ. Auſcultabant autem ei.*

multo

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

multo tempore magiis suis dementasset eos.

Magiis s. *S. Magicis suis incantationibus. S. Chrys. Magicis suis artibus. Ar. M. Magicis. Caiet. Magicis artibus. Quidd. codd. Magiis suis.*
Dementasset. *Syr. Obstupefecerat.*

Vers. 12.

Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres:

Euangelizanti. *Vat. Predicanti Euangelium.*
De Regno. *Syr. Regnum. Ar. M. Qua de Regno.*
In nomine. *S. Chrys. Déque nomine. Caiet. Nomine.*
Iesu. *Syr. Domini nostri Iesu.*
Viri. *S. Chrys. Viri simul.*

Vers. 13.

Tunc Simon & ipse credidit: &, cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Tunc. *Syr. Quin Simon. Ar. M. At Simon.*
Credidit. *Syr. Credebat.*
Videns e. *Syr. Cùmque spectaret. S. Chrys. Vidensque.*
Signa. *Oecum. Virtutes. Vat. Potentia facta.*
Virtutes maximas. *Syr. Virtutes magnas. S. Chrys. Virtutes. Oecum. Signa. Pagn. Potentias. Ar. M. Signa magna.*
Fieri. *Syr. Quæ edebantur per eum. Oecum. Quæ fiebant. Vat.* omittit. *Ar. M. Facta.*
Stupens a. *Syr. Obstupefiebat & admirabatur. Ar. M. Obstupefiebat.*

Vers. 14.

Cùm autem audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem:

Cùm a. a. *Ar. M. Audientes autem.*
Quòd r. *Syr. Recepisse.*
Samaria. *Syr. Populum Samaritanorum.*
Verbum. *Pagn. Sermonem.*
Petrum. *Syr. Simonem Petrum.*

Vers. 15.

Qui, cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum:

Qui c. v. *Syr. Itaque descenderunt. S. Chrys. Qui cùm descendissent.*
Orauerunt. *Syr. Et precati sunt.*
Acciperent. *Syr. Reciperent.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*

Vers. 16.

Nondum enim in quenquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.

Venerat. *Syr. Ingressus fuerat. S. Chrys. Illapsus fuerat. M. SS. Superuenerat.*
Baptizati erant. *Syr. Baptizabantur.*
In nomine. *S. Chrys. Sub nomine.*
Domini. *Syr. Domini nostri. S. Chrys. Christi.*

Vers. 17.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Manus. *Syr. Manum.*
Super i. *Syr. Eis.*
Accipiebant. *Syr. Recipiebant.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*

Vers. 18.

Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,

Cùm v. *Syr. Conspicatus. S. Chrys. Vt vidit. Oecum. Intuitus. Ar. M. Conspiciens.*
Manus. *Pagn. Manum.*
Daretur. *S. Chrys. Datus est. Oecum. Daretur eis.*
Pecuniam. *Syr. Argentum. S. Chrys. Pecunias.*

Vers. 19.

Dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

Manus. *Syr. Manum.*
Accipiat. *Syr. Recipiat.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*
Petrus. *Syr. Simon Petrus.*

Vers. 20.

Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.

Pecunia tua. *Syr. Argentum tuum.*
Sit. *Syr. Abeat.*
Perditionem. *Orig. Interitum. S. Petr. Dam. Perditione.*
Quoniam. *Syr. Quippe qui. S. Petr. Dam. Qui.*
Donum. *S. Cypr. Gratiam.*
Existimasti. *Syr. Putaueris. S. Chrys. Putasti.*
Pecuniâ. *Syr. Diuitiis Mundi. S. Chrys. Pecuniis. S. Cypr. Per pecuniam. Ar. M. Per pecunias.*
Possideri. *Syr. Acquiri. S. Aug. Comparare. Orig. Possidere. Vat. Parari.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verf. 21.

Non est tibi pars neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo.

Sors. *Syr. Sors quidem. S. Chryſ. Hæreditas.*
Sermone isto. *Syr. Fide istâ. S. Chryſ. Verbo hoc. S. Aug. Fide hac. Pagn. Ratione hac. Vat. Hoc negotio. Mar. Re hac.*

Verf. 22.

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitiâ tuâ: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui:

Pœnit. age. *S. Chryſ. Resipisce. Ar. M. Pœnitere.*
Ab hac nequitiâ t. *Syr. De istâ malitiâ tuâ. S. Chryſ. A malitiâ tantâ. Oecum. Ab hoc vitio.*
Roga. *Syr. Implora. S. Chryſ. Ora.*
Deum. *S. Chryſ. Dominum.*
Si fortè. *Vat. An fortè.*
Hæc cogitatio. *Syr. Dolus. S. Chryſ. Cogitatio.*

Verf. 23.

In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

In f. *Syr. In hepate. Vat. Imbutum felle. Quidd. ap. Mar. Supplicio.*
Amaritud. *Quid. ap. Mar. Graui destinari.*
Obligatione. *Syr. Vinculis. S. Chryſost. Colligatione.*
Iniquitatis. *S. Chryſ. Iniustitia.*
Esse. *Syr. Existentem.*

Verf. 24.

Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

Precamini. *Syr. Petite. S. Chryſ. Orate.*
Ad Dominum. *Syr. A Deo. Pagn. Apud Dominum.*
Vt nihil. *Pagn. Ne quid.*
Veniat super me. *Syr. Obueniat mihi. S. Chryſost. Eueniat in me. Oecum. Veniat in me.*

Verf. 25.

Et illi quidem testificati: & loquuti verbum Domini, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.

Et illi q. *Syr. Simon autem & Ioannes.*
Testificati. *Syr. Cùm testificati essent eis.*
Loquuti. *Syr. Docuissent.*
Verbum D. *S. Chryſ. Verbum Dei.*
Redibant. *S. Chryſ. Regressi sunt. Pagn. Reuersi sunt.*
Multis. *Syr. In multis.*
Regionibus. *Syr. Pagis. S. Chryſ. Oppidis. Pagn. Vicis. Vat. Oppidulis.*
Euangelizabant. *Oecum. Prædicabant Euangelium. Vat. Annunciabant Euangelium.*

Verf. 26.

Angelus autem Domini loquutus est ad Philippum, dicens: surge, & vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.

Ad Phil. *Syr. Philippum.*
Contra merid. *Syr. Ad Austrum. S. Chryſ. Meridiem versus.*
Ad viam. *Syr. Per viam desertam.*
Ab Ierusalem in G. *Al. Ab vrbe Ierosolymorum ad ciuitatem Gazam.*
Hæc est deserta. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Hoc est, deserta.*

Verf. 27.

Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes Gazas eius, venerat adorare in Ierusalem.

Et surgens. *Syr. Proinde surgens. Vat. Et cùm surrexisset.*
Abiit. *Vat. Profectus est.*
Ecce vir Æthiops e. *Syr. Offendit eunuchum quendam venientem à Cousch (*Æthiopiâ.*)*
Potens. *Syr. Dynasten. Pagn. Præfectus.*
Qui erat. *Syr. Qui quidem præerat. S. Chryſost. Qui erat præfectus. Pagn. Quem præfecerat.*
Super o. g. e. *Syr. Vniuersis opibus suis. S. Chryſ. Omni thesauro eius. Pagn. Vniuersa gaza sua. Ar. Super omnem gazam eius.*
Adorare. *S. Chryſ. Adoraturus.*

Verf. 28.

Et reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.

Reuertebatur. *Syr. Cùm reuerteretur, vt abiret.*
Sedens. *Syr. Sedebat.*
Supra currum s. *Syr. In curru. S. Chryſ. In curru suo.*
Legens. *S. Chryſ. Legebat.*
Isaiam p. *Syr. In Isaiâ prophetâ.*

Verf. 29.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 29.

Dixit autem Spiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum istum.

Spiritus. *Syr. Spiritus sanctitatis.*
Adiunge. *S. Chrys. Adhære. Ar. M. Agglutinare.*
Ad c. i. *S. Chrys. Currui huic.*

Vers. 30.

Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quæ legis?

Accurrens a Ph. *Syr. Cúmque accessisset. S. Chrys. Vt autem accurrit Philippus. Ar. M. Præcurrens autem Philippus.*
Isaiam p. *Syr. In Isaiâ prophetâ.*
Putasne. *Syr. An. S. Chrys. Nunquid.*

Vers. 31.

Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum, vt ascenderet, & sederet secum.

Et quom. p. *Syr. Quî possum intelligere. Oecum. Quinam enim possim. Ar. M. Quomodo enim possem.*
Si non a. *S. Chrys. Nisi quis. Oecum. Nisi quispiam.*
Ostenderit m. *Syr. Me præmoneat. S. Chrys. Mihi ostenderit viam. Oecum. Me manuduxerit. Pagn. Dux via mihi fuerit.*
Rogauit Ph. *Syr. Efflagitauit à Philippo.*

Vers. 32.

Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est: &, sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.

Locus. *Syr. Sectio. S. Chrys. Continentia. Oecum. Argumentum.*
Hic. *Syr. Hæc. Oecum. Hoc.*
Occisionem. *Syr. Mactationem.*
Tondente se. *Syr. Tonsore.*
Sine voce. *Syr. Mutus est. S. Chrys. Mutus.*
Sic. *Syr. Sic quoque.*

Vers. 33.

In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terrâ vita eius?

Humilitate. *Syr. Ipsius humilitate.*
Iud e. *Syr. De claustro & de iudicio.*
Sublatum. *Syr. Sublatus.*
Generationem. *Syr. Porrò generationem. Pagn. Generationem autem. Ar. M. At generationem.*
Tolletur. *Syr. Tollitur. Oecum. Eleuatur.*
De terrâ. *Ar. M. E terrá.*

Vers. 34.

Respondens autem Eunuchus Philippo dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

Eunochus. *Syr. Eunuchus ille.*
Obsecro t. *Syr. Peto à te. Oecum. Obsecro.*
De se. *Syr. De se ipso.*
Aliquo. *S. Chrys. Quopiam.*

Vers. 35.

Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scripturâ istâ euangelizauit illi Iesum.

Aperiens a. *Syr. Tunc aperuit.*
Incipiens. *Pagn. Exorsus.*
Euangelizauit i. *Syr. Euangelizat. S. Chrys. Prædicauit. Oecum. Annunciauit. Vat. Euangelio prædicauit.*
Iesum *Syr. De Domino nostro Iesu.*

Vers. 36.

Et, dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam; & ait Eunuchus: Ecce aqua: quid prohibet, me baptizari?

Et d. i. p. v. *Syr. Cúmque ipsi iter facerent. Vat. Et dum proficiscebantur per viam. Ar. M. Vt verò ibant per viam.*
Venerunt. *Syr. Peruenerunt.*
Ad quandam a. *Syr. Ad locum quendam, in quo erant aquæ.*
Et ait. *Syr. Dixit itaque ille.*
Ecce a. *Syr. En aquas.*
Quid p. *Syr. Quæ prohibitio est. S. Cypr. Quid est, quod impedit. Pagn. Quid vetat. Quidd. Codd. Quis prohibet.*
Me b. *Oecum. Quominùs baptizer? Pagn. Ne baptizer.*

Vers. 37.

Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum.

Toto corde. *Pagn. Corde.*
Et respondens. *Ar. M. Respondens autem.*

Vers. 38.

Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus: & baptizauit eum.

State *Caiet. Sisti.*
Vterque. *S. Chrys. Ambo.*
Philippus. *Syr. Ac Philippus. Pagn. Philippus simul.*
Et Eunuchus; & b. e. *Syr. Baptizauit Eunuchum illum.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Vers. 39. Cùm autem ascendissent de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.	Cùm a. asc. *S. Chrys. Vbi ascenderunt.* De aquâ. *S. Chrys. Ab aquâ. Oecum. Ex aquâ.* Ampliùs. *S. Chrys. Vlträ.* Eunuchus. *Syr. Eunuchus ille.* Ibat a. *Syr. Sed pergebat. S. Chrys. Ibat enim.* Per v. s. *Syr. In viâ.*
Vers. 40. Philippus autem inuentus est in Azoto; & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.	Inuentus est. *Pagn. Repertus est. Vat. Comparuit.* Pertransiens. *Syr. Inde peragrabat. Vat. Obeundo. Ar. M. Prateriens.* Euangelizabat. *Vat. Prædicabat Euangelium.* Ciuit. *Syr. Vrbibus. Ar. M. Ciuitates.* Cunctis. *Ar. M. Omnes.*

CAPVT VIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Plerunque vbi sanctitas *magis esse debet, ibi magis exulat.* 962
A suis fugere in discrimine superiores *non debent.* 962
Minus plerunque nobis aduersantur, *quæ magis putantur aduersa.* 962
Defuncti conspectus *quàm vtilis.* 963
Quàm salutaris cæteris Sanctorum vita. 963
Laboris merces *est sanguinem pro Deo fundere.* 965
Vbi peccatum *inde abest lætitia.* 966
Ambitio in *malorum præcipitium trahit.* 967
Dei serui curiosa *non amant scire.* 968
Ecclesiæ virginitas *placet.* 968
Concordes *ad concordiam alios vocent.* 969
Sibi & mundo moriatur, *qui Spiritus sancti gratiâ perfundi cupit.* 969

Facta est autem in illâ die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis.

962. POST Stephani martyrium secuta magna persecutio est contra Ecclesiam, quæ Ierosolymis erat. Prima hæc persecutio censeri potest, quam passa Dei Ecclesia est: cœpit autem Ierosolymis, quæ, *Vrbs pacis, &, sancta ciuitas*, dicebatur. Plerunque ita accidit, vt vbi magis sanctitas, & vnio esse debet, ibi maior discordia regnet, maior impietas.

Et omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ, & Samariæ, præter Apostolos.

NOn fugiunt Apostoli: remanent in aliorum exemplum, cæteris constantiores, Spiritu sancto cæteris pleniores. Non fugam arripiunt, ne firmum fides Catholica non habere fundamentum crederetur. Fugere alij potuerunt, non debebant ipsi, tanquam duces ac pastores, quorum turpis fuga est, si subditis periculum immineat: Vel solius fugæ cogitatio fugere ab illis debet, qui alios regunt, præsunt aliis, dum his imminet discrimen.

Dispersi sunt per regiones Iudeæ: Disperguntur fideles, vt fides in omnes spargeretur nec intra vnius Ierosolymæ limites contineretur, quare lurè dixit sanctus Gregorius Nyssenus, Stephani persecutionem Euangelium per orbem euulgasse. Nimirum, *minùs plerunque nobis aduersantur, quæ magis putantur aduersa.*

Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.

ETiam in magnâ persecutione, sepeliendi Stephani cura fuit. Sepelierunt Stephanum, vt ostenderent, in illorum mentibus mortuam non esse pietatem, nec sepultam. *Viri timorati* pium hoc officium obeunt. Græcus, [illegible], *viri religiosi* Syrus, *homines fideles.* Religiosi, fidelesque ante funeris curam fuerint; à funeris pompâ religiosiores, ac magis timorati discesserunt. Explicari non potest, quàm vtilis defuncti conspectus sit, sepulchri, mortisque memoria. 963.

Et fecerunt planctum magnum super eum: Planctum, ac luctum totam funeris pompam, & curam vocat. Sed funus etiam lacrymæ comitari potuerunt: lugere potuerunt, non quia Stephano gloriam inuiderent, dolentes eum obiisse; sed proprij damni causâ, quòd tanto doctore, tanto patrocinio, tanta doctrinâ, tantisque signis se priuatos conspicerent. Vt vtilis Sanctorum vita, & præsentia est; sic multa damna eorum decessu superstites ferè sentiunt.

Saulus autem deuastabat Ecclesiam: per domos intrans & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

POst necem Stephani Saulus factus audacior est 964.
sæuire in Christianos incipit, & Dei Ecclesiam deuastare. Hoc ante fecisse, dum Stephanus viueret, non legimus. Vnius iusti præsentiâ resistere impiorum sæuitiei potest.

Deuastabat Ecclesiam Saulus, Ecclesiam postea à deuastantibus defensurus. Deuastabat Ecclesiam Saulus, donec Saulus deuastatus, erectus in Paulum est. Quò acrior nunc in Ecclesiam pugnat, acriùs postea pugnabit pro Ecclesiâ. Bonis ad bonum calcar est, malos aliquando exstitisse. *Per domos intrans:* Intrabat domos, à cuius mentis domo humanitas omnis exierat, omnis pietas.

Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

PHilippus in Diaconorum catalogo post Ste- 965.
phanum primus nominatur. Post Stephani mortem

mortem prædicationis munus assumit; nec, videns Stephanum occisum esse, quia Christum, & Christi legem prædicauit, à prædicatione abstinuit, sed potius ad eam excitatus est. Iusti animus fitmior in Dei obsequio reperitur, quàm vt mortis metu auocari ab eo possit: laboris mercedem computat, sanguinem fundere in Dei gloriam.

Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa, quæ faciebat.

PRompto animo ad credendum Samaritanorum gentem fuisse hinc aliqui colligunt. Etiam mira Samaritanæ conuersio, insigne illius exemplum potuit eos dociles reddere, & ad fidem suscipiendam paratos.

Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt.

966. NOn exeunt tantùm immundi spiritus, sed & alia signa in fidei testationem fiunt: claudi, ac paralytici, fors & aliis morbis correpti, sanitati restituuntur. Non ab re præter eiectionem spirituum immundorum facta est etiam de aliis signis mentio, ne quis eiectionem illam principi dæmoniorum tribueret; huiusmodi enim signa fieri nequeunt, nisi virtute diuinâ.

Factum est ergo gaudium magnum in illâ Ciuitate.

PRiùs eiicitur dæmon, postea magnum gaudium illius ciuitatis homines repleuit. Nimirum, tunc gaudio magno perfundi quis potest, cùm dæmon exulat; nam dum per peccata, & vitia adest, verâ lætitiâ, verôque gaudio perfrui si quis putat, frustra omnino est.

Factum est ergo gaudium magnum: Quæ huius gaudij causa? An beneficium curationum? Etiam hoc gaudium attulit: sed præcipuè Euangelij lumen fuit, quod illorum mentem perfuderat; & iustificationis gratia, quæ inexplicabile gaudium parturit.

Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum.

967. APparet hic dæmonis astutia, qui Christi se simiam facit. Primus Christi Apostolus, *Simon* fuit, quem vocauit Petrum: diabolus primum ei antagonistam, & pseudoapostolum, Simonem magum opposuit.

Dicens se esse aliquem magnum. Simon gloriæ cupidus fuit, magnus haberi volebat, magnus prædicari. Ambitio in malorum præcipitium traxit: quod ferè hæreticis accidit; nam hæreticorum character, ac veluti stigma, superbia, & ambitio est.

Dicens se esse aliquem magnum: Tunc incipit non esse magnus, cùm se dicit, etiamsi alioquin esset. Non est magnus, qui se dicit magnum; & qui est.

Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.

CVm autem audissent Apostoli: A quonam id audierant? Quis lætum hoc nuntium detulit? 968.
Philippus ipse scripsisse videtur Apostolis de progressu, quem Christiana religio in Samariâ fecerat; sciebat quippe tam læto nuntio ingenti gaudio Apostolos perfusos iri. Dei serui aliorum profectum scire auent, non curiosa, & inutilia.

Miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Sæpè Petro comes adiungitur Ioannes, tanquam Petro charus, ac familiaris, vt sic proderetur, virginitatem placere Ecclesiæ. Pulchrè Arator:

Sæpè sibi socium Petrus facit esse Ioannem,
Ecclesiæ quia virgo placet.

Quàm à Simone Mago aberat hic noster Simon Petrus. Ille, vt refert sanctus Irenæus, *Helenem quandam secum circumducebat, dicens, hanc esse primam mentis eius conceptionem, per quam initio mente concepit Angelos facere & Archangelos.* Noster Ioannem virginem secum ducebat. Hæreticorum nota luxuria, ac libido est: doctorum Catholicorum puritas, & castitas.

Sed cur duo Apostoli mittuntur, cùm vnus huic muneri sufficeret? Samaritæ vniendi erant Iudæis, à quibus implacabili schismate diffidebant: Petrus ergo mittitur, & cum eo Ioannes, vt concordes ad concordiam alios vocarent, vocarent ad vnitatem. 969.

Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat.

ET non acceperant Samaritæ Spiritum sanctum cùm baptizati essent? Acceperunt. Cur igitur hic dicitur, in nullum eorum Spiritum sanctum aduenisse? Aduenerat inuisibiliter in baptismo, non aduenerat per visibile signum, sicut illapsus fuerat in baptismo super primos illos credentes. Sed quæri adhuc potest, quid necesse erat super Samaritas visibiliter descendere Spiritum sanctum? satis erat inuisibiliter descendisse. At non baptizatorum tantùm ratio habita, sed & aliorum. Hæc hæresis apud Samaritas vigebat, sicut notat sanctus Epiphanius, vt crederent, non esse Spiritum sanctum. Mittitur ergo Petrus, qui non rationibus solùm hunc errorem refelleret, & auferret; sed reipsâ, conferendo visibiliter Spiritum sanctum.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

MAnus olim victimæ imponebantur, quæ morti erat adiicienda, vt ex sacris apparet, & ex prophanis: cur igitur hîc idem ritus seruatur, cum morti non destinetur, qui Spiritum sanctum accipit, sed vitæ, & quod magis est, vetæ? Quid sibi ergo vult manus impositio, vbi exulat mors? An hîc quoque mors nobis est subeunda, vt verâ vitâ donemur? Est; mori noxiis affectibus suisque passionibus debet, imo & sibi, qui Spiritui sancto repletur, quò deinceps non viuat sibi, sed Deo.

SECTIO II.

Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam.

970. QVàm demens Simon, quàm fatuus: pecuniam obtulit nihil possidere volentibus. Neque considerabat, quòd illi, qui oblatas pecunias veluti conculcabant, cùm pretia ad eorum pedes proiicerentur, Spiritus sancti gratiam pro mercede aliqua non essent tradituri? Non cogitauit hoc; aut si cogitauit, pro maximâ tamen suâ malitiâ tentauit pecuniæ oblatione Apostolos decipere. Cæca ambitio est, & rationis lumine carere omnis ambitiosus videtur.

Obtulit eis pecuniam: A diabolo hoc consilium, qui Spiritus sancti charismate Apostolis inuidebat. Qui Adam, fructus oblatione, promissâ immortalitate priuauit, Apostolos pecuniâ captos dono Dei exuere subdolè volebat.

Dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.

971. ALiis conferre Spiritus sancti gratiam quærit Simon: non quærit, vt habeat ipse hanc gratiam. Spiritum sanctum, vt per ipsum alij accipiant, ipse à se ipso illum excludit. Huc homines ambitio adigit, vt, suæ animæ salute neglectâ, gloriosi apparere tantùm studeant, gloriâ verâ carituri, quia humanâ carere noluerunt. *Oportebat quærere,* inquit Sanctus Chrysostomus hom. 18. *vt ipse acciperet Spiritum sanctum: at ille, quoniam hoc ei non erat curæ, vt det aliis, petit.* Ineptè pro aliis gratiam quærit, qui se negligit.

Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem.

PVblicè Simonem Petrus arguit, quia publicum peccatum erat: coram omnibus vnum corrigit, vt cæteri timerent: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem.* Cur pecuniam execratur, & maledicit, cùm Simon peccatum perpetrauerit? An Simoni pecuniam perire cupit, vt peccandi ansa tollatur? Ad peccati execrationem etiam res inanimata maledicitur.

Pecunia tua tecum sit in perditionem: Cur non magis scelestum hominem bonis spoliat? ita relinquit illi suam pecuniam? Reliquit, sed vt falsitatis eius testem; ac si diceret: *ventura quidem tecum est pecunia, non, vt putas, ad ornamentum corporis, sed ad testimonium falsitatis.* Sic ait sanctus Valerianus. Nimirum cumulata pecunia, Simonis malitiam prodere poterat, ac firmare.

In pecunia mulctatur Simon: cur non & in se ipso? auarus vitâ ipsâ chariorem pecuniam habet. Leuis illi omnis pœna saluâ pecunia. Vt torqueatur, puniaturque auarus, pecuniam perituram audiat.

Pecunia tua tecum sit in perditionem: Sanctus 972.
Chrysostomus paulò aliter Petrum loquentem adducit, ita scilicet: *Peccatum tuum tecum sit in perditionem.* Cur, *peccatum* dixit, cùm noster, *pecunia*, reddiderit? Quæ pecuniæ, & peccati cohærentia? Magna, cùm de auaris, & Simoniacis agitur: his quippe pecunia peccati occasio est; adeo vt pecunia, *peccatum*, dici possit, quia his peccandi instrumentum pecunia est.

Non est vindictæ studentis imprecatio sed Di- 973.
uinam de Simone sententiam, & reprobationem præuidentis, Tertullianus scribit, Simonem eâdem pecuniâ, quam obtulerat Petro, Helenem quandam Tyriam de loco libidinis publico redemisse.

Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.

EXcluditur Simon à parte, quia iurè illi nil spiritualis gratiæ debetur; excluditur à sorte, quia nil diuinitùs illi continget. Quæri hîc statim potest, cur Petrus Simonem non sustulerit è vitâ, longè Anania ac Saphira deteriorem, quos tamen peremit statim in aliorum exemplum: cur idem in Simonem non fecit? Actum est cum domesticis seueriùs; leniùs cum externis; ne hi ad fidem compelli viderentur. Nimirum grauiùs redarguendi, qui magis familiares: nec alicui familiaritatis prætextu parcendum est. Peccant, qui agnationis, aut amicitiæ, aut affectus titulo peccatis conniuent; cùm arguendi seueriùs à nobis, si peccent, qui familiariores nobis sunt.

Prætetea Ananiam, & Saphiram de medio sta- 974.
tim sustulit Petrus, non sustulit Simonem, qui grauiùs peccauerat, quia hic quædam pœnitentiæ signa exhibuerat, quæ illi non exhibuerunt: dixit enim Simon: *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Et licèt ficta pœnitentia fuerit, ficta & signa, non tamen Simonem Petrus puniuit, quà Ananiam, & Saphiram: ne alij desperarent, & pœnitentiam inire quæ nihili æstimaretur, negligerent. Tanti apud Deum pœnitentia fit; vt in fictos pœnitentes non statim animaduertat, ne cæteros à pœnitentiâ deterreat.

Non est tibi pars, neque sors. Vix Apostolorum vitam amplexus est Simon magus statim eam eiurauit. Vnde illius ruina initium sumpsit? An quia vel inter miracula de arte suâ, quam reliquerat, cogitabat? Audiendus Tertullianus de Idololatriâ; ait enim: *Simon magus iam fidelis, quoniam aliquid de* CIRCVLATORIA SECTA COGITARET, *vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem nundinaret, maledictus ab Apostolo, de fide eiectus est.* Nimirum qui se Dei obsequio mancipat ad ea mentem flectere minimè debet, quæ aliò auocare eum possint.

Pœnitentiam

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitiâ tuâ:

PRæuidit Petrus, Simonem pœnitentiam non acturum, & tamen ei pœnitentiam suadet. Nimirum, cùm iussus sit omnibus prædicare pœnitentiam, suum munus explet, prædicat etiam non acturo Simoni; vt esset inexcusabilis, & cæteri discerent, nullum tam graue scelus reperiri, quod eitui è pœnitentiâ non possit.

In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.

975. IN *felle enim amaritudinis*: Græcè, *εἰς χολὴν πικρίας, in choleram acerbitatis.* Potest esse inuidiæ, iræque periphrasis, cùm & iræ sedes sit fel. Erat iste irato, & inuido animo, atque adeò felleo corde; amaritudo quippè iræ, & inuidiæ comes est. Fel præterea omne peccatum significat, quod conscientiam amaricat. Fel melli, si colorem spectes, simile esse videtur; sed videtur dumtaxat, non est: sapore ab ipso valde distat. Peccatum dulcedinem aliquam habere videatur, videatur mel, si benè rem diiudices, fel esse deprehendes.

Et obligatione iniquitatis video te esse. Syrus, *In vinculis iniquitatis video te esse.* Græcè, *εἰς σύνδεσμον, in colligatione.* Multis peccatis, quasi quibusdam vinculis, & catenis, tenebatur Simon obstrictus.

Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

976. POenitenda hæc pœnitentie est, cùm vera non sit, sed ficta, ac simulata, quam extorsit seruilis timor, non amor persuasit. Se fingit pœnitere, vt pœnam euadat: hinc post discessum Apostolorum multos Samaritas seduxit, & à verâ Christi fide impius abduxit: quod notauit sanctus Irenæus. Hoc multorum est, qui pœnitentiam spondent, dum imminet periculum: vbi illud abierit, pœnitendi propositum perit.

Orate inquit pro me. Debebat & ipse pro se orare, nec totam suæ salutis curam committere aliis. Vix credi potest, ex pleno animi proposito id dixisse, cùm statim pœnitentiam non inierit. *Oportebat illum,* inquit sanctus Chrysostomus, *toto corde pœnitentiam agere, oportebat plorare: ille autem* OBITER HOC FACIEBAT.

Vt nihil veniat super me horum quæ dixistis. Humilitatis velamine magnam superbiam texit. Dixisset: *precamini vos pro me, vt nihil veniat super me horum, quæ meis peccatis promerui.* Nihil tale dixit; sed, *horum quæ dixistis.* Apostolis imputans, quæ ventura erant, non suis sceleribus.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam.

977. PHilippo loquitur Angelus: cur non Eunucho, qui erudiendus, baptizandus? An, quia non obediuisset, vel saltem perterritus fuisset Angeli aspectu? Angelorum apparitiones ignotas habuit; & idcirco ei Angelus non apparuit, ne peccandi occasionem nō obtemperans Eunuchus arriperet.

Surge, & vade contra meridianum: Ire iubetur, nec itionis explicatur causa. Statim paruit Philippus; nam sequitur, *& surgens abiit.* Non curiosè sciscitatur eò quid mittatur, non interrogat quid illi agendum, cùm eò, quò dirigitur, peruenerit: abiit tantùm promptæ, ac perfectæ obedientiæ exemplum exhibens, & omnes instruens, præsertim Religiosos, vt sinè superfluâ inquisitione obediant. Inficit curiosa rerum agendarum inuestigatio obedientiam ipsam.

Et ecce vir Aethiops, Eunuchus, potens Candaces Reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem.

NOn sine causâ refert sanctus Lucas, Eunuchum hunc super omnes reginæ gazas ac diuitias fuisse: vt scilicet eius pietas, ac religio appareat, qui tantis negotiis occupatus, omnia tamen reliquit, & ad templum Deum adoraturus se contulit. Hominem super Gazas reginæ positum Gazis relictis, Ierusalem perrexisse, vt Deum veneraretur; prodigij loco haberi potest cùm diuitiarum amor auertere à Dei cultu homines soleat. 978.

Non erat dies festus, non paschalis solemnitas, in qua Hebræi ad templum accedere tenebantur: accessit tamen Æthiops Eunuchus nullâ lege actus; nullâ celebritate Inuitatus: sola pietas, sola deuotio eum impulit, vt iret ad templum.

Ecce vir Æthiops: Admirationis notam, ac nouitatis particulam, rei, quæ magnâ admiratione digna est, adnectit: & reuerà mirabile est, hominem diuitiarum curis addictum, Ierusalem cogitasse; ferè enim diuites rerum spiritualium obliuiscuntur.

Vir Æthiops: Hoc quoque ad Eunuchi laudem est. In Æthiopiâ manens, quæ superstitiosa erat, & idola colebat, ob veri numinis venerationem illinc Ierusalem ad templum pergit. In malorum consortio, malitiæ se eximere, magna, insignisque virtus est. 979.

Erat super omnes gazas: Super omnes reginæ diuitias erat, quia illarum custos, & conseruator: & super omnes gazas: quia animum infra illas non habebat, sed supra; alioquin, illis relictis, non se ad templum ita facilè contulisset. Erat super gazas reginæ Eunuchus: magis regium, quàm regina, animum seruus efferebat, quo minus diuitiarum vinculis potuit retineri, quin iret in Ierosalem.

Et reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.

TAntus diuinæ legis amator, diuinæque scientiæ studiosus hic eunuchus exstitit vt vel in vehiculo sacras litteras legeret. Homo barbarus innumeris distentus solicitudinibus, nec intelligens, quem legebat, legebat tamen in curru sedens: quod si in viâ tantam adhibuit diligentiam, quid eum fecisse putemus, cùm domi esset? 980.

Regiorum thesaurorum præfectus per viam suam reuertitur ad suos, reginæ opibus meliores opes additurus, Christique thesauros Æthiopibus omnibus ostensurus. Reuertitur ad reginam eunuchus, & reginam conuertit ad Christum. Bonus opum reginæ custos, qui lucrari quoque studuit reginam, & post ipsam etiam cæteros.

SECTIO III.

Et surgens abiit.

ET *surgens abiit.* Veræ hîc habes obedientiæ formam. Promptè paret, nec itionia iussionisque inquirit causam. *Surgens abiit* (inquit Beatus Dionysius Carth.) *promptè obediens nec causam iussionis inquirens : quo informamur, vt subditi superioribus sine superfluâ inquisitione statim obediant.*

Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, & adiunge te ad currum istum.

981. CVr iubetur potiùs Philippus, Eunuchum sequi, & ad eius se currum adiungere, quàm Eunuchus ipse, se sistere, & Philippum accersere? An, quia ab Angelo seu à Spiritu sancto moueri, & Diuinas audire voces nondum aptus, nondum idoneus erat Eunuchus, & timore ob rei nouitatem perculsus cælesti monitioni vix obtemperasset? Monetur Philippus, qui, statim accurrens Diuinæ visioni obtemperauit. An, id etiam factum, vt doceremur, quantâ diligentiâ, & celeritate, etiam cum aliquo nostro labore coniuncta, aliorum salus quærenda sit?

Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaiam prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quæ legis?

STatim accurrit Philippus, nec causam, cur se illi adiungeret, exquisiuit, prompta hæc obedientia Christi Eunuchum meruit parturire. *Audiuit eum legentem :* Hinc colligitur altâ voce legisse, & reuerentiæ causâ erga Diuinam scripturam, & vt verba, quæ legebat, memoriæ altiùs insiderent ; quæ enim altâ voce legimus, meliùs memoriæ adhærent, facilè elabuntur, si oculi dumtaxat per paginas ducantur. Videtur Eunuchus adeò intento animo sacras litteras legisse, vt, quasi accedentem Eunuchus non videret, lectionem non interruperit.

982. *Et dixit : Putasne intelligis ; quæ legis?* Aulicus adulationis verba hîc emisisset. Eunuchi diligentiam extulisset : quod tamen ab adulatione remotus minimè fecit, nec illum adulans laudauit Philippus, nec se iactans commendauit. *Apud Deum verius se laudat, qui non laudat, & effert, qui non effert:* Allicere Eunuchum ad interrogationem voluit his verbis Philippus, vt, responsione, salutis via ignoranti aperiretur.

Qui in itinere legebat, quid putamus fecisse, cùm domi resideret? *Si in viâ,* inquit sanctus Chrysostomus, *tantam præstitit diligentiam ; cogita, qualis fuerit domi versans :* quod Eunuchi laudem auget. Fallitur, qui legendi, discendique occasionem domi concludit : à mentis domo abit, qui domi tantùm in rebus Diuinis exercere mentem didicit, & occupare.

Putasne intelligis, quæ legis? Ad ignorantiæ pro- 983.
priæ cognitionem confessionemque Eunuchum ducere studet Philippus, vt nempè idoneus Diuinæ doctrinæ excipiendæ redderetur. Ianua ad superam cognitionem, suæ imperitiæ cognitio est.

Pende hic Philippi prudentiam, quàm alienus ab adulatione fuerit : poterat hanc Eunuchi diligentiam extollere, sed abstinuit, ne suæ laudis amore correptus minùs laudabilis fieret. Nec etiam ignorantiam ei exprobat, ne nimis durus esse videretur, & se suamque peritiam iactare.

Legebat Eunuchus, & non intelligebat : *Quòd si,* verba sunt sancti Chrysostomi, *nihil intelligens legebat, nec destitit à lectione, multò minùs postquam didicerat ;* Clausus : & obscurus locus, Eunuchi diligentiam in legendo non exclusit, exclusisset apertus, & sua luce donatus?

Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

INgenuè, ac humiliter ignorantiam suam pro- 984.
dit : non erubuit, confiteri, se id, quod, legebat, nescire : dignus erat, qui Deo monente erudiretur à Philippo, dum scientiam non simulauit, cùm non haberet. *Quomodo possum :* Non solùm dixit, se non intelligere, sed nec posse ; quòd supra eius captum illa scripturæ verba essent. Hoc faciliùs sem intellexit, quò se ad eam intelligendam ineptiorem putabat. Nimirum, rebus Diuinis percipiendis aptior fit, qui se censet ineptum : ineptior fit, qui aptum se existimat.

Rogauitque Philippum vt ascenderet, & sederet secum.

ADeò non offensus Philippi verbis fuit Eunuchus, vt insuper honore eum prosequatur, inuitetque ad ascendendum in currum, & secum ibi sedendum. Rogauit Eunuchus Philippum, *vt ascenderet in currum eius :* sicque in eius mentis currum descenderet verus sensus verborum, quæ ille in curru sedens legerat.

Et, dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam : & ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.

SVæ salutis cupidus eunuchus, aquæ opportuni- 985.
tatem arripuit, cuius erat in eâ viâ raritas per desertum. Magna eunuchi alacritas, & diligentia, qui moras non nectit, nec prætipi sibi baptismi occasionem patitur.

Boni operis occasio negligenda minimè est: arripienda statim cùm offertur. In exemplum iuit eunuchus, qui, eruditus à Philippo, vbi aquam vidit, baptismum postulauit. Non distulit donec in vrbem aliquam perueniret, aut in aliquod oppidum, ne mora Dei beneficium spernere videretur. Præclarè sanctus Gregorius Nyssenus orat. de Baptismo : *A se petitum baptisma suscepit eunuchus, nec expectans diuersorium, aut ciuitatem, aut vicum, aut locum sanctificationis. Noli, nimis*

tardando,

tardando, irritare baptizatorem, nec eum ad iram prouocare, DIEM DE DIE DIFFERENS. Quod iustè iis quoque occinatur, qui conuersionem in futurum producunt, & in extremam vitæ lineam.

Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: credo Filium Dei esse Iesum Christum.

986. NOn ignorabat Philippus Eunuchi fidem: cur tanquam ignorans ait: *si credis*? An volebat manifestam confessionem fieri, vt baptizandis daretur exemplum?

Æthiops Eunuchus non multas legit scripturas, sed, cùm vnum vnius Esaiæ prophetæ testimonium inuenisset, per illum ad salutem adductus est: plerique in Euangelij lumine, non Apostolorum, non prophetarum, non multorum doctorum dictis persuaderi possunt, vt Christo credant. Æthiops iste vultu tantùm niger erat: qui difficilè infidelitatis, impietatisque nigredinem exuunt, Æthiopes mente sunt.

Cùm autem ascendissent de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus.


987. CVr statim Philippus rapitur, & ab Eunuchi oculis subducitur? An, vt Eunucho esset in admiratione, tanquam vir Diuinus, ac prophetis non inferior? Vnde intelligeret Eunuchus. Philippum à Deo missum, vt ipsum de fide informaret, & instrueret, sicque gratias Deo ageret. Quid, si hoc factum, ne, cùm vellet Eunuchus adhuc eum Philippo loqui, & eius consuetudine frui, Philippus abnuens, dum aliis etiam prædicare deberet, Eunuchum contristaret.

Spiritus Domini rapuit Philippum: Procul ab Eunucho, quem baptizauerat, abduxit, ne apud eius socios Philippi auctoritas periclitaretur, *vulgarisque homo*, inquit sanctus Chrysostomus, *putaretur*. Hic aulicorum mos est, vt religiosos viros contemnant, quorum frequenti familiaritate gaudent. Ecclesiasticorum virorum existimatio assiduâ præsentiâ minuitur: ab aulis aulicisque quò magis se subducunt, maiori in veneratione sunt. 988.

Ibat autem per viam suam gaudens.

TAnto gaudio Eunuchus ob susceptum baptismum, ac Spiritus sancti gratiam perfusus fuit, 989.
vt tristitiam, quæ de Philippo sibi erepto poterat eum corripere, absterserit, cogitans præsertim illius operâ Deum, in alienâ salute quærendâ, vti velle. Iusti non suis commodis ita student, vt aliorum obliuiscantur.

Ibat per viam suam: Alius veniebat, alius redibat, eâque mente ibat per viam suam, vt viâ absolutâ, cæteris inciperet esse via, aliisque præstaret, quod in eo erat præstitum. Iustorum est, post suam, aliorum quoque salutem quærere; plurisque faciunt suam salutem, si plures ipsorum exemplo salui fiant. *Gaudens*: Cùm super gazas reginæ esset, non lego gaudij mentionem aliquam factam: fit, cùm aquis ablutus, superâque Diuini spiritus gratiâ vestitus redit Eunuchus. A diuitiis si quis gaudium speret, pauper & mente est: gaudio vero animus nectitur, cùm gaudij Auctori nectitur, & adhæret.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT IX. ACT. APOST.

Vers. 1.

SAVLVS autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum.

Spirans m. *Syr. Plenus erat minis. Interp. Chrys. Spirans minas.*
Cædes. *Syr. Furore cædis. S.Chrys. Cadem.*
In discip. *S.Chrys. Aduersus discipulos.*
Domini. *Syr. Domini nostri.*
Accessit ad p. *Syr. Et à summo pontifice. Ar.M. Accedens princips.*

Vers. 2.

Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt, si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.

Et petiit ab eo. *Syr. Poposcit sibi dari.*
Epistolas. *Syr. Epistolam. S.Chrys. Epistolas, quas perferret.*
In D. *Syr. Ad D. S.Chrys. Damascum.*
Huius viæ. *Syr. Erudientes hac viâ. Ar.M. Huius via existentes.*
Viros a. m. *S.Chrys. Seu viros seu mulieres.*
Perduceret. *Syr. Adduceret. S.Chrys. Duceret.*

Vers. 3.

Et, cùm iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damasco: & subitò circunfulsit eum lux de cælo.

Iter f. *Syr. Proficisceretur.*
Contigit. *Syr. Inciperetque. Ar.M. Factum est.*
Vt appropinq. *Syr. Appropinquare. S. Chrys. Appropiaret.*
Et subitò. *Syr. Derepentè. Oecum. Et repentè.*
Circunfulsit. *S.Chrys. Circunfulgurauit.*
De cælo. *Syr. E cælo.*

Vers. 4.

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Vers. 4. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?	Cadens. *S. Chryſ. Collapſus. Vat. Delapſus.*
Vers. 5. Qui dixit: Quis es Domine? & ille: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi, contra ſtimulum calcitrare.	Qui d. *S. Hil. Dixit autem.* Domine. *Syr. Domine mi.* Et ille. *Syr. At Dominus noſter dixit. S. Chryſ. Dominus autem dixit. S. Hil. Dominus verò.* Ieſus. *Syr. Ieſus ille Nazarenus.* Durum eſt t. *Ar. M. Durum tibi. Mar. Fruſtrà.* Contra ſtimulum. *Pagn. Contra ſtimulos. Ar. M. Ad ſtimulos.*
Vers. 6. Et tremens ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere?	Et tremens. *Goth.* omittit. *S. Hil. At ille tremens. Oecum. Is tremens.* Ac ſtupens. *Goth.* omittit. *S. Hil. Et pauens in eo, quod ſibi acciderat.* Dixit D. q. m. *Goth.* omittit. Vis f. *Goth.* omittit. *S. Aug. Iubes facere.*
Vers. 7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem; & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.	Et D. a. e. *Goth.* omittit. *S. Ephiph. Dominus autem dixit.* Surge & i. c. *Syr. Sed ſurge & ingredere vrbem. S. Epiph. Ingredimini vrbem. Tert. Exurge & introi Damaſcum.* Ibi dicetur t. *Syr. Ibi tecum habebitur ſermo. S. Epiph. Ibi dicetur vobis. S. Chryſ. Dicetur tibi. Tert. Illic tibi demonſtrabitur.* Quid te oporteat. *Syr. De eo quod oportet. S. Epiph. Quid oporteat. Tert. Quid debeas.* Facere. *Tert. Agere.* Comitab. c. e. *Syr. Cum eo iter faciebant. S. Chryſ. Erant ei comites itineris. Ar. M. Simul iter facientes ipſi.* Stupefacti. *S. Chryſ. Attoniti.* Audientes q. v. *Syr. Quippe qui vocem tantum audiunt.* Neminem a. *Syr. Nemo autem. S. Chryſ. Neminem tamen.* Videntes. *Syr. Apparebat eis.*
Vers. 8. Surrexit autem Saulus de terrâ, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum.	De t. *S. Chryſ. E terrâ.* Apertis o. *Syr. Cùm oculi eius eſſent aperti. Vat. Apertis oculis ſuis.* Nihil v. *Syr. Nihil ei apparuit. S. Chryſ. Neminem videbat.* Ad m. a. i. t. *Syr. Et eum apprehendiſſent manus eius. S. Chryſ. Sed manu ducentes illum. Mar. Eius manu apprehensâ, ducentes.* Introduc. *Syr. Introduxerunt eum.*
Vers. 9. Et erat ibi tribus diebus non videns; & non manducauit neque bibit.	Erat ibi non videns. *Syr. Nec viſum eſt ei quicquam.* Tribus d. *Oecum. Triduo. Ar. M. Tres dies.* Manducauit. *S. Chryſ. Comedit.*
Vers. 10. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias; & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.	Dixit a. i. *Syr. Dominus dixit ei.* In viſu. *Syr. Per viſionem. S. Chryſ. In viſione. Pagn. Per viſum.* Ecce ego. *S. Chryſ. Ecce.* Domine. *Syr. Adſum, Domine mi.*
Vers. 11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat.	Dominus a. e. *Syr. Dominus noſter dixit ei.* Surge e. v. *Syr. Surge proficiſcere. Goth. Surgens vade. Pagn. Cùm ſurrexeris vade.* Vocatur. *S. Chryſ. Dicitur.* Domo. *Syr. Ædibus.* Saulum n. T. *Syr. Saul, qui eſt ex Tarſo ciuitate.* Orat. *Syr. Dum ille precatur.*

Vers. 12.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 12.

(Et vidit virum Ananiam nomine, introëuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat.)

Vidit. *Syr. Vidit per visionem. S. Chrys. Vidit in visione. Pagn. Vidit per visum.*
Manus. *Pagn. Manum.*
Visum r. *Syr. Aperiantur oculi ipsius. S. Chrys. Videat.*

Vers. 13.

Respondit autem Ananias: Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ierusalem.

Domine. *Syr. Domine mi.*
A multis *S. Chrys. Ex multis.*
Viro. *S. Chrys. Homine.*
Quanta mala. *Vat. Quantis malis. Caiet. Quot mala.*
Fecerit. *Syr. Intulerit. Vat. Affecerit.*
Sanctis tuis. *Vat. Sanctos tuos.*

Vers. 14.

Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.

Et hic. *Syr. Et ecce etiam hîc. Oecum. Et hoc loco.*
Principibus s. *S. Chrys. Summis sacerdotibus.*
Alligandi. *S. Chrys. Vt vinciat.*
Omnes. *S. Chrys. Illos omnes.*

Vers. 15.

Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israël.

Vade. *Syr. Surge, proficiscere.*
Vas electionis. *Pagn. Vas electum. Vat. Organum electum.*
Portet. *Syr. Perferat. S. Ambr. Ad sufferendum.*
Coram g. e. r. *Syr. Inter gentes & reges.*
Et filiis. *Syr. Et inter filios. S. Chrys. Filiorum* vel: *Et omni populo.*

Vers. 16.

Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Ego e. *Syr. Ego autem.*
Ostendam. *S. Chrys. Monstrabo.*
Quanta. *Caiet. Quot.*
Oporteat eum pati. *Syr. Passurus sit.*

Vers. 17.

Et abiit Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in viâ, quâ veniebas; vt videas, & implearis Spiritu sancto.

Et abiit. *Syr. Tunc abiit. S. Chrys. Abiit autem.*
Et introiuit i. d. *Syr. Domum ad eum. S. Chrys. Ingressus est in domum.*
Ei. *S. Chrys. Super eum. Ar. M. In eum.*
Manus. *Syr. Manum.*
Frater. *Syr. Frater mi.*
Dominus. *Syr. Dominus noster.*
Me Iesus. *Pagn. Me.*
Qui a. *Syr. Is qui apparuit.*
Quâ. *Syr. Quum.*
Veniebas. *S. Chrys. Ibat.*
Videas. *Syr. Aperiantur oculi tui. S. Chrys. Respicias. Pagn. Visum recipias.*

Vers. 18.

Et confestim ceciderunt ab oculis eius, tanquam squamæ, & visum recepit: & sorgens baptizatus est:

Et c. *Syr. Eoque momento. Oecum. Statimque.*
Ceciderunt. *Syr. Decidit. S. Chrys. Deciderunt.*
Ab oculis. *Syr. Ex oculis.*
Tanquam. *Syr. Aliquid simile. Vat. Quasi.*
Visum r. *Syr. Aperti sunt oculi eius. S. Chrys. Vidit statim.*

Vers. 19.

Et, cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

Cùm a. c. *S. Chrys. Cibo sumpto. Pagn. Cùm cibum cepisset.*
Confortatus est. *S. Chrys. Conualuit. Pagn. Corroboratus est.*
Fuit a. *Oecum. Fuit autem Saulus.*
Cum discipulis. *Syr. Apud discipulos. S. Chrys. Cum his discipulis.*
Per dies aliquot. *S. Chrys. Diebus tribus. Ar. M. Dies aliquot.*

Vers. 20.

Et continuò in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei.

In synag. *Syr. In synagogis Iudæorum. S. Chrys.* omittit. *Quidd. codd. Ingressus in Synagogas.*
Iesum. *Syr. De Iesu. S. Chrys. Christum.*
Quoniam hic est. *Syr. Eum nempe esse Filium.*

Vers. 21.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Verſ. 21.

Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum?

Stupebant a. *Syr. Proinde obſtupeſcebant. S.Chryſ. Attoniti autem ſunt.*
Audiebant. *S.Chryſ. Audierant. Pagn. Audiebant eum.*
Qui expugnabat. *Syr. Qui perſequebatur. Vat. Ille, qui graſſabatur. Ar M. Ille populatus.*
Eos. *Syr. Eos omnes. Vat. In eos.*
Nomen i. *S.Chryſ. In nomine hoc.*
Huc. *Syr. Ecce etiam huc.*
Ad hoc. *Syr. Ob idipſum. S. Chryſ. Ideo. Vat. Eâ causâ.*
Venit. *Syr. Miſſus fuerat. S.Chryſ. Peruenit.*
Vinctos i. *S.Chryſ. Ligatos.*
Duceret. *Syr. Adduceret. Oecum. Educeret.*
Principes ſ. *S.Chryſ. Summos ſacerdotes.*

Verſ. 22.

Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.

Multò magis. *Goth. Magis.*
Conualeſcebat. *Syr. Roberabatur. S.Chryſ. Confortabatur. Oecum. Inualeſcebat.*
Confundebat. *Syr. Turbabat. S.Chryſ. Confudit.*
Iudæos. *Syr. Iudæos illos.*
Habit. *Syr. Degebant.*
Affirmans. *Syr. Cùm oſtenderet. S. Chryſ. Conuincens. Oecum. Confirmans. Ar. M. Conferens.*

Verſ. 23.

Cùm autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent.

Cùm a. i. *Syr. Cùmque illic egiſſet. S.Chryſ. Vt autem impleti ſunt. Pagn. Expletis. Vat. Exactis.*
Dies multi. *Syr. Per multos dies. S. Chryſ. Dies. Pagn. Diebus compluribus.*
Conſil. f. *Syr. Nectebant ei dolum. S.Chryſ. Conſpirauerunt. Oecum. Inierunt conſilium.*
In vnum. *Syr.* omittit. *Oecum. Inter ſe. Ar. M. Simul.*
Iudæi. *S.Chryſ. Sat multi Iudæi.*
Vt interf. *S. Chryſ. Vt occiderent. Ar. M. Interimere.*

Verſ. 24.

Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum: Cuſtodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent.

Notæ a. f. ſ. *Syr. Indicata verò fuerunt. S. Chryſ. Innotuerunt autem. Pagn. Sed intellecta ſunt.*
Eorum. *Syr. Quas ſtudebant ei ſtruere.*
Cuſtodiebant. *S.Chryſ. Obſeruantes. Vat. Aſſeruabant. Ar. M. Adſtruebant.*
Portas. *Syr. Portas vrbis.*
Die a. n. *Syr. Interdiu noctùque.*
Interf. *Syr. Trucidarent. S.Chryſ. Occidant.*

Verſ. 25.

Accipientes autem eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſportâ.

Accip. a. e. *Syr. Tunc eum.*
Diſcipuli. *M. SS. Diſcipuli eius.*
Nocte. *S. Chryſ. Noctu.*
Per m. d. e. ſ. i. ſ. *Syr. Impoſuerunt ſporta & dimiſerunt eum per murum.*

Verſ. 26.

Cùm autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis: & omnes timebant eum, non credentes, quòd eſſet diſcipulus.

Cùm a. v. *Syr. Et profectus eſt. S. Chryſ. Vt venit Paulus. Cùm Saulus veniſſet.*
In Ieruſalem. *Syr. Ad Ieruſalem.*
Tentabat. *Syr. Volebat.*
Se iungere *S. Chryſ. Adhærere. Oecum. Se adiungere. Ar. M. Iungi.*
Et omnes t. e. *Syr. Sed omnes timebant ab eo.*
Non credentes. *Syr. Neque credebant.*

Verſ. 27.

Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos: & narrauit illis, quomodo in viâ vidiſſet Dominum, & quia

Apprehenſum. *Syr. Accepit.*
Duxit. *Syr. Et duxit.*
Narrauit *Syr. Renunciauit.*
Vidiſſet. *Pagn. Ipſe vidiſſet.*
Quia loquutus eſt. *Syr. Quomodo colloquutus fuiſſet.*
Fiducialiter egerit. *Syr. Palàm loquutus eſſet. Oecum.*

loquutus

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

loquutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.

Strenuè se gessisset. Paga. Fortiter egisset. Vat. Liberè loqanius esset.
In nom. *Vat. Nomine.*

Vers. 28.

Et erat cum illis intrans & exiens In Ierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.

Et erat c. i. i. e. e. *Syr. Proiade iatroibat & exibat cum eis. S. Chrys. Et erat ingrediens & egrediens. Pagn. Et erat cum illis versans. Vat. Et erat cum illis ac versabatur. Ar. M. Et erat cum illis intrans.*
Fiducial. a. *Syr. Loquebatur palàm. S. Chrys. Liberè loquens. Pagn. Cum fiduciâ loquens.*
In n. *Vat. Nomine.*
Domini. *S. Chrys. Iesu. Oecum. Domini Iesu.*

Vers. 29.

Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

Loquebatur q. G. *S. Chrys. Loquebatur.*
Disputabat. *Syr. Disceptabat.*
Cum Græcis. *Syr. Cùm Iudæis illis, qui sciebant Græcè. Oecum. Aduersùs Græcos. Pagn. Aduersùs Græcistas. Caiet. Cum Iudæis natione Græcis.*
Quærebant. *Syr. Volebant. Oecum. Nitebantur.*
Occidere. *Syr. Interimere.*

Vers. 30.

Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

Cùm cogn. *Syr. Cum nouissent. S. Chrys. Vt cognouerunt. Oecum. Vbi cognouissent.*
Dedux. *Syr. Noctè deduxerunt.*
Dimiserunt. *Syr. Illinc emiserunt eum. S. Chrys. Emiserunt illum.*

Vers. 31.

Ecclesia quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat pacem; & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.

Ecclesia quidem. *S. Chrys. Itaque Ecclesiâ. Ar. M. Illa quidem igitur Ecclesia. Caiet. Igitur Ecclesia.*
Per t. I. *Syr. In totâ Iudæâ. Oecum. Per vniuersam Iudæam.*
Galilæam & S. *Syr. Et in Galilæâ & in Samariâ. S. Chrys. Et in Samariam.*
Habebat. *S. Chrys. Habentes. Oecum. Pace fruebantur.*
Et ædificabatur. *Syr. Dum ædificaretur. S. Chrys. Ædificabantur. Ar. M. Ædificata.*
Ambulans. *Syr. Et pergebant. S. Chrys. Ambulabant. Pagn. Versantes. Ar. M. Pergentes.*
In timore. *Ar. M. Timore.*
Domini. *Syr. Dei.*
Sancti. *Syr. Sanctitatis.*
Replebatur. *S. Chrys. Implebantur. Pagn. Multiplicabantur. Caiet. Replebantur.*

Vers. 32.

Factum est autem, vt Petrus, dum pertransiret vniuersos, deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.

Factum e. *Oecum. Contigit.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Dum pertransi. *Syr. Cùm perlustraret. Pagn. Dum peragraret.*
Vniuersos. *Syr. Vrbes. S. Chrys. Per omnes. Pagn. Omnes.*
Deueniret. *S. Chrys. Descendit etiam. Vat. Deueniret etiam.*
Lyddæ. *Syr. In Lydde ciuitate.*

Vers. 33.

Inuenit autem ibi hominem quendam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus.

Inuenit. *Oecum. Reperit.*
Hominem. *Syr. Virum.*
Ab annis. *Pagn. Annis iam.*
Iacentem in g. *S. Chrys. Decumbentem in lecto.*
Qui *n.* p. *Syr. Et paralyticum.*

Vers. 34.

Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus: surge & sterne tibi. Et continuò surrexit.

Petrus. *Syr. Simon.*
Sanat. *Pagn. Sanet.*
Dominus I.C. *Syr. Iesus Christus. S. Chrys. Christus.*
Tibi. *Syr. Lectum tuum. S. Chrys. Tibi ipsi.*
Continuò. *Syr. Eo momento Oecum. Protinus.*

Vulgata Editio.

Verſ. 35.

Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ: qui conuerſi ſunt ad Dominum.

Verſ. 36.

In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata, dicitur, Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat.

Verſ. 37.

Factum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur: Quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.

Verſ. 38.

Cùm autem propè eſſet Lydda ad Ioppen, diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in eâ, miſerunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vſque ad nos.

Verſ. 39.

Exurgens autem Petrus, venit cum illis. Et, cùm adueniſſet, duxerunt illum in cœnaculum; & circunſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.

Verſ. 40.

Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, orauit: & conuerſus ad corpus dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, &, viſo Petro, reſedit.

Verſ. 41.

Dans autem illi manum, erexit eam. Et, cùm vocaſſet ſanctos & viduas, aſſignauit eam viuam.

Verſ. 42.

Notum autem factum eſt per vniuerſam Ioppen: & crediderunt multi in Domino.

Lectionum Varietas.

Viderunt e. *S. Chryſ. Viderunt.*
Habitabant L. *S. Chryſ. Habitabant Lyddam.*
Saronæ. *S. Chryſ. Aſſaronem.*

Ioppe *Syr. Ioppe ciuitate.*
Quæ i. d. D. *Syr. Caprea.*
Hæc erat. *Chryſ. Hæc itaque.*
Plena. *Syr. Diues.*
Faciebat. *Pagn. Præſtabat.*

Factum e. a. i. d. i. *Syr. Per illos autem dies. Oecum. Accidit autem diebus illis. Vat. Euenit autem in diebus illis.*
Vt infirm. m. *Syr. Aduersâ valetudine laborauit & mortua eſt. S. Chryſ. Quod cùm illa ægrotaſſet, mortua eſt. Oecum. Vt infirmitate grauata moreretur. Vat. Vt per infirmitatem moreretur.*
Quàm cùm l. *S. Chryſ. Lotam autem illam.*
Poſuerunt eam. *S. Chryſ. Poſuerunt.*

Propè. *Syr. Ad crepidinem. Pagn. Vicina.*
Ad Ioppen. *Syr. Ioppa. Pagn. Ioppa. Quidd. codd. Ad Ioppe.*
Audientes. *Syr. Vt audierunt.*
Miſerunt d. v. *Oecum. Miſerunt.*
Rogantes. *Syr. Efflagitantes ab eo. S. Chryſ. Obſecrantes.*
Pigriteris. *Syr. Cunctaretur. S. Chryſ. Differat. Vat. Grauaretur.*
Venire ad n. *Syr. Quin eos adiret. S. Chryſ. Venire vſque ad ſe. Vat. Venire vſque ad ipſos.*

Exurgens a. P. *Syr. Surrexit itaque Simon.*
Venit c. i. *Syr. Et profectus eſt cum eis. Ar. M. Simul venit eis.*
Et cum a. *S. Chryſ. Vt venit.*
Duxerunt i. *Syr. Subduxerunt eum.*
Circunſteterunt i. *Syr. Congregata ſtabant in circuitu eius. S. Chryſ. Steterunt circa illum.*
Flentes. *S. Chryſ. Plorantes.*
Oſtendentes ei. *Syr. Commonſtrantes ei. Goth. Oſtendentes. S. Chryſ. Monſtrantes ei.*
Veſtes. *Syr. Veſtimenta ea.*
Quas f. i. *Syr. Quæ ipſis dederat, dum viueret. S. Chryſ. Quas fecerat cùm eſſet cum ipſis. Ar. M. Quas faciebat cum illis exiſtens.*
Dorcas. *Syr. Tabitha.*

Eiectis a. o. *Syr. Eiecit autem omnes homines.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Ponens g. *Syr. Et procidit in genua. Pagn. Poſitis genibus.*
Orauit. *Syr. Et precatus eſt.*
Corpus. *Syr. Cadauer.*
Surge. *S. Cypr. Exurge.*
Viſo P. *Ar. M. Videns Petrum.*

Dans a. *Syr. Et porrexit.*
Manum. *Syr. Manum ſuam.*
Erexit. *Syr. Et erexit.*
Cùm vocaſſet. *Syr. Aduocauit.*
Aſſignauit. *Syr. Dedit. Pagn. Exhibuit.*
Viuam. *Syr. Viuentem.*

Notum a. f. e. *Pagn. Id autem innotuit.*
Vniuerſam I. *Syr. Totam ciuitatem. S. Chryſ. Totam Ioppen.*
In D. *Syr. In Dominum noſtrum. S. Chryſ. In Dominum.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Vers. 43. Factum est autem, vt dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quendam coriarium.	Factum e. *Syr.* omittit. *Oecum. Contigit. Vat. Enenis.* Vt dies multos. *Syr. Per dies non paucos. S. Chrys. Cum fat multis diebus.* Moraretur. *Syr. Fuit. S.Chrys. Ille mansisset.* Ioppe. *Syr. In ipsâ Ioppe.*

CAPVT IX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Saulus autem adhuc spirans minarum, & cadis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum.

990. SAVLI sæuities, & feritas hic describitur. Non parcit suo magistro discipulus: Pauli sæuitiem, ac crudelitatem diligenti penicillo nobis obiicit sanctus Lucas: cur id factum? An, vt omnem adulationis notam à se reiiceret? An, vt Dei clementia, pietasque magis appareret? Nimirum in Dei laudem resilit, quod à pessima vitâ, eius virtute, resiliant, qui pessimè vixerant.

Adhuc spirans: Nondum Saulus auiditatem Christiani sanguinis fundendi expleuerat, necdum sæuitiam suam, Stephani, & aliorum nece, satiauerat: adhoc minas spirabat, quæ non sine blasphemiis, non sine contumeliis. Spirabat minas, cædes, qui spirare pietatem debuerat. *In discipulos Domini*: Contra Domini discipulos insurgit, Domini discipulus postea futurus. *Accessit*: Nemo eum vocat, inuitat nemo: ipse se vrget, suo vrgetur Zelo. Accessit ad principem sacerdotum, vt à Deo recederet, qui principum est Princeps, & cuius cultui addicti sunt sacerdotes.

Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas.

991. COmmendatitias contra Christianos epistolas quærit Saulus: nil mirum, si Paulus factus, in Christianorum salutem, ac solatium, plures, quàm alij Apostoli, epistolas scripserit; vt, epistolarum sanctarum multitudine, noxiarum epistolarum numero responderet; &, qui multis epistolis in Christianos desæuierat, multis etiam eorundem salutem quæreret.

Nouarin. in Act. Apost.

In Damascum: Quia in proximis locis sæuitiem suam exercuerat, nunc ire ad remotiorem Saulus cogitat: nescit angustis limitibus coërceri in Christi discipulos debacchantis insania; sed, qui vnâ vrbe non est contentus, in Christianos sæuiens, totius orbis est Apostolus factus, totum orbem ad fidem vocans: neque enim ei vna prouincia, vnum regnum obtigit, vt cæteris Apostolis; sed vniuersus mundus, à Paulo erudiendus, Paulo committitur. Latius salutis terminos Paulus dilatauit, quàm porrigere perditionis, & persequutionis Saulus studuerit.

Vt si quos inuenisset huius via viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.

HVius via viros: Via dicitur Christiana disciplina, quia semper incedere per eam debemus, semper proficere.

Vinctos perducere Ierusalem Christianos volebat Saulus: non petiit potestatem eos ibi puniendi; 992.
vt Ierosolymis maiori auctoritate in Christianos animaduerteretur, vtque damnatorum exemplo alij absterrerentur, & Saulus gloriam consequeretur, quòd multos Ierusalem vinctos duxisset.

Vinctos perduceret in Ierusalem. Cur non postulauit, vt ibi possent damnari, vbi inueniebantur? *Non petiit* (ait Oecumenius hîc) *potestatem eos ibi puniendi, sed adducendi Ierosolymam: quòd hac maiori auctoritate fieri vellet.*

Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco.

MVltorum censio est, Adamum de paradiso eiectum hæc loca cum filiis incoluisse, quin & ex campi Damasceni terrâ fuisse formatum: huc igitur in Ecclesiam sæuiens perrexit Saulus, vt statim Adami se filium proderet. Hic tamen Saulum conuertit Christus, ibi beneficia conferens, vbi vixerat tot malorum pater Adamus.

Damascus, *sanguis cilicij*, siue, *sacci*, interpretatur. 993.
Prima vox cruentum populum, & sanguinis effusorem signat; secunda crudelitati pœnitentiam copulandam: vel à loci nomine pœnitentiæ monetur sæuiens Saulus. Iustè has partes Adamus incoluit, aut etiam ex Damasci terrâ formatus est, vt, vel ex regionis nuncupatione cilicij, ac pœnitentiæ recordaretur.

Vt appropinquaret Damasco: Non Ierosolymis, nec Damasci hæc acciderunt, sed apud Damascum; ita tamen, vt extra ipsum, ne aliis liceret rem alio modo narrare, sed ipsimet cui acciderat fides adhiberetur. Hominum ferè mos est, res, narrando, vel nimium extenuare, vel nimium augere, pro vniuscuiusque affectu.

Non in medio itinere hæc contigerunt, sed, 994.
dum vicinus Damasco esset Saulus. Non casu, Diuino consilio id accidit: nam, cùm in terram prostratus, &, oculorum vsu amisso, ducendus esset ad

Ananiam; ne longior via esset, sicque differri instructio, & informatio deberet, hanc dilationem Christus auferens iuxta Damascum prosterni Saulum voluit: vt ita nos moneret, cùm ad sacerdotem, qui nos erudiat, eundum est, longas moras non esse nectendas, nec rem dio producendam; ne, dum differtur, feruor abeat, eundi desiderium, ac propositum euanescat.

Circumfulsit eum lux de cælo.

IN mundi creatione prima facta est lux: à luce etiam incipit hominis (qui, μικρόκοσμος, dicitur, id est paruus mundus) productio, ac veluti creatio. Cor nouum creauit in Saulo mundi conditor, & lucem statim spargit, vt eundem hic se prodat qui mundum condidit: neque enim minor virtus, ac potentia requiritur ad vnius hominis conuersionem: quàm ad totius mundi creationem, quin multò maior: vt ergo in huius productione à luce inchoauit, inchoat & in illius conuersione, quæ veluti creatio quædam est.

995. Voci lux præmittitur, vt ita, compresso furore, menteque serenatâ, vocem attentiùs audiret: nisi magnâ illâ luce perfusus esset Saulus, sæuitiâ, & crudelitate actus, vix vocem ad se factam percepisset, faciliùs neglexisset: non vult Deus voces suas, sua verba negligi, & contemni.

Circumfulsit eum lux de cælo. Externo lumine cingitur, vt illustriori lumine intus beetur. *Subitò* (ait sanctus Bernardus serm. 1. in Conuersione sancti Pauli) *circumfulsit eum lux de cælo. O verè inæstimabilis Diuina dignatio pietatis! Illustrat cælesti fulgore vel à foris.* INTVS ADHVC LVMINIS INCAPACEM. *Qui necdum infundi poterat, Diuinâ saltem circumfunditur claritate.*

Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

996. IN terram Saulus cecidit, vt in cælum eueheretur. Cecidit visione tantæ lucis perterritus, & exanimatus. Vsque ad tertium cælum euehendus erat, qui nunc in terram cadit. Plerunque nos Deus premit, affligit, deiicitque, vt eleuet in sublime, vt casu ad modestiam reuocemur. Pila quo vehementiùs in terram proiicitur, eò proiecta euehitur altiùs. Hoc & in Saulo factum: terræ alliditur, vt sublimiùs surgeret, & vsque in tertium cælum ferretur.

Saule, Saule: Geminata nominis expressio magnam habet vim: ingentis amoris signum, nominis geminatio est, ingentis commiserationis. *Quid me persequeris.* Quod erat commune proprium efficit, & aliorum iniurias suas facit; declarans, tantam quemlibet Deo gratiam de his agere oportere, quantam, si pro se vno humanam carnem induisset, mortem pro se vno subiisset.

997. *Quid me persequeris?* Qui ad tormenta sibi priùs illata racuerat, & patiens fuerat, suorum persecutiones, ac vexationes acriter coërcet, & vindicat, maiorem vltionem sumens de suorum iniuriis quàm de propriis: quod indicat, quanto suos amore prosequatur quanto affectu. Nos quoque iniuriarum, quæ nobis inferuntur, oblitisci debemus, nec ipsarum vindictam quærere; de iis verò, quæ Deo, puro Diuinæ gloriæ zelo, punitionem expectare possumus.

Me persequeris? Nimirum iniuria resilit in caput, quæ eius membris fit. *Non dixit*, verba sunt sancti Augustini: *quid persequeris seruos meos? Non hoc dixit, quid persequeris membra mea? sed hoc dixit: quid me persequeris? Tum quasi pede calcatu lingua clamas, Calcasti me, cùm vtique lingua calcari non possit; sed per concordiam charitatis, caput pro membris omnibus clamat.*

In terrâ nobiscum est Christus per charitatem, 998.
licèt in cælo per gloriam regnet, vt nos quoque cum illo in cælo per eandem charitatem viuamus. Rem egregiè versabat sanctus Augustinus: *Compassus corpori suo in terrâ laboranti, dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Iam ipsum nemo tangebat; & se pati persecutionem de cælo clamabat. Non præter spem esse debemus, imo cum magnâ fiduciâ præsumere; quia,* SI PER CHARITATEM *ipse nobiscum in terrâ est, per eandem charitatem & nos cum eo in cælo sumus.*

Priùs luce perfunditur, & cadit Saulus, antequam vox Christi ab ipso audiretur. Non casu istuc factum, sed Diuino consilio. Non erat aptus excipiendæ voci, furore adhuc percitus: sternitur antea, vt vocem deinde vtiliùs audiret. Sancti Chrysostomi hæc sunt verba: *Quare non allata est priùs vox, sed lux priùs eum circumfulgurauit? Vt cum silentio vocem audiret. Nam, qui in opere aliquo intentus, & furore plenus est, etiamsi plurimi vocent, prorsus non animaduertit, quid ante se agatur. Ne ergo hoc & Paulo eueniret, &, sceleratum insaniâ ebrius, vocem contemneret, vel planè non audiret mente totâ in persecutione occupatâ; priùs per lumen excæcatis oculis, & compresso furore, extinctâque omni animæ turbulentia, & ingenti in animâ serenitate reddità, vocem emisit; vt depresso fastu, his, quæ dicebantur, mente sobriâ, & modestâ intenderet: Saule, Saule, quid me persequeris?*

Quid me persequeris? Non lego in hæc, aut similia verba erupisse Christum, cùm in eum barbarâ feritate Iudæi sæuirent; cùm pateretur ad mortem, affigeretur Cruci, & innocens nocentium calumnias pateretur. Nunc conqueritur, quia in suis membris patiebatur, quorum causa tot ludibria, tot tormenta perpessus erat. Nimirum, MAIOREM, inquit sanctus Bernardus, *sustinere*, PERSECVTIONEM *ab eo videtur, qui suggestione malignâ, exemplo perniciosa, scandali occasione, auertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Iudæo, qui sanguinem illum fudit.* Horrendum penitùs sacrilegium, animarum salutem impedire: quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui maiestatis Domino manus sacrilegas iniecerunt.

999. *Quid me persequeris?* In cælo ita erat, quem Saulus persequebatur, vt etiam cum suis in terris esset, nam, vt ait sanctus Augustinus, *de cælo non diceret, Quid me persequeris? quem nemo tangebat, nisi ita in cælo ad dexteram Patris sederet, vt & in terrâ in nobis quasi iaceret.*

Qui dixit: quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.

IGnorabat Saulus, quis esset, qui loquebatur; honorifico tamen nomine, Dominum, appellat: 1000.
cui respondet Christus: *Ego sum Iesus: quem tu persequeris.* Non Deum, vel Dei Filium se vocat: non terribilibus vtitur verbis dicens, ego sum Deus vltionum Dominus, qui terram respicio, & facio eam tremere. Cum lenitate, ac mansuetudine respondet: Iesu nomen profert, vt Saulum ad spem excitaret, inuitaret ad fidem.

Sed quare non dixit? *Ego sum Iesus, qui resurrexit,*

vel,

vel, *ego sum Iesus, qui sedet à dextris Dei.* Sed ait: *Ego sum Iesus; quem tu persequeris.* Vt eius mentem perstringeret, compungeret eius animam, & simul ad salutem prouocaret. Non dignitatis suæ titulos iactat Christus: non Dei verbum se indigitat. Nomen profert, quod salutem continet, salutem parturiuit.

SECTIO II.

Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere.

1001. PErfectæ, & exactæ obedientiæ specimen Saulus exhibet: non poterat opportuniùs Iesu respondere, quàm hæc verba. *Domine, quid me vis facere.* Ad omnia se paratum offert, ad omnia promptum. *Dominum*, vocat, vt se seruum ostendat. Sed cur cùm audisset Iesum vocari, qui loquutus fuerat, Iesu nomen non profert? An indignum se existimauit, qui tam Diuinum nomen proferret, quod non nisi purissimis labiis, oreque ab omni sorde alieno pronunciandum est?

Conuertitur statim Saulus: sæuitiam exuit, mitis, ac obediens fit, qui ante ferus, ac refractarius. Sed cui, aut cuius precibus Saulum conuersum debemus? An Stephano, Stephanique orationibus? Stephano debemus, sed non soli, neque præcipuè: debemus Virgini Mariæ, quæ, dum Stephanus lapidaretur, & pro Stephano, & pro lapidantibus, & præcipuè pro Paulo, orationes, precesque fundebat.

1002. *Domine quid me vis facere?* Qui cæcus in oculis corporis erat, vt oculis cordis inciperet videre, vocem emisit, quæ obedientiam redoleret: nulla certior lux, nulla opportunior, quam, quæ ab obedientiâ fit. Scitè sanctus Augustinus, qui legens, *Domine quid me iubes facere?* ait: *Factâ sibi cæcitate in oculis, vt intus videret, emisit primam cogitationem obedientiæ.*

Quid me vis facere? Quàm benè hîc videt, qui cæcus erat. Supernâ nimirum luce perfunditur, corporeâ destitutus. Iesus tunc benè videtur, cùm non videntur terrena. Egregiè rem premit sanctus Augustinus hæc verba versans: *Iam*, inquit, *parat se ad obediendum: qui priùs sæuiebat ad persequendum. Iam informatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis, ex hoste miles. Audiuit, quid facere debeat. Cæcus sanè factus est vt interiore luce fulgeret cor eius: exterior ad tempus erepta est. Subtracta est persecutori, vt redderetur prædicatori. Et eo tamen tempore, quo cætera non videbat, Iesum videbat: ita & in ipsa eius cæcitate mysterium informabatur credentium, quoniam qui credit in Christum, ipsum intueri debet; cætera nec nata computare, vt creatura vilescat, & Creator in corde dulcescat.*

Domine, quid me vis facere? Veræ obedientiæ formam habes in hac formulâ verborum. Benè sanctus Bernardus serm. 1. in Conuersione sancti Pauli. *Domine, quid me vis facere? Hæc planè, fratres, perfectæ conuersionis est forma. Paratum (inquit) cor meum, Deus: paratum cor meum. Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere? ô verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quàm pauci inueniuntur* IN HAC PERFECTÆ OBEDIENTIÆ FORMA, *qui suam ita abiecerint voluntatem: vt ne ipsum quidem cor proprium habeant; vt, non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere?* 1003.

Iure cæco Euangelij præferendus est Paulus. Audiuit ille: *Quid tibi vis faciam?* Marc. 10. Paulus dixit: *Quid me vis facere?* Felicior Paulus, qui totum se Diuinæ voluntati tradidit, non se suæ obiecit, non obiecit suam sibi. Scitè Sanctus Bernardus serm. 5. de Conuers. Pauli: *Heu, plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apostoli imitatores. Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, vt serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille; quia non considerauit, non expauit, non exclamauit: Absit hoc, Domine: tu magis dic, quid me facere velis, sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam* QVÆRI ET FIERI VOLVNTATEM. 1004.

Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

SVrge: Saulus prostratus expectauit, vt surgere iuberetur: alij, qui eum comitabantur, iniussi surrexerunt. Quò quis perfectior, eò magis exactè obedientiam colit, vt nec surgere iniussus velit. Dixerat: *Domine, quid me vis facere?* adeò Diuinæ voluntati se commisit, vt nec surgere audeat, nisi iussus. Plerique obedientiam verbis præferunt, re non exhibent.

Ingredere ciuitatem: Poterat per se ipsum plenè instruere, quem sibi subdiderat Iesus, attamen ad hominem mittit, quà superbiam retunderet humanam, quà daretur aliis exemplum, vt homines ab hominibus instruerentur; neve sibi aliquis persuaderet, Dei solius ministerio, atque doctrinâ non seniorum institutione formari debere: quod facilè factum, si per se ipsum Dominus Saulum informasset, præsumptionis enim occasionem alij arripuissent. 1005.

Suauiter omnia Christus disponit: eum, cui locutus fuerat, erudiendum de suâ voluntate ad hominem mittit, vt socialis vitæ commendetur vtilitas, colligantur commoda. Probare charitatem, atque vnionem Christus voluit. Ad hominem docendus Saulus dirigitur, vt per hominem edoctus discat & ipse, secundùm datam sibi gratiam, hominibus subuenire; vt deinceps aliis præstaret, quod sibi præstitum recordaretur ab aliis. Ad hominem erudiendus Saulus mittitur; *vt socialis*, inquit sanctus Bernardus, *commendetur vtilitas, & edoctus per hominem discat & ipse, secundùm datam sibi gratiam hominibus subuenire.* Homines informare debet, ab homine informatus, & eruditus.

Viri autem illi, qui comitabantur eum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

HOs viros comites fuisse itineris legimus, non conuersionis. Sic plerunque accidit, vt plerique in malo aliorum se comites exhibeant, non in bono. Vsus horum duritie Deus est ad fidem eis conciliandam, quæ de se Paulus dicebat. Scitè Oecomenius hîc: *Quare*, inquit, *non crediderunt ij, qui cum eo erant? vt fide digni testes essent eius, quod circa Paulum contigerat. Nam, si credidissent, viderentur ad gratiam testificari.*

Audientes quidem vocem. Sauli tantùm vocem, non verò Christi loquentis hos audiuisse ita probat Oecumenius *Audientes*, inquit, *vocem. Non eam, quæ desuper delapsa erat, vocem audierunt hi, qui cum Paulo erant; sed Pauli vocem. Ipsum etenim Paulum in sequentibus inducit dicentem: Et, qui mecum erant, lumen quidem viderunt, & exterriti sunt; vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.*

Audientes quidem vocem. Quæret hîc iorè aliquis, qui hoc cohæreat cum illo quod cap. 23. habet: *Et qui mecum erant lumen quidem viderunt, vocem autem eius non audierunt.* An vtrunque verum? Audierunt, quia *sonum vocis confusæ*, vt ait Glossa, *audiêre; non autem verborum discrimen.*

Surrexit autem Saulus de terrâ apertisque oculis nihil videbat.

1006. TErrena, & humana non vidit, qui viderat cœlestia, ac Diuina. Ita fit, vt, qui supernâ luce perfunditur, ima hæc spectare negligat. *Desinit videre* SECVLARIA, *qui incipit audire* DIVINA, inquit, hanc rem versans, sanctus Ambrosius.

Apertisque oculis nihil videbat. Peritè circa hanc Pauli cæcitatem philosophatur sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 346. *Quemadmodum lana ad excipiendam purpuræ tincturam ob vestimenti excellentiam rigidè admodum prius astringuntur: eodem modo ille ingentis animi magnitudine præditus Paulus a Iudaicâ vecordiâ præcisus, triduana cæcitate prius astrictus est; vt, qui Dei purpura effectus sit, omnesque homines, vt idem fiant, cohortetur.*

Nihil videbat: Sed tamen dixerat: *quid me vis facere?* Vt innueretur, & obedientiam cæcam illum præstitisse, & nobis præstandam. *Felix cæcitas, qua malè quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione oculi salubriter excæcantur.* Sic sanctus Bernardus. Nimis cæcus est, qui nimis acutè in parendo videt.

Solus excæcatur Saulus, nec, qui comites itineris, fuere & pœnæ. Non casu id factum, sed Diuino consilio: vt scilicet totum diuinæ prouidentiæ tribueretur, non casui. Scitè Oecumenius hic: *Non omnes excæcat, sed solum duntaxat Paulum, ne* COMMVNIS AFFLICTIO EXISTIMARETVR, *& quæ casu contigisset, sed à Diuinâ prouidentiâ.*

Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.

TRahebatur, qui spetabat, se alios tracturum. Damascum ingreditur non parcens, vt verisimile est, gemitibus; Stephanum, vt credere par est, inuocans; fructum orationis eius in hac vocatione & cognoscens, & confitens.

Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.

QVid ergo ibi agebat Saulus? Compungebat 1007.
se propter ea, quæ fecerat: confitebatur, precabatur, orabat Deum, seque ipsum omni supplicio dignum putabat. *Non videns*: Rectè tunc incipit videre, cùm videre non potest.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.

VItius hîc diuina elucet. Lupus erat Saulus, & lupus rapax: de illo illa verba intelligit, & interpretatur sanctus Augustinus: *Beniamin lupus rapax.* Ananias, *ouem*, significat. Non solùm habitat lupus cum agno, quod prædixit Isaias; sed ouis lupum sibi subiicit. Pulchrè Arator:

O noua palma! lupum domat ille rapacem
Hebræus, quem dixit ouem.

Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: Ecce enim orat.

IDeo dicitur Ananiæ, quod Saulus oraret, ne 1008.
illum adire dubitaret. Nimirum bona de illo spes concipienda, licèt alioquin perditus fuerit, qui orationi deditus sit. Optimum salutis indicium est, orationi vacare.

Ecce enim orat: Orat, qui orantes anteà insequebatur. Cùm multa alia in Pauli laudem, qui iam erat conuersus, dici potuissent, solius meminit orationis; quia in eâ & virtutes aliæ claudebantur, &, quod præcipuum, virtutum omnium conseruatio. *Ecce orat*: Ac si diceret: non est, quòd eum ampliùs timeas: sæuitiem omnem illum posuisse, omnem feritatem, vel orantis habitus præfert. Oratio quippè hominem homini reddit, qui in bestiam ferè transierat, brutales mores efferens.

SECTIO III.

Magni ægre ad salutis viam redire volunt. 1010
Labores *prædicationi substernendi.* 1010
Miraculis *præferendum aduersa pati pro Christo.* 1011
Improperia *vitanda.* 1012
Citò discitur, *quod Spiritus sanctus docet.* 1013
Aliorum salus *auidè quærenda.* 1015
Charitas, *& vnio inter discipulos.* 1016
Iactantia *maximè vitanda exemplo Pauli.* 1016

Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.

IEsu nomen oleo, & vnguento comparatur: *oleum* 1009.
effusum, inquit amans illa anima, *nomen tuum.* Cant. 1.
Paulus vas electum fuit, quod hoc nomen, velut vnguentum, continere debebat.

Coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. Crescit hîc

hic semper oratio: vnde magis est Christi nomen coram regibus, quàm coram gentibus portare: & rursus difficiliùs coram filiis Israel, quàm coram regibus, infensissimi quippe Christo, ac nomini Christiano Iudæi erant: & reges, si plebi, populoque compararentur, ægrè ad salutis viam redire volunt.

Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel; Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

NOta verborum nexum, à laborum patientiâ, à malorum sufferentiâ benè obeundi muneris regula desumitur; aptus nimirum est qui Iesu nomen ferat, qui Christi amore dura, quæque perferre.

1010. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum:* Ad Apostolicum docendi munus Paulus eligitur; sed quî id probatur? subdit: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quasi à laborum patientiâ obeundi muneris nota desumatur. Ad prædicationis scilicet munus ineptus est, qui labores forti, libentique animo non sustinet.

Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

EGo ostendam illi: Rectè inquit, *ostendam*: abhorret nimis natura tribulationes, & aduersitates, quæ, si Christus ostendat, minùs acerbæ sunt. Diabolus ostendit Christo omnia regna mundi: Christus Paulo tribulationes, quæ magis, quàm regna terrena, fieri debent.

1011. *Vas electionis*: Paulus dicitur, & adiicitur causa; quia ostendet illi Christus, quanta pro nomine eius esset passurus: non dixit, quanta miracula esset facturus; ac si miraculis præferret pro Christo aduersa pati. Ingens hoc prodigium est, libenti animo omnes tribulationes perferre.

Et abiit Ananias, & introiuit in domum.

HActenus hæsitauerat Ananias, hactenus trepidauerat, nec satis assequens, qui Saulo, sæuissimo quondam hoste, fidere posset. Vt audiuit, multa pro Christi nomine passurum, statim acquieuit, omni dubitatione positâ, omni metu. Tanti apud Dei seruos est, forti, libentique animo aduersa pati, vt certum sanctioris vitæ indicium hoc sit.

Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas.

1012. FRatrem vocat, quem putabat hostem. Statim sibi eum familiarem facit, nomine proprio eum compellans. *Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in viâ.* Non dixit, *quis te terruit, quis te excæcauit*, sed lenius, *qui apparuit tibi*, ne læsus affectum in Christum minueret. Præterea ita locutus est, ne videretur illi improperare. *Non dixit, qui te excæcauit, sed qui apparuit tibi, improperium declinans*, inquit Oecumenius. Nimirum dura non sunt excipiendi, qui resipiscunt.

Iesu nomen interposuit, significans illius virtute sanitatem afferendam, nihil sibi tribuendum. Hoc sanctorum proprium est, vt in Deum omnia referant.

Vt videas, & implearis Spiritu sancto.

VT videas: Quàm modestè loquitur, quàm cautè iactantiam fugit. Poterat hanc rem ita efferre: *Dominus Iesus me misit, vt manus impositione visum tibi redderem.* Abstinuit, ne aliquid sibi tribuere videretur, & de collatæ sanitatis gloriâ aliquid sibi vsurpare: gloriam omnem à se reiicit humilis Christi discipulus.

Vt videas, & implearis Spiritu sancto. A minore 1013.
beneficio, quod præmittitur, itur ad maius: prius visus Saulo promittitur, deinde Spiritus sancti gratia. Vt corporeis oculis aliquis videat, videre spiritualibus non potest, qui Spiritu sancto non est repletus.

Et continuò in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei.

SVbitam mutationem Paulus non erubuit: non eum puduit illa destruere, in quibus antea gloriabatur. Statim Christum prædicat, & Spiritu sancto docente Doctor statim euasit. Citò discitur, quod iste Doctor docet. *Prædicabat Iesum*: Qui Iesu impugnator erat, incipit pugnare pro Iesu. Furorem, quo in discipulos Christi sæuiebat, in feruorem commutauit, quo Christo discipulos acquireret.

In Synagogis prædicabat: quàm citò ex Euangelicæ doctrinæ persequutore fit defensor, & prædicator! Eò nimirum promptiùs celeriúsque huic se dat muneri, quò tardior fuit. *Considera*, inquit hîc Oecumenius, *quod iam discipulos quoque nactus erat, adeò* TOTVS ARDEBAT *ac prædicatione perficiebatur: atque eo ipso, quod tardius accessisset, promptior efficiebatur.*

Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud?

EXpugnabat: id est, expugnare conabatur: affe- 1014
ctus, ac conatus pro re, factoque ponitur; vt disceres, apud Deum conatum haberi pro facto, & tanquam factum, affectum puniri.

Qui inuocabant nomen istud: Iesu nomen præ inuidiâ non expresserunt, quin adeò irâ erant exasperati, vt nec Iesu nomen audire sustinerent. Conclamatæ perfidiæ signum est, cùm nomen Iesu contemnitur. Indignus salute est, qui salutis nomen dedignatur pronunciare.

Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

ARdebat Paulus mortis desiderio: subire Christi causâ martyrium cupiebat: cur ergo nunc fugit ab his, à quibus ad necem quærebatur? An, vt discipulorum monitis ac precibus acquiesceret? An, quia durius, longiúsque martyrium sibi paratum esse sciebat. Non est infirmi animi, quòd fugam arripit; est fortis, strenuique. Secessum à certamine petiit, feliciùs pugnaturus ad alia reseruatus bella. Prodesse prius multis volebat Paulus; prius multa pati; & postea, Christi victima factus, occumbere sub ferro. Damasci cum aduersariis confligere noluit, quia nullis se ibi, aut paucis prodesse posse videbat, Gentium Doctor, non gloriam suam quærebat, sed aliorum profectum, aliorum salutem:

cadere tunc volebat, cum multi surgere possent, multi vellent.

Submittentes in sporta: Eripuit Deus Paulum sine miraculo. Nimirum vult, humanâ industriâ pleraque fieri; nec miracula expectanda, cum res absque miraculo fieri potest. Hominum operâ vtitur, vt Paulum ab hostibus eximat, ne homines tanquam stipites haberentur, vtque hominum laborem, ex charitate prodeuntem, præmio posset afficere.

Cùm autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus.

IN Ierusalem se contulit Paulus, vt Apostolis se iungeret. *Tentabat*, inquit, *se iungere discipulis*: Græcè pro iungere est, *κολλᾶσθαι, adhærere, agglutinare*: Quo glutino, quo nexu? Charitatis, amoris. Non loco dumtaxat iungere se discipulis volebat, sed affectu.

1016. Galat.1.v.17.18. *Tentabat se iungere discipulis*: Paulus ipse in suis epistolis ait, se Ierosolymam venisse, vt videret Petrum: Cur ergo hîc dicitur venisse, vt se discipulorum consortio copularet? An primaria intentio fuit videre Petrum, secundariò se discipulis agglutinare? An inter se hæc duo confunduntur, vt intelligeremus, non mereri videre Petrum, qui discipulorum consuetudinem non amat non ambit.

Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis quomodo in viâ vidisset Dominum.

BArnabas timorem omnem exuit, Paulum apprehendit, & ad Apostolos duxit: fors plura de Pauli conuersione inaudiuerat. *Narrauit* autem *illis, quomodo in viâ vidisset Dominum.* Nihil horum Paulus dixit alienus ab omni iactantiâ; quin nec ad alios postea protulisset, nisi quædam id necessitas postulasset. Frequenter sua narrat peccata: Dei dona ipsi collata ferè subticet, nisi aliter Dei gloria, & aliorum vtilitas poscere videatur.

SECTIO IV.

Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus.

1017. HOminem incognitum proprio nomine vocat, quod fors Diuinitus didicerat. Obserua hîc modum quo Petrus in Paralytico curando vtitur: *sanat*, inquit, *te Dominus Iesus Christus.* Tribuit miraculi gloriam Christo, ne videretur propriâ virtute, & operatione id efficere: sed tunc maximè gloriæ nubunt Dei serui, cùm gloriam maximè repudiant.

Surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.

QVòd Petrus imperat, paralyticum surgere, non præsumptio de potestate est, sed fiduciâ de nominis Iesu virtute. Notandum hîc autem, quòd ab Æneâ Petrus fidem non exegerit, nec petierit, vellet ne sanus fieri; quod sæpè à Christo præstari solitum legimus: cur ita? An, quia ad multorum potiùs consolationem hoc fiebat miraculum, quàm ad priuatam paralytici vtilitatem?

In Ioppe autem fuit quadam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur, Dorcas.

NOmen Lucas interpretatur, quia magnum ei 1018.
mysterium subesse nouerat. Dorcas Latinè Dama, seu Damula dicitur, vel caprea, quod animal videndi acumine maximè pollet. Nimirum hæc mulier vigilans, ac sobria erat, vt Dorcas. Præterea hoc animal celsa petere solet, quo denotatur sublimis Tabithæ huius animus.

Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis.

PLena Tabitha bonis operibus erat, sed & ipsa opera plena erant, non vacua non inania, non ob inanem gloriam facta. Bonis operibus plena erat, sed signatè eleemosynis. Apud homines plenus eleemosynis dicitur, qui multa per eleemosynam collegit: apud Deum contrà est; plenus eleemosynis dicitur, qui facit eleemosynam, non qui accipit. Eleemosynæ actus eam facientem replet se ipsâ, quæ optimus est thesaurus.

Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur.

DIututno fuit morbo vexata Tabitha, tandem 1019.
mortua est. Sed quæri potest, cur ante mortem aduocatus Petrus non sit, qui iacentem erigeret, & infirmam sanitati restitueret. Deus mortem subire voluit, vt daretur locus insigni huic miraculo. Prætereà Petrum non aduocarunt, indignum ducentes vnius mulieris sanandæ gratiâ eum auellere à prædicatione. Non sua commoda spectabant; sed aliorum saluti consulebant: quin nec ipsa Tabitha accersiri Petrum petiit, ne in commune commodum, inque communem vtilitatem peccaret.

Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cænaculo.

QVidam Codices ita legunt, *quam cùm lauissent vnguentis*: sed vtrumque fors factum, vt & lota priùs fuerit, deinde vnguentis delibuta; & quidem hoc Romanis in vsu non est dubium: Hinc illud Ennij:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Posuerunt eam in cænaculo: Quæ viuens bonis operibus ad summa conscenderat, mortua in altiori domus parte collocatur: antiquitus sæpè in cœnaculo cadauera exponebantur, vt alij notauêre.

Cùm

Cùm autem propè esset Lydda ad Ioppen, discipuli audientes quia Petrus esset in eâ, miserunt duos viros ad eum, rogantes: ne pigriteris venire vsque ad nos.

ACcersunt discipuli Petrum, nec causam, cur venire debeat exponunt. Dixissent: *Ne graueris ad nos venire, vt mulierem Tabitham, quæ adeò vtilis erat suscites.* Nihil tale dixerunt, ne, cùm humilis esset, causam, cur vocaretur, audiens recusaret venire. Si defunctæ suscitandæ mentio facta esset, modestè petitionem, vt suis meritis imparem reiecisset.

Exurgens autem Petrus cum illis.

1021. IMpiger, ac humilis Petrus accurrit: nullâ excusatione vtitur, nec causam, cur vocetur, curiosè inquirit: non præiudicium suæ dignitatis putat, quòd ab inferioribus aduocetur; sciens, superioris esse, omnibus deseruire. Superior tunc se ipso superior fit, cùm fit inferior sibi, & inferioribus.

Et cùm aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

SEmper beneficij memoria vigere in nobis debet, licèt is obierit, qui exhibuit. Hoc præstiterunt hæ viduæ, quæ ad defunctæ commendationem vestes ostendunt, vt ad misericordiam Petrum flecterent, sicque significarent, cum Tabithæ morte, accepti beneficij memoriam apud eas mortuam non fuisse. Ostenderunt vestes, quas fecerat Dorcas suis sumptibus imo & suis manibus: nec pro defunctâ suis vocibus deprecantur sed ipsiusmet defunctæ viuis operibus.

1022. *Ostendentes ei tunicas, & vestes:* Exhibitæ indigentibus viduis vestes, viduam Apostolico auxilio Tabitham haud reliquêre: quid præstabunt lachrymæ ab illis fusæ, quorum quis salutem quæsierit? Rem egregiè vrget sanctus Chrysostomus: *Si Tabitha illa*, inquit, *qua viduas vestiebat, qua pauperi subueniebat, à morte in vitam reuocata est; & lachrymæ eorum, qui beneficiis affecti fuerant, animam in corpus reduxerunt, cùm nondum venisset resurrectio: quid facient hominum lachryma per te seruatorum? Quemadmodum enim hanc circumstantes vidua viuam ex mortuâ reddiderunt; sic & te nunc circumstantes, qui nunc per te seruati fuerint, efficient, vt multam experiaris humanitatem; & ex incendio gehenna eripient.*

Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge.

NOn recusauit Petrus miraculum facere Diuinitus edoctus impetrari posse, quod sic petebatur; nec viduis defunctorum Christi auxilium, quando esset in viduis ipse vestitus. Efecit omnes foras ad vitandam elationem; vel ne indigni signum viderent; tandem, vt Deum efficaciùs, & attentiùs exoraret, neue adstantium lachrymis perturbaretur.

Ponens genua orauit: Antea plures curauerat Petrus solâ sui corporis vmbrâ: nunc, vt vnam suscitet, tanta præstat? Nimirum, non permittit Deus omnia eâdem facilitate à suis seruis fieri, sed maiori aut minori pro accedentium fide, ac dispositione. Addi potest, solâ vmbrâ Petri infirmos, languidosque sanitati restitutos, non vitâ functos vitæ redditos: quod in Tabithâ factum. 1023.

Factum est autem, vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

VIde Petri modestiam: non apud Tabitham, quam suscitauerat, aut alios diuites, qui eum libenter recepissent, elegit hospitium; sed apud plebeium coriarium. Tabithæ declinauit domum, ne pro miraculo hospitium quærere videretur. Præterea Tabitha virgo erat, aut vidua, nullosque domi, vt aliqui censent, viros habebat; atque adeò tale hospitium virum, & præsertim Principem Apostolorum, non decebat, qui cæteris exemplum erat præbiturus. Simonis autem coriarij domum elegit, quia ardentiùs cæteris Petrum inuitauerat. Promptiores ferè ad beneficentiam ignobiles homines sunt, quàm nobiles, ac primates. Præterea huius coriarij domus extra vrbem erat: segregata autem ab vrbibus loca sectabantur Apostoli, vt pote solitudinis, ac quietis amici.

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT X. ACT. APOST.

Vers. 1.

VIR autem quidam erat in Cæsareâ, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur, Italica:

Vers. 2.

Religiosus, ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper:

Cohortis. *S. Chrys. Ex cohorte.*
Dicitur. *Syr. Vocatur. S. Chrys. Appellatur. Vat. Dicebatur.*

Religiosus. *Syr. Eratque iustus ipse. S. Chrys. Pius.*
Cum omni d. s. *Syr. Et tota eius domus. Oecum. Cum totâ familiâ suâ.*
Faciens. *Syr. Erogabat. Pagn. Prastans.*
Plebi. *Syr. In populum. S. Chrys. Populo. S. Cypr. In plebem.*
Deprecans. *Syr. Precabatur. S. Chrys. Orans.*
Semper. *Syr. In omni tempore. Ar. M. Per omne.*

Vers. 3.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 3.

Is vidit in viſu manifeſtè, quaſi horâ diei nonâ, Angelum Dei introëuntem ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli.

Is vidit. *Geth. Vidit.*
In viſu. *Pagn. Per viſum.*
Horâ d. n. *Syr. Circiter ad horam nonam interdiu.*
Introëuntem. *Oecum. Ingreſſum.*

Verſ. 4

At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid eſt, domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.

Intuens e. *Syr. Intuitus eſt eum. Oecum. Defixis in eum oculis. Ar. M. Attendens ei.*
Timore correptus d. *Syr. Timuitque & ait. Ar. M. Et pauefactus dixit.*
Quis es Domine. *Syr. Quid eſt, Domine mi.*
Orationes. *Syr. Preces.*
Aſcend. *Interp. Chryſ. Conſcenderunt.*
In conſpectu D. *S. Cypr. Coram Deo.*

Verſ. 5.

Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus:

Et nunc. *S. Chryſ. Nunc itaque.*
Viros. *Syr. Aliquos.*
Ioppen. *Syr. Ioppa ciuitatem.*
Accerſi. *S. Chryſ. Voca.*
Simonem quendam. *S. Chryſ. Simonem.*
Cognominatur. *Syr. Vocatur. Syr. Agnominatur.*

Verſ. 6.

Hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.

Hic hoſpitatur. *Syr. Ecce diuerſatur. S. Chryſ. Et eſt ille, qui hoſpitatur.*
Apud S. q. c. *Syr. In ædibus Simonis coriarij illius.*
Cuius e. d. *Syr. Qui degit. S. Chryſ. Cui eſt domus.*
Iuxta mare. *S. Chryſ. Apud mare.*
Hic dicet t. q. t. o. f. *Syr. & Geth.* omittunt. *Quid ap. Mar. Hic loquetur verba ad te, in quibus ſaluus eris tu & omnis domus tua.*

Verſ. 7.

Et, cùm diſceſſiſſet Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domeſticos ſuos, & militem, metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant.

Et c. d. *Chryſ. Vbi verò abiit. Ar. M. Vt autem diſceſſit.*
Loquebatur i. *Syr. Alloquebatur eum. Oecum. Loquebatur Cornelio.*
Domeſticos ſ. *S. Chryſ. Seruos ſuos. Oecum. Famulos. Caiet. Famulos ſuos.*
Militem. *Syr. Miniſtrum quendam.*
Metuentem D. *Syr. Timentem Deum. S. Chryſ. Pium. Pagn. Religioſum.*
Ex illis qui i. p. *Syr. Qui quidem ipſius erat ſtudioſus. S. Chryſ. Ex illis, qui manebant apud illum. Pagn. Ex his, qui ſibi adhærebant. Vat. Ex his, qui illi inſeruiebant. Caiet. Ex illis, qui illi aſſiſtebant.*

Verſ. 8.

Quibus cùm narraſſet omnia, miſit illos in Ioppen.

Quibus cùm n. o. *Syr. Et renunciauit quicquid viderat. Ar. M. Et expoſuit illis omnibus.*

Verſ. 9.

Poſterâ autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam.

Poſterâ. *Syr. Poſtero. S. Chryſ. Sequenti.*
Iter illis f. *Syr. Cùm illi pergerent in viâ. S. Chryſ. Cùm in viâ eſſent.*
Appropinquantibus. *Syr. Appropinquarent. S. Chryſ. Appropiarent.*
Aſcendit P. *Syr. Simon conſcendit.*
In ſuperiora, *Syr. Tectum. S. Chryſ. In ſuperiorem partem domus. S. Chryſ. Superiora domus.*
Oraret. *Syr. Precaretur.*
Circa horam ſ. *Syr. Horâ ſextâ.*

Verſ. 10.

Et, cùm eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus.

Et c. e. *Vat. Cœpit autem eſurire.*
Guſtare. *Syr. Manducare. S. Chryſ. Sumere cibum. Pagn. Guſtare cibum. Vat. Et appetebat cibum.*
Parantibus autem i. *Syr. Cùmque illi pararent ei.*
Cecidit ſ. e. *Syr. Incidit in eum. S. Chryſ. Irruit ſuper eum. Vat. Ingruit in eum.*
Exceſſus. *Goth. Stupor.*

Verſ. 11.

Et vidit cælum apertum, & deſcendens

Vidit. *Syr. Suſpexit. Pagn. Videt. Ar. M. Spectat.*

vas

Vulgata Editio.

vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram:

Lectionum Varietas.

Cælum a. *Syr. Calos apertos.*
Descendens. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Descendens ad se. S. Epiph. Demissum. Ar. M. Descendens super se.*
Vas q. *S. Epiph.* omittit.
Velut l. m. *Syr. Eratque simile linteo magno. S. Epiph. Linteum. S. Cyrill. Alex. Velut sudarium magnum.*
Initiis. *Syr. Deuinctum angulis. S. Chrys. Initiis alligatum. Vat. Extremitatibus alligatum. Ar. M. Initiis vinctum.*
Submitti. *Syr. Et portabatur. Ar. M. Et demissum.*
De cælo. *Syr. A calo. S. Chrys. E calo.*

Vers. 12.
In quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli.

In quo e. *Syr. Erat autem in eo. S. Epiph. Et in eo contineri.*
Omnia q. *Syr. Omne genus animantium quadrupedium. S. Chrys. Omnia quadrupedia terra bestiaque. Ar. M. Omnia quadrupedia terra & fera.*
Serpentia terræ. *S. Epiph. Reptilia.*
Volatilia. *Syr. Volucres.*

Vers. 13.
Et facta est vox ad eum: surge, Petre: occide, & manduca.

Facta est. *Syr. Peruenit dicens.*
Petre. *Syr. Simon.*
Occide e. m. *S. Chrys. Macta & vescere.*

Vers. 14.
Ait autem Petrus: Absit, Domine: quia nunquam manducaui omne commune & immundum.

Ait a. P. *Syr. At Simon dixit.*
Absit. *S. Chrys. Nequaquam.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Nunquam. *S. Epiph.* omittit.
Manducaui. *S. Chrys. Comedi. S. Epiph. Intrauit in os meum. Pagn. Edi.*
Omne commune. *S. Chrys. Commune. Pagn. Quicquam commune. S. Epiph. Nihil commune.*
Et *S. Chrys. Vel. Ar. M. Aut.*

Vers. 15.
Et vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.

Vox. *Syr. Vox extitit. Vat. Vox (perlata est)*
Secundò. *Syr. Secundâ vice. Ar. M. Ex secundo. Caiet. Rursus.*
Quod. *S. Aug. Qua.*
Purificauit. *S. Ambr. Mundauit.*
Commune n. d. *Syr. Ne profanes. S. August. Communia ne dixeris.*

Vers. 16.
Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cælum.

Per ter. *Syr. Tribus vicibus. S. Chrys. Tertio. S. Aug. Ter. Caiet. Ad ter.*
Et statim. *Syr. & S. Chrys. Et rursum.*
Receptum. *Syr. Sublatum. S. Aug. Ablatus.*
Vas. *S. Aug. Discus.*

Vers. 17.
Et, dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: Ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam.

Et dum hæsitaret. *Syr. Cúmque miraretur Simon.*
Intra se. *Syr. Apud se. Pagn. Apud sese. Ar. M. In se ipso.*
Quidnam esset visio. *Syr. Quænam esset illa visio. Vat. Quidnam sibi vellet visum.*
Quam. *Vat. Quod.*
Ecce. *Syr. Accesserunt. S. Chrys. Et ecce.*
Viri. *Syr. Viri illi.*
Inquirentes domum. *Syr. Et percontati sunt de domo. Ar. M. Inquirentes & discentes domum.*
Simonis. *Syr. In quâ diuersabatur Simon.*
Astiterunt. *Syr. Venerunt itaque & substiterunt. Vat. Præsto fuerunt.*
Ad ianuam. *Syr. Pro foribus atrij. Ar. M. Ad vestibulum.*

Vers. 18.
Et, cùm vocassent, interrogabant, si Si-

Cùm vocassent. *Syr. Euocauerunt inde quempiam. S. Chrys. Vocantes.*
Interrog. *Syr. Et percontati sunt.*

mon,

Vulgata Editio.

mon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.

Vers. 19.

Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te.

Vers. 20.

Surge itaque & descende, & vade cum eis, nihil dubitans; quia ego misi illos.

Vers. 21.

Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis?

Vers. 22.

Qui dixerunt: Cornelius centurio, vir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersâ gente Iudæorum, responsum accepit ab Angelo sancto accersire te in domum suam, & audire verba abs te.

Vers. 23.

Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.

Vers. 24.

Alterâ autem die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos conuocatis cognatis suis & necessariis amicis.

Vers. 25.

Et factum est, cùm introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, &, procidens ad pedes eius, adorauit.

Vers. 26.

Petrus verò eleuauit eum, dicens: surge: & ego ipse homo sum.

Lectionum Varietas.

Si. *S.Chrys. An.*
Cognominatur. *Syr. Vocatur.*
Haberet hos. *Syr. Diuersaretur. Vat. Hospitaretur.*

Porrò autem c. *Syr. Cùmque Simon meditaretur.*
De visione. *Syr. Visionem. Vat. De viso.*
Viri tres. *S.Chrys. Viri.*

Vade. *Syr. Proficiscere.*
Dubitans. *Syr. Mente tuâ ambigens. S. Chrys. Hæsitans.*

Descendit a. P. *Syr. Tunc descendit Simon.*
Viros. *Syr. Viros illos. Pagn. Viros, qui missi erant à Cornelio ad ipsum.*
Ecce e. s. *Syr. Is sum. Oecum. Ecce ego sum ille.*
Quæ causa est p. q. v. *S. Chrys. Ob quam causam adestis.*

Cornelius. *Syr. Vir quidam est nomine Cornelius.*
Vir i. e. t. *Syr. Timens.*
Testimon. h. *Syr. De quo honorificum fert testimonium. Ar. M. Testimonio ornatus.*
Ab vniuersa gente. *Syr. Tota gens. Ar. M. Ab turbâ gentis.*
Responsum a. *Syr. Cui dictum est per visionem. S. Chrys. Oraculo admonitus. Oecum. Oraculum accepit. Ar. M. Diuinitus admonitus est.*
Accersire te. *Syr. Vt mittens introducat te. S.Chrys. Vt accerseret te.*
In domum. *Syr. Domum.*
Audire v. *Syr. Audiat sermonem tuum.*

Introducens e. *Syr. Et introduxit Simon. S. Chrys. Intrò vocates ergo.*
Recepit. *S.Chrys. Excepit.*
Sequenti a. d. *Syr. Proinde postero die.*
Surgens prof. est. *Syr. Surrexit exiitque & profectus est. Pagn. Petrus profectus est. Ar. M. Petrus exiit.*
Quidam. *Syr. Vnusquisque.*
Ex fratribus ab I. *S.Chrys. Fratres Ioppenses. Pagn. Ex fratribus qui erant ab Ioppe.*
Comitati s. e. *Syr. Comitatus est eos.*

Altera a. d. *Syr. Postridie verò.*
Introiuit. *S. Chrys. Simul ingressi sunt. Pagn. Introierunt.*
Expectabat. *Syr. Præstolabatur. Ar. M. Erat expectans.*
Illos. *S.Chrys. Illum.*
Conuocatis. *Syr. Congregati ad se. S.Chrys. Vocatis. Ar. M. Conuocans.*
Cognatis s. *Syr. Omnibus filiis cognationis suæ. Ar. M. Cognatos suos.*
Et necessariis a. *Syr. Nec non amicis & necessariis, quos habebat. Ar. M. Necessarios.*

Et factum e. c. i. *S.Chrys. Vbi verò aduenit. Oecum. Vt autem contigit introisse. Vat. Porrò autem cùm introiret. Pagn. Vt autem factum est, vt introiret.*
Obuius venit. *S.Chrys. Occurrens. Oecum. Obuiam progressus.*
Procidens ad p. e. *S.Chrys. Cadens ad pedes.*
Adorauit. *Pagn. Adorauit eum. Mar. Osculatus est Petrum, vel: Veneratus est.*

Petrus. *Syr. Simon.*
Eleuauit. *S.Chrys. Erexit.*
Dicens. *Syr. Ac dixit ei.*
Et ego ipse. *S.Chrys. Nam & ego.*

Vers. 27.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 27.

Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos, qui conuenerant.

Loquens c. i. *Syr. Cùm colloqueretur ei.*
Intrauit. *Syr. Introiit. S. Chrys. Ingressus est.*
Inuenit *Syr. Reperit. S. Chrys. Inueniebat. Vat. Offendit.*
Conuenerant. *Syr. Conuenerant illic. S. Chrys. Simul aderant.*

Vers. 28.

Dixitque ad illos. Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.

Quomodo a. s. *Syr. Non licere. Goth. Quomodo illicitum sit. S. Chrys. Quòd non est fas. Ar. M. Vt nefas est.*
Viro Iudæo. *S. Chrys. Hominem Iudæum.*
Coniungi a. a. *Syr. Sese adiũgere. S. Chrys. Adhærere.*
Ad alien. *Syr. Homini extraneo. S. Chrys. Alienigenæ.*
Sed mihi. *Syr. Mihi verò. S. Chrys. Et mihi. Oecum. Mihi tamen.*
Ostendit. *Syr. Indicauit.*
Neminem. *S. Chrys. Nullum. Pagn Ne quem.*
Communem. *Syr. Pollutum.*
Immundum. *Syr. Profanum.*
Dicere. *S. Chrys. Dicendũ. Oecum. Dici. Pagn. Dicerẽ.*
Hominem. *Syr.* omittit.

Vers. 29.

Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo: quam ob causam accersistis me?

Sine dub. *Syr. Expeditè S. Chrys. Et absque contradictione. Pagn. Et incunctanter. Vat. Et citra contradictionem. Ar. M. Et incontradicenter.*
Accersitus. *Syr. Cùm misissetis post me.*
Interrogo ergo. *Syr. Verum rogo vos. Pagn. Interrogo ego.*
Accersistis me. *Syr. Misisti ad me.*

Vers. 30.

Et Cornelius ait: A nudiusquartâ die vsque ad hanc horam orans eram in domo meâ: & ecce vir stetit ante me in veste candidâ, & ait:

A nudiusquartâ die. *Syr. Quatuor sunt dies. S. Chrys. A quarto die. Caiet. Quarto ab hinc die.*
Vsque ad h. h. *Syr. Etiam nunc ex quo ecce ieiunus sum. S. Chrys. Vsque in hanc horam eram ieiunans. Oecum. Vsque ad hanc horam ieiunabam. Caiet. Vsque ad hanc horam sedebam ieiunus.*
Orans e. *Syr. Et cùm precarer. Vat. Precabar.*
Et ecce vir. *Syr. Vir quidam.*
Stetit. *Syr. Adstitit.*
Ante. *S. Chrys. Coram.*
In v. *Syr. Albis indutus. Goth. In veste splendidâ. S. Chrys. In vestitu splendido.*
Et ait. *Syr. Dixitque mihi.*

Vers. 31.

Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

Exaudita est. *Orig.* omittit.
Oratio t. *Oecum. Deprecatio tua. Vat. Precatio tua. Orig. Orationes tuæ.*
Eleemosynæ t. *Syr. De eleemosynis tuis.*
Commemoratæ sunt. *Syr. Commemoratio fuit. Orig. Ascenderunt in memoriam. Pagn. In memoriâ habita sunt.*
In conspectu D. *S. Chrys. Coram Deo.*

Vers. 32.

Mitte ergo in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare.

In Ioppen. *Syr. Ad Ioppen ciuitatem.*
Cognominatur. *Syr. Vocatur.*
Hic hospitatur. *Syr. Ecce diuersatur. S. Chrys. Hic agit hospitem.*
Domo. *Vat. Ædibus.*
Mare. *Syr. Littus maris, qui cùm venerit, colloquetur tibi. Oecum. Mare, qui vbi venerit loquetur tibi. Pagn. Mare, qui vbi aduenerit loquetur tibi. Vat. Mare, qui, simul atque venerit, loquetur tibi. Caiet. Mare, qui veniens loquetur tibi.*

Vers. 33.

Confestim ergo misi ad te: & tu bene-

Confestim. *Syr. Extemplo. S. Chrys. Ex hac horâ. Ar. M. Ex eâdem.*
Veniendo. *S. Chrys. Qui aduenirit.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.

In conspectu t. *Syr. Coram te. S. Chrys. Coram Deo. Oecum. Teste Deo.*
Audite. *Syr. Volumusque audire. S. Chrys. Vt audiamus.*
Omnia q. *Syr. Quicquid. Oecum. Quæcunque.*
Præcepta s. a. D. *Syr. Iniunctum est à Deo.*

Vers. 34.

Aperiens autem Petrus os suum, Dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.

Petrus. *Syr. Simon.*
Os suum. *S. Chrys. Os.*
In veritate. *Orig.* omittit. *Pagn. Verè. Al. Re ipsâ.*
Comperi. *Clem. Alex. Comprehendo. Oecum. Comperio. Orig. Compertum habeo. Vat. Deprehendo.*
Quia n. e. p. a. D. *Syr. Deum non esse acceptorem vultus. Oecum. Quòd non sit personarum respectus coram Deo. Pagn. Quod non sit personarum respectus apud Deum.*

Vers. 35.

Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

In omni g. *In omnibus gentibus. Pagn. In quavis gente. Orig. In omni loco & in omni gente.*
Qui. *Syr. Quicunque. Clem. Alex. Qua.*
Timet eum. *Clem. Alex. Timet ipsum. Orig. Eius.*
Et operatur iustitiam. *Syr. Et operatur, quod rectum est. Orig. Voluntatem eius facit.*
Acceptus. *Vat. Is acceptus.*

Vers. 36.

Verbum misit Deus filiis Israël, annuncians pacem, per Iesum Christum (hic est omnium Dominus)

Verbum. *Syr. Est enim verbum illud. Goth. Verbum enim suum. S. Chrys. Sermonem. Oecum. Hic est sermo.*
Misit Deus. *Syr. Quod misit. S. Chrys. Quem misit. Oecum. Quem misit Deus.*
Filiis. *Syr. Ad filios.*
Annuncians. *Syr. Et annunciauit. S. Chrys. Euangelizantem. Vat. Euangelio annuncians.*
Pacem. *Syr. Pacem & requiem.*

Vers. 37.

Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens à Galilæâ post baptismum, quod prædicauit Ioannes,

Vos scitis. *Syr. Sed & vos nostis. Oecum. Ipsi scitis. Pagn. Ipsi nostis.*
Quod f. e. v. *Syr. Sermonem qui habitus est. Oecum. Rem, quæ accidit. Pagn. Quod factum est. Vat. Sermonem diuulgatum. Al. De quo sermone famâ diuulgatum fuit.*
Per vniuer. *S. Chrys. Per totam Iudæam. Vat. In tota Iudæa.*
Incipiens e. *Syr. Initio facto. S. Chrys. Quod incipit. S. Hil. Incipiens. Oecum. Cùm incepisset. Vat. Exortum. Al. Rumore primùm orto.*
Prædicauit. *Oecum. Prædicabat.*

Vers. 38.

Iesum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute: qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo; quoniam Deus erat cum illo.

Iesum. *Syr. Super Iesum. Oecum. Nempe de Iesu. Vat. Ipsum illum. Al. Vt Iesum.*
A Nazareth. *S. Hil. Nazarenum. Oecum. Nazareno.*
Quomodo vnxit e. *S. Epiph. Quem vnxit. Vat. Vt vnxerit eum. Al. Vt vnxerit.*
Deus. *Oecum Dominus.*
Spiritu s. *Syr. Spiritu sanctitatis. S. Chrys. In Spiritu sancto.*
Virtute. *Ar. M. Efficaciâ. Caiet. Potentiâ.*
Qui pertransiit. *Syr. Et is est, qui perlustrabat regionem. Caiet. Qui ambulauit. Pagn. Obambulauit.*
Benefac. & s. *Syr. Et sanabat.*
Omnes op. à d. *Syr. Qui cæsi fuerant à malo. Ar. M. Potestate oppressos à diabolo.*
Erat cum illo. *Vat. Aderat illi.*

Vers. 39.

Et nos testes sumus omnium, quæ fecit

Omnium. *Syr. De omnibus.*
Fecit. *Syr. Edidit. Vat. Gessit.*
In regione. *Syr. In vniuersâ terrâ. S. Chrys. Tam*

in

Vulgata Editio.

in regione Iudæorum & Ierusalem: quem occiderunt suspendentes in ligno.

Lectionum Varietas.

in regione. Pagn. Et in regione.
Iudæorum. *Syr. Iudaea.*
Et I. *S. Chrys. Quam in Ierusalem.*
Quem o. s. i. l. *Syr. Hunc ipsum suspenderunt Iudaei in ligno atque trucidarunt. S. Chrys. Quem & interemerunt suspensum in ligno.*

Vers. 40.

Hunc Deus suscitauit tertiâ die, & dedit, eum manifestum fieri,

Hunc. *Syr. Et hunc.*
Tertiâ. *S. Chrys. Tertio.*
Dedit eum. *Syr. Dedit ei. S. Chrys. Posuit eum. Oecum. Exhibuit eum.*
Manif. f. *Syr. Vt videretur palàm. S. Chrys. Vt manifestus fieret. Oecum. Vt appareret.*

Vers. 41.

Non omni populo; sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.

Non omni populo. *Syr. Non quidem toti populo. S. Chrys.* omittit.
Sed testibus. *Syr. Sed nobis. S. Chrys. Sed testibus his.*
Præordinatis. *Syr. Qui electi sumus. S. Chrys. Qui praeordinati erant. Pagn. Prius ad hoc delectis. Caiet. Praelectis.*
Nobis. *Syr. Vt simus ei testes. S. Chrys. Nobis scilicet. Oecum. Nimirum nobis.*
Manduc. *S. Chrys. Comedimus. Ar. M. Commanducauimus.*
Cum illo. *Pagn. Vnà cum illo. Ar. M. Ei.*
Postq. r. *Syr. Post resurrectionem eius. S. Chrys. Post resurrectionem.*
A mort. *Syr. A domo mortuorum. Ar. M. Ex mortuis. M.SS. A mortuis per dies quadraginta.*

Vers. 42.

Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Et præcep. *Syr. Praecepit autem.*
Prædicare. *Syr. Vt praedicaremus.*
Testificari. *Syr. Testaremur. Oecum. Testificaremur.*
Quia ipse est. *Pagn. Quòd ipse sit ille.*
Constitutus e. *S. Chrys. Definitus est. Pagn. Constitutus erat.*
Iudex v. e. m. *S. Epiph. Vt mortuis viuisque dominetur.*

Vers. 43.

Huic omnes prophetæ perhibent testimonium: remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Huic. *Syr. Et de eo.*
Test. perhib. *Syr. Testati sunt. Oecum. Testimonium fecerunt. Pagn. Testimonium ferunt. Ar. M. Testantur.*
Remissionem. *Syr. Vt remissionem. S. Chrys. Quòd remissionem.*
Accipere. *Syr. Recipiat. S. Chrys. Recepturus sit.*
Omnes qui. *Syr. Quisquis. S. Chrys. Omnis qui.*
Credunt. *Syr. Crediderit. S. Chrys. Credit.*

Vers. 44.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.

Adhuc l. P. *Syr. Cùmque ipse Simon loqueretur.*
Verba h. *Syr. Hos sermones.*
Cecidit. *Syr. Operuit. Vat. Illapsus est. Caiet. Ingruit.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
Super omnes. *Syr. Eos omnes. Vat. In omnes.*
Verbum. *S. Chrys. Sermonem.*

Vers. 45.

Et obstupuerunt ex circuncisione fide-

Et obstupuerunt. *Syr. Caeterùm mirati sunt & obstupuerunt.*
Ex circuncisione. *Syr. Circuncisi. S. Chrys. Qui erant ex circuncisione. Oecum. Qui ex circuncisione. Vat. Qui ex circuncisorum genere.*
Fideles. *Syr. Fratres illi. Oecum. Crediderant. Vat. Credebant.*
Qui v. *S. Chrys. Quotquot venerant. Ar. M. Quotquot comitati fuerant.*

Vulgata Editio.

les, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est:

Lectionum Varietas.

Cum Petso. *Ar. M. Petrum.*
Et in n. *S. Chrys. Etiam super gentes. Pagn. Et in gentes.*
Gratia. *S. Chrys. Donum.*
Sancti. *Syr. Sanctitatis.*
Effusa e. *S. Chrys. Effusum est.*

Vers. 46.

Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus:

Linguis. *Syr. Vnaquâque linguâ.*
Magnificaotes. *Syr. Magnificabant.*
Tunc r. P. *Syr. Proinde dicebat Simon.*

Vers. 47.

Nunquid aqnam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?

Nunquid. *Vat. Num.*
Aquam. *Syr. Aquas. Pagn.* omittit.
Quis. *Vat. Quispiam.*
Vt non b. *Oecum. Ne aquâ baptizentur. Pagn. Quominùs aquâ baptizentur.*
Qui. *S. Chrys. Scilicet qui.*
Spiritum s. a. *Syr. Ecce Spiritum sanctitatis receperunt.*

Vers. 48.

Et iussit, eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Et iussit. *Syr. Tunc precepit.*
In oomine. *Vat. Nomine.*
Domioi I. C. *Syr. Domini nostri Iesu Christi. Pagn. Domini. Ar. M. Domini Iesu.*
Tooc rog. e. *Syr. Et efflagitarunt ab eo.*
Maneret a. e. *Syr. Permaneret apud se. S. Chrys. Maneret. Oecum. Remaneret.*
Aliquot d. *S. Chrys. Per aliquot dies. Pagn. Dies aliquot.*

CAPVT X.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Vir autem quidam erat in Cæsareâ, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum cum omni domo suâ.

1024 MALITIÆ, militiæque magna cognatio sit, ob militum licentiam, & impudentiam, hic noster Cornelius, qui eenturio erat, sed pius, ac religiosus exemplo suo probat, etiam in militaribus castris pietatem, ac religiooem sub Christi vexillo posse militare. *Religiosus, ac timens Deum.* Hostibus timori esse poterat, qui Deum timebat; alioquin soi hostis incipit esse, qoi Deum ooo timet, religiosus in Deum non est.

Cum omni domo suâ: Priùs ipse eenturio pius dicitur, ac timens Deum, deinde eius familia; superioris quippè exemplum in inferiotes influit vt qoalis dominus, ac paterfamilias est, tales ferè domestici sint, cùm ex superiore hauriant, quod imitentur, & sioe bona, si bonus ille, sit, siue mala, si malus: taoti refert in omnem partem superioris exemplum. *Cum omni domo suâ:* Cum totâ familiâ suâ. Suam domum nouerat, quam videbat pietatis, ac religioois domicilium euasisse.

Is vidit in visu manifestè, quasi horâ diei nonâ, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi; Corneli.

VIdit Angelum Cornelius, &, quod mirum, manifestè. Quî ferre tantum fulgorem adhuc 1025
Gentilis potuit? *Potuit*, inquit Vgo, *fulgor ille Angelicus mitigari, & natura humana potuit à Domino confortari.* Addit statim: *Glossa etiam dicit, quod bona opera, & Eleemosynæ fulgorem Angelicum superauerunt.* Tanta à booís operibus, & Eleemosynis lux oritur, vt Angeli lucem retundere videantur, ac qoodammodo offuscare.

Appatet Angelus Cornelio: sed cur horâ nonâ? poterat ante, poterat postea, oocte scilicet. Hora nona erat orationi dicata: hinc illud: *Petrus autem, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis* Act. 3. r.

nis nonam. Hac igitur horâ apparet Angelus Cornelio, quia, Iudæorum sequutus morem, hoc orandi tempus obseruabat. Oraoti Angelua se ostendit; cælestibus quippè illustrationibus recipiendis idoneus fit, qui orationi vacat. *Quasi hora diei nonâ:* Qua horâ in Cruce Christus obierat, illâ Christi discipulus viuere, aut meliùs viuere, manente Angelo, incœpit.

1026. *Corneli*: Proprio eum compellât nomine Angelus, non ob amorem dumtaxat, ac beneuolentiam, sed, quia adeò iotentus orationi erat, vt nec præsentem Angelum aduerteret, nisi oomeo suom audiens. Religiosus Centurio multorum religiosorum torporem, ac desidiam arguere potest, qui orationem fundentes, mente io terrena ac peritura sparsâ, id præstant.

At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine?

Plarum meotium est, ad insolitas visiones expauescere, ac timore corripi, quod in Cornelio accidit, qui timens ait: *Quid est, Domine?* Cur non dixit? *Quis est, Domine:* sicut respondit Saulus. Sed alia causa est: Saulua scire debuit, quem persequeratur, vt persequi desineret; quæ ratio in Cornelio non vigebat. Quid, quòd multi codices legunt, *quis es Domine*, vt sit interrogatio de personâ: quam lectionem interpretes latioi fere sequuntur, sequuotur & Glossæ.

Dixit autem illi: Orationes tuæ, & Eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

1027. SI ioterrogatio fuit de personâ, cur, quis esset Angelus, non explicuit? Ao vtilia proponere curauit omittens, quæ nullius ferè vtilitatis? An docere voluit, ne superflua, ac curiosa sciscitemur? Nec Iacob, quærenti Angeli nomen *Gen.* 32. nec
Gen. 32. 29. Iud. 13. 17. patri Sampsonis *Iud.* 13. redditum est responsum, & tamen non prorsus aliena nomiois interrogatio videbatur.

Orationes tuæ, & Eleemosynæ tuæ ascenderunt: Rectè dicuntur asceodere, quippè quæ in Dei gloriam, & honorem dirigebantur. Recta erat orantis Cornelij mens, & recta Eleemosynas largientis intentio. Illorum preces, & Eleemosyoæ descendunt, qui illas fundunt; vt videantur, effundunt istas, vt laudeotur.

1028. Cornelij orationes Eleemosynasque in Cælum ascendisse, asseruit Angelus: Sed cur etiam alia, quæ ad eius ioformationem eraot necessaria, non docuit; verùm ad Simonem, illum ablegauit? An, vt rectè moneret, suum cuique munus perficiendum; nec, quod aliorum est, vsurpandum; & doctrinam Apostolicam ab Apostolis Apostolicisque viris accipiendam? Peritè sanctus Chrysostomus hom. de Pastore & oue: *Etiam ipsi Angeli cum didicerint nemini fidem adhibendam præterquam doctrinæ Apostolicæ, confirmantur nec tamen prædicant. Ablegantur ad homines, & nullo docendi munere funguntur. Omninò Angelus quondam ad Cornelium ablegatus est, qui eidem & apparet & officij sui partes exponit, Corneli, dicens, orationes tuæ & Eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Mearum partium est annunciare: docere verò Apostolorum est. Ad Angelum pertinet scire, num precationes & cultus nostri sint Deo grati:* DOCENDI VERO PRÆDI-CANDIQVE MVNVS ANGELVS SIBI NON SVMIT, SED APOSTOLIS CONCEDIT. *Hinc in sacris Litteris sequitur: Mitte ergo in Ioppen, & accerse Simonem, qui appellatur Petrus: qui, cùm venerit, loquetur tibi verba, quibus salutem consequeris tu & domus tua. Quid igitur obstabat, quominùs Angelus Cornelium tum temporis docere & instituere potuisset? An non Angelica doctrina maius pondus habuisset? An non certior fuisset multò Cornelius, qui Angelum de supplicio & potestâ Christi in carne disserentem auscultasset? sed abstinet ab eo munere Angelus partim, ne dæmonibus fenestram aperiat: partim verò, vt nobis commonstret, non nisi doctrinâ Apostolicâ homines saluos fieri.*
Nouarin. in Act. Apost.

Cornelij orationes ascendisse ad Deum dicuntur: sed non solæ ascenderunt: comites illis fuerunt Angeli, vt à nexu colligeremus, placere Angelis, quæ funduotur orationes, & qui eas fundunt. Angelicumque orantis animum quodammodò fieri. Pulchrè B. Laurentius Iustinianus cap. 6. de Triumphali Christi agone: *De Cornelio dicitur: Orationes tuæ & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo vtique per Angelos. Optimè comitantur orantes Angeli; quoniam orationis instantia, quæ purè exhibetur Altissimo, sicut Angelorum est opus, ita Angelicum deprecantis efficit animum. Vnde sancti Angeli non immeritò exultant, atque famulantur orantibus, quum rationales spiritus corruptibili naturâ vestitos efficiunt supra cælorum altitudinem ascendere in spiritu; illosque tametsi non ita perfectè, in terris agere quod ipsi absque defectu vllo, aut temporis interuallo in cælo perficiunt. Meritum itaque orantis animi atque afflicti suo voluit Dominus insinuare exemplo, quum illum orantem & pœnitentem, Angelum confortasse legatur.* 1029.

Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.

MItte viros: Cur Angelus ipsum Cornelium ad Petrum non direxit? Cooueenientius videbatur, quòd Cornelius ad Petrum se conferret, quò Petrus vocaretur. Cur igitur accersiri Petrum iubet Angelus, Petri dignitati minimè consulens? Consuluit: Petri gloria, honórque est, animas Christo lucrari, & in Christi doctrioâ erudire, informare. Vera hæc veri præsulis nota est, magni honoris loco habere: pro animarum salute laborare, & huic labori omoem gloriam submittere. 1031.

Mitte viros: Non dixit: *Vade tu ad Petrum.* Quia scilicet cupiebat Angelus, Cornelium cum totâ familiâ erudiri, & lustralibus aquis ablui; tota autem familia domò discedere oon poterat: vt igitur omnes seruarentur, accersitur Petrus. Nimirum, cùm de animarum lucris agitur, nihil non tentandum est, & aulicæ coosuetudines negligendæ.

Sed quæri adhuc potest, cur Angelus ipse per se hæc non præstiterit. Non sibi ministerium vsurpat Angelus, quod suum non est: homines verbi Dei, atque baptismi ordinati ministri sunt non Angeli. Magistrum indicat Angelus, magisterium sibi nou vsurpat.

Angelus ad Cornelium mittitur, sed non eruditur per Angelum: ad Petrum mittitur erudiendus. *Nunquid*, inquit saoctus Augustinus, *non illum poterat docere Angelus, Misit illum ad Petrum, vt magis per hominem illi fides fieret, quia ho-* 1031.

mines non dedignatus erat Dominus visitare. Nec dedignabatur, docere per hominem, qui dignatus, est esse homo.

Accersi Simonem Petrum; sua Deo obtulerat Cornelius eleemosynarum largitione; parum istuc, maiua supererat; Cùm suis offerre se quoque debebat; & alterius se numini subiicere; Bellè sanctus Petrus Damianus serm. 20. *Centurioni Angelus necdum percepta regenerationis gratia dixit: Orationes tua, & eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Domini: & nunc mitte viros in Ioppen & accersi Simonem Petrum. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere, Ac si perspicuè diceret: iam Deo, qua tua sunt, obtulisti, de catero nihil superest, nisi vt & ipse debeas* MVNVS LONGÈ PRÆSTANTIVS *tuis muneribus superaddi: tuisque te facultatibus possessor adiicias, vt vnum ex omnibus, non iam sacrificium, sed holocaustum potiùs fiat.*

Hic hospitatur apud Simonem quemdam Coriarium.

1032. NOn timet Angelus doctoris paupertatem Cornelio indicare: *Hospitatur*, inquit *apud Simonem quendam*: ac si propriam domum non haberet, sed in alienas diuerteret; nec in magnatum domos se reciperet, sed viliorum hominum tuguria subiret. Videtur Angelus Petri dignitati, & authoritati detogare, dum illum ita demittit. Non detogat tamen, non demittit: firmat eius auctoritatem, & Petrum extulit; nam paupertas auctoritatem euangelico adiicit doctori, adiicit decus, & dignitatem.

Hic hospitatur: Poterat eum commendare, quòd esset Ecclesiæ fundamentum, cœli claues haberet, essetque Christi in terris Vicarius: sed ab hoc Angelus abstinuit. Non egebat hoc fulcimento Cornelij fides, & deuotio: satis illi erat à Deo sibi in doctorem assignari. Verus obediens non quærit, qualis ille sit, cui paret, sed cuius locum teneat, & in doctore Deum veneratur, Deo obedit.

Et, cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant.

1033. A Cornelij oculis Angelus se subducit, atque subitò disparet. Non expectauit donec Cornelius viros mitteret, & Petrus veniret; nam de fidelitate Cornelij non dubitabat nec de Petri solicitudine. Sciebat Angelus, Cornelium eius monita non esse neglecturum, nec Petrum passurum, vt iuuandi proximi occasio sibi præriperetur.

Duos domesticos mittit, quibus militem adiungit, ne vni tantùm rem tanti momenti committeret. Tres mittuntur: idoneus testium numerus adhibetur.

Et militem metuentem Dominum: Centurio priùs dictus fuerat, *religiosus, ac timens Deum*: etiam miles postea qui ei parebat, timuisse Deum dicitur; vt colligaremus, centurionis probitatem in militem influxisse. Sic enim accidit, vt superioris mores induant subditi.

Quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Ioppen.

1034. PEnde, quàm alienus à fastu Centurio iste sit: non dixit, *Vocate mihi Petrum*; sed narrauit omnia, quæ viderat, vt ad Petrum vocandum eos alliceret. Non volebat solâ auctoritate præcipere, idcirco omnia narrat; quo sine imperio eis itionem persuaderet.

Posterâ autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam.

ORaturus Petrus, ascendit in superiora, innuens, orationem fundenti terrena omnia, & humilia relinquenda; adeò vt in sublimia mens extollatur, & cogitatione vicinus cælo efficiatur. Orat Petrus, antequam comederet, in nostri exemplum, & instructionem. Qui orationem comestioni præmittit, non facilè cor suum crapulâ, & ebrietate grauari permittet.

Ascendit in superiora Petrus, vbi peccatorum imaginem in linteo velut depictam vidit. Nimirum, qui cum sceleratis hominibus se miscent, conscendere ad virtutum sublimia debent; ne, dum alios lucrari conantur, ipsi pereant: vel nuda peccatorum imago, & vmbra cautè spectanda est. 1035.

Circa horam sextam: Hac eâdem horâ primus homo peccauit, vt multorum opinio fert. Opportunè igitur nunc sternitur oratio; vt intelligeremus, peccatorum medicinam orationem esse.

Et cùm esuriret, voluit gustare.

POst orationem esuriit; erat quippe prandij tempus. *Et voluit gustare*: Non dixit, *comedere*. Gustandi verbum sobrietatem notat: cibo se replere nolebat, sed degustare, & summis labris contingere; eos arguens, qui se epulis ingurgitant. Fructus hic orationis extitit, quæ & abstinentiæ amica est, & temperantiam non solùm requirit, sed etiam parit.

SECTIO II.

Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus.

PRanssuro Petro coquorum desunt apparatus: Simon ille coriarius, eiusque familia cibum parant. 1036.

rant. Desunt obsequia famulorum;sed sancto viro, quod deest in terris,abundat in cælis. Vt reficiatur Petrus , non cellarium reseratur , cælum aperitur. Ditius prandium parat Deus Petro , quàm parare homines potuerint.

Parantibus illis : Non ad epulas mentem Petrus demittebat, alioquin mentis excessus non adeò facilè super eum cecidisset.

Et vidit cælum apertum , & descendens vas quoddam, velut linteum magnum,quatuor initiis submitti de cælo in terram.

1037. CÆlitus docetur Petrus. Cur non in terris ab alio homine?Quia nullum sè eminentiorem, maioremque in terris habebat.Docturus erat alios Petrus: à nullo ipse docetur nisi de cælo.

Vas,linteum plerisque Dei sermo est, & prædicatio , in qua molliter animæ quiescunt cælestia gloriæ spe,& supernæ gratiæ illapsu. Linteum Ecclesia est ob fidei incorruptibilitatem. Linteum tinea non corrodit:nec Ecclesiæ puritatem aliqua macula inficit,aut absumit.

Sed hîc aliquis quærat cur hoc linteum è cælo potius descendere visum,quàm aliunde aduectum? An vt sciret Petrus è cælo,ea Dei gratia esse,quod trahere ad Deum peccatores prædicationis officio possit. Præclarè de hac re philosophatur Sanctus Paschasius Ratbertus lib.3.in Matthæum, vbi hæc habet : *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia , quorum non est numerus. Quæ profectò reptilia in linteo coram beato Petro , quatuor initiis submissa offeruntur. Offeruntur autem,vt Petrus indifferenter discat omnes extrahere quatuor Euangeliorum initiis , à fluctibus huius sæculi & in corpus suum mundo mortuos traiicere. Et nimirum de cælo ideo submittitur,vt intelligat* EX GRATIA DEI CÆLITVS SIBI CONCESSVM,*quod erit operis ex officio.*

1038. Statim passionis Christi signum Petri menti obiicitur in linteo;vt, recolens Christum pro peccatoribus mortuum , maiori animarum lucrandarum desiderio teneretur;desineretque contemnere illos,pro quibus Christus est mortuus.

In linteo omnia quadrupedia erant , serpentia terræ,& cæli volatilia;peccatorum figuram,imaginemque præseferentia , qui conuertendi ad Deum erant;sed cur signatè in linteo depicta referuntur? an vt pœnitentes Christo se consepultos sciant? linteum enim ille sindonem referebat,quâ Christi corpus est inuolutum. Hinc sanctus Hilarius Can. 33. in Matth. *Hic munda sindone corpus inuoluit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuersorum animantium genera summissa; ex quo fortè non superfluè intelligitur,sub lintei huius nomine consepeliri Christo Ecclesiam* ; & peccatores quoque,dum ad bonam se frugem recipiunt.

Linteum mortis memoriam refricat ; cohæret istuc cum peccatorum conuersione. Vitiâ moribusque quis bruta animantia referat;resipiscet , aliusque omnino euadet,si mortem cogitet , & mortis, vt ita dicam , exuuia secum circumferat. Denique Christi mors,ac passio homines in alios conuertit, vt cælestem agant vitam,si seriò versent , quid pro illis Christus sustinuerit , quòd pro ipsis mortem vitæ auctor obierit.

Quatuor initiis. Quid referebat hoc referri? an vt vel in numero crucis formam cognosceremus, quæ salutem mundo inuexit , quâ quæ immunda erant munda fiunt? Pulchrè Guilielmus Abbas in medit. Iesum alloquens ait : *Crux tua linteum nobis efficitur illud,quod beato Petro ostensum est , quatuor initiis demissum de cælo,in quod omnes intrantes & munda & immunda animalia in cælum nos leuans gratulamur,in quo & mundamur,qui sumus immundi , mediante namque* IMAGINE PASSIONIS TVÆ, *Christe , cogitatum à nobis circa nos bonum tuum,repente nos transfert in summi boni affectum.*

In quo erant omnia quadrupedia,& serpentia terræ,& volatilia cæli.

ERant hæc animalia in sudario depicta : non seorsim,sed simul in vno linteo apparent omnia. Bona de peccatoribus concipienda est spes, cùm simul aggregati in vnius fidei quiete continentur.

Serpentium,& ferarum figurâ peccatores significantur;vt intelligeremus,hominem,prauis imbutum moribus,vix hominis nomen mereri,& bestiis ferisque comparari posse,posse pariari.

De piscibus nulla hîc mentio fit , quia extra 1039.
aquam viuere nequaquam possunt : aut forà vt & aquis hic honor haberetur,quibus , ferarum more viuentes,incipiunt,ac homines , Deo viuere , dum baptismalibus aquis abluuntur.

Et facta est vox ad eum : Surge Petre occide, & manduca.

MAnducare iubetur , qui esuriebat. Mactare non tantùm animalia debet Petrus,sed & in stomachum mactata traiicere. Per hæc animalia peccatores intelliguntur,qui peccato,in quo viuũt, mori debent vt viuere in præsulis visceribus incipiant : Seduli superioris est,peccatores in se quodammodo transformare , & eandem illis vitam, animamque tribuere,quam ipse habet.

Occide & manduca : Hoc boni pastoris est, suos 1040.
in sua viscera traiicere,aut malos in se transformare,vt boni fiant. *Dictum est Petro* , inquit sanctus Augustinus,*vt manducaret mactata animalia:id est,* OCCIDENDO IN GENTIBVS, QVOD ERANT *& transmutando in id, quod ipse esset.* Macta , & manduca, *vt in suam fidem*,ait idem auctor alio loco,*& bonos mores Gentes conuerteret.*

Occide,& manduca;vt nimirum in peccatoribus absumeret quicquid Adami vetustatem saperet; *Macta & manduca*,inquit sanctus Gregorius lib. 11.moral.cap.15.*id est vetustatem earum*(Gentium) *conterere,& in corpus Ecclesiæ,videlicet in sua membra conuertere.*

Occide,& manduca. Signatè dictum , *manduca*, 1041.
non *absorbe.* Mali,manducandi, non absorbendi;vt esse desinant, quod erant, nec viuant ampliùs peccato. Audiendus hîc sanctus Augustinus , qui in Psalm. 122.illud Dauidis : *Forsitan viuos absorbuissent nos.* Sic legit,& addit:*Viuos absorbuissent. Non priùs occidissent , & sic absorbuissent. O immanes , ô crudeles ! Non sic absorbet Ecclesia? Petro , macta & manduca,dictum est;non,viuos absorbe. Quomodò ergo Petrus,id est,Ecclesia mactat & manducat? Et quomodo isti,qui exurrexerunt super nos , forsitan viuos absorbuissent nos;nisi quia Dominus erat in nobis? Quia in Ecclesiæ corpus nemo intrat , nisi priùs occisus. Moritur , quod fuit;vt sit , quod non fuit. Alioquin,qui non occiditur, & non manducatur ab Ecclesiâ,esse in numero populi potest,qui videtur oculis humanis : in numero autem populi, qui cognitus Deo est;*

de quo dicit Apostolus. Nouit Dominus, qui sunt eius. Non potest esse nisi manducatus; nec manducari poterit, nisi primo mactatus. Venit paganus: adhuc in illo idolatria viuit: inserendus est membris Christi. Vt inseratur, necesse est manducetur: sed non potest manducari ab Ecclesia, nisi primò mactatus. Renunciet seculo, tunc mactatur. Credat in Deum, tunc manducatur.

1042. *Occide & manduca.* Vt in se conectat omnes, & quodammodo transmutet. Pulchrè hæc verba expliçat sanctus Augustinus in Psalm. 30. & ad Ecclesiam, cui Petrus præsidet, transfert. *Præfigurabat*, inquit, *Dominus Ecclesiam, quòd omnes gentes erat transuoratura, & in corpus suum conuersura; & ait Petro: Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est Petre (quia super hanc petram edificabo Ecclesiam meam) macta & manduca. Prius macta & sic manduca. Occide, quod sunt; & fac, quod es.*

Et, dum intra se hasitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, adstiterunt ad ianuam.

HÆsitare permittitur, vt dubitationis solutio gratior ei videretur. Paulatim mysterium Petrus discit, vt humilitatis conseruandæ occasio ei præberetur. *Intra se hæsitaret*: Non foras prodit, vt visionem aliis, qui domi erant, aperitet: intra se rem omnem clausit, vt doceret, similes visiones non facilè vulgandas. Dei dona plerunque dispergit, qui spargit facilis in vulgus.

Surge itaque, descende & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos.

1043. ALiquando, cùm charitas id postulat, à contemplationis actibus cessandum est, vt actiuæ vitæ operibus manus admoueamus, aliorumque salutem solicitè quæramus: quod in omnium exemplum hic præstat Petrus, ab oratione surgens, descendensque, vt viros à Cornelio missos reciperet, iretque cum eis.

Quia ego misi illos: Non dixit Spiritus sanctus: *Propter hoc eum visio apparuit tibi.* Dixit, *Ego misi illos*: ostendens, probationes exigendas non esse ad hoc, vt pareamus, sed pro omni probatione, ac iussionis causâ sufficere, si Deus, ac superior, Dei locum tenens, aliquid imperet vnde iubentis voluntas pro ratione habeatur, nihil requiratur præterea. Sufficit ab imperante audire, fac hoc, loquere istue: nihil ampliùs quærendum est, vt perfecta obedientia sit.

Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce, ego sum quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis?

1044. PRomptè se ipsum exhibet Petrus. Fructus hic orationis extitit: ad omnem laborem paratum se offert, non detrectat quodlibet agere, dummodo aliorum saluti consulatur. Verè se orationem Deo strauisse probat, qui impiger est, cùm de aliorum agitur salute & laborem omnem subire non defugit.

Quæ, inquit, *causa est, propter quam venistis?* Qui, se quæri, sciebat, sciebat & causam: cur ergo interrogat, tanquam ignoraret? An illud fecit, vt iactantiam vitaret, nec se diuinitus edoctum proderet? Sed fors & causam, cur venissent, ignorare poterat Petrus, & ideirco interrogauit: & vt ita occasio eis præberetur, Dei beneficia, Cornelio collata, & ipsius Cornelij laudes narrandi. Hic sanctorum mos est, vt Dei dona supprimi nolint, nolint iustorum laudes retineri: gaudent, cùm audiunt, illa extolli, istas celebrari.

Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersâ gente Iudæorum, responsum accepit ab Angelo sancta, accersire te domum suam, & audire verba abs te.

LAudant viri, qui missi fuerant, Cornelium; & , ne adulari viderentur, tanquam familiares, Iudæorum probationem adducunt: magna quippè, & vera laus est, etiam eorum sensu bonum esse, qui, cùm aliam religionem colant, parùm amico animo esse solent. Iudæi Gentilem laudant, quem naturali quodam odio prosequuntur. 1045.

Testimonium habet Cornelius ab vniuersâ Iudæorum gente: sed quæri potest, quid magnum præstiterit, quo Iudæorum iniret gratiam. Aliquorum censio est, beneficum fuisse, ac liberalem; quod gratum, & admirabile illi genti, quæ lucris deditissima erat.

Responsum accepit ab Angelo sancta accersire te domum suam: Cornelium his verbis excusant, quòd ausus fuerit, Petrum accersire; cùm alioquin venturus ipsemet fuisset, nisi Angelus aliter iussisset.

Et audire verba abs te: Non quælibet verba audire debebat Cornelius, sed ea, *in quibus saluus esset ipse, & vniuersa domus eius:* sic sequenti capite Petrus explicat: cur istuc hîc non additum? An dicendo, *abs te*, hoc tacitè insinuabatur? neque enim Petri erat, inutilia, & nihil profutura verba proferre; sed vtilia, & quæ salutem parturirent. Tangit hoc omnes præsules, superiorèsque, quorum tam sancta verba esse debent, vt, quicquid loquuntur, in Dei gloriam, auditorum salutem, profectumque sit. 1046.

Audire verba: Verba scilicet Euangelij, vitæ, salutis, quæ antonomasticωs, & per quandam excellentiam, *verba*, dicuntur; ac si verba esse non videantur, sed irrationabilium animalium voces, quæ salutem non sonant, ad vitam æternam non excitant, non ducunt.

SECTIO III.

Introductus

Introducens ergo eos, recepit hospitio: sequenti autem die surgens profectus est cum illis.

1047. NOn dixit, se iturum, non nuda verba exhibuit; sed & recipit statim hospitio, & sequenti die in viam se dedit. Nimirum, cùm de salute animarum agitur, non sola verba proferenda sunt; re ipsâ præstandum, quod solis verbis polliceri parùm prodest.

Altera autem die intrauit Cæsaream: Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessariis amicis.

INterim, dum venirent, orationi vacabat Cornelius, bonisque operibus, vt se ad Dei verbum excipiendum præpararet. Cognatos autem, & amicos conuocauit, non vt rerum agendarum tantum spectatores, sed vt etiam lætitiæ participes essent, eiusdemque beneficij. Iustus socios quærit, bona solus possidere non contentus; ac si plura habeat, si cum pluribus habeat, quod habet.

Et factum est cùm introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.

1048. NOn offenditur Cornelius hominis idiotæ aspectu; quin, tanquam Angelum, recipit, & quasi aliquid ei diuinitatis inesset, veneratur. *Cùm introisset Petrus, obuius illi venit Cornelius:* nec enim extra domum facilè vagatur, qui animæ suæ curam habet. In domo erat, qui mentis suæ domum inhabitabat.

Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

NOn surrexisset Cornelius, nisi Petri iussu, manibusque esset erectus: eleuauit eum Petrus, qui tantam demissionem non est passus, addens, *& ego ipse homo sum.* Non dixit, *ego sum pontifex, ego Apostolorum vertex, ego Christi Vicarius.* Nihil tale dixit; sed, *& ego homo sum;* vt non dignitatem iactaret, sed humilitatem ostenderet. Digna res, quæ prælatorum, & regum cordibus insideat, qui ex eo, quòd super homines sunt se homines esse non cogitant.

1049. *Et ego ipse homo sum:* Paulò ante, dum oraret, Petrus in extasim fuit raptus, terris quodammodo excesserat, Cælo appropinquauerat, vt plusquam homo esse videretur: signatè igitur tunc se hominem vocat; vt inueneret, raptus, extasimque, & alios contemplationis fructus humilitatis occasiones esse debere, non tumoris: ac fastus.

Magnarum rerum spectator, & auditor fuerat Petrus: linteum è cælo demissum vidit, vocem Diuinitùs editam audiuit: cur à Cornelio accersitus illud omne, quod viderat, quod audierat, fideliter non exponit, vt magis ad fidem animaretur? QVIA ERAT ALIENVS A VANA GLORIA. Suam nesciit gloriam quærere Petrus, qui Dei solius quærebat; nec Cornelius iterus illustratus, animari ad fidem, visus recensione, indiguit.

A nudiusquartâ die vsque ad hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo meâ, & ecce vir stetit ante me in veste candidâ.

REpetit Cornelius, quæ per nuntios Petrus iam didicerat. Aliquorum opinio est, horâ nonâ, quæ orationi dicata erat, Petrum aduenisse: Recipiendæ salutis tempus opportunum est, cùm oratio funditur. *Orans*, inquit, *eram horâ nonâ*, Plenius Syrus, *ex quo ieiuno ego, & horâ nonâ, cùm precarer domi meæ.* Bonus orationis comes ieiunium, & abstinentia, vt hæc in illâ lateat, licèt non exprimatur. 1050.

Ecce vir stetit ante me: Angelum, eum non vocat, sed, *virum*, tanquam alienus à fastu; ne statim se iactare videretur, vt dignum, cui Angelus appareret. *Ante me*: Ante Cornelium stetit Angelus: contra Cornelium stetisset Cornelius, si Angeli præsentiâ intumuisset.

Et ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & Eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

EXaudita est oratio tua: Superiùs in plurali dictum est, *orationes tuæ*: orationes fuerunt, quia multoties orauit; sed, propter orationis continuitatem, orationes oratio dici potuerunt: nisi vna dicatur, non solùm quia iugiter orabat, sed etiam quia vnum petebat; animæ scilicet salutem, non terrena, non peritura. 1051.

Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.

QVod noster habet, *in conspectu tuo*, Græcè est, *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, coram Deo.* Cohærent hæ duæ lectiones, quæ adeò diuersæ videntur; nam, qui sacrum audit Ecclesiasten, persuadere sibi debet, se eotam Deo stare, dum coram homine, & Deum per illum, tanquam per fistulam, loqui. Coram Deo stare dicitur, qui coram homine stat, qui homini obtemperare paratus est, sicut ipsi Deo, vt per hominem Deum audiat, Deum reuereatur, & in homine Deum imperantem cogitet.

Recipi iubetur Cornelius, tanquam aliquid mundum; nimirum mundauerant eum eius Eleemosynæ. Pauli verba sunt: *date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Non omnia tantùm, sed & ipsi dantes mundi fiunt. Scitè sanctus Augustinus: *Ergo Petrus figuram gestabat Ecclesiæ: Ecclesia corpus Christi est. Recipiat igitur iam mundatas gentes, quibus peccata donata sunt: vnde miserat ad illum Cornelius gentilis homo, & qui cum illo gentes erant.* HVIVS ELEEMOSYNÆ ACCEPTÆ MVNDAVERANT EVM *ad quendam modum. Restabat, vt, tanquam cibus mundus, incorporaretur Ecclesiæ, hoc est, corpori Domini.* 1052.

His est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

CVr hic iudicis, eut iudicij memoriam testificat? *Hic est*, inquit, *qui constitutus est à Deo iudex.* Nimirum, quia hoc maximè terrere homines 1053.

nes poterat, & ad meliorem mentem reuocare. *Non dixit, hic est filius Dei*, inquit sanctus Chrysostomus, *sed, quod maximè illos terrebat, hic est præfinitus à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Nullus tam impius, improbúsque cui aliquam resipisceodi mentem non ingeneret iudicis, iudiciique cogitatio, ac memoria.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum.

A*Dhuc loquente Petro*: Cur non expectatur donec sermonem Petrus absolueret? Adhuc Petrus loquebatur, & descendit Spiritus Sanctus, qui tarda molimina nescit; vt tam cito descensu doceret auditores mandatorum perficieodorum celeritatem; vnde citò & ipsi crederent, & perficerent, quæ Petrus docebat.

1054. Cadit Spiritus Sanctus, dum illi audirent verbum; vt innueretur, eos, qui attentè, ac deuotè Dei verba audiont, idoneos reddi, qui Spiritus sancti gratiam recipiant; & ad supera Dei doona excipienda disponi.

Non semel Spiritus Sanctus cecidit, non semel hominibus datus est: nunquam tamen exhibitus otiosis, sed bene occupatis aut in oratione, aut in verbo Dei. Cecidit super Apostolos, dum orationi vacarent; cadit nunc super istos, dum audirent Dei verbum: non reperias facilè, super feriatos aliquos cecidisse.

Tunc rogauerunt eum vt remaneret apud eos aliquot diebus.

PEtrum apud eos manere postulant, vt pleniùs informarentur, maiorique consolatione replerentur. Vtilis vel sola tanti magistri præsentia erat, qui exertè prædicaret etiam, cùm taceret: vitâ scilicet & moribus, qui Stentoream emittunt vocem. *Aliquot diebus.* Nulla noctis mentio fit. Diem apud eos iustus facit, quos præsentiâ suâ beat.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XI. ACT. APOST.

Vers. 1.

AVDIERVNT autem Apostoli & fratres, qui erant in Iudæâ, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.

Qui erant. *Ar. M. Existentes.*
In Iudæâ. *S. Chrys. Per Iudæam. Ar. M. Apud Iudæam.*
Quoniam e. G. *Syr. Ipsas etiam Gentes.*
Receperunt v. *Syr. Recepisse sermonem. S. Chrys. Accepissent verbum.*

Vers. 2.

Cùm autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersùs illum, qui erant ex circuncisione,

Ascendisset. *Oecum. Rediisset.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Disceptabant a. i. *Syr. Litigabant cum eo. S. Chrys. Expostularunt cum illo. Vat. Disceptabant cum illo.*
Qui. *S. Chrys. Hi qui.*

Vers. 3.

Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?

Introisti. *S. Chrys. Ingressus es.*
Viros. *S. Chrys. Homines.*
Manducasti. *S. Chrys. Comedisti. Pagn. Edisti. Vat. Cibum sumpsisti. Ar. M. Commanducasti.*

Vers. 4.

Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:

Incipiens a. *Syr. Et exorsus est. Oecum. Re autem ab initio repetitâ. Pagn. Exorsus autem. Vat. Rem autem exorsus.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Exponebat illis o.d. *Syr. Sigillatim ad eos verba faciendo. Ar. M. Exponebat illis secundùm ordinem dicens. Caiet. Exponebat illis per ordinem dicens.*

Vers. 5.

Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis visionem: descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis summitti de cælo, & venit vsque ad me.

Orans. *Syr. Cùm precarer.*
Vidi. *S. Chrys. Videbam.*
In excessu m. v. *Syr. Per visionem. S. Chrys. In raptu mentis visionem. Vat. Raptus extra me visum.*
Velut l. m. *Syr. Quod erat simile linteo.*
Quatuor i. *Syr. Eratque deuinctum quatuor angulis. Mar. Quatuor extremitatibus.*
Summitti. *Syr. Et demittebatur. S. Chrys. Demissum. Pagn. Emissum.*
De cælo. *S. Chrys. E cælo Oecum. Ex cælo.*

Vers. 6.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Verſ. 6.

In quod intuens conſiderabam: & vidi quadrupedia terræ & beſtias & reptilia, & volatilia cæli.

In quod. *Syr. Proinde illud.*
Intuens c. *Syr. Intuitus ſum. S. Chryſ. Intentis oculis conſiderauit. Pagn. Cùm intendiſſem oculos animaduerti. Ar. M. Attendens conſiderabam.*
Vidi. *Syr. Vidi in eo.*
Quadrupedia t. e. b. *Syr. In eo eſſe animantia quadrupedia.*
Reptilia. *Syr. Reptilia terra. Vat. Serpentes.*
Et volatilia. *Syr. Atque adeo volucres.*

Verſ. 7.

Audiui autem & vocem dicentem mihi: Surge, Petre: occide, & manduca.

Audiui autem & v. *Syr. Et audiui vocem.*
Surge. *Ar. M. Surgens.*
Petre. *Syr. Simon.*
Occide e. m. *S. Chryſ. Macta eſt occide. Pagn. Macta eſt veſcere.*

Verſ. 8.

Dixi autem: Nequaquam, Domine: quia commune aut immundum nunquam introiuit in os meum.

Dixi. *S. Chryſ. Dicebam.*
Nequaquam. *Syr. Abſit. S. Chryſ. Minimè.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Quia com. e. i. n. *Syr. Nihil, quod immundum & profanum eſſet. Ar. M. Omne commune aut immundum nunquam.*
Introiuit. *S. Chryſ. Intrauit.*

Verſ. 9.

Reſpondit autem vox ſecundò de cælo: Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris:

Reſpondit. *Syr. Dixit mihi. Oecum. Reſpondit mihi.*
De cælo. *Oecum. E cælo.*
Quæ. *Syr. Quod.*
Comm. d. *Syr. Profanes. S. Chryſ. Communia dixeris.*

Verſ. 10.

Hoc autem factum eſt per ter: & recepta ſunt omnia rursùm in cælum.

Hoc a. f. e. *Oecum. Hoc autem contigit. Pagn. Idque accidit.*
Per ter. *Syr. Tribus vicibus. S. Chryſ. Tertiò.*
Recepta. *Syr. Receperunt ſeſe. S. Chryſ. Rapta. Oecum. Recepta ſunt.*
Rurſum. *S. Chryſ. Iterum.*

Verſ. 11.

Et ecce viri tres confeſtim aſtiterunt in domo, in quâ eram, miſſi à Cæſareâ ad me.

Confeſtim. *Syr. Eo ipſo momento. S. Chryſ. Mox. Oecum. Repentè. Vat. Extemplo. Ar. M. Ex eâdem horâ.*
Aſtiterunt. *Syr. Venerunt ſteteruntque. Oecum. Aderant. Pagn. Praſto aderant.*
In domo. *Syr. Pro foribus atrij. S. Chryſ. Ad domum. Vat. Ad ædes. Al. In ædibus.*
Quâ. *Syr. Quo. Vat. Quibus.*
Eram. *Syr. Diuerſabar.*
Miſſi. *Syr. Qui miſſi fuerant à Cornelio.*

Verſ. 12.

Dixit autem Spiritus mihi, vt irem cum illis nihil hæſitans. Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri.

Dixit. *Vat. Dixerat.*
Vt irem. *Pagn. Vt proficiſcerer. Ar. M. Ire.*
Cum illis *Ar. M. Simul illis.*
Nihil h. *Syr. Abſque hæſitatione. Ar. M. Nihil ambigentem.*
Venerunt a. m. *Pagn. Porrò comitati me ſunt.*
Et ſex. *Syr. Sex quoque.*
Fratres iſti. *S. Chryſ. Fratres.*

Verſ. 13.

Narrauit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſuâ, ſtantem & dicentem ſibi: Mitte in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus.

Narrauit a. *Syr. Renunciauit. S. Chryſ. Annunciauit. Oecum. Iſque retulit.*
In domo ſuâ. *Syr. Domi ſua. S. Chryſ. In domum ſuam.*
Stantem. *S. Chryſ. Miſſum. Oecum. Aſtantem.*
Mitte. *S. Chryſ. Mitte viros. Vat. Emitte viros.*
In I. *Syr. Ad Ioppen ciuitatem.*
Qui cognominatur. *Syr. Qui vocatur.*

Verſ. 14.

Qui loquetur tibi verba, in quibus ſaluus

Qui loquetur tibi. *Syr. Et ille colloquetur tibi. S.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

eris tu, & vniuersa domus tua.

Chrys. Qui loquetur ad te. Pagn. Qui tibi dicturus est.
Verba. *Syr. Sermones. Pag. Ea.*
In quibus. *Syr. Quibus. S. Chrys. Per quæ.*
Saluus eris tu. *Pagn. Seruaberis & tu.*
Vniuersa. *Syr. Tota. S. Chrys. Omnis.*

Vers. 15.

Cùm autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

Cœpissem l. *S. Chrys. Ego inciperem loqui. Vat. Exorsus essem sermonem.*
Cecidit. *Syr. Obtexit. S Chrys. Delapsus est. Oecum. Illapsus est. Vat. Ingruit.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
Super e. *Syr. Eos. Oecum. In illos.*
Sicut & in nos. *Syr. Tanquam & nos.*
In initio. *Syr. A principio. Oecum. Ab initio. Vat. Initio.*

Vers. 16.

Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto.

Recordatus sum a. *Syr. Proinde recordatus sum. Pagn. Veniebat autem in mentem.*
Verbi D. s. *Syr. Sermonis Domini nostri, cùm diceret. S. Chrys. Verbi Domini quod dixit. Pagn. Quod dixerat Dominus.*
Vos a. *Vat. Cæterùm vos.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*

Vers. 17.

Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum?

Eandem gratiam. *Syr. Æquè illud donum. S. Chrys. Par donum. Oecum. Donum æquale.*
Illis. *Syr. Illis gentibus.*
Dominum I. C. *Syr. Dominum nostrum Iesum Christum. S. Chrys. Dominum Iesum.*
Ego. *Oecum. Ego sanè. Pagn. Ego porrò. Ar. M. Ego autem.*
Qui p. *Syr. Qui sufficerem. S. Chrys. Potens.*
Prohibere D. *Syr. Ad prohibendum Deum. Oecum. Obsistere Deo.*

Vers. 18.

His auditis, tacuerunt; & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

His a. *Syr. Cùmque hos sermones audissent. Ar. M. Audientes autem hæc.*
Tacuerunt. *S. Chrys. Quieuerunt. Pagn. Obticuerunt.*
Ergo &. *Syr. Iam etiam. Ar. M. Nempe &.*
Dedit. *Oecum. Concessit.*

Vers. 19.

Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.

Et illi q. *Syr. Illi autem. S. Chrys. Itaque. Ar. M. Ille quidem igitur.*
A tribulat. *Syr. Ex oppressione. S. Chrys. Ex persequutione. Pagn. Ex afflictione. Vat. Ab afflictione.*
Quæ facta fuerat. *Syr. Quæ contigerat. S. Chrys. Mota. Oecum. Quæ orta fuerat. Ar. M. Facta.*
Sub St. *S. Chrys. Ob Stephanum. Ar. M. In Stephano.*
Perambulauerunt. *Syr. Peruenerant. S. Chrys. Transierunt. Vat. Peruaserunt.*
Et Cypr. & A. *Syr. Atque in regionem Cypri & in Antiochiam.*
Nemini. *Syr. Nulli.*
Verbum. *Syr. Sermonem Dei. Oecum. Illum sermonem.*

Vers. 20.

Erant autem quidam ex eis viri Cyprij & Cyrenæi, qui, cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum.

Qui cum in. *Syr. Isti introibant. Oecum. Qui ingressi.*
Loqu. & a. G. *Syr. Colloquebatur Græcis. Vat. Loquebatur ad Græcistas.*
Annunc. *Syr. Atque euangelizabant. Vat. Per Euangelium annunciantes. Al. Prædicantes.*
Dominum I. *Syr. Super Domino nostro Iesu Christo.*

Vers. 21.

Vulgata Editio.

Vers. 21.

Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum.

Lectionum Varietas.

Erat c. e. *Vat. Aderat eis.*
Multus numerus. *Syr. Multi. S. Chrys. Magnus numerus.*
Credentium. *Syr. Crediderunt. S. Chrys. Qui credidit. Vat. Recepta fide.*
Conuersus est. *Syr. Et conuersi sunt.*

Vers. 22.

Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis: & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam.

Peruenit. *S. Chrys. Auditum est.*
Sermo. *Syr. Hic rumor. Pagn. Rumor. Vat. Fama.*
Ad a. *Syr. Ad aures filiorum. S Chrys. In auribus.*
Super istis. *Syr.* omittit. *S. Chrys. De illis.*
Et miserunt. *Syr. Proinde miserunt. S. Chrys. Et Emiserunt.*
Vsque ad. *S. Chrys. Vt transiret in. Pagn. Vt iret. Ar. M. Venire in.*

Vers. 23.

Qui, cùm peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: & hortabatur, omnes in proposito cordis permanere in Domino:

Qui cum peruenisset. *Syr. Cùmque illuc peruenisset. S. Chrys. Qui vt venit. Ar. M. Qui adueniens.*
Vidisset. *Syr. Esset conspicatus. S. Chrys. Vidit. A. M. Videns.*
Gauisus. *S. Chrys. Lætatus.*
Hortab. o. *Syr. Efflagitabat ab eis. S. Chrys. Inhortabatur omnes.*
In proposito c. *Syr. Vt toto corde suo. Oecum. Vt proposito cordis.*
Permanere. *Syr. Adhærerent. S. Chrys. Vt maneant. Oecum. Perseuerarent adhærere. Pagn. Vt perseuerarent.*
In Domino. *Syr. Domino nostro. Oecum. Domino.*

Vers. 24.

Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino.

Quia e. *Syr. Quandoquidem erat.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Et appos. e. *Syr. Cæterùm adiunxit se. Pagn. Et addita est.*
Multa t. *Syr. Populus multus.*
Domino. *Syr. Ad Dominum nostrum.*

Vers. 25.

Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem, cùm inuenisset, perduxit Antiochiam.

Profect. e. a. B. *Syr. Ille autem exiit in.*
Quæreret. *Auth. Requireret.*
Perduxit. *Syr. Adduxit.*

Vers. 26.

Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesiâ: & docuerunt turbam multam: ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.

Et annum t. *S. Chrys. Factum est autem, quòd integro anno. Oecum. Accidit autem, vt annum totum.*
Conuersati sunt. *Syr. Congregabantur. S Chrys. Illi congregarentur. Oecum. Versarentur. Pagn. Vt ipsi agerent. Vat. Consuetudinem agerent. Ar. M. Conuenire.*
Ibi in e. *Syr. Simul in ecclesia. S. Chrys. In ecclesia. Oecum. Cm eâ congregatione.*
Docuerunt t. m. *Syr. Docebant plebem multam. S. Chrys. Docerent multum populum.*
Ita vt cog. *Syr. Vocati autem sunt. S. Chrys. Vt appellati sint. Oecum. Et nominarentur. Vat. Et nuncuparentur.*
Primum. *Syr. Ex eo principio.*

Vers. 27.

In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis prophetæ Antiochiam.

Superuen. *Syr. Venerunt. S. Chrys. Descenderunt. Vat. Deuenerunt.*
Ab I. *Syr. Ex Ierusalem. Al. Ab vrbe Ierosolymorum.*

Vers. 28.

Et surgens vnus ex eis, nomine Agabus,

Nouarin. in Act. Apost.

Et surgens. *S. Chrys. Surgens autem.*
Vnus. *S. Chrys. Quidam.*
Significabat. *Syr. Patefecit eis. S. Epiph. Prædixit. S. Chrys. Significauit.*
Per Spiritum famem. *S. Epiph. Famem.*

Vulgata Editio.

ſignificabat per ſpiritum, famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.

Lectionum Varietas.

Magnam. *Syr. Ingentem. S. Epib.* omittit.
In vniuerſo o. t. *Syr. In totâ terrâ. S Chryſ. In toto orbe. Pagn. In toto orbe terrarum. Ar. M. In vniuerſam habitatam.*
Quæ f. e. *Syr. Et fuit hæc fames. S. Chryſ. Quæ ſcilicet & facta eſt. Oecum. Quæ accidit. Vat. Et accidit.*
Sub C. *Syr. In diebus Claudij Cæſaris. S. Chryſ. Sub Claudio Cæſare.*

Verſ. 29.

Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.

Diſcipuli a. *Ar. M. At diſcipulorum.*
Quis habebat. *Syr. Vnicuique eorum ſuppetebat. S. Chryſ. Quique abundabat. Pagn. Cuique ſuppetebat. Ar. M. Benè agebat quis. Mar. Quiſque habebat.*
Propoſuerunt. *Oecum. Decreuerunt.*
Singuli. *Goth. Singuli eorum. Oecum. Quiſque.*
In miniſterium. *Quidd. Codd. In ſubſidium. Pagn. Subſidium.*

Verſ. 30.

Quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.

Quod & f. m. *Syr. Itaque miſerunt.*
Seniores. *Syr. Presbyteros, qui illic erant. Oecum. Presbyteros.*
Per manus B. *Pagn. Per manum Barnabæ. Vat. Per Barnabam.*
Sauli. *Vat. Saulum.*

CAPVT XI.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Audierunt autem Apoſtoli, & fratres, qui erant in Iudæâ: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.

1055. PERLATVM ad Apoſtolos, cæteróſque fratres eſt, Gentes legem Euangelicam ſuſcepiſſe. Hoc nuntio nullum aliud gratius eis poterat accidere: non quid noui ageretur ſcire cupiebant ab omni curioſitate alieni; ſed Gentium conuerſionem cupidè audiebant.

Receperunt. Græcè ἐδέξαντο. *Suſceperunt*: nam idem verbum poſitum eſt ſuperiùs, vbi dicitur cælum Chriſtum ſuſcipere cap. 3. v. 21. *Quem oportet cælum quidem ſuſcipere*: ac ſi innueretur, Dei verbum ſuſcipi à nobis debere, vt Chriſtum ſuſcipit cælum. Certè cælum ſpirituale debet euadere, qui cordis ſinu Dei verba excipit. Hinc illud Moſis Deut. 32. 1. *Audite cæli, quæ loquor.* Plerique de hominibus quoque id exponunt. Scitè noſter Agellius ad hæc verba: *Neque verò putandum eſt, illum cum cælo ac terrâ, tanquam animâ ſenſuque præditis loqui; ſed quia populi ſeniores ac principes conuocarat, illos figuratè cælos appellat; terram verò plebem, ac reliquum vulgus.*

Quoniam & Gentes receperunt verbum Dei: De recepto Spiritu ſancto nulla hîc mentio fit: cur id omittit Lucas narrare? An, quia aliqui aderant, qui rem minùs æquo animo ferebant, & inuidiâ pleni, Gentilibus datum Spiritum Sanctum adeò dolebant, vt nec commemorari ſuſtinerent?

Cùm autem aſcendiſſet Petrus Ieroſolymam, diſceptabant aduersùs illum, qui erant ex circumciſione.

NEque Petri ratio habita eſt. Iudæi diſceptabant, ſeu, vt Syrus habet, *litigantes erant*, quòd Gentiles ad fidem recepiſſet. Aliqui putant, alios Apoſtolos litigium ſuſcitaſſe. Probabilius eſt, alios extitiſſe; quia illi nouerant, Gentiles ad fidem recipiendos, iiſque Eccleſiæ ianuam aperiendam. Ferè ſemper inſipientiores aliena carpunt, & damnant: doctiores, prudentioréſque non facilè vellicant, non reiiciunt; & tacent potiùs, quàm improbent, cùm probare non audeant.

Dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?

CVr non dicunt: *Quare annuntiaſti eis Euangelium, quare receperunt Spiritum Sanctum?* 1056.
Hoc

Hoc omiserunt, quod præcipuom, & rea magni momenti erat; illud obiiciunt, quod exigui, ac nullius; nempè, quod Petrus cum Gentilibos edisset. Fors præ inuidiâ nec proferre ferebant, spiritum Gentilibus communicatum, & Euangelij legem eos suscepisse.

Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem.

ELucet hîc singularis Petri modestia, qui, cùm superior esset, fidelium de se querelas non contempsit, nec imperiosè, reiecit, dicendo, se quid egisset scite, nec teneri aliis rationem facti reddere: sed modestè, ac humiliter rei gestæ seriem narrans, omnibus satisfecit. Dignum exemplum, in quod prælati omnes oculos coniiciant, cùm ab inferioribus reprehenduntur; vt scilicet eis ex ratione, non ex potestate, & auctoritate satisfaciant.

Ego eram in ciuitate Ioppe orans.

VIsionem illam de linteo è cælo emisso hîc narrat fratribus Petrus, vt rationem redderet, qua sit compulsus, Gentiles ad fidem recipere; alioquin nisi iusta adfuisset occasio, ac veluti quædam necessitas illud euulgandi, quod ipsi acciderat non facilè aliorum notitiæ obiecisset; ne videretur iactauriæ notam quandam subire, quod rem sponte proderet, qua prodebat Dei arcana illi à Deo è cælo communicata. Nimirum, *hoc magis sanctorum gesta sunt efferenda, quo minùs ea sancti extulerunt.*

His auditis, tacuerunt: & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

1057. MAligni, inuidique animi est, agnitâ veritate contendere: prudentis verò, rationi manus dare, ac sinere, se vinci. Qui vinci se patitur, ne contendat, victor est: victus, qui contendendo, vincit.

Glorificauerunt Deum: Decet, in proximorum bonis Deum glorificare, & de illis non secus, ac de propriis gaudere.

Ad vitam. Ad quam? proculdubio ad gratiæ, gloriæque vitam dedit Deus Gentibus pœnitentiam; alioquin etiam ante viuebant; sed vita hæc corporea, ac temporalis, adeò fugax, & incerta est vt vitæ nomen mereri non videatur.

Miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam qui cùm peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est.

BArnabæ labores in Barnabæ laudem sæpè in hoc libro referuntur: non casu id factum, sed Diuino consilio. *Barnabas,* inquit hîc Glossa, *sæpè in hoc libro laudatur, ne ob indignitatem meriti Apostolatu caruisse credatur; qui posteà ab Apostolis gentium Apostolus est ordinatus.* Mirum, quàm studeat Deus, ne suorum fama vllo pacto lædatur, vt suorum honori consulatur: quod illos damnat, qui tam facilè alios damnant, & aliorum labes cæteris exponunt.

1058. *Cùm vidisset gratiam Dei:* Cur non dictum? *cùm vidisset hominum diligentiam.* Nullum sine Dei gratiâ humanum studium est: animarum conuersio gratiæ Dei potiùs tribuenda, quàm hominum labori, ac diligentiæ. Diuinæ erat gratiæ quicquid boni operabantur Dei serui, non humanæ industriæ.

Et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.

HOrtabatur: Syros, *efflagitabat ab eis.* Græcè, *παρεκάλει, hortabatur* cum præconio, & laudibus; & in eo, quòd laudabat, & approbabat, turbam conuertebat: plures quippe laudibus magis alliciuntur, quàm minis; &, vt laudata virtus crescit, sic & virtutis sectator laudatus robur, viresque sumit à laudibus, à probatione.

Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam.

QVæsiuit Saulum Barnabas, quia scilicet suam gloriam non quærebat. Non cuiat suum lumen, tanti Solis propinquitate quodammodò obscurari, in Paulúmque eam gloriam deriuari, quæ illius tantùm exstitisset, si fuisset solus. *Quo arguuntur,* inquit Lyranus, *qui in quacunque communicatione volunt* MAGISTERIVM HABERE SOLI.

Vide quàm eos Deus efferri curet, qui se non efferunt, sed Dei gloriam quærunt, non humanæ laudi litant, sed hominum saluti labores suos sacrant. Barnabas, qui Paulum sibi adiunxit, nec timuit, ne honor aliquis, aliqua gloria ab eo abiungeretur, tam sæpè tantáque laude in hoc libro producitur. Vt vel hinc discamus à Deo honorari, qui honorem suum negligit, & gloriâ cumulari, qui gloriæ actus cupiditate nihil agit.

A Christianis Saulus quæritur, qui priùs ad ne- 1059.
cem Christianos inquirebat. Dignus erat quæri, quia non quærebat se, non quærebat sua. Inuentus perducitur Antiochiam: vt, vbi magna erat messis, magnus operarius esset. *Perduxit Antiochiam:* Vt vel hinc pateret, Barnabam non sui causâ tantùm Saulum quæsiuisse, sed & aliorum; non gustui tantùm suo consuluisse, sed & multorum necessitati:

Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia.

QVæ per annum integrum ibi præstiterint, non explicat sacer Historicus: plura præstiterunt, quàm paucis explicari verbis possit. Satis Lucæ fuit tempus indicasse; cùm singula momenta plena bonis operibus abirent, vt non abirent opera. Quid dixerint, quid egerint per hoc tempus hi duo sanctissimi viri, nobis non liquet; verba tamen eorum sanctitatem spirauisse, acta sanctitatem redoluisse, nefas nobis est, in dubium reuocare.

Et docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.

PEnde verborum nexum: priùs docuerunt hi Doctores turbam multam, deinde Christiani titulo sunt insigniti, eorum auditores; vt noueris, non habuisse nudum titulum sine re. Eruditi homines & cælestibus priùs monitis imbuti fuêre (nec enim erant nudi auditores) deinde Christiani vocati. Quia nimirum Christianitatis titulus bonis operibus tanquam culmen fundamento debet superimponi.

Nobilis hic titulus à Paulo præcipuè fuit, quod ab aliis quoque notatum est: igitur, cùm multa Paulo debeamus, hoc quoque debemus, quod Christiani dicimur. Vide autem authoris sapientiam, qui non explicuit hoc nomen discipulis imposuisse Paulum; vt innueret à probâ potiùs auditorum vitâ sumendum, quàm ab extimo impositore: alioquin frustrà Christiani titulo gaudet, qui Christum moribus non exprimit, & vitâ.

Discipuli autem prout quisque habebat proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.

VIx dixerat Christi discipulos Christianos appellatos, cùm eorum beneficentiam in pauperes explicat: ac si Christianitatis nota Eleemosynæ elargitio esset. Pulchrè ille: *Veri Christiani character, misericordia est.*

In Iudæam mittunt, & in Ierusalem quia hic præcipuè Euangelica paupertas seruabatur. *Hi enim*, inquit Lyranus, *tanquam magis religiosi, renunciantes proprietati, vendiderunt possessiones, vt inde prouideretur communitati.* Scilicet iis maximè Dei prouidentiâ succurritur, qui succurrere aliis studuerant; & aliorum beneficentiam experiuntur, qui in alios extiterant benefici. Vides Deum eorum præcipuè curam agere, qui sua non curant, vt Deo seruiant.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XII. ACT. APOST.

Vers. 1.

EODEM autem tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesiâ.

Eodem a. t. *Syr. Porrò in illo tempore. Goth. In illo tempore. S.Chrys. Per illud autem tempus.*
Misit. *S.Chrys. Immisit. P. Iniecit.*
Herodes rex. *Syr. Herodes ille rex, qui cognominatus est Agrippa.*
Vt affligeret q. d. E. *Syr. In quosdam, qui erant in Ecclesiâ, vt malè acciperet eos. S.Chrys. Vt affligeret quosdam ex Ecclesiâ. Ar.M. Malè tractare quosdam de Ecclesiâ.*

Vers. 2.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

Occidit. *Syr. Trucidauit.*

Vers. 3.

Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.

Videns a. *Syr. Cùmque vidisset.*
Quia p. *Syr. Quòd rem gratam fecisset. Oecum. Quòd gratum esset. Caiet. Quòd placitum esset.*
Apposuit. *Syr. Pergebat. S.Chrys. Adiecit. Oecum. Processit. Pagn. Addidit. Vat. Perrexit.*
Vt app. *Oecum. Apprehendens. Pagn. Vt comprehenderet. Vat. Comprehendere.*
Petrum. *Syr. Simonem Petrum.*
Erant. *Oecum. Erat.*
Azymorum. *Pagn. Infermentatorum.*

Vers. 4.

Quem, cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.

Quem cùm appr. *Syr. Itaque prehendit eum. Oecum. Quem etiam apprehensum. Auth. Quem cùm cepissent.*
Misit. *Syr. Et coniecit. Pagn. Posuit.*
Carcerem. *Ar.M. Custodiam.*
Quatuor quater. m. *Syr. Sexdecim militibus.*
Custod. *Goth. Custodire eum. Pagn. Asseruandum. Vat. Ad seruandum.*
Volens post. *Syr. Vt post.*
Producere. *Syr. Traderet.*
Populo. *Syr. Populo Iudæorum.*

Vers. 5.

Et Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Et Petrus q. *Syr. Cùmque ipse Simon. S.Chrys. Itaque Petrus.*
Seruabatur. *Syr. Custodiretur.*
Carcere. *S.Chrys. Custodiâ.*
Oratio. *Syr. Preces. Oecum. Precatio.*
Fiebat. *Syr. Offerebantur. Ar.M. Erat facta.*
Sine interm. *Syr. Assiduæ. S.Chrys. Continua. Ar.M. Assidua. Caiet. Prolixa.*
Ad D. *Syr. Deo. S.Chrys. Apud Deum.*
Pro eo. *Ar.M. Deeo.*

Vers. 6.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Vers. 6.

Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsâ nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.

Cum a. pr. e. e. H. *Syr. Et cuius diluculo tradendus erat. Ar. M. Cùm autem futurum esset producere eum Herodes.*
In ipsa nocte. *Syr. In illâ ipsâ nocte. Ar. M. Nocte ipsâ.*
Erat P. d. *Syr. Dum dormiret Simon.*
Vinctus. *Syr. Vinctusque esset. S. Chrys. Ligatus.*
Custodes. *Syr. Alij.*
Ante o. c. *Syr. Custodirent. Ar. M. Ante ostium obseruabant.*
Carcerem. *Syr. Fores carceris. Ar. M. Custodiam.*

Vers. 7.

Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius.

Et e. A. *Syr. Angelus.*
Astitit. *Syr. Astitit super eum.*
Lumen. *S. Chrys. Lux.*
Refulsit. *Syr. Defluxit. S. Chrys. Fulsit.*
Habitaculo. *Syr. Totam domum. Vat. Domicilio.*
Percussoque latere P. *Syr. Et pupugit ei latus. Ar. M. Pulsans autem latus Petri.*
Velociter. *Syr. Festinanter. Ar. M. In celeritate.*
Ceciderunt. *S. Chrys. Deciderunt. Pagn. Exciderunt.*
Catenæ. *Ar. M. Eius Catenæ.*
De manibus. *Syr. Ex manibus. S. Chrys. A manibus.*

Vers. 8.

Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me.

Præcingêre. *Syr. Accinge lumbos tuos.*
Calcea te. *Syr. Calcea. S. Chrys. Subliga.*
Caligas t. *S. Chrys. Sandalia tua. Interp. Chrys. Sandalibus tuis. Oecum. Soleas tuas.*
Circunda tibi. *Syr. Obuolue te. Vat. Indue.*
Vestimentum t. *Syr. Pallio tuo. S. Chrys. Vestimento tuo.*

Vers. 9.

Et exiens sequebatur eum; & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem, se visum videre.

Et exiens. *Syr. Exiit itaque. S. Chrys. Et egressus.*
Sequebatur eum. *Syr. Et ambulabat post eum.*
Quia verum est. *Syr. Verum ne esset id. Vat. Rem veram esse.*
Existimabat a. *Goth. Existimabat enim. S. Chrys. Videbatur autem. Pagn. Sed putabat.*
Se visum v. *S. Chrys. Sibi visionem videre. Mar. Somniare.*

Vers. 10.

Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo.

Transeuntes a. *Syr. Cùmque transissent. Oecum. Cum præterissent.*
Ad portam. *Syr. Vsque ad portam.*
Quæ ducit a. c. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Quæ ferebat in ciuitatem.*
Vltro. *Ar. M. Spontaneè.*
Exeuntes. *Syr. Cùm exissent. S. Chrys. Egressi. Oecum. Cùm exisset.*
Processerunt. *Syr. Ac pertransissent. S. Chrys. Prætericrunt.*
Vicum v. *Syr. Plateam quandam.*
Et continuò discessit. *Syr. Discessit.*

Vers. 11.

Et Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio verò, quia misit Dominus Angelum suum & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Et P. *Syr. Tunc Simon.*
Ad se r. *Syr. Cognouit. Ar. M. Factus in se ipse.*
Verè. *Syr. Verissimè.*
Misit. *S. Chrys. Emisit.*
Eripuit. *S. Chrys. Liberauit.*
De manu. *Pagn. E manu.*
Herodis. *Syr. Herodis regis.*
De omni e. *Syr. Ex eo, quòd machinabantur aduersùm me. S. Chrys. Omnis expectationis.*
Plebis I. *Syr. Iudæi. S. Chrys. Populi Iudæorum.*

Vers. 12.

Consideransque venit ad domum Ma-

Considèransque. *Syr. Quod cùm intelligeret. S. Chrys. Et ita conscius sibi. Pagn. Cùmque perpendisset.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

riæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.

Oecum. Et dum cognouisset. Vat. Reque perpensá.
Matria. *S. Chrys. Quæ erat mater.*
Ioannis. *Syr. Ioannis illius.*
Vbi erant. *Syr. Preptera quod erant illic fratres.*
Orantes. *Syr. Precabantur.*

Vers. 13.

Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

Pulsante a. e. *Syr. Pulsauit autem. S. Chrys. Pulsante autem Petro. Oecum. Vbi autem pulsasset.*
Ostium i. *Syr. Fores atrij. S. Chrys. Ianuam vestibuli. Caiet. Ad ostium vestibuli.*
Processit. *Syr. Egressa est. Oecum. Prodiit.*
Puella. *S. Chrys. Ancilla. Pagn. Ancillula.*
Ad vidend. *Syr. Vt ei responderet. S. Chrysost. Vt subauscultaret.*

Vers. 14.

Et, vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam; sed, intrò currens, nunciauit, stare Petrum ante ianuam.

Vt cognouit. *Syr. Agnouit.*
Petri. *Syr. Simonis.*
Gaudio. *Syr. Gaudio suo.*
Aperuit. *Syr. Aperuit ei.*
Ianuam. *Syr. Ostium. S. Chrys. Vestibulum.*
Sed intrò currens. *Syr. Ingressa autem. Syr. Sed reuersa est cursu.*
Nunciauit. *Syr. Ac dixit eis. S. Chrys. Annunciauit.*
Stare P. *Syr. Ecce Simon stat.*
Ante i. *Syr. Pro foribus atrij. S. Chrys. Ante vestibulum.*

Vers. 15.

At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat, sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.

At illi dixerunt a e. *Syr. Cui dicunt.*
Insanis. *Syr. Terrore conturbata es.*
Illa a. *S. Chrys. Porrò hæc.*
Affirmabat. *Syr. Asseuerabat. S. Chrys. Confirmabat.*
Sic se h. *Syr. Rem ita se habere.*
Illi a. d. *Syr. Dicunt ei.*
Angelus. *Syr. Fortassè Angelus.*

Vers. 16.

Petrus autem perseuerabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.

Petrus. *Syr. Simon.*
Perseuerabat pulsans. *Syr. Pulsabat fores. S. Chrys. Permanebat pulsans.*
Cum a. a. *Syr. Proinde exierunt. S. Chrys. Vt autem aperuerunt.*
Viderunt eum. *Syr. Eumque conspicati. S. Chrys. Agnouerunt.*
Et obst. *Syr. Obstupuerunt.*

Vers. 17.

Annuens autem eis manu, vt tacerent, narrauit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere; dixitque: Nunciare Iacobo, & fratribus hæc. Et egressus, abiit in alium locum.

Annuens a. *Syr. Porrò indicabat. S. Chrys. Cùm innuisset. Vat. Cùm autem significasset.*
Manu. *Syr. Sublatâ manu. Vat. Mota manu.*
Narrauit. *Syr. Et ingressus est ac renunciauit eis. S. Chrys. Narrauit illis.*
De carcere. *S. Chrys. Ex custodiâ. Ar. M. De custodiâ.*
Nunciate. *Syr. Renunciate. S. Chrys. Annunciate.*
Abiit. *Syr. Profectus est.*

Vers. 18.

Factâ autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

Facta a. d. *Syr. Cùm autem mane esset. S. Chrys. Facto autem die. Oecum. Vbi verè diluxisset. Pagn. Porrò vbi diluxit.*
Erat. *Syr. Extitit.*
Non p. t. *Syr. Tumultus plurimus propter Simonem.*
Factum esset d. P. *Syr. Factum esset ei. S. Chrysost. Actum esset de Petro. Oecum. Accidisset de Petro. Vat. Accidisset Petro. Caiet. Petrus factus esset.*

Vers. 19.

Herodes autem cùm requisisset eum, & non inuenisset; inquisitione factâ de

Cùm r. *Ar. M. Requirens eum.*
Inquisitione factâ. *Syr. Condemnauit. S. Chrysost. Examinauit. Ar. M. Inquirens.*

custodibus,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

custodibus, iussit eos duci: descendensque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est.

De cust. *Syr. Custodes illius. S. Chrys. Custodes.*
Iussit. *Syr. Et iussit.*
Duci. *Syr. Necari. S. Chrys. Abduci.*
Ibi c. e. *Lucif. Ibique mansit.*

Vers. 20.

Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis: at illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.

Erat a. *Syr. Quoniam autem erat. S. Chrys. Erat autem Herodes. Vat. Herodes autem animo agitabat.*
Iratus. *Pagn. Infensus. Vat. Bellum.*
Tyriis & Sidoniis. *Syr. Contra Tyrios & Sidemos. Vat. In Tyrios & Sydonicos.*
At illi v. *Syr. Congregati sunt. S. Chrys. At vnanimiter. Pagn. At illi vno animo.*
Venerunt ad e. *Syr. Eumque simul adiere. S. Chrys. Aderant apud eum. Ar. M. Aduenerunt ad eum.*
Qui e. s. c. *Syr. Cubiculario. S. Chrys. Qui praerat cubiculo. Lucif. Qui erat à cubiculo.*
Postulab. *Syr. Postularunt ab eo, vt haberent. S. Chrys. Petierunt.*
Alerentur regiones e. *Syr. Victus regionis ipsorum erat. S. Chrys. Regio eorum aleretur.*
Ab illo. *Syr. Ex regno ipsius Herodis. S. Chrys. A regiâ. Lucif. De regiâ. Pagn. Annonâ regiâ. Vat. E ditione regiâ.*

Vers. 21.

Statuto autem die, Herodes, vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

Statoto. *Syr. Percelebri.*
Vestitus. *Syr. Erat indutus. S. Chrys. Indutus.*
Veste r. *S. Chrys. Vestitu regio. Lucif. Veste regali. Ar. M. Vestem regiam.*
Sedit. *S. Chrys. Sedens.*
Pro t. *S. Chrys. Super tribunali.*
Concionabatur. *Syr. Verba faciebat.*
Ad eos. *Syr. Ad turbam.*

Vers. 22.

Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

Populus a. *Syr. Totus verò populus.*
Acclamabat. *Syr. Clamabat & dicebat.*
Dei voces. *Syr. Hæ sunt filia vocum Dei. S. Chrys. Vox Dei.*
Hominis. *Syr. Hominum.*

Vers. 23.

Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: &, consumptus à vermibus, expirauit.

Confestim a. *Syr. Verum eâ ipsâ horâ.*
Percussit. *Syr. Feriit.*
Dedisset. *Lucif. Dedit. Vat. Tribuisset.*
Honorem. *S. Chrys. Gloriam.*
Consumptus à vermibus. *S. Chrys. Erosus est à vermibus. Lucif. Vermibus scatens. Ar. M. Factus vermibus erosus.*
Expirauit. *Syr. Atque mortuus est. S. Chrys. Ac expirauit.*

Vers. 24.

Verbum autem Domini crescebat & multiplicabatur.

Verbum aotem. *Syr. Proinde Euangelium. Oecum. Cæterùm sermo. Pagn. Porrò sermo.*
Domini. *Syr. Dei.*
Crescebat. *Syr. Prædicabatur. Vat. Augescebat.*
Multiplicabatur. *Syr. Incrementum capiebat.*

Vers. 25.

Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

Saulus. *Pagn. Paulus.*
Ab Ieros. *Ar. M. Ex Ierusalem in Antiochiam.*
Expleto minist. *Syr. Postquam expleuissent ministerium suum. Ar. M. Implentes ministerium.*
Assumpto I. *Syr. Assumpseruntque Ioannem illum. Ar. M. Simul assumentes & Ioannem.*
Qui cognominatus est. *Pagn. Cui nomen erat.*

CAPVT XII.

Expenditur, & illuſtratur.

SECTIO PRIMA.

Eodem autem tempore miſit Herodes rex manus, vt affligeret quaſdam de Eccleſiâ.

1060. IVDAICÆ religionis ſtudioſus fuit Herodes, &, vt Iudæis obſequeretur, quibus ſe ſentiebat obſtrictum, animum, ad vexaodam doriore perſecutione Eccleſiam, appulit: nec vulgares diſcipulos inpetiuit, ſed præcipuos, putans horom caſu aliorum ruinam ſecuturam. *Herodes rex* Regis nomeo noo merebatur, qui ſois paſſionibus ſeruiebat: indignus dignitatis titulo erat, quem improbis moribus, iniuſtis actibus fœdauerat, ac polluerat.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis, gladio.

CVr primos ad necem Iacobus quæritur? An, quia, tanquam filius tonitrui, io Euangelij prædicatione, velut fulmen, totos igneus erat, totus ardens? Congrua ardentis deſiderij merces, pro Chriſto primus ante alios Apoſtolos mori.

Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit vt apprehenderet & Petrum.

1061. PLacere princeps io malo non debet ſubditis, debet in bono. Quia hominibus impiis impius obtemperare Herodes voluit, in malorom præcipitia ruit. Occiſo Iacobo, creuit Herodi io alios ſæuiendi animos. Improbi, vno crimine commiſſo, gradum ad aliud ſibi faciuot.

In Petrum inijcere ſacrilegas manus tentat Herodes, vt, eo de medio ſublato, facilè reliquos Apoſtolos ſuperaret: primo, & ſuperiore perempto, alios ſibi ſubiicere ſperat. Magni quippe momenti eſt ad aliorum firmitatem primi, & ſuperioris præſentia, qui cæterorum veluti baſis, ac fundamentum eſt; adeò vt, eo ſublato, alij facilè ruant, & miſerrimè cadaot.

Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum.

1062. TRadens quatuor quaternionibus: Syrus, *Tradidit eum ſexdecim militibus cuſtodiendum.* Cur tot milites vnius Petri cuſtodes adhibentur? An, vt, ſingulis noctis vigiliis, à quatuor militibus per vices cuſtodiretur? Ao, quia non ſolùm nocte, ſed etiam die, ſeniſque horis à qoatuor militibus cuſtodiebatur? Audierat fois, Apoſtolos antè è carcere dilapſos, aut ab Angelo eductos; ob id tot milites vnius Petri cuſtodiæ deputat, ne elaberetur. Sed infirma omnium militom fortitudo eſt, cùm Deo non militat, ſed contra Deum.

Sæuiit in Ananiam, in Saphiram Petrus: non ſæuit io Herodem, à quo io vincolis detinebatur. In illis Dei ioiuriam viudicauit; noluit io iſto vindicare ſuam.

Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere: oratio autem fiebat ſinè intermiſſione ab Eccleſiâ ad Deum pro eo.

PRo vno Petro, qui Eccleſiæ capot, iocumbit orationi tota Eccleſia. His armis Eccleſia pugnat, antequam ad ferrea veniat. Exigua eſt iotegri exercitus fortitudo, ſi oratiooum munimioe deſtituatur. Omnes pro vno Petro orationem fundunt; & Petrus pro ſingulis ſanguinem fudiſſet, 1063.

Precum vim ex eo, quòd Eccleſia pro Petro preces fuderit, colligere poſſumus. Collegit Sanctus Chryſoſtomos, cuius hæc ſunt verba: *Nan temerè ſcripſit Lucas, preces pro Petro aſſiduas ab Eccleſiâ fuſas; ſed, vt à nobis intelligeretur,* QVANTAM VIM HABEANT PRECATIONES IN CÆLO, *vt à periculis Petrum, & Paulum eripiant, Eccleſiæ columnas, Apoſtolorum principes, in cælo celeberrimos, terrarum orbis mania, commune totius terræ, mariſque propugnaculum.*

Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipsâ nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.

PLures dies in carcere Petrus manſit, quibus pro eo aſſiduè orabat Eccleſia: eâ verò nocte, cuius diluculo tradendus erat, adfoit Dei auxilium: ſed cur oon ante? ſinit, ad extrema Petrum adigi, 1064
vt Petri, & eorum, qui orabant pro eo, confidentiam probaret, vtqoe doceret, nunqoam de Dei ope deſperaodum, ſed tonc maximè ſpe Diuinâ nos paſci debere, cùm humanum aoxilium deficit, & fiduciam in Deum augendam eſſe, cùm tribulationes creſcunt.

Erat Petrus dormiens: Iorer vincula dormit, in Diuinæ prouidentiæ ſinu requieſcens. Melior hic ſomnus, quàm ille, quo ante Chriſti paſſionem corripiebatur. Somno inter vioeula corripitur, qui vincola putabat, vt ſomnia. Qui dormiebat inter catenas, tacitè clamabat, catenis ſe poſſe vinciri, noo vioci.

Ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo.

HVnc Angelum Michaelem fuiſſe pleriqoe veroſimiliter cenſent, qui cuſtos Petri quoque fuit. Rectè Archangelos, qui toti Eccleſiæ præſidet, Præſidis Eccleſiæ, Capitiſque cuſtos eſt; vt intelligeremus, quanti ad totius Eccleſiæ firmitatem, ac ſtabilitatem referat, ſuperiorem ſtare, & cuſtodiri ne labatur.

Appatet

1065. Apparet Angelus luminosus, Petrus catenis vinciebatur; vtrius gloria maior? lumine perfusi Angeli, an vincti Petri? *Hic, si mihi quispiam dixisset*, verba sunt sancti Chrysostomi: *elige virum vtrum: vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem Angelus descendit*: VINCVLIS ISTIS *potiri libuisset*. O felix, cui hæc eadem mens, vt vincula omni honori præferat, & gloriæ! Angelus iam incipit esse, qui Petro vincto magis inuidet, quàm Angelo vinctum soluenti.

Lumen refulsit in habitacolo, vt scilicet *videret & audiret Petrus, nec phantasma esse existimaret*, inquit Oecumenius. Amat sua cognosci beneficia Deus, suorumque beneficiorum veritatem.

Percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: surge velociter.

PErcussoque latere Petri: Altè dormiebat Petrus, cuius latus, vt euigilaret, ab Angelo percutitur: animi nihil trepidantis hoc signum est, & in Diuinâ prouidentiâ placidè quiescentis. *Surge velociter*: Veloces Angeli sunt; alacresque Dei iussa dum exequuntur, ab aliis quoque velocitatem exigunt, celeremque obedientiam. Displicet cunctatio omnis superis spiritibus, &, qui velocissimi Deo parent, testudineos homines videre in Dei obsequio nolunt. Præterea, velocitatem à Petro Angelus requirit, non quod metueret, ne si moras necteret Petrus, custodes excitarentur; soporem quippe, quem immiserat, tandiu in eis continuabat, quandiu volebat; sed vt ostenderet ardens desiderium, quo tenebatur, ad Petrum liberandum. Explicari non potest, quàm studiosè Angeli sint prompti, soliciti que vt nobis opem ferant.

Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me.

1066. TAnto Angelus Petrum auxilio, ac præsidio munitum confirmat, vt otiosè pallium induere, atque sandalia, & laxatam adstringere vestem posset; vt appareret in vincto nullum fuisse dolum; nullam fraudem, neque fugam furtim arripuisse, cùm in magno otio, ac quiete se induens postea abierit.

Præcingere, inquit, Petro Angelus: Consueuerant Iudæi, oblongas gestare vestes, quas, cùm quiescerent, solutas relinquebant; cùm verò aliquid operis agerent, aut iter conficerent, religabant, & attollebant: quod præstare hîc iubetur Petrus. Potuit, &, propter carceris rigorem, ligamenta ad horam laxare, vt tunica, circa pedes demissa illos operiens noctis frigus aliquo pacto temperaret.

Et nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.

1067. ADeò magnæ res fiebant, vt præ magnitudine, quin & præ timore, incredibiles viderentur. Tam ingenti improuisæ lætitiæ excessu Petrus corripiebatur, vt, extra se factus, quod re ipsâ fiebat, visum putaret.

Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltrò aperta est eis.

ELusa custodum diligentia est: sopitis militibus abit Petrus. *Venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis*: In virtutis viâ quò magis progredimur, eò faciliora omnia redduntur: obstacula omnia vel nullo, vel exiguo nostro labore auferuntur. *Venerunt ad portam ferream*: Ferreus Petrus ad portam ferream venit: ferreus euaserat animo, corpore vinctus ferro.

SECTIO II.

Quod humano auxilio *potest fieri, non vult Deus miraculo fieri*. 1068
Dei beneficia *meliùs cognoscimus quum à nobis subducuntur*. 1069
Beneficiorum author, *Deus cognoscendus*. 1069
Quod superiores *agunt facilè ab inferioribus præstatur*. 1070
Beneficia Dei *obliuione sepelienda non sunt*, 1071
Puellarum pudor & *verecundia*. 1072
Angeli *quàm nostri solliciti*. 1073
Quod Angeli *præstant in Deum referri amant*. 1073
Herodis vestitus *qualis*. 1074
Vanæ gloriæ *deditus quid timere debeat*. 1075
Cur à vermibus *consumptus fuerit* Herodes. 1076
Adulatoriæ *voces compescendæ*. 1076

Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo.

NOn statim, postquam à carcere Petrus discesserat, discedit ab eo Angelus; sed eò Petrum deduxit, vbi & à carcere, custodibusque longè abesset, & vnde, quò vellet, recipere se tectè, & meliùs, & tutiùs posset. *Continuè discessit Angelus ab eo*: 1068.
Cur non eum comitatus est vsque ad domum, in quam se Petrus recipit? Noluit Angelus, quia necesse opus erat, cùm in tuto esset Petrus, extraque periculum; & sibi per se ipsum prospicere poterat. Non vult Deus miraculo fieri, quod potest humanâ industriâ.

Præterea, Angelus à Petro disparuit, vt meliùs colligeret se ipsum Petrus, & ad se rediret, & perfectæ liberationis gratiam agnosceret, gratiasque Deo ageret: nam; & sibi gratulantis, & Deo gratias agentis, verba sunt, quæ, post discessum Angeli, Petrus subiicit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum*. Quæ confessio grata Deo, Angeloque fuit.

Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

COgnouit Petrus Dei Angelum à Deo missum, cùm Angelus discessit. Ita plerumque fit, vt 1069.
Dei beneficia meliùs cognoscamus, cùm à nobis subducuntur. Valetudinis donum vix cognoscimus, cùm adest; benè cognoscimus, cùm abierit.

Quia misit Dominus Angelum suum: Beneficium in

in Deum refert, non in Angelo sistit Petrus. Non dixit: *nunc scio verè, quia ad me venit, meumque suus Angelus*. Sed: *nunc scio verè quod misit Dominus Angelum suum*. Verum beneficij Auctorem cognoscit, verum confitetur: Angelus minister est, Deique imperio paret. *Verè* non cognoscit beneficium per creaturas acceptum, qui sistit in creaturis. Porrò per Angelos nobis sæpè beneficia Deus confert, cùm possit se solo, vt iis grati simus, eosque sicuti par est, veneremur.

1070. *De omni expectatione plebis Iudæorum.* Syrus, *ex eo, quod machinabantur aduersum me Iudæi.* Seu, vt alij vertunt, *ex machinatione Iudæorum.* Nuda expectatio non erat: adiiciebantur machinæ, & insidiæ. Sed quomodo *plebs* machinari dicitur; cùm primarij, nobilioresque tum dignitate, tum doctrinâ, legis prætextu, paternarumque traditionum, in summum Ecclesiæ antistitem sæuirent? An plebs Iudæorum hic non viliorem populi partem significat, sed indefinitè Iudæorum gentem, populumque. An, quod de scribis, & Pontificibus propriè intelligitur, etiam ad plebem extenditur quasi consequens sit, id, quod superiores agunt, agere inferiores, qui superiorum ducuntur exemplo.

Consideransque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.

APericulo liberatus periculum considerabat Petrus, secumque animo voluebat quò se conferret, ne rursus in Iudæorum manus, à quibus Diuinitus euaserat, incideret. Monemur, tunc cautiùs gressus nostros dirigendos, consideratiùs incedendum, vbi ab aliquo discrimine, quin & ab aliquius peccati lapsu nos Dei manus reuocauerit.

1071. *Venit ad domum Mariæ:* Cur ad Mariæ domum Petrus pergit, non ad aliam? Hæc domus publicæ orationi, sacrisque conuentibus erat dicata, in eâ fideles diu, noctuque pro Petro orauerant. Ad orationis locum iure se confert, vt orationum efficaciâ se liberatum proderet, vt orantium mentes suâ præsentiâ exhilararet, vt ad gratias Deo agendas excitaret verbo, excitaret exemplo. Nimirum Dei beneficia aliâ obliuione sepelienda non sunt.

Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

PRima ad ianuam puella virgo prosilit, si aliqua hic curiositas; nam alius prior accurrere debebat: fors & ob pietatem suam, ac sollicitudinem, quæ aliquid de Petro audire cupiebat, statim aduolat.

Ad audiendum: Aliqui codices habent, *ad videndum*: sed, cùm noctu esset, ad audiendum potiùs, quàm ad videndum iuit puella. Syrus, *egressa est, vt responderet ei:* atque adeò vt priùs audiret, & auscultaret.

Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nuntiauit stare Petrum ante ianuam.

1072. INclamauerat puella quis adesset, & pulsaret. Respondit Petrus, se Petrum esse: &, vt non dixerit, facilè agnita eius vox est, ob frequentem eius sermonem auditum; alioquin non facilè eum puella sermonem sereret, modestiæ exemplar, Petrus. Agnouit Petrum puella, non tamen statim aperit: priùs tam læto nuntio eos, qui domi aderant mœsti, exhilarat, vt deinde omnes ad Petrum accurrerent, reuerentiæ causâ, vtque Petro suam liberationem omnes gratularentur. Præterea, pudori suo puella consuluit: cùm sola esset, noluit viro, licèt sancto, ianuam aperire, neque se ante illum sistere. Tam pudica, tam verecunda erat, vt iure & à *rosâ* Rhode nominetur, ruborem verecundiâ præferens.

At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.

RES adeò præter expectationem, quin & præter possibilitatem visa est, Petrum, probè munito carcere custoditum, à carcere liberum exiisse, vt insanire putarent puellam quæ id affirmabat: faciliùs id viro, quàm fœminæ asserenti credidissent; falli enim, decipique fœmineus sexus solet.

Angelus eius est: Vnde hoc illis venit in mentem, vt crederent, dicerentque Angelum eius esse? 1073.
A tempore fors istuc coniectabant; nam, cùm Petrus in carcere esset, summoque in periculo, & Angelus eius custos otiari non posset, putabant Petro periclitante eius Angelum hue illuc circumcursare, vt Petro auxilium afferret, & ab imminenti eriperet discrimine; in hoc eius se Angelum probans, quia eius curam habebat. Credebant, Angelum Petri aduolasse, vt eos consolaretur, & orationum assiduitatem pro Petro inhortaretur.

Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere.

PRæ gaudio omnes exilirent, in amplexus ruerent, & in voces gratulationis; tacere eos iubet Petrus, ne, gaudentium clamore, eius aduentus in ciuitate cognosceretur. Aliis tacentibus, narrare incepit, *quomodo eum Dominus de carcere eduxisset:* Domini mentio fit, non Angeli, Angelus quippe Dei imperium exequutus est; atque adeò Deo præcipuè liberationem debebat Petrus. Istuc ad Angeli quoque mentem fuit. Hinc factum, vt Angelorum nomina quæ in scriptura, Ecclesiáque celebria sunt, אל *el* in fine habeant, quod Deum sonat, Gabriel, Raphael, Michael; vt totum, quod Angeli præstant, in Deum referretur, cùm nec nominari quidem sine Deo velint, quo nullus in Angelis ita sistat, quin statim feratur in Deum.

Dixitque: nuntiate Iacobo, & fratribus hæc.

NOluit, rem tantam fratrum notitiæ subduci, Petrus: nuntiari voluit, vt mœrorem exuerent, lætitiâ perfunderentur ob suam liberationem. Sed cur *Iacobo* tantùm nuntiare iubet, & *fratribus*, non, *aliis* promiscuè? Non edixit, vt passim omnibus aliis euulgarent, vt inanem gloriam deuitaret. 1074.

Statuto

Statuto autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

VEstem regiam induerat Herodes, qui regiam exuerat mentem. Vestem sumpsit ex argento, & purpurâ (quod aliqui notarunt) ita contextam, vt, radiis solis percussa, quasi Diuinum fulgorem emittere videretur: sic vestitus *sedit pro tribunali.* Apud Dei tribunal accusabat talis habitus Herodem, qui sedebat pro tribunali. *Concionabatur ad eos*, non vt suos conuerteret concionatorus, sed vt euerteret potiùs: verba solito blandiora effudit, vt non meritam sibi acclamationem mercaretur: adulatur Herodes populo, vt populus Herodi adularetur, & Diuinos honores ei tribueret, qui nec humanos merebatur.

Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

1075. ADulationi adulatione respondet populus. Herodem adeò efferunt, vt supra hominem ferant, & Deum vocant, qui nec hominis nomen merebatur. Laus ista nihil Herodi profuit, nocuit potius. Populi voces, quibus Dei vocē habere dicebatur Herodes, Dei iram in Herodem prouocauerunt, dum se putat esse, quod dicebatur, consentiebat animo assentationi, & fors etiam corporis motu, nutibus.

Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.

PErcussit Angelus eum, qui se plusquam hominem iactantiâ tumidus putabat. Sed cur non etiam assentatores debitam subière pœnam? An is punitur, qui maximè peccauerat, aliósque in sui laudem traxerat? suam quoque, qui Herodem efferebant, pœnam suo tempore luisse, non est dubium. Audiendus Oecumenius hic: *Verum quare non etiam assentatores puniuntur? Vtrique sanè supplicio digni erant: verùm, quum nondum tempus sit iudicij, is punitur, qui maximè obnoxius est crimini.*

Confestim: Syrus, *eadem horâ*, percutitur Herodes ab Angelo. Cur non permittitur, in cubiculum se recipere? Vt non puniretur tantùm Herodes, sed erudiretur & populus, eiusque adulatio corrigeretur. Ferre tumorem tantum Deus noluit, nec erat par diu illum ferri, qui parem se Deo fieri consensit. *Percussit eum Angelus*, nec, regiæ, splendidæque vestis nitore, abstinuit à punitione, quin acrius in Herodem dæuiit, quò magis in vestis cultu sibi Herodes blandiebatur. Audiendus sanctus Petrus Damianus: *Herodes*, inquit, *sicut in actibus Apostolorum legitur, dum indutus veste regiâ conspicuus cernitur: dum ei concionanti ad populum, Dei voces habere, non hominis acclamatur: protinus, Angelo feriente percutitur: &, quia vanâ gloriæ deditus, delatam sibimet in Deum transferre gloriam noluit, repentino superueniente iudicio consumptus à vermibus expirauit. Sic nimirum, sic Diuino dignus est iudicio deijci, qui coram oculis hominum de mitiore culmine habitus ambit arrogamer extolli.*

Consumptus à vermibus expirauit. Qui se Deo parem putabat à vermibus consumitur. Non occidit eum Angelus manu Angeli mori non erat dignus. Occiderunt vermes, qui se vermem non putabat. Non esset vermibus absumptus impius iste rex, si se, pij regis mente, vermi comparasset. 1076.

Percussit eum Angelus Domini: Qui honorem Deo debitum vsurpat, sibi pœnam, superbis debitam, iurè accipit. Sed hic aliquis reponat: cur non & populus est punitus? qui exclamauerat: *Dei voces, & non hominis.* Si deliquit Herodes, adulationem admittens, non fuit à peccato immunis populus adulatoria verba emittens: at punitus Herodes, quia illius erat mutuò populum corripere, & coercere. Nimirum, superiores, dum peccantem populum non arguunt ad maiora prouocare videntur, & allicere. Tetigit hanc eandem quæstionem Sanctus Isidorus Pelusiota, & in hunc modum soluit: *Atq; id propterea factum, quia* IPSE POPVLVM NON REPREHENDERIT, *neque adulationem impiam, & insanam repudiauerit; nam, dum eam acceptauit, etiam ad maiorem ipsos impietatem assuefecit, atque erudiuit.*



Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

CAPVT XIII. ACT. APOST.

Vers. 1.

ERANT autem in ecclesiâ, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Simon qui vocabatur, Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus.

Vers. 2.

Ministrantibus autem illis Domino, &

In e.q.e.A. *Vat. Quidam Antiochia in eâ, quæ ibi erat ecclesiâ. Ar. M. Quidam in Antiochiâ apud existentem ecclesiam.*

In quibus Barnabas. *S. Chrys. Barnabas. Oecum. Nempe Barnabas. Vat. Barnabasque.*

Cyrenensis. *Syr. Ex Cyrene vrbe.*

Qui erat H.t.c. *Syr. Filius educationis Herodis tetrarcha. Pagn. Qui erat cum Herode tetrarchâ simul educatus. Ar. M. Herode tetrarcha enutricatus.*

Ministr.a.i.D. *Syr. Cùmque ipsi ieiunarent & preces auspicarentur. Pagn. Cùm autem illi sacrificarent Domino ieiunarentque. Vat. Cùm autem illi operarentur Domino ieiunarentque.*

Ieiunantibus,

Vulgata Editio.

ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.

Lectionum Varietas.

Dixit illis. *Ar. M. Dixit.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis*
Segregate. *Syr. Secernite. S. Prosp. Separate. Vat. Segregate iam.*
Saulum e. B. *Oecum. Barnabam & Saulum.*
In opus. *Syr. Operi.*
Ad q. a. *Syr. Ad quod ego vocaui. S. Chrys. In quod vocaui. S. Isid. Hisp. Ad quod elegi. S. Prosp. In quod prouocaui. Oecum. Ad quod aduocaui. Pagn. Ad quod accersiui. Ar. M. Quod aduocaui.*

Vers. 3.

Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

Tunc i. *Syr. Postquàm igitur ieiunassent.*
Orantes *Syr. Preces auspicati fuissent. Ar. M. Precati.*
Imponentesque e. m. *S. Chrys. Et eis impositis manibus.*
Dimiserunt illos. *S. Chrys. Dimiserunt.*

Vers. 4.

Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam: & inde nauigauerunt Cyprum.

Et ipsi q. *Syr. Ipsi autem. S. Chrys. Itaque hi. S. Epiph. Illi igitur. Vat. Igitur hi quidem.*
Missi *Syr. Cùm emissi essent. S. Chrys. Emissi.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Abierunt. *S. Chrys. Descenderant.*
Nauigauerunt. *Syr. Per mare peruenerunt. S. Chrys. Abnauigauerunt.*
Cyprum *Syr. Adusque Cyprum. S. Chrys. In Cyprum.*

Vers. 5.

Et, cùm venissent Salaminam prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum Habebant autem & Ioannem in ministerio.

Cùm venissent f. *Syr. Cúmque introissent Salaminam vrbem. S. Chrys. Vt venerunt in Salaminam. Pagn. Cùm essent Salamina. Ar. M. Facti in Salaminâ.*
Prædicabant. *Syr. Euangelizabant. S. Chrys. Annunciauerunt.*
Verb. D. *Syr. Sermonem Domini nostri. Pagn. Sermonem Dei.*
Habebant a. *Syr. Et habebant.*
In ministerio. *Lucif. Ministrum.*

Vers. 6.

Et, cùm perambulassent vniuersam insulam vsque Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bariesu,

Cùm peramb. *Syr. Cùm perlustrassent. S. Chrys. Transeuntes. Pagn. Peragratâ. Ar. M. Peragrantes.*
Vniuersam i. *S. Chrys. Totam Insulam. Pagn. Insulâ. Ar. M. Insulam.*
Paphum. *Syr. Ad Paphum vrbem. S. Chrys. In Paphum.*
Inuenerunt *Syr. Nacti sunt.*
Virum magum. *Oecum. Magnum. Lucif. Virum: Quidd. codd. Virum magnum.*
Pseudoprophetam. *S. Chrys. Falsum prophetam.*
Bariesu. *Lucif. Bariesuban (quod interpretatur paratus.)*

Vers. 7.

Qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnabâ & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.

Qui erat. *Syr. Iste adhærebat.*
Cum proc. S. P. v. p. *Syr. Viro sapienti, qui erat proconsul, vocabaturque Sergius Paulus.*
Hic. *Syr. Proconsul. Lucif. Qui.*
Accersitis. *Syr. Aduocauit. S. Chrys. Vocatis. Lucif. Cùm aduocasset.*
Barnabâ e. S. *Syr. Saulum & Barnabam. Lucif. Barnabam & Saulum.*
Desiderabat. *Syr. Et petebat. S. Chrys. Inquisiuit. Oecum. Cupiebat. Lucif. Quærebat. Ar. M. Expetebat.*
Audire. *Syr. Vt audiret ab eis. S. Chrys. Vt audiret.*
Verbum. *Pagn. Sermonem.*

Vers. 8.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Vers. 8.

Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere proconsulem à fide.

Resistebat. *S. Chrys. Restitit.*
Illis. *Lucif. Ille.*
Elymas magus. *Syr. Bariesus. Lucif. Etamus magus.*
Sic e. i. n. e. *Syr. Cuius nomen exponitur, Elymas. S. Chrys. Sic enim sonat si interpreteris. Lucif. Sic enim interpretatum dicitur nomen eius.*
Quærens. *Syr. Quippe qui vellet. Lucif. Qui quærebat.*

Vers. 9.

Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

Saulus a. *Syr. Saulus autem ille.*
Et Paulus. *Syr. Vocatus est Paulus Pagn. Idem Paulus.*
Repletus *Syr. Repletus est.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Intuens i. e. *Syr. Intuitus eum. S. Chrys. Intentis in eum oculis. Ar. M. Intendens in eum.*

Vers. 10.

Dixit: O plene omni dolo & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ: non desinis subuertere vias Domini rectas.

Omni. *Syr. Omnibus dolis.*
Omni. *Syr. Omnibus, Orig.* omittit.
Fallaciâ. *Syr. Flagitiis. S. Chrys. Versutiâ. Ar. M. Maleficentiâ. Caiet. Malitiâ.*
Diaboli. *Syr. Criminatoris.*
Desinis. *Syr. Cessabis. S. Chrys. Cessas. Vat. Desines.*
Subuertere. *Lucif. Peruertere. Vat. Inuertere.*
Vias D. r. *Mar. Rationes Domini varias.*

Vers. 11.

Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret.

Et nunc e. *Syr. Nunc itaque. S. Chrys. Et nunc.*
Super te. *Syr. Contra te est. Lucif. Aduersum te. Vat. Intenta tibi.*
Non videns. *Syr. Ne aspicias.*
Confestim. *Syr. Eâ ipsâ horâ. Oecum Protinus.*
Cecidit. *Syr. Incidit. Vat. Ingruit.*
In eum. *Lucif. Super eum.*
Et circuiens. *Syr. Proinde circuibat.*
Qui e. m. d. *Syr. Qui prehenderet ei manum. Oecum. Qui se manu duceret. Lucif. Qui se ad manum ducerent. Pagn. Qui se manu ducerent. Caiet. Manu ductores.*

Vers. 12.

Tunc proconsul, cùm vidisset factum, credidit, admirans super doctrinâ, Domini.

Cùm v. *Lucif. Videns.*
Factum. *Lucif. Quod erat factum. Pagn. Quod acciderat.*
Credidit admirans. *Syr. Perculsus est. Credidítque. Lucif. Credidit cum admiratione stupens. Ar. M. Credidit perculsus.*
Super doctrinâ. *Syr. Doctrina. Lucif. In doctrinâ. Vat. De doctrinâ.*

Vers. 13.

Et, cùm à Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ: Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam.

Et cum nauigassent. *Syr. Perrexerunt autem per mare. S. Chrys. Deducti autem. Oecum. Cùm autem soluissent. Ar. M. Prouecti autem.*
Papho. *Syr. Papho vrbe. S. Chrys. Cypro.*
Paulus. *S. Chrys.* omittit.
Et qui c. e. e. *Syr. Et Barnabas. S. Chrys. Qui cum Paulo erant. Vat. Cum comitibus. Ar. M. Qui circa Paulum.*
Discedens. *S. Chrys. Recedens, Oecum. Segregatus. Pagn. Digressus.*
Reuersus e. I. *Syr. Profectus est ad Ierusalem.*

Vers. 14.

Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi syna-

Pertranseuntes P. *Syr. Egressi sunt ex Perge. S. Chrys. Transeuntes à Perge. Vat. Loca varia pertranseuntes à Pergâ. Vat. Peragratis regionibus à Pergâ.*
Venerunt A. *Syr. Et venerunt Antiochiam vrbem.*
Ingressi. *Syr. Introierunt.*

Vulgata Editio.

gogam die sabbatorum, sederunt.

Lectionum Varietas.

Synagogam. *S. Chryſ. In ſynagogam.*
Die ſabbatorum ſ. *Syr. Sederuntque die ſabbati.*

Verſ. 15.

Poſt lectionem autem legis & Prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.

Poſt lect.a. l. e. P. *Syr. Poſtquàm autem lecta eſſet Lex & Propheta.*
Principes. *Syr. Seniores.*
Si quis eſt i.v.ſ. *S. Chryſ. Num eſt in vobis verbum. Vat. Si eſt vobis in animo ſermone. Ar.M. Si eſt ſermo in vobis.*
Exhortationis. *Syr. Conſolationis. Vat. Exhortari.*
Ad plebem, dicite. *Syr. Alloquimini populum. Vat. populum, dicite.*

Verſ. 16.

Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, audite.

Surgens a. *Syr. Proinde ſurrexit.*
Manu. *Vat. Motâ manu.*
Silentium indicens. *S. Chryſ. Innuens.*
Iſraëlitæ. *Syr. Fily Iſrael.*
Et qui. *Syr. Voſque qui. S. Chryſ. Et inter vos.*
Timetis. *Syr. Reueremini. S. Chryſ. Timentes.*

Verſ. 17.

Deus plebis Iſraël elegit patres noſtros, & plebem exaltauit, cùm eſſent incolæ in terrâ Ægypti; & in brachio excelſo eduxit eos ex eâ.

Plebis Iſraël. *Syr. Huius populi. Ar.M. Plebis huius Iſraël.*
Elegit. *Pagn. Delegit.*
Plebem exaltauit. *Syr. Extulit & magnificauit eos. S. Chryſ. Populum exaltauit. Oecum. Populum in altum extulit.*
Cum e. i. i. t. Æ. *S Chryſ. In peregrinatione eius in Ægypto. Ar.M. In terrâ Ægypti.*
In brachio. *S. Chryſ. Cum brachio. Vat. Brachio.*
Excelſo. *Vat. Sublimi.*

Verſ. 18.

Et per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto.

Per quadraginta. *Syr. Quadraginta. S. Chryſ. Circiter quadraginta.*
Annorum t. *Syr. Annis.*
Mores eorum. *Syr. Eos.*
Suſtinuit. *Syr. Nutriuit.*
Deſerto. *S. Chryſ. Solitudine.*

Verſ. 19.

Et deſtruens gentes ſeptem in terrâ Chanaan,

Deſtruens. *Syr. Deleuit. S. Chryſ. Deletis.*
Gentes. *Goth. Reges. S. Chryſ. Gentibus.*

Verſ. 20.

Sorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos: & poſt hæc dedit iudices, vſque ad Samuel prophetam.

Sorte diſtribuit. *Syr. Dedit. Pagn. Dedit Deus.*
Terram e. *Syr. Solum earum hæreditate poſſidendum.*
Quaſi poſt q. & q. a. e. p. h. *Syr. Porrò quadringentis & quinquaginta annis. S. Chryſ. Et poſt hæc circiter annis quadringentis & quinquaginta. Oecum. Et poſt hæc ſcilicet annis quadringentis quinquaginta.*
Dedit. *Syr. Dedit eis.*

Verſ. 21.

Et exinde poſtulauerunt regem: & dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin annis quadraginta.

Et exinde. *Syr. Tuncque.*
Poſtulau. *Syr. Petierunt ſibi. S. Chryſ. Petierunt.*
Dedit. *Pagn. Dedit Deus.*
De tribu. *Syr. Ex ſtemmate. S. Chryſ. Ex tribu.*
Annis. *Ar.M. Annos.*

Verſ. 22.

Et, amoto illo, ſuſcitauit illis Dauid regem, cui teſtimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

Amoto illo. *Syr. Suſtulit eum. S. Chryſ. Deſtituto illo. Ar.M. Amouens eum.*
Suſcitauit. *S. Chryſ. Excitauit. Oecum. Suſcitauit.*
Regem. *S. Chryſ. In regem. Vat. Vt eſſet rex.*
Cui t. p. *Syr. Et præbuit ei teſtimonium. Pagn. Cui teſtimonium reddens. Ar.M. Cui & teſtatus.*
Filium Ieſſe. *Pagn. Iſai. Ar.M. Ipſius Ieſſe.*
Secundùm. *S. Chryſ. Iuxta.*
Qui f. *Syr. Is exequetur.*
Omnes v. m. *Syr. Omnia placita mea.*

Verſ. 23.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 23.

Huius Deus ex semine secundùm promissionem eduxit Israël saluatorem Iesum,

Ex semine. *Ar.M. A semine.*
Secundum p. *Syr. Quemadmodum pollicitus fuerat. S.Chrys. Ita vt promiserat.*
Eduxit. *S.Chrys. Adduxit. Vat. Produxit. Ar. M. Excitauit. Mar. Suscitauit.*
Israël. *S.Chrys. Israëlis.*
Saluatorem. *Syr. Redemptorem. S. Chrys. Seruatorem.*

Vers. 24.

Prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.

Prædic. I. *Syr. Et misit Ioannem, qui prædicaret. Pagn. Cùm antè prædicasset Ioannes.*
Ante f. a. e. *Syr. Ante aduentum eius. Pagn. Ante faciem introitus eius. Vat. Præuentu introitus eius.*
Omni p. I. *Syr. Toti populo Israëli. Oecum. Israëli.*

Vers. 25.

Cùm impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

Cum impl. a. *Syr. Cùmque expleret. Oecum. At cùm impleret.*
Cursum suum. *Syr. Ministerium suum. S. Chrys. Cursum.*
Arbitramini. *S. Chrys. Putatis.*
Non sum ego. *Pagn. Non is sum ego. Vat. Non sum ego ille.*
Post me. *Syr. Penè me is.*
Calceamenta p. *Syr. Corrigias calceamentorum. S. Chrys. Calceamentum pedum. Oecum. Soleam pedum. Pagn. Calceum pedum.*
Soluere. *Syr. Qui soluam.*

Vers. 26.

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est.

Generis. *Syr. Prosapia.*
Qui timent. *S. Chrys. Timentes.*
In vobis. *Syr. Vobiscum. Vat. Inter vos.*
Verbum. *S. Chrys. Sermo.*
Salutis huius. *Syr. Vita.*
Missus. *Syr. Ille missus. S. Chrys. Emissus.*

Vers. 27.

Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt:

Habitabant. *Pagn. Habitant.*
Principes eius. *Syr. Primores eorum. S.Chrys. Principes illorum.*
Hunc ignorantes. *Syr. Non consenserunt ei. S.Chrys. Hunc ignorauerunt.*
Et voces. *Syr. Nec scripturis.*
Per omne s. *Syr. Omni sabbato.*
Iudicantes. *Syr. Sed condemnauerunt eum. Vat. Condemnato eo.*
Impleuerunt. *Syr. Et impleuerunt quæcunque scripta sunt. Oecum. Compleuerunt.*

Vers. 28.

Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.

Nullam c. *S. Chrys. Ne vnâ quidem causâ.*
Inuenientes in eo. *S. Chrys. Inuentâ.*
Petierunt à P. *S.Chrys. Petiuerunt Pilatum.*
Interficerent e. *S. Chrys. Interficeretur ille. Oecum. Interimeretur.*

Vers. 29.

Cùmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

Cùmque c. *Syr. Et cùm expleuissent. S. Chrys. Vbi autem perfecerunt.*
Omnia quæ. *Syr. Quicquid.*
Scripta erant. *Syr. Scriptum fuerat.*
Deponentes eum. *Syr. Detraxerunt eum. S. Chrys. Depositum.*
Ligno posuerunt. *Syr. Cruce & posuerunt.*
Monumento. *S. Chrys. Sepulchro. Vat. In monumentum.*

Vers. 30.

Deus verò suscitauit eum à mortuis tertiâ die.

Suscitauit. *S. Chrys. Excitauit.*
A mortuis tertiâ die. *S.Chrys. Ex mortuis. Oecum. A mortuis.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Vers. 31.

Qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæâ in Ierusalem, qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem.

Visus est. *Oecum. Apparuit.*
Per dies m. *S. Chrys. Ad dies plures.*
Simul. *Vat. Vna.*
De Galilæâ. *S. Chrys. A Galileâ.*
Vsque nunc sunt. *S. Chrys. Scilicet sunt.*
Testes eius. *Oecum. Testes eius rei.*
Ad p. *S. Chrys. Ad populum. Oecum. Coram populo. Vat. Apud populum.*

Vers. 32.

Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est.

Et nos. *Syr. Quin & nos ecce.*
Annunciamus. *S. Hil. Euangelizamus. Vat. Per euangelium annunciamus.*
Eam, quæ repromissio. *Syr. Promissum illud, quod. S. Chrys. Bonum hoc nuncium de promissione.*
Patres nostros. *S. Hil. Patres.*
Facta est. *Syr. Factum est. S. Chrys. Factâ.*

Vers. 33.

Quoniam hanc Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicot & in Psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quoniam h. D. a. *Syr. Illud impleuisse Deum. S. Hil. hanc Deus expleuit. Mar. Quoniam hanc promissionem impleuit.*
Filiis nostris *Syr. Nobis filiis eorum. S. Chrys. Filiis illorum, nobis. Pagn. Filiis illorum, nimirum nobis. Vat. Liberis illorum nobis. Ar. M. Natis eorum, nobis. Mar. Filiis eorum vobis. M. SS. Filiis vestris.*
Resuscitans I. *Syr. Cùm excitauit Iesum S. Chrys. Suscitato Iesu. S. Hil. Suscitans Dominum nostrum Iesum.*
Secundo. *Oecum. Primo.*

Vers. 34.

Quòd autem suscitauit eum à mortuis, ampliùs iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia.

Quòd autem. *Syr. Et ita.*
Suscitauit e. *Syr. Deus excitauit eum. S. Chrys. Resurrexit. Ar. M. Resuscitauerit eum.*
A mortuis *Ar. M. Ex mortuis.*
Ampliùs iam non r. *Syr. Vt non ampliùs reuersurus sit. S. Vltrà non conuertendus. Ar. M. Non ampliùs futurum reuerti eum.*
In corrup. *Syr. Videre corruptionem.*
Ita dixit. *Syr. Prout dixit.*
Sancta Dauid fidelia. *Syr. Beneficentiam Dauid fidelem.*

Vers. 35.

Ideóque & aliàs dicit: Non dabis, sanctum tuum videre corruptionem.

Ideoque & aliàs dicit. *Syr. Et rursus ait in alio loco. Oecum. Ideo quoque alio in loco dicit. Vat. Ideo & in alio Psalmo dicit. Caiet. Ideoque & alibi dicit.*
Dabis. *Oecum. Concedas. Pagn. Permittes.*

Vers. 36.

Dauid enim in suâ generatione, cùm administrasset voluntati Dei, dormiuit; & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

Dauid enim. *Vat. Nam Dauid quidem.*
In suâ g. *S. Chrys. Suâ generatione. Oecum. Suâ ætate. Pagn. Sua ætati. Ar. M. Propria generatione.*
Cùm administrasset. *S. Chrys. Seruiens. Oecum. Vbi inseruisset. Pagn. Cùm inseruisset. Vat. Postquàm inseruisset.*
Voluntati Dei d. *Syr Voluntati Dei, & obdormiuit. Oecum. Consilio Dei dormiuit. Ar. M. Voluntati Dei dormiuit.*
Appositus. *Syr. Adiunctus.*
Ad patres s. *Syr. Patribus suis.*

Vers. 37.

Quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.

Quem verò. *Syr. Is autem, quem S. Chrys. Illum autem. Pagn. At is, quem*
Suscitauit à mortuis. *S. Chrys. Excitauit ex mortuis. Oecum. Excitauit. Vat. Suscitauit.*

Vers. 38.

Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia

Notum igitur s. v. *Syr. Scitote ergo.*
Viri fratres. *Syr. Fratres.*
Quia per h. *Syr. Per hunc ipsum.*

per

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

per huno vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.

Remissio p. a. *Syr. Remissionem peccatorum prædicari.*
Et ab omnibus. *Quidd. codd. Ab omnibus.*
Quibus. *S. Chrys. A quibus.*
Potuistis. *S. Chrys. Voluistis.*
In lege. *Pagn. Per legem.*

Vers. 39.

In hoc omnis, qui credit, iustificatur.

In hoc. *Syr. Per hunc.*
Omnis, qui credit. *Syr. Quemlibet fidelem. Ar. M. Omnis credens.*
Iustificatur. *Syr. Iustificari.*

Vers. 40.

Videte ergo, ne superueniat vobis, quod dictum est in Prophetis.

Videte. *Syr. Cauete.*
Superueniat v. *Syr. Vobis ebueniat. S. Chrys. Ascendat super vos. Vat. Eueniat vobis. Ar. M. Superueniat in vos.*
Quod d. e. *Syr. Quod scriptum est. Ar. M. Dictum.*

Vers. 41.

Videte, contemptores, & admiramini & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris: opus, quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.

Contemptores. *Syr. O contemptores.*
Admiramini. *S. Chrys. Et aspicite & admiramini.*
Disperdimini. *Syr. Abite in corruptionem. S. Chrys. Euanescite. Lintr. Fiatis inapparentes.*
Operor. *S. Chrys. Quod operor.*
Opus quod. *Syr. Quod quidem. S. Chrys. Quod Ar. M. Cui.*
Non credetis. *Vat. Neutiquàm credatis.*
Enarrauerit. *Syr. Renunciaris. S. Chrys. Annunciauerit. Vat. Enarret.*

Vers. 42.

Exeuntibus autem illis, rogabant, vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba.

Exeuntibus a. i. *Syr. Cúmque discessissent à lateribus eorum. Oecum. Cùm autem egressi essent è synagogâ Iudæorum. Pagn. Egressis autem è cœtu Iudæis. Ar. M. Egressis autem illis è synagogâ Iudæorum. Caiet. Egressis autem è synagoga Iudæis.*
Rogabant. *Syr. Petierunt ab eis. S. Chrys. Orabant. Ar. M. Rogarunt Gentes. Caiet. Rogabant Gentes.*
Sequenti s. *Syr. In alterum sabbatum. S. Chrys. Interim vsque ad sabbatum.*
Loquerentur. *Syr. Colloquerentur. Vat. Facerent. Ar. M. Narrari.*
Verba hæc. *Syr. Hos sermones. Pagn. Verba. Vat. Verba illa.*

Vers. 43.

Cúmque dimissa esset synagoga, sequuti sunt multi Iudæorum & colentium aduenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis, vt permanerent in gratiâ Dei.

Cúmque dimis. e. s. *Syr. Postquàm autem solutus est conuentus. Pagn. Soluto autem cœtu. Ar. M. Soluta autem synagoga.*
Sequuti s. *Syr. Sequuti sunt eos.*
Multi I. *Syr. Plurimi Iudæorum, Pagn. Multi Iudæi.*
Et colent. a. *Syr. Atque adeò proselyti, qui timebant Deum. Oecum. Religiosi proselyti. Caiet. Colentium Deum proselytarum.*
Qui loq. *Syr. Hi vero alloquebantur eos.*
Suadebant. *Syr. Et persuaserunt.*
Permanerent. *Syr. Adhærerent. Vat. Perseuerarent.*
In gratiâ. *Syr. Gratia.*

Vers. 44.

Sequenti vero sabbato, penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei.

Sequenti v. *Syr. Proinde altero. Ar. M. Ipsoque veniente.*
Penè vniu. *S. Chrys. Quasi tota. Oecum. Vniuersa propemodùm.*
Conuenit. *Syr. Commota est. S. Chrys. Congregata est.*
Audire. *Syr. Audiendi gratiâ. S. Chrys. Vt audiret.*
Verbum. *Syr. Sermonis. S. Chrys. Sermonem.*

Nouarin. in Act. Apost.

Vulgata Editio. | Lectionum Varietas.

Verſ. 45.

Videntes autem turbas Iudæi, repleti, ſunt zelo; & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes.

Videntes a.t. *Syr. Cùm autem viderent turbam multam. Oecum. Viſis autem turbis.*
Repleti. *S.Chryſ. Impleti.*
Zelo. *Syr. Inuidiâ.*
Contradic. h. *Syr. Reſiſtebant ſermonibus.*
Quæ à P.d. *Syr. Quos dicebat Paulus.*
Blaſph. *S. Chryſ. Contradicentes ac blaſphemantes. Pagn. Contradicentes ac blaſphemias loquentes. Vat. Reclamantes ac blaſphemias loquentes.*

Verſ. 46.

Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed, quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes;

Tunc c. *Syr. Apertè autem. S. Chryſ. Cum fiduciâ autem loquentes. Ar. M. Libertate vſi verò. Caiet. Tunc ſumpta fiduciâ.*
Dixerunt. *S. Chryſ. Dicebant.*
Vobis. *Orig. Ad vos.*
Oportebat p. *S. Proſp. Oportuit primum. Origen.* omittit. *Tert. Oportet in primis. Ar. M. Erat neceſſarium primum.*
Loqui v. D. *Syr. Annunciari ſermonem Dei. S. Chryſ. Dici ſermonem Dei. Orig. Erat miſſus ſermo. Pagn. Loqui ſermonem. Tert. Sermonem Dei tradi. S.Cypr. Indicari Verbum Dei. S.Proſp. Annunciari verbum Dei.*
Repellitis i. *Syr. Propelliſtis eum. S.Chryſ. Repellitis illum. S.Cypr. Repuliſtis illud. S. Proſp. Expuliſtis illud.*
Et indignos. *Syr. Ac, ne digni ſitis. S. Chryſ. Non dignos. S.Cypr. Nec dignos.*
Vos iud. *Syr. Voſmetipſos reſcindiſtis. Oecum. Indicatis vos ipſos. Tert. Vos exiſtimatis.*
Æternæ vitæ. *Syr. Vita perenni. S.Chryſ. Æternâ vitâ.*
Conuert. *Tert. Conuertimus nos.*
Gentes. *Tert. Nationes.*

Verſ. 47.

Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.

Sic enim. *Syr. Quandoquidem ita.*
Præcepit. *Syr. Præcepit nobis. S.Cypr. Dixit.*
Dominus *Syr. Dominus noſter, prout ſcriptum eſt.*
Poſui. *S.Cypr. Ecce poſui. Vat. Conſtitui.*
In lucem. G. *Syr. Lumen Gentium. Syr. Lumen inter gentes. Vat. Lucem Gentium.*
Vt ſis in ſalutem. *Syr. Vt ſis falus. S.Chryſ. Vt tu ſis in ſalutem. S.Cypr. Ita vt ſis in ſaluationem. Pagn. Vt ſis ſalus. Ar.M. Ad exiſtendum in ſalutem.*
Extremum. *S.Chryſ. Finem. S.Cypr. Fines.*

Verſ. 48.

Audientes autem Gentes, gauiſæ ſunt & glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Audientes a. *Syr. Quòd cùm audiſſent. Vat. Audientes autem hæc.*
Gauiſæ ſunt. *S.Chryſ. Gaudebant.*
Glorificabant. *Syr. Gloriam tribuebant.*
Verbum Domini. *Syr. Deo. S. Chryſ. Sermonem Dei.*
Quotquot erant p. *Syr. Ij, qui erant ordinati.*

Verſ. 49.

Diſſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regionem.

Diſſeminab.a. *Syr. Proinde annunciabatur. S.Chryſ. Differebatur autem. Pagn. Diuulgabatur. Ar.M. Perferebatur.*
Verbum D. *Syr. Sermo Domini. S.Chryſ. Sermo ille.*
Vniuerſam. *Syr. Totam illam. S.Chryſ. Totam.*

Verſ. 50.

Iudæi autem concitauerunt mulieres religioſas & honeſtas, & primos ciuitatis,

Iudæi autem *Pagn. Iudæi verò. Ar. M. Iudæi.*
Concitauerunt. *S. Chryſ. Extimulantes. Oecum. Incitauerunt. Pagn. Extimulauerunt.*
Mulieres religioſas e. h. *Syr. Primas vrbis nec non illas mulieres diuites. S. Chryſ. Mulieres pias & honeſtas.*
Et primos ciuitatis. *Syr. Quæ cum eis timebant*

&

Vulgata Editio.

& excitauerunt persequutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus suis.

Vers. 51.

At illi, excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium.

Vers. 52.

Discipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu sancto.

Lectionum Varietas.

Deum. S. Chrys. Et principes ciuitatis.
Persequutionem. *S. Chrys. Seditionem.*
In Paulum. *S. Chrys. Apud Paulum.*
Eiecerunt de f. *S. Chrys. Eiiciunt è finibus.*

At illi. *Syr. Cùmque eiecti essent.*
Excusso puluere. *Syr. Excutiunt puluerem.*
Pedum. *S. Chrys. E pedibus. Pagn. Pedum suorum.*
In eos. *S. Chrys. Super eos.*
Iconium. *Syr. Iconium vrbem.*

Discipuli quoque. *S. Chrys. Discipuli autem. Vat. Porrò discipuli Ar. M. At discipuli.*
Replebantur. *S. Chrys. Implebantur.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*

CAPUT XIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Præsules *prospicere omnia debent, ac si essent prophetæ.* 1077
Deo operari, quid sit. 1078
Doctorum *dignitas & celsitudo.* 1079
Non facilè Dei serui *principum palatia adeant.* 1080
Malorum consortio *obseptum bona cogitare quàm difficile.* 1080
Rectè aliorum vitia *reprehendit, qui Spiritu sancto est plenus.* 1081
Mutu omnis sæuitia, *quâ impij arguuntur.* 1081
Quantum in hominum animis vim habeat loquentis exemplum. 1082
Cæcitate *cur percussus Elymas.* 1082
Dei se Filium comprobauit Christus, *quum nos redemit.* 1084
Eucharistia *sanctitatem vt affricet iis, à quibus excipitur.* 1084

Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochia, prophetæ, & doctores.

1077. PROPHETARUM nomine hic aliqui Episcopos intelligunt: ac si adeò futura prospicere, & cognitione anteuertere debeant, vt prophetarum munus exercere videantur. Præsul ille propheta dici non potest, qui nec futura prospicit, nec præsentia videt, omnia negligit altæ socordiæ indormiens. Alij pro *prophetis* Diuinarum Scripturarum explanatores intelligunt, quæ tam obscuræ, & implexæ sunt, vt eas interpretans, prophetæ officio fungi videatur. Ex quo falluntur hæretici, qui omnibus obuias censent, & earum explanationem etiam imperitis concedunt.

Et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus.

QVid referebat ad illustris prophetæ, atque doctoris Manahen commendationem, quòd Regis Herodis collactaneus diceretur? Innuere sacer scriptor voluit, euenire non rarò, vt eodem lacte duo nutriti dispares habeant mores: sic eodem Christi lacte fideles in Eucharistiæ sacramento pascuntur; qui tamen diuersi inter se moribus sunt; alij in Dei obsequio feruentes, alij desides, tepidique.

Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus.

DVbitari solet, quodnam ministerium obierint. Quidam de sacrificij ministerio id intelligunt: vnde aliqui pro, *ministrantibus*, legunt, *sacrificantibus*: cui versioni fauet etiam Tigurina, quæ sic se habet, *cùm operarentur Domino*; sacræ autem Scripturæ phrasi, Deo operari, est sacrificare, quo loquendi modo etiam prophani vti solent, vt alibi, adductis eorum testimoniis, probo. Syrus, *cùm preces auspicarentur*: eas scilicet, quæ in sacrificio fieri solent. Aliis, vt Vatablo, Oecumenio, Caietano, *Domino ministrare*, est Euangelium prædicare: sed ita Dei verba exponebant, doctoris fungentes munere, vt orationi etiam vacarent: quod Syriaca versio indicat. 1078.

Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.

CVr nunc segregari iubetur Saulus ad Euangelium prædicandum? cùm antea à Deo Gentium Apostolus designatus sit illis verbis: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.* An, quia tunc secretè, ac priuatè electus est, nunc palam, publicéque? 1079.

In opus, scilicet, prædicandi Euangelium, *ad quod assumpsi eos*: Alij vertunt, *in auxilium aduocaui eos.* Quibus verbis doctorum dignitas explicatur, qui ad animas conuertendas, & sanctificandas in Spiritus sancti auxilium à Spiritu sancto vocantur.

Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam.

FElix doctoris profectio, profectus felicior, cùm non ambitionis spiritu, non proprij commodi affectu trahitur, sed sancto Spiritu ducitur; & eò se confert, quò eum Diuinus Spiritus fert. *Contra illos prædicatores*, inquit Lyranus, *qui secundum* CARNIS IMPETUM *gradiuntur.*

Et cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum.

PRiùs Iudæis Euangelium prædicant, quàm gentibus. Cur non priùs à Gentibus incohant? Ne Iudæi contentiosiores fierent, viderent sibi Gentes præponi.

Qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente; hic, accersitis Barnaba, & Paulo, desiderabat audire verbum Dei.

1080. APostolorum hîc apparet modestia, qui in palatium se vltrò non obtrudunt, sed expectabant, donec accerserentur: sciunt quippè in principum virorum aulis ægrè admitti, qui Dei verba prædicent, & negligi, nisi aduocentur. Non facilè in Sacris Litteris aliquem sanctorum deprehendas, qui principum virorum palatia lubens adierit, nisi aut inuitatus ab ipsis, aut missus à Deo.

Desiderabat audire verbum Dei: Græcè, ἐπεζήτει, *quærebat, postulabat*, aut salutis desiderio, aut sciendi cupiditate. Sanctus Chrysostomus hîc insigne miraculum factum putat. Quodnam, inquies? Diuini verbi audiendi desiderium non sinè miraculo, est: Sergium Paulum, Elymæ magi prauâ doctrinâ imbutum, & praui hominis consuetudine infectum Apostolos audire voluisse, aut miraculum, aut miraculo simile censendum: adeò difficile est, malorum consortio obseptum bona cogitare.

Resistebat autem illis Elymas magus, quærens auertere proconsulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit.

1081. OPportunè, antequam in impium magum inueheretur Paulus, Spiritu sancto repletus dicitur; vt colligeremus, animaduersionem in magum, non ex irâ, motuque vindictæ profectam, sed Diuino quodam impulsu, & afflatu. Rectè aliorum vitia quis reprehendit; cùm Spiritu sancto plenus est, cuius nouo quodam instinctu, aliorum culpas arguit, corripitque.

O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas.

MAgnâ verborum acrimoniâ magum arguit Paulus: decuit, tantam impudentiam, ac impietatem tam acriter percelli. Sed cur plenus Spiritu sancto, qui totus mitis, ac suauis est, dicitur Paulus, cùm adeò vehementer in magum sæuiat? Mitis omnis sæuitia est, quâ impij arguuntur, vt ad bonam frugem redeant.

Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus.

1082. STatim Elymas punitur: punitio non differtur, ne sceleris contagium serperet. *Ecce*, inquit Paulus, *manus Domini super te.* Alienus à fastu, alienus à iactantiâ Paulus est: non ait, *Ego facio*, sed, *Dei manus.*

Et eris cæcus. Vix comminatus hoc fuerat Paulus cùm statim cæcitate Elymas est correptus. Mirum quàm mira edideris Paulus miracula, quàm insignibus signis eius verba, doctrinamque corroborare Deus volueris. Nimirum qui vitâ moribusque huic doctrinæ anteà se obiecerat, & contra eam pugnauerat, multis magnisque miraculis veluti armandus erat. Benè hîc Glossa: *Oportuit Paulum miracula agere ad consummationem Apostolatus, quem diu contra stimulum calcitrantem Deus elegerat.* Ex quo appâret, quanti referat doctorem magnâ authoritate pollere, vt, quam anteactæ vitæ labes eleuare potuit, vel miraculis sit statuenda. Explicari vix potest, quantas in hominum animis vires exemplum habeat loquentis, & quàm difficilè elui malum possit, quod præterita malitia inuexerat.

Eris cæcus: Cæcitate Elymas corripitur: sed, en temporariâ, non perpetuâ? Vt resipiscere, si vellet, posset. Corporis oculos non merebatur, qui mentis aliis conabatur auferre. Vt Elymam coniiceret ab oculis exordium sumit Apostolus, recolens se quoque hoc remedio priùs curatum, cùm Damascum se conferens cæcitate correptus est.

Tantâ seueritate impius magus punitur, vt sic malo eius exemplo obuiam iretur, nec auderet Euangelicæ prædicationis fructum falsis suis doctrinis impedire. Proconsulis operâ vniuersa ferè natio facilè ad salutem allici poterat: tam efficax superioris exemplum est. Opponebat se Elymas; & proconsulem à sui, suorumque salute quærendâ auocabat: quod ne deinceps faceret, cæcitate percutitur, & punitur.

Et cùm à Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergem Pamphyliæ.

EDito miraculo, quod attonitum reddidit Pro- 1083.
consulem, à Papho Paulus soluit, honor à Proconsule ei habitus retinere eum minimè potuit, aut emollire: prædicationis opus sedulo exequitur, & absque vllâ temporis iacturâ animarum saluti inuigilat.

Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite.

PRæferunt hæc verba beneuolentiam erga Apostolos, quos archisynagogus, aliique ex habitu, gestu, & totius oris formâ censuerunt esse religiosos, ac pios; vt proindè eos, ad verba de rebus Diuinis facienda, inhortentur principes sacerdotum. *Si quis*, inquiunt, *est in vobis sermo exhortationis:* Syrus, *sermo consolationis*: & Græca vox, παρακλήσεως, etiam consolationem significat, & omnem doctrinam. Dei quippe verba veram consolationem audita afferunt; afferunt exposita, & explicata.

Resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

DE Christi resurrectione hæc verba multi pro- 1084.
bæ notæ interpretes intelligunt: sed cur Diuinus Pater tunc maximè genuisse se filium, dicit, cùm post mortem resurrexit? An tunc præcipuè se Patrem gloriatur, cùm eius Filius mundo salutem peperit? ita est. *Pulchrè*, sancti Ambrosij verba sunt, *Pater dicit ad Filium, ego hodie genui te, hoc est: quando redemisti populum, quando ad cæli regnum vocasti, quando impleuisti voluntatem meam, probasti meum te esse Filium.* Tanto nostræ salutis desiderio tenetur Deus Pater, vt Filium tunc Filium cognoscat

gnoscat maximè, eùm, effuso sanguine, deuictâ morte salutem mundo inuexit.

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

NOn dabis sanctum tuum videre corruptionem: Sanctum vocat Christi corpus, quod & sanctum in se erat, & illo alij erant sanctificandi. Sanctus Augustinus sic verba hæc exponit: *Neque sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris.* Hoc maximè in Eucharistiæ Sacramento fit, quod sanctitatem quandam iis affricat, qui dignè illud excipiunt.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XIV. ACT. APOST.

Vers. 1.

FACTVM est autem Iconij, vt simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur; ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo.

Factum e. a. I. *Syr. Porrò venerunt. Oecum. Accidit autem Iconij. Vat. Euenit autem Iconij.*
Vt simul i. *Syr. Et intraierunt. S. Chrys. Cùm illi introissent. Ar. M. Iuxta illud ipsum introire eos.*
In synag. *Oecum. Synagogam.*
Loquer. *Syr. Ita alloquuti sunt eos. Pagn. Loquerentur sic.*
Ita vt cred. *Syr. Vt crediderint.*
Iudæorum & G. *Syr. Ex Iudæis & ex Græcis. Pagn. Iudæorum simul & Græcorum.*
Copiosa mult. *Syr. Multi. S. Chrys. Magna multitudo. Ar. M. Multa multitudo.*

Vers. 2.

Qui verò increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersùs fratres.

Qui v. i. f. I. *Syr. At Iudæi, quidam ex iis, qui non acquieuerunt.*
Suscitauerunt. *Syr. Exstimulauerunt. S. Chrys. Corripuerunt. Pagn. Concitauerunt.*
Et a. I. e. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Et concitauerunt. Pagn. Et corruperunt. Vat. Et deprauarunt. Ar. M. Malè affectas reddiderunt.*
Animas G. *Syr. Gentes. S. Chrys. Animos Gentilium.*
Aduersùs f. *Syr. Vt malè acciperent fratres. S. Chrys. Erga fratres. M. SS. Aduersus fratres: Deus autem pacem fecit.*

Vers. 3.

Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino: testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.

Multo igitur t. *Syr. Illi autem multum temporis. Vat. Multum igitur temporis.*
Demorati sunt. *Syr. Illic egerunt. Vat. Egerunt. Auct. Immorati sunt.*
Fiducialiter agentes i. D. *Syr. Et palàm loquuti sunt de Domino. S. Chrys. Cùm fiducia loquentes per Dominum. Pagn. Fortiter agentes præsidio Domini. Vat. Liberè loquentes præsidio Domini.*
Test. perh. v. *Syr. Et ipse suffragabatur sermoni. S. Chrys. Qui testimonium dabat sermoni. Ar. M. Testante verbo.*
Dante signa. *Syr. Signis. S. Chrys. Et dabat signa. Vat. Dabatque, vt signa.*
Prodigia fieri. *Syr. Miraculis, quæ edebat. S. Chrys. Prodigia fieri in populo. Vat. Miracula ederentur.*
Per m. e. *S. Chrys.* omittit. *Vat. Ministerio eorum.*

Vers. 4.

Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis.

Diuisa. *S. Chrys. Scissa.*
Est a. *Syr. Porrò est.*
Multitudo. *Syr. Tota turba.*
Quidam quidem. *S. Chrys. Alij quidem. Oecum. Hi quidem. Pagn. Nonnulli quidem.*
Erant c. I. *Oecum. Stabant à Iudæis.*
Quidam verò. *S. Chrys. Alij autem. Oecum. Illi verò.*
Cum Apost. *Oecum. Ab Apostolis.*

Vers. 5.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 5.

Cùm autem factus eſſet impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus ſuis, vt contumeliis afficerent & lapidarent eos,

Cùm a. f. e. i. *Syr. Factus eſt autem in eos impetus.*
Gentilium & I. *Syr. A Gentibus & Iudæis. S. Chryſ. Gentium pariter & Iudæorum.*
Cum p. ſ. *Syr. Ac primoribus eorum. Pagn. Vnà cum principibus ſuis.*
Vt contum. aff. *Syr. Ita vt contumeliis affecerint. S. Chryſ. Vt vim afferrent. Oecum. Et vim inferrent. Ar. M. Iniuriari. Caiet. Vt vim facerent. Auct. Iniurij eſſent.*
Lapid. eos. *Syr. Obruerint lapidibus.*

Verſ. 6.

Intelligentes, confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lyſtran & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.

Intelligentes *Syr. Quæ cùm conſideraſſent. S. Chryſ. Re compertâ. Pagn. Re intellectâ. Oecum. Re cognitâ.*
Confugerunt. *Syr. Diſceſſerunt ſeſeque receperunt.*
Ad ciuitates. *Syr. In vrbes. S. Chryſ. In eas quæ in circuitu ciuitates.*
Vniuerſam in c. *Syr. Circumiacentes. S. Chryſ. Finitimam regionem. Pagn. Finitimam vndique. Ar. M. Circum. Caiet. Circumiacentem.*
Regiones. *Syr. Vicos.*
Euangelizantes e. *Vat. Prædicabant Euangelium. M. SS. Euangelizantes erant & commota eſt omnis multitudo in doctrinâ eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lyſtris.*

Verſ. 7.

Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex vtero matris ſuæ, qui nunquam ambulauerat.

Et quidam. *Syr. Cæterùm quidam.*
Lyſtris. *Syr. Lyſtrâ ciuitate.*
Infirmos. *Syr. Qui afflictus erat. S. Chryſ. Infirmis. Oecum. Debilis. Pagn. Impotens. Vat. Inualidus.*
Claudus ex v. m. ſ. S Chryſ. omittit. *Oecum. Qui cùm claudus eſſet ab vtero matris ſuæ. Ar. M. Claudus ex vtero matris ſuæ ſubſiſtens.*
Qui nunquam. *Oecum. Nunquam.*
Ambulauerat. *S. Chryſ. Ambularet*

Verſ. 8.

Hic audiuit Paulum loquentem: Qui intuitus eum, & videns, quia fidem haberet, vt ſaluus fieret,

Qui i. *Syr. Cùm autem vidiſſet Paulus.*
Videns. *Syr. Animaduertiſſet.*
Quia f. h. *Vat. Eum fide eſſe præditum.*
Vt ſaluus f. *Syr. Se ſeruatum iri. S. Chryſ. Et fore, vt ſaluus fieret. Oecum. Et vt ſaluus fieret. Vat. Fore, vt ſaluus fieret.*

Verſ. 9.

Dixit magnâ voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exiliuit & ambulabat.

Dixit. *Syr. Dixit ei.*
Magna v. *Syr. Altâ voce: Tibi dico in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Goth. Magna voce: In nomine Ieſu Chriſti.*
Super pedes. *S. Chryſ. In pedes.*
Tuos rectus. *Syr. Tuos.*
Et exiliuit. *Syr. Itaque proſiliens ſurrexit.*
Ambulabat. *Syr. Ambulauit.*

Verſ. 10.

Turbæ autem, cùm vidiſſent, quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam, Lycaonicè dicentes: Dij, ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.

Turbæ a. *Syr. Cœtus verò populi. Ar. M. At turba.*
Cum vid. *Ar. M. Videntes.*
Leuauerunt. *Syr. Extulerunt. S. Chryſ. Suſtulerunt.*
Lycaonicè d. *Syr. Idiomate regionis dicuntque.*
Similes f. h. *Syr. Aſſimilati ſunt hominibus. S. Chryſ. In ſpecie hominum. Vat. Specie hominum. Ar. M. Simulati hominibus.*
Deſcenderunt. *Syr. Et deſcenderunt.*

Verſ. 11.

Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi.

Et vocabant. *Syr. Proinde nominabant.*
Iouem. *Syr. Dominum deorum.*
Paulum verò. *Ar. M. At Paulum.*
Mercurium. *Syr. Hermetem.*
Quoniam ipſe e. d. v. *Syr. Quippe qui inciperet ſermonem. Vat. Quòd is eſſet antiſtes ſermonis.*

Verſ. 12.

Vulgata Editio.

Verſ. 12.

Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat ſacrificare.

Verſ. 13.

Quod vbi audierunt Apoſtoli, Barnabas & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes

Verſ. 14.

Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram & mare & omnia, quæ in eis ſunt.

Verſ. 15.

Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.

Verſ. 16.

Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda noſtra.

Lectionum Varietas.

Sacerdos q. I. *Syr. Sacerdos autem illius Domini deorum.*
Qui erat. *Syr. Collocati. S. Chryſ. Cùm eſſet.*
Ante c. *Syr. Extra vrbem. S. Chryſ. Ante ciuitatem illorum.*
Ante ianuas. *Syr. Ad fores atrij quo loci commorabantur. S. Chryſ. Ad veſtibula.*
Afferens. *Syr. Adduxit.*
Cum pop. volebat. *Syr. Et volebat eis. S. Chryſ. Cum turbis volebat.*
Sacrificare. *Goth. Sacrificare eis. Oecum. Immolare.*

Quod vbi a. A. B. *Syr. Cùm hæc autem audiſſent Barnabas.*
Conſciſſis t. ſ. *Syr. Sciderunt togas ſuas. S. Chryſ. Diſruptis veſtibus ſuis.*
Exilierunt. *Syr. Et proſilierunt exieruntque S. Chryſ. Inſilierunt.*
Turbas. *Syr. Tumultum. S. Chryſ. Turbam.*
Clamantes. *Syr. Clamabant autem.*

Et d. *Syr. Ac dicebant.*
Quid hæc. *Syr. Quid. S. Chryſ. Cur hoc. Oecum. Vt quid iſta. Vat. Cur iſta.*
Et m. ſ. ſ. v. h. *Syr. Et nos homines ſumus paſſionibus obnoxij ſicut & vos. S. Chryſ. Et nos ſimiliter, vt vos paſſibiles ſumus homines. Oecum. Nos quoque ſimiliter affectibus & malis obnoxij ſumus homines. Pagn. Nos quoque iidem, quibus vos obnoxij malis ſumus homines. Ar. M. Et nos ſimiliter paſſibiles ſumus vobis homines. Caiet. Et nos eiſdem obnoxij ſumus paſſionibus homines.*
Annunciantes. *S. Chryſ. Euangelizantes. Vat. Per Euangelium docentes.*
Ab his v. c. *Syr. Vt ab iſtis friuolis rebus conuertamini. Goth. Ab his vanis idolis conuerti.*
Deum viuum. *Syr. Viuentem illum. S. Chryſ. Deum viuentem.*
Fecit. *Vat. Creauit.*
Mare. *Syr. Maria.*
In eis ſ. *Vat. Eis comprehenduntur.*

Qui. *Syr. Qui quidem.*
In præt. g. *Syr. Primis ætatibus. Pagn. In præteritis ætatibus.*
Dimiſit. *Syr. Permittebat. S. Chryſ. Permiſit. Pagn. Sinebat.*
Ingredi v. ſ. *Syr. Suis ipſorum viis incedere. S. Chryſ. Ire in viis ſuis. Vat. Viuere inſtitutis ſuis. Caiet. Ingredi viis ſuis.*

Et quidem. *Syr. Quamuis. S. Chryſ. Quanquam.*
Sine t. *Syr. Carere teſtimonio. S. Chryſ. Expertem eſſe teſtimonij. Ar. M. Inteſtatum.*
Reliquit. *Syr. Permiſerit. S. Chryſ. Sinebat.*
Benef. *Syr. Cùm benefaceret eis. S. Chryſ. Beneficia conferens vobis. Vat. Vt qui ſe præberet beneficum nobis.*
De cælo. *Syr. E cælo. Ar. M. Cælitùs.*
Dans p. *Syr. Demitteretque pluuiam. Oecum. Dans nobis pluuias.*
Et temp. fruct. *Syr. Daretque incrementum fructibus in tempore ſuo.*
Implens cibo. *Syr. Et impleret alimento.*
Lætitiâ. *Syr. Iucunditate.*
Corda noſtra. *Syr. Corda eorum. M.SS. Corda veſtra. Quidd. ap. Mar. Corda eorum.*

Verſ. 17.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 17.

Et, hæc diceotes, vix sedauerunt turbas, ne sibi immolarent.

Sedauerunt. *Pagn. Compescuerunt.*
Turbas. *Syr. Plebem.*
Ne sibi. *Syr. Ne quis eis. Ar.M. Ad non sibi.*
Immolarent. *Syr. Sacrificaret. Ar.M. Sacrificandum.*

Vers. 18.

Superuenerunt autem quidam ab Antiochiâ & Iconio Iudæi, &, persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes, eum mortuum esse.

Superuenerunt a. q. *Syr. Illuc autem aduenerunt. Ar. M. Cunctantibus verò ipsis & docentibus, superuenerunt.*
Quidam ab A. e. I. I. *Syr. Iudæi ex Iconio & Antiochiâ.*
Et persuas. t. *Syr. Qui concitarunt in eos plebem. S.Chrys. Qui cum persuasissent turbis.*
Lapidantes. *Syr Lapidarunt. S.Chrys. Lapidassent.*
Traxerunt. *Syr. Ac protruserunt eum. S.Chrys. Traxerunt eum. Pagn. Extraxerunt eum.*
Extra ciu. *S.Chrys. Foras portam. Pagn. E ciuitate.*
Existimantes. *Syr. Propterea quòd putarent.*

Vers. 19.

Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & posterâ die profectus est cum Barnabâ in Derben.

Circundantib. a. e. *Syr. Sed congregati sunt ad eum. S.Chrys. Vbi autem circundederunt eum.*
Surgens. *Pagn. Surrexit.*
Intrauit ciuit. *Syr. Ingressus ad ciuitatem. S.Chrys. Ingressus est in ciuitatem.*
Posterâ. *Oecum. Postero.*
Profectus est. *Syr. Exiit illinc. S.Chrys. Exiit.*
In Derb. *Syr. Veneruntque Derben ciuitatem.*

Vers. 20.

Cúmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam.

Euangeliz. *Oecum. Prædicassent. Vat. Euangelium annunciassent.*
Ciuitati i. *Syr. Filiis illius ciuitatis.*
Docuissent multos. *Vat. Discipulos asciuissent multos.*
Reuersi sunt. *Syr. Ipsi redeuntes venerunt.*
Lystram. *Syr. Lystram vrbem.*

Vers. 21.

Confirmantes aoimas discipulorum exhortantesque, vt permanereot in fide; & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.

Confirm. *Oecum. Denuò confirmantes.*
Exhortantesque. *Syr. Et efflagitantes ab eis. S.Chrys. Obsecrantes.*
Permanerent. *S. Chrys. Maneant. Pagn. Perseuerarent.*
Quoniam per multas. *Syr. Dicentes eis per quamplurimas.*
Tribulat. *Syr. Oppressiones. S. Chrys. Afflictiones.*
Oportet nos i. *Syr. Oportere ingredi. S.Petr.Dam. Oportet nos ingredi.*
In Regnum. *Syr. Regnum.*

Vers. 22.

Et, cùm constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

Et c. const. *S. Chrys. Cùm autem suffragiis delegissent. Oecum. Cúmque creassent. Ar. M. Ordinantes autem. Al. Et cùm suffragiis creassent.*
Singulas ecclesias. *Syr. Omnem ecclesiam. S.Chrys. Ecclesias.*
Presbyteros. *S.Chrys. Seniores.*
Cùm orassent. c. i. *Syr. Cùm ieiunarent cum eis ac precarentur. S. Chrys. Cùm orassent cum ieiuniis. Oecum. Precati essent cum ieiunio.*
Commendauerunt. *Syr. Et comendarent.*
Crediderunt. *S. Chrys. Crediderant.*

Vers. 23.

Traoseuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam,

Transeuntesque. *Syr. Cúmque perlustrassent. S. Chrys. Et cùm pertransissent. Vat. Peragratâque.*
Pisidiam. *Syr. Regionem Pisidiæ. Vat. Pisidiâ.*

Vers. 24.

Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam.

Loqu. v. *S. Chrys. Cùm loquuti essent sermonem.*
Perge. *Syr. Perge vrbe.*
Attaliam. *Pagn Vrbem Attaliam.*

Vers. 25.

Vulgata Editio.

Vers. 25.

Et inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt.

Vers. 26.

Cùm autem venissent, & congregassent ecclesiam retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

Vers. 27.

Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

Lectionum Varietas.

Nauigauerunt. *Syr. Pergentes per mare venerunt: S.Chrys. Soluerunt. Ar.M. Abnauigauerunt;*
Antiochiam. *Oecum. Miletum.*
Vnde erant t. *Syr. Quoniam inde commendati fuerant. Vat. Vnde erant commissi.*
Dei. *Syr. Domini.*
In opus. *Syr. Ad opus illud.*
Compl. *Syr. Peregerunt.*

Cùm a. v. *Syr. Cùm autem conuenisset. S.Chrys. Vbi autem aduenerunt.*
Congregassent e. *Syr. Tota ecclesia. S.Chrys. Congregauerunt ecclesiam.*
Retulerunt. *Syr. Narrauerunt. S.Chrys. Annunciauerunt.*
Quanta f. *Syr. Quæcunque egisset. S. Chrys. Quæcunque fecit. Vat. Quæcunque gessisset.*
Deus cum illis. *Pagn. Deus secum. Vat. Deo iuuante.*
Et quia a. *Syr. Eumque reserasse. S.Chrys. Et quòd Deus aperuit.*
Ostium. *Syr. Fores.*

Morati f. a. *Syr. Illic egerunt. S.Chrys. Commorati autem illic sunt.*
Tempus n. m. *S. Chrys. Tempore non paruo. Pagn. Multum temporis.*
Cum discipulis. *Syr. Apud discipulos.*

CAPVT XIV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Iudæorum inuidia *& durities.* 1085
Benefici *Deum vt referant.* 1087
Pauca verba *proferre quàm magnum.* 1088
Victimæ *coronis redimita.* 1089
Ab honoris *ambitu quàm abesse debeamus.* 1090
Hominum laudes *vt fera fugienda.* 1090
Mortis *memoria humanum fastum deprimit.* 1091
Humani fauoris *inconstantia.* 1092
Vindictam *non cogitat, qui Deum amat.* 1093
Apostolici spiritus, *contumelias amare.* 1093
Tribulationis *optimus commendator, qui eam sustinet.* 1094

Factum est autem Iconij, vt simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo.

1085. SEQVITVR afflictionem copiosa seges non secus, ac hyemem frugum prouentus. Licèt aduersa nos premant, à Deo tamen auocare non debent, sed vrgere ad Deum. Eiectos superiùs Paulum, & Barnabam legimus: Iconium venerunt: ad iudæos, Græcosque sermonem habuêre, ad fidem vocauêre: multi conuertuntur. Acceptæ iniuriæ medetur multorum ad fidem conuersio; quamuis Dei serui vix se noscant iniurias accipere, cùm accipiunt.

Nouarin. in Act. Apost.

Qui verò increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersus fratres.

INuidiam hîc suam produnt Iudæi, produnt peruicaciam: nec ipsi credere volunt, nec credere alios vellent. Gentilium animos peruertere conantur, vt essent Apostolis infensi omnes, qui propensi in eos erant, inque eorum doctrinam.

Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ.

CEdere noluerunt Apostoli Iudæorum maleuolentiæ: cedere noluerunt vexationi, calumniis, quibus impetebantur. Alienæ salutis quærendæ desiderio, nihil timent, qui Deum amant. 1086.

Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns, quia fidem haberet vt saluus fieret.

CLaudus, quem Petrus sanauit, pecuniam ab Apostolis quærebat, expectabat: iste non pecuniam quærit, sed salutem. Nimirum prior ille, tanquam Iudæus, terrenis rebus addictos pecuniam quærit; iste, licèt Gentilis, non verbis, sed tacitis desideriis saluum fieri quærebat.

Dixit magnâ voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat.

CLamat magnâ voce Paulus, & quia claudus longè aberat, & vt attenti ad miraculi nouitatem ij, qui aderant, attenderent. 1087.

Turbæ autem cùm vidissent, quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.

GEntiles videntes tam singulare beneficium claudo collatum, existimarunt, Deos humanâ formâ vestitos hominibus se exibuisse. Falsum hoc omnino fuit: verum tamen est, beneficos Deo pene pares; vt liberalis mendico Deus sit. Hinc illud Sancti Gregorij Nazianzeni: *Esto calamitoso Deus.*

Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.

1088. CVr Barnabam, *Iouem*, vocant, Paulum, *Mercurium*? Statura, ac fors ætate grandior erat Barnabas, corporisque venustate, vultus pulchritudine maiestatem quandam præseferebat, quæ in Paulo deerant; qui tamen, eloquentiâ, dicendique facundiâ, ac vi, Barnabæ præferebatur, vt eius interpres esse videretur; & idcirco Paulus *Mercurius* censebatur, Barnabas *Iupiter*. Præterea, Barnabas suâ grauitate silens assistebat Paulo, eique quasi nuntio, & interpreti, annuebat, vt Iupiter annuit Mercurio, & hac de causa Iouem eum esse putabant. Tantum potuit silentium grauitati, ac signis iunctum, vt vel gentilium censione, Iouem Deorum præsidem præferat, qui, magna agens, tacet tamen. Quid? quòd & in sacris litteris Moses Pharaonis Deus constituitur: *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis.* In qua re tetrem regis Deum se prodidit Moses? Quia pauca cum eo verba habuit, nec dignatus est multa cum rege Ægypti loqui, sicut nec Deus cum hominibus multa loquitur: quod notauit Rupertus, hæc Mosis verba expendens.

Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare.

1089. ET Iouis templum, & Iouis sacerdos extra Vrbem erant; sed ea verba, *qui erat ante ciuitatem*, ad Iouem referuntur, non ad sacerdotem, vt ex Græco fonte patet. Quòd autem tauros, & coronas sacerdos attolerit, antiquum Gentilium ritum sapit, quo victimas coronis redimitas diis sistebant. Hinc illud illius poetæ.

Victima labe carens, & præstantissima forma
Sistitur ante aram, vittis præsignis & auro.

Ante Ianuas: Tigurina, *ad vestibula*. Sed quæ, & quarum domorum? Puto ad eius domus fores accessisse Iouis sacerdotem, in quam Apostoli se receperant: hine Syrus legit: *Ad fores atrij, vbi commorabantur*, Paulus scilicet, & Barnabas. Nam, peracto miraculo, humanas laudes fugientes Apostoli se in domum receperant; ibique voluit Iouis sacerdos eis sacrificare, quod illi videntes, è domo exilierunt, vt illi sacrilegio obuiam irent.

Volebat sacrificare: Sed quibus? Barnabæ ne dumtaxat, tanquam Ioui, an vtrique. Primum placuit aliquibus, & Glossa interlinearis hoc innuit: nobis placet secundum, vt etiam Paulo, tanquam Mercurio, sacrificare voluerit. Nobis fauet Syriaca versio, quæ sic se habet *Voluit sacrificare eis.*

Quod vbi audierunt Apostoli, Barnabas, & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes.

DEi serui cum Dei iniuriâ laudari se non sinunt. Laudem omnem contumeliæ loco iusti habent, quæ cum Dei honore, ac gloriâ non cohæreat, sicut hîc factum vides. Sciderunt sibi vestes Apostoli, vt blasphemiam, & sacrilegium illud execrarentur, quo ipsis, quasi diis, sacrificare volebant. Adeò ab honoris ambitu, alieni Apostoli fuerunt, vt vestium laceratione à se gloriam illam amolirentur, quæ Deo conueniebat, non Dei seruis. 1090.

Exilierunt: Græcè εἰσεπήδησαν. Feroci gestu, ac motu, non aliter, ac cùm grandis aliqua fera aliquem appetit, exiliunt, plerique insultant, vt hominum laudes propulsarent, quæ licet blandiri videantur, tamen velot quædam feræ fugiendæ, timendæ sunt.

Exilierunt; ferre enim non poterant pondus, quod illorum humeris imponebatur; honor ipse onus erat; De Paulo & Barnaba diuinos honores sibi ab ethnicis delatos respuentibus ita scribit Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virg. *Paulus, & Barnabas putauerunt se grauari, tùm cernerent se adorari.* Dei seruis est onus, quod aliis est leuamen.

Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines.

SAncti, quò maiora præstant miracula, & quò magis ab hominibus extolluntur, eò magis se demittunt. Sed fors aliquis hîc inquirat: cur, se demittentes Apostoli, epithetum illud addiderint, *mortales*, cùm satis fuisset dicere, *nos homines sumus*. Non sine causâ hoc factum: mortis memoriam refricare voluere, scientes, nulla ferè re humanum fastum, humanamque elationem ita detumescere, quam mortis meditatione. 1091.

Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas, ne sibi immolarent.

CVr de Iouis sacerdote hîc nulla mentio fit, nam ipse præcipuè sacrificare Apostolis, tanquam diis, volebat? An quia aberat, & sacrificandi voluntatem iam deposuerat, indignatus dei sui nomen despici, ac inter vanas res computari?

Superuenerunt autem quidam ab Antiochiâ, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidantésque Paulum, traxerunt extra ciuitatem existimantes eum mortuum esse.

QVis hîc non videat humani fauoris inconstantiam? Quis, cùm viderit, non despiciat? Paulò ante, aut etiam eodem die, sacrificio, & coronâ dignos habitus, lapidibus impetitur, & tantùm non obruitur: tanquam immortalis deus antè censebatur Paulus, nunc, tanquam victima, morti destinatur. Quis deinceps humani fauoris inconstantiæ fidat? Nimirum ille, cui victimæ sistuntur, victima sæpè fit. 1092.

Lapidatur Paulus: cur non & Barnabas? An quia Paulus dux verbi erat, & tunc prædicabat? An

An voluit Deus, Paulum idem in se ipso experiri, quod intentauerat in Stephanum? Lapidatur à multis, qui vnum multorum manibus lapidauerat.

Extra ciuitatem trahere Paulum potuerunt, non extra patientiæ limites: nec extra se. Forti, & æquo animo lapidantes ferebat, cogitans se multorum manibus Stephanum lapidasse, dum lapidantium vestes, omni pietate tunc exutus custodiret.

Cúmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam.

QVàm ab omni vindictæ indicio hi Apostoli aberant! Alienæ salutis quærendæ studio, illatarum iniuriarum obliuiscuntur. Vindictam non cogitat, qui Deum amat: non de periculis recordatur, vrgetur potius: tormentis non obtunditur fortis animus, sed exacuitur, maioresque vires, quibus in aliorum salutem laborem subeat, acquirit. Paulus ad prædicandam salutis viam plagis erigitur, & laboris lassitudinem, acceptis cruciatibus, fouet.

Lystram, Iconium, & Antiochiam reuertuntur Apostoli; quia in his vrbibus pro Christi nomine meruerunt contumeliis affici: alij exosas eas habuissent; sed Apostolici spiritus est, ea loca libentiùs adire, in quibus aliquid patiendi occasio exhibita est, quàm vbi laudis, & gloriæ seges colligi potest.

Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.

LApides, qui Pauli corpus percusserant, discipulorum animos concusserant: opportunè eos 1094.
Apostoli confirmant, & consolantur dicentes: *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Digna Apostolico ore sententia, qua dura quæque suauia reddi possunt, & rerum arduarum tolerantia persuaderi. Sed tempus, quo sententia hæc prolata est, pende: nimirum, cùm multis tribulationibus, iniuriis calumniis vexati fuerant Apostoli, tunc demũ verba hæc proferunt. Nempè opportunus tribulationis cõmendator est, qui tribulationẽ sustinuerit: ineptè tribulationes laudat, qui tribulationes fugit, iucũda insectatur, & suauia.

Per multas tribulationes: Non explicant per quas intrandum nobis ad Regnum cælorum sit, vt quæcunque incidunt fortiter, & alacriter sufferamus sine vllo discrimine, sine vllo delectu.

Cùm autem venissent, & congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

ELucet in his verbis Apostolorum modestia; qui omnia in Deum referunt; nec dicunt, quanta illi fecerint, quæ miracula operati fuerint, sed quæcunque cum illis Deus fecit, & quia Gentibus fidei ostium aperuerit.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XV. ACT. APOST.

Vers. 1.

ET quidam, descendentes de Iudæâ, docebat fratres: Quia, nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari.

Descendentes. *Pagn. Qui descenderant.*
De Iud. *S. Chrys. A Iudæâ.*
Secundùm m. M. *Syr. Ritu legis. S. Chrys. More Mosayco.*
Saluari. *S. Chrys. Seruari. Oecum. Salui fieri. Pagn. Esse saluus. Vat. Salutem consequi.*

Vers. 2.

Factâ ergo seditione non minimâ Paulo & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ex aliis ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione.

Factâ. *Syr. Ortus est. Pagn. Cùm orta esset.*
Seditione. *Syr. Tumultus. S. Chrys. Seditione & disputatione. Pagn. Seditio & disceptatio. Lintr. Constantia, seu, resistentia.*
Non minim. *Syr. Plurimus & disceptatio. S. Chrys. Non paruâ. Pagn. Non exiguâ.*
Paulò. *S. Chrys. Pauli.*
Aduersùs illos. *Syr. Cùm eis.*
Statuerunt v. a. *Syr. Factum est, vt ascenderent.*
Et aliis. *Syr. Cum eis. S. Chrys. Ex illis.*
Presbyteros. *S. Chrys. Seniores.*
In Ierusalem. *Syr. Qui erant in Ierusalem.*
Super hac q. *Syr. Propter hanc quæstionem. Ar. M. De quæstione hac.*

Vers. 3.

Illi ergo, deducti ab ecclesiâ, pertrãsibant

Illi e. d. *Syr. Itaque deducens dimisit eos. Ar. M. Illi quidem ergo præmissi.*
Ab ecclesiâ. *Syr. Ecclesia. Oecum. A congregatione.*
Pertransibant. *Syr. Et obiuerunt.*
Phœnicem e. S. *Syr. Totam Phœniciam atque adeò per Samaritanos.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

Narrantes. *Syr. Renunciantes. S. Chryſ. Annunciantes.*
Conuerſionem *Syr. De conuerſione.*
Facieb. *Syr. Affecerunt. Oecum. Adferebant.*
Gaudium mag. *Syr. Gaudio magno.*
Omnibus fr. *Syr. Omnes fratres.*

Verſ. 4.

Cùm autem veniſſent Ieroſolymam ſuſcepti ſunt ab Eccleſiâ & ab Apoſtolis & ſenioribus, annunciantes, quanta Deus feciſſet cum illis.

Cum a. veniſ. *Syr. Cum autem perueniſſent. S. Chryſ. Vt venerunt.*
Suſcepti. *Syr. Excepti.*
Eccleſia. *Oecum. Congregatione.*
Senioribus. *S. Chryſ. Presbyteris.*
Annunciantes. *Syr. Et renunciarunt.*
Quanta. *S. Chryſ. Quæcunque.*
Deus feciſſet c. i. *Syr. Egerat. Oecum. Deus. Vat. Geſſiſſent, Deo iuuante eos.*

Verſ. 5.

Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet, circuncidi eos; præcipere quoque ſeruare legem Moyſi.

Surrexerunt a. *Syr. Sed ſurrexerunt. Vat. Exorti ſunt autem. Ar. M. Exurrexerunt autem.*
Quidam. *Syr. Homines illi*
De hæreſi. *Syr. Ex doctrinâ. S. Chryſ. Ex ſectâ. Al. De factione.*
Credid. *S. Chryſ. Crediderant. Ar. M. Credentes.*
Dicentes. *Syr. Dicunt autem.*
Quia o. *Syr. Oportebat.*
Circuncidi eos. *Syr. Vos circuncidere eos.*
Præcipere quoque *S. Chryſ. Et præcipere eis.*
Seruare. *Syr. Vt obſeruent.*

Verſ. 6.

Conueneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.

Conueneruntque. *S. Chryſ. Congregati ſunt autem.*
Seniores. *Pagn. Presbyteri.*
Videre. *Syr. Vt prouiderent. S. Chryſ. Vt diſpicerent.*
De verbo hôc. *Syr. Huic ſermoni. S. Chryſ. De hôc ſermone. Vat. De hoc negotio.*

Verſ. 7.

Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere:

Cùm autem m. *Syr. Multaque. S. Chryſ. Multâ autem.*
Conquiſitio fieret, *Syr. Habitâ diſceptatione. S. Chryſ. Diſceptatione factâ. Pagn. Diſceptatio fuiſſet.*
Petrus. *Syr. Simon.*
Ab antiquis d. *Syr. A primis diebus. Vat. Iam inde Antiquitùs.*
In nobis. *S. Chryſ. In vobis. Pagn. Inter nos.*
Audire v. *S. Chryſ. Vt audiant ſermonem.*
Credere. *S. Chryſ. Credant.*

Verſ. 8.

Et, qui nouit corda, Deus teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis;

Qui nouit corda. *S. Chryſ. Cognitor cordium.*
Teſtimon. perh. *Syr. Suffragatus eſt eis. S. Chryſ. Teſtimonium dedit. Oecum. Teſtimonium perhibuit illis.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*

Verſ. 9.

Et nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.

Fide. *Syr. Quippe qui fide. Vat. Cùm fide.*
Purificans. *Syr. Purgauerit. Oecum. Purificatis.*
Corda. *Oecum. Cordibus.*

Verſ. 10.

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?

Nunc e. *S. Hil. Nunc verò.*
Imponere. *S. Chryſ. Vt imponatis. S. Hil. Ponere. Orig. Et vultis imponere. Pagn. Vt imponatur.*
Super ceruices. *Syr. Ceruici. Ar. M. Super ceruicem.*
Portare p. *Syr. Potuimus perferre. Tert. Suſtinere valuimus.*

Verſ. 11.

Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti,

Domini I. C. *Syr. Domini noſtri Ieſu Chriſti. Oecum. Domini Ieſu. Orig. Dei.*

credimus,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

credimus saluari, quemadmodum & illi.

Saluari. *Syr. Nos seruatum iri. Geth. Nos posse saluari. Orig. Saluus fieri.*
Quemad. & i. *Syr. Perinde vt eos.*

Vers. 12.
Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum, narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos.

Omnis mult. *Syr. Tota turba. Vat. Tota multitudo.*
Barnab. & P. *Syr. Paulum & Barnabam.*
Narrantes. *Syr. Referentes.*
Quanta. *Pagn. Quæ. Vat. Quæcunque.*
Fecisset. *Pagn. Edidisset.*
Prodigia. *Syr. Virtutes. Vat. Miracula.*
In Gent. *Pagn. Inter Gentes.*
Per eos. *Syr. Per manus ipsorum.*

Vers. 13.
Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me:

Et p. t. *Syr. Vbi autem conticuissent. S. Chrys. Postquàm autem illi siluerunt.*
Resp. I. d. *Syr. Surrexit Iacobus & ait.*

Vers. 14.
Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo.

Narrauit. *Syr. Retulit.*
Primùm *Syr. Cœperit.*
Visitauit sumere. *Syr. Eligere. Geth. Suscitauit sumere. Pagn. Visitauerit, vt sumeret. Ar. M. Respexit soluere. Mar. Voluit.* vel: *Cogitauit sumere.*
Nomini. *Syr. Nomine. S. Chrys. In nomine.*

Vers. 15.
Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est:

Huic. *Syr. Huic rei.*
Concordant v. *S. Chrys. Consonant sermones. Oecum. Consonant libri.*

Vers. 16.
Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud:

Reuertar. *S. Chrys. Conuertam.*
Reædificabo. *Syr. Erigam. Vat. Rursus ædificabo.*
Tabernac. *Mar. Templum.*
Decidit. *S. Chrys. Cecidit. Pagn. Collapsum est.*
Diruta eius. *Syr. Quod collapsum est ex eo.*
Reædificabo. *Syr. Ædificabo.*
Erigam. *Syr. Restaurabo. S. Chrys. Corrigam. Pagn. Instaurabo.*

Vers. 17.
Vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

Vt. *Syr. Adeò vt.*
Cæteri h. *Syr. Cæteri homines. S. Chrys. Hi, qui ex hominibus relicti. Oecum. Qui reliqui sunt homines.*
Super q. *Geth. Super illos, super quos.*
Meum. *Ar. M. Meum super eos.*
Faciens hæc. *S. Chrys. Qui facit hæc omnia.*

Vers. 18.
Notum à seculo est Domino opus suum:

Notum est, *S. Chrys. Nota sunt. Al. Quæ nota sunt.*
A seculo. *Syr. Ab æuo.*
Domino o. s. *Syr. Opera Dei. S. Chrys. Domino omnia opera eius. Al. Ei.*

Vers. 19.
Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum;

Iudico. *Syr. Dico. Pagn. Censeo.*
Inquietari eos. *Syr. Esse contendendes eos. S. Chrys. Obturbandum illis. Lintr. Obturbari.*
Qui conuertuntur. *Ar. M. Conuersos.*

Vers. 20.
Sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione & suffocatis & sanguine.

Scribere. *Syr. Mittemus. S. Chrys. Scribendum. Oecum. Scribendum esse.*
Ad eos. *S. Chrys. Illis.*
Abstineant se. *S. Chrys. Abstineant.*
Contaminat. *Syr. Pollutione. S. Chrys. Inquinamentis.*
Simulachr. *Syr. Sacrificij.*
Fornicat. *Oecum. A scortatione. Ar. M. Fornicationis.*
Suffocatis. *Syr. Strangulato. S. Chrys. Suffocato. Ar. M. Suffocatione.*

Vulgata Editio.

Lectionum varietas.

Verſ. 21.

Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, vbi per omne ſabbatum legitur.

A temporibus. *S. Chryſ. Ab ætatibus. Ar. M. Ex generationibus.*
Singulis ciuit. *Syr. In omni ciuitate. Ar. M. Per ciuitatem.*
Qui eum prædicent. *Syr. Præcones.*
Vbi per o. ſ. *Syr. Qui per ſingula ſabbata. Ar. M. Per omne ſabbatum.*
Legitur. *Syr. Legant eum. Ar. M. Lectus.*

Verſ. 22.

Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni eccleſiâ, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnabâ, Iudam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus,

Placuit A. *Syr. Apoſtoli. S. Chryſ. Viſum eſt Apoſtolis.*
Senioribus. *Syr. Presbyteri. S. Chryſ. Presbyteris.*
Omni e. *S. Chryſ. Totâ eccleſiâ. Oecum. Totâ congregatione.*
Eligere. *Syr. Elegerunt. S. Chryſ. Electos. Pagn. Delectos.*
Ex eis. *Goth. Ex ſe. Pagn. Ex ſeſe.*
Et mittere. *Syr. Quos miſerunt. S. Chryſ. Mittere. Pagn. Vt mitterent.*
Cum P. *Syr. Vnà cum Paulo.*
Qui cognominabatur. *Syr. Qui vocatur. S. Chryſ. Qui agnominabatur. Oecum. Nempe cognomento.*
Barſabas. *Oecum. Barſabam.*
Primos. *S. Chryſ. Primarios. Ar. M. Doctores. Lintr. Doctores.*
In fratr. *S. Chryſ. Inter fratres.*

Verſ. 23.

Scribentes per manus eorum: APOSTOLI & ſeniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, ſalutem.

Scribentes. *Syr. Porrò ſcripſerunt epiſtolam hoc modo. S. Chryſ. Cùm ſcripſiſſent in hunc modum. Oecum. Miſſis per manus eorum litteris in hanc ſententiam. Pagn. Cùm ſcripſiſſent hæc. Vat. Miſſis his ſcriptis. M. SS. Mittentes epiſtolam continentem hæc.*
Manus. *S. Chryſ. Manum.*
Seniores f. *S. Chryſ. Presbyteri & fratres. Origen. Presbyteri.*
His. *Orig. Fratribus.*
Fratribus. *Orig. Omnibus.*
Ex Gent. *S. Chryſ. Qui ex Gentibus. Orig. Qui ex gentibus crediderunt.*
Salutem. *Syr. Pacem. Ar. M. Gaudere.*

Verſ. 24.

Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus:

Quoniam a. *Syr. Auditione accepimus. S. Epiph. Quoniam cognouimus. Orig. Quoniam quidem audiuimus.*
Quia quidam e. n. e. *S. Chryſ. Quod nonnulli ex noſtris. S. Epiph. Quoſdam à nobis ad vos eſſe profectos. Orig. Quoſdam à nobis exiſſe. Pagn. Quòd quidam è nobis egreſſi.*
Turbau. v. *Syr Vobiſque incuſſiſſe timorem S. Epiph. Voſque perturbaſſe. Orig. Et perturbare vos.*
Verbis. *S. Chryſ. Sermonibus. S. Epiph. Suis ſermonibus. Orig.* omittit.
Euertentes. *Syr. Ac labefactaſſe. S. Chryſ. Labefactantes.*
Animas. *Oecum. Animos.*
Veſtras. *Syr. Veſtras, cùm dicerent vos eſſe circuncidendos, legemque obſeruaturos. S. Chryſ. Veſtras, dicentes, vt circuncidamini & ſeruetis legem. Oecum. Veſtros iubentes, vos circuncidi & ſeruare legem.*
Non mandauimus. *Syr. Nos hoc non præceperamus. S. Chryſ. Non præcepimus. Vat. Non mandaueramus.*

Verſ. 25.

Placuit nobis collectis in vnum eligere

Placuit nob. *Syr. Quapropter cogitauimus. S. Chryſ. Viſum eſt nobis.*

viros,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

viros, & mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnabâ & Paulo,

Collectis i. v. *Syr. Omnes congregati. S. Chryſ. Vnanimiter congregatis. Ar. M. Factis concorditer.*
Eligere. *Syr. Ac delegimus. S. Chryſ. Electos Pagn. Delectos.*
Et mittere. *Syr. Mittimuſque. S. Chryſ. Mittere.*
Chariſſ. *S. Chryſ. Dilectis.*
Barnabâ e. P. *Syr. Paulo & Barnaba.*

Verſ. 26.

Hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Qui t. *Pagn. Qui expoſuerunt. Ar. M. Tradentibus.*

Verſ. 27.

Miſimus ergo Iudam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem.

Miſimus. *Syr. Miſimus cum eis.*
Qui & ipſi. *Syr. Vt ipſi. Ar. M. Et eos.*
Vobis verbis. *Ar. M. Per ſermonem.*
Referent e. *Syr. Renuncient. Vat. Referant eadem. Ar. M. Annunciantes eadem.*

Verſ. 28.

Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria:

Viſum eſt e. *Syr. Placuit enim. Orig. Placuit autem.*
Sancto. *Syr. Sanctitatis.*
Et nobis. *Syr. Ac etiam nobis.*
Nihil vltra i. *S. Epiph. Nihil aliud imponere. S. Cypr. Nullam imponere. Orig. Nihil amplius ſuperimponi. Pagn. Ne quid ampliùs imponeremus.*
Oneris. *S. Cypr. Sarcinam. Orig. Ponderis. Ar. M. Onus.*
Quam. *S. Epiph. Prater.*
Hæc neceſſaria. *Syr. Hæc quæ ſunt neceſſaria. S. Cypr. Iſta quæ ſunt ex neceſſitate. Orig. Ea quæ ſunt neceſſaria. Vat. Hæc neceſſaria videlicet. Ar. M. Neceſſarium horum.*

Verſ. 29.

Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos, benè agetis. Valete.

Vt abſtineatis vos. *S. Chryſ. Abſtinere. Pagn. Vt abſtineatis.*
Ab i. ſ. *Syr. Ab immolato. S. Chryſ. Idolothytis. S. Cypr. Ab idololatriis. Orig. Ab his, quæ idolis immolantur. Pagn. Ab his, quæ ſunt immolata ſimulachris.*
Sanguine. *S. Cypr. Sanguinis effuſione.*
Suffocato. *S. Chryſ. Suffocatis.*
Fornicat. *Syr. Scortatione. Ar. M. Fornicatione: & quæcunque non vultis vobis ipſis fieri, aliis ne facite.*
A quibus c. *Syr. Cúmque ab his conſeruaueritis. S. Chryſ. A quibus ſi conſeruaueritis.*
Vos. *Syr. Animas veſtras. S. Chryſ. Vos ipſos. Orig. Voſmetipſos.*
Agetis. *Syr. Se habebunt. S. Chryſ. Facietis.*
Valete. *Syr. Eſtote veraces in Domino noſtro. S. Chryſ.* omittit.

Verſ. 30.

Illi ergo dimiſſi deſcenderunt Antiochiam; &, congregatâ multitudine, tradiderunt epiſtolam;

Dimiſſi. *Syr. Qui miſſi fuerant.*
Deſcenderunt. *S. Chryſ. Venerunt.*
Congregatâ m. *Syr. Congregarunt totum populum.*
Tradid. *S. Chryſ. Reddiderunt.*

Verſ. 31.

Quam cùm legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione.

Quam cùm leg. *S. Chryſ. Qui cùm legiſſent. Ar. M. Legentes autem.*
Super conſol. *Syr. Et conſolationem acceperunt. Ar. M. Super cohortatione.*

Verſ. 32.

Iudas autem & Silas & ipſi, cùm eſſent

Et ipſi. *Syr. Quippè qui & ipſi.*
Cum eſſent. *Ar. M. Exiſtentes.*
Verbo plur. *Syr. Sermone diuite. S. Chryſ. Sermone copioſo. Ar. M. Per ſermonem multum. Caiet. Verbo multo.*
Conſolati ſunt. *Syr. Roborarunt. S. Chryſ. Hortati ſunt. Oecum. Cohortati ſunt. Pagn. Adhortati*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres & confirmauerunt.

sant. Ar. M. Exhortati sunt.
Confirmauerunt. *Syr. Confirmaruat domesticos.*

Vers. 33.
Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos, qui miserant illos.

Facto a. i. a. t. *Syr. Cùmque illic egissent aliquandiu. S. Chrys. Commorantesque illic ad tempus. Vat. Commoranti autem illic aliquantum temporis. Ar. M. Facientes autem tempus.*
Ad eos q. m. i. *S. Chrys. Ad Apostolos.*

Vers. 34.
Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abiit Ierusalem.

Visum est a. S. *Syr.* omittit.
Ibi remanere. *Syr.* omittit. *Pagn. Permanere ibidem. Vat. Manere ibidem.*
Iudas a. s. a. I. *Syr. Et ferè omnes* omittunt.

Vers. 35.
Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

Demorabantur. *Syr. Commorati sunt. S. Chrys. Versabantur.*
Euangeliz. *Pagn. Annunciantes. Vat. Euangelio annunciantes.*
Pluribus. *Syr. Plurimis. Pagn. Etiam compluribus.*
Verbum D. *Syr. Sermonem Dei. S. Chrys. Sermonem Domini.*

Vers. 36.
Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.

Reuertentes. *Syr. Reuertamur. S. Chrys. Age conuertamur.*
Visitem. *Syr. Et inuisamus. S. Chrys. Et visitemus. Oecum. Iam visitemus.*
Fratres. *Oecum. Fratres nostros.*
Vniuers. ciuit. *Syr. Vnamquamque ciuitatem. S. Chrys. Singulas ciuitates. Pagn. Omnes ciuitates. Ar. M. Omnem ciuitatem.*
Quibus. *Syr. Quâ.*
Prædic. *S. Chrys. Annunciauimus.*
Verbum D. *Syr. Sermonem Dei. S. Chrys. Sermonem Dei.*
Quomodo se h. *Syr. Vt videamus quid agant. S. Chrys. Quomodo habeant.*

Vers. 37.
Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.

Volebat. *Pagn. Consulebat. Ar. M. Consuluit.*
Secum assumere. *S. Chrys. Simul assumere. Pagn. Vt assumerent. Ar. M. Coassumere.*
Et Ioan. *Syr. Ioannem illum.*
Cognominabatur. *S. Chrys. Vocabatur.*

Vers. 38.
Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphyliâ, & non isset cum eis in opus) non debere recipi.

Rogabat e. *Syr. Nolebat eum. S. Chrysost. Volebat. Oecum. Indicabat eum. Ar. M. Ducebat illum. Caiet. Censebat eum. Mar. Recusabat eum.*
Vt qui d. a. e. *Syr. Quippè qui reliquisset eos. S. Chrys. Vt qui is qui defecerat ab eis. Ar. M. Absistentem ab eis.*
De Pamph. *Syr. Cum ipsi essent Pamphylia. S. Chrys. A Pamphyliâ. Caiet. Ex Pamphyliâ.*
Et non i. *Syr. Nec profectus fuisset. S. Chrys. Et ierat. Ar. M. Et non coeuntem.*
Cum eis in opus. *Syr. Cum eis. Geth. Cum eis in opus ad quod missi erant. S. Chrys. Simul ad opus. Ar. M. Eis in opus.*
Non deb. r. *Syr. Assumere secum. S. Chrys. Ne simul assumeretur. Oecum. Non esse assumendum. Ar. M. Non coassumere hunc. Caiet. Non debere recipi.*

Vers. 39.
Facta est autem dissensio; ita vt disce-

Facta e. a. d. *Syr. Propter hanc contentionem. S. Chrys. Facta est igitur exacerbatio. Vat. Orta est igitur acris disceptatio. Ar. M. Facta est ergo irritatio. Caiet. Facta est autem inter eos exacerbatio. Al. Tam acris autem fuit inter eos disceptatio.*
Ita vt d. ab i. *Syr. Diuisi sunt alter ab altero. S. Chrys. Ita vt separaretur alter ab altero. Pagn. Ita vt*

derent

Vulgata Editio.

derent ab inuicem, & Barnabas quidem, assumpto Marco, nauigaret Cyprum:

Vers. 40.

Paulus verò, electo Silâ, profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus.

Vers. 41.

Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.

Lectionum Varietas.

aliter ab altero sejungeretur. Ar. M. Ita vt discedere eos ab inuicem.

Et Barnabas q. *Syr. Et Barnabas. S. Chrys. Et tunc Barnabas. Ar. M. Ipsumque Barnabam.*

Assumpto Marco. *Syr. Assumpsit Marcum. Ar. M. Assumentem Marcum.*

Nauigaret. *Syr. Et per mare perrexerunt atque profecti sunt. Ar. M. Enauigare.*

Electo. *Syr. Delegit sibi Silam. Oecum. Allecto Sila. Ar. M. Eligens Silam.*

Prof. e. *Syr. Et exiit. S. Chrys. Egressus est. Ar. M. Abiit.*

Traditus. *Syr. Cùm commendatus esset. S. Chrys. Et traditus. Oecum. Commissus.*

Dei. *Ar. M. Dei à fratribus. Caiet. Dei à fratrum orationibus.*

Perambulabat a. *Syr. Obiitque.*

Confirmans. *Syr. Confirmabatque.*

Præcipiens c. p. A. e. s. *Syr. Goth. & ferè omnes* omittunt.



CAPVT XV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Factâ ergo seditione non minimâ Paulo, & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex aliis, ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione.

1095. CVM quæstio de circumcisione mota esset, Paulus, & Barnabas ad alios Apostolos, soluendæ quæstionis causâ, mittuntur, qui promptè ierunt. Apparet hîc singularis Pauli modestia, cuius doctrinæ cùm fidem personæ auctoritas, & peracta signa conciliarent, dignatus tamen est disputationis subite certamen, & iter pro causâ communi suscipere: quod fecit & Barnabas.

Illi ergo deducti ab ecclesiâ, pertransibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

VIde Apostolorum prudentiam: conuersionem Gentium narrant; nihil de eâ disceptatione, ac controuersiâ, quæ orta erat, & cuius dirimendæ causâ mittebantur dicunt. Quæ gaudio perfundere, & in fide confirmare poterant, produnt, quæ turbare audientium mentes, silentio supprimunt; vt hoc exemplo nos quoque paria in re pari præstemus.

Cùm autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesiâ, & ab Apostolis & senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.

HVmanissimè Paulus, & Barnabas Ierosolymis recipiuntur: recepti narrant, quæ Deus fecisset cum illis: non noua, aut curiosa, & nihil profutura in medium proferunt; sed vtilia, & quæ in audientium profectum essent, & gaudium. 1096.

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

ET non legis iugum sancti Patriarchæ portauerunt? Cur ergo hîc dicitur? *quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* An quia ægrè, & difficulter portauerunt? Dei iugum portare non videtur, qui cum difficultate portat. Graue iugum legis veteris erat: leue est iugum nouæ legis; quia in hac amor præualet, timor in illâ; amori autem leue quodlibet onus est. Graue, & importabile Testamenti Veteris iugum, quoad cæremonialia præcepta, quia vile eius præmium, terra scilicet: suaue, & leue, Noui, quia Regnum Cælorum illi promissum.

Propter quod ego iudico, non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum.

DEcreti huius Magistram Mariam Virginem fuisse, plerique censent, quam Apostoli, tamque 1097.

quæ conuentus consuluerunt: illius autem mentio non fit, quia non palam, publicéque sententiam rogata dixit, sed priuatim. Forte & ob modestiam suam à consilio abfuit, ne præfuisse crederetur; & ne deinceps mulieribus ansa in Ecclesiâ publicè loquendi præberetur.

Placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnabâ & Paulo.

IN vnum collecti erant, non loco tantùm vniti, sed & mente, atque sententiis. Elegerunt autem viros quos, cum Paulo, & Barnabâ mitterent ob maiorem fidem, ac auctoritatem. Et quod hos Apostolos commendat, indicatur, se eorum fidei, ac prudentiæ minimè diffidere.

Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi.

MAgna doctorum laus, singulare horum Apostolorum encomium. Pende: non eos laudari, quòd signa, ac miracula præstiterunt; sed, quòd in Dei gloriam, & honorem vitæ discrimini se exposuerint; & quidem Paulus, tantùm non sepultus fuit, relictus pro mortuo, vt supra dictum est. Nimirum rectè sentienti maius est, & maiori laude dignum vitam pro Christo dare, quàm ad vitam mortuos reuocare, aliaque miracula facere.

Tradiderunt animas suas: intentio, & affectus apud Deum pro re habetur. Tradiderunt hi Apostoli animas suas, non quia reipsâ tradiderint, sed quia parati erant tradere; & per ipsos non stetit, quin mortem pro Christo obirent, vt interim mortem appeterent, donec oppeterent mortem.

Paulus autem rogabat eum, vt qui discessisset ab eis de Pamphyliâ, & non esset cum eis in opus, non debere recipi.

VBique feruens Paulus: ferre in Dei obsequio torpentes timidósque non potest. *Quoniam*, inquit Glossa & Bedâ *in fronte aciei se constituens, nimis tepidè steterat, meritò Paulus eum abiicit, ne illius quasi contagione aliorum vires corrumperentur.* Addit Liranus: *Discesserat timore periculorum imminentium, vel* AMORE NIMIS CARNALI AD MATREM *manentem in Ierusalem, vel forte causâ vtriusque propter quod Paulus eum renuebat.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVI. ACT. APOST.

Vers. 1.

PERVENIT autem in Derben & Lystram. Et ecce discipulus quidam ibi nomine Timotheus filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili.

Peruenit a. *Syr. Et peruenit.*
In Derben. *Syr. Derben ciuitatem.*
Iudææ. *Pagn. Cuiusdam Iudaa. Quidd. Codd. Vidua.*
Patre G. *S. Chrys. Patris autem Graci. Oecum. Caterùm patre Graco.*

Vers. 2.

Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant & Iconio fratres.

Huic. *S. Chrys. Qui.*
Testimon b. r. *Syr. Testimonium dabant. S. Chrys. Testimonium habebat. Ar. M. Testimonio probabatur.*
Qui in L. e. *Syr. Omnes ex Lystris. S. Chrys. In Lystris. Ar. M. Ab his qui Lystris.*
Fratres. *Syr. Discipuli. S. Chrys. A fratribus. Ar. M. Fratribus.*

Vers. 3.

Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum, propter Iudæos, qui erant in illis locis: sciebant enim omnes, quòd pater eius erat Gentilis.

Voluit. *Syr. Volebat. S. Chrys. Iussit.*
Secum prof. *Syr. Assumere vt eum duceret secum. S. Chrys. Secum egredi.*
Assumens. *Syr. Acceptum.*
Circuncidit. *S. Chrys. Circundedit.*
Qui e. *Ar. M. Existentes.*
Illis loc. *Syr. Illâ regione.*
Sciebant. *Oecum. Nouerant.*
Quòd pater e. e. G. *Syr. Patrem eius Gentilem fuisse. Oecum. Quòd pater eius esset Gracus.*

Vers. 4.

Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis, custodire dogmata, quæ erant

Pertransl. c. *Syr. Proficiscerentur per vrbes.*
Tradeb. e. *Syr Pradicabant & docebant eos. Vat. Mandabant eis.*
Custodire. *Syr. Vt obseruarent. S. Chrys. Seruanda.*
Dogmata. *Syr. Placita illa. S. Chrys. Decreta.*
Erant decreta. *Syr. Scriptis mandauerunt. S. Chrys. Erant constituta. Pagn. Ordinata erant.*

decreta

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Ierosolymis.

Ab A. *Syr. Apostoli.*
Senioribus. *Syr. Presbyteri. S. Chrys. Presbyteris.*

Vers. 5.

Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide,& abundabant numero quotidie.

Et eccles. q. *S. Chrys. Itaque ecclesia. Ar. M. Ipsa quidem ergo ecclesia.*
Abund. *Syr. Multi fiebant.*
Quotidie. *Ar. M. Per diem.*

Vers. 6.

Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto, loqui verbum Dei in Asiâ.

Transeuntes. *S. Chrys. Cùm pertransissent. S. Epiph. Peragrarunt. Pagn. Cùm peragrassent.*
Galat. r. *Syr. Galatiam regionem. S. Epiph. Galatiæ tractum. S. Chrys. Galaticam regionem.*
Vetati s. *Syr. Prohibuit eos. S. Chrys. Prohibiti sunt, Prohibuit. Pagn. Vetitique essent.*
Spiritu sancto. *Syr. Spiritus sanctitatis.*
Loqui v. D. *S. Chrys. Ne loquerentur sermonem. S. Epiph. Prædicare verbum. Oecum. Ne verbum disseminarent.*
In Asiâ. *S. Chrys. In Asiâ relictâ Phrygiâ & Galatiâ, in mediterraneam festinant.*

Vers. 7.

Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu.

Cùm venis. a. *S. Epiph. Cùm autem peruenissent. Ut venerunt. Pagn. Profecti. Ar. M. Venientes.*
In Mys. *S. Chrys. Per Mysiam. Ar. M. Versus Mysiam.*
Tentabant. *Syr. Volebant. S. Chrys. Tentarunt. S. Epiph. Conabantur.*
Ire. *Syr. Illinc proficisci. S. Epiph. Proficisci.*
In Bithyn. *Vat. Versus Bithyniam.*
Et non p. e. *Syr. Sed non permisit eis. S. Epiph Neque sinit eos.*
Spiritus Iesu. *S. Chrys. Spiritus S. Epiph. Spiritus sanctus.*

Vers. 8.

Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem:

Pertrans. *Syr. Exissent. S. Chrys. Ut transierunt. Oecum. Ubi pertransissent.*
Mysiam. *Syr. A Mysiâ.*
Descenderunt T. *Syr. Venerunt Troadem regionem.*

Vers. 9.

Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos.

Visio. *Syr. Per visum. Vat. Visum.*
Per noctem. *Syr. Nocte.*
Ostensa est. *S. Chrys. Apparuit. Oecum. Ostensa est. Pagn. Visa est. Ar. M. Conspecta est.*
Vir. *Syr. Quasi vir.*
Deprecans eum. *Syr. Efflagitans ab eo. S. Chrys. Obsecrans eum.*
Transiens. *Syr. Veni. Vat. Profectus.*
Adiuua nos. *Syr. Et fer mihi opem. S. Chrys. Iuua nos: Oecum. Esto nobis auxilio. Pagn. Succurre nobis.*

Vers. 10.

Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quòd vocasset nos Deus, euangelizare eis.

Vt a. v. v. *Syr. Cùm autem visum vidisset. S. Chrys. Ut autem visionem vidit,*
Quæsiu. p. i. M. *Syr. Studuimus adire Macedoniam.*
Certi facti. *Syr. Quippe qui intelligeremus. Ar. M. Instructi.*
Quod voc. *Syr. Vocasse. S. Chrys. Aduocauerit.*
Deus. *Syr. Dominum nostrum. S. Chrys. Dominus.*
Euangelizare. *S. Chrys. Ad euangelizandum.*

Vers. 11.

Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim;

Nauig. a. *Syr. Pergentes itaque. S. Chrys. Ut soluimus autem. Pagn. Cùm soluissemus igitur. Ar. M. Prouecti ergo.*
Recto cursu v. *Syr. Direximus iter. Vat. Recto cursu contendimus. Ar. M. Recta cucurrimus.*
Sequenti die. *Syr. Illinc postridie. Oecum. Postero die.*
Neapolim. *Syr. Venimus Neapolim vrbem.*

Vers. 12.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 12.

Etinde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. Eramus autem in hac vrbe, diebus aliquot, conferentes.

Prima p.M. *Syr. Principium Macedonia. S. Chryſ. Prima Macedonia ciuitas col. Syr. Estque colonia.*
Eramus. *Syr. Egimus.*
Hac vrbe. *Syr. In eâ ciuitate. Pagn. Eadem vrbe.*
Diebus. *Syr. Dies.*
Conferentes. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Conuerſantes. Pagn. Commorantes. Ar. M. Stantes. Quidd. codd. Consistentes. Mar. Consumentes.*

Vers. 13.

Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse. Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.

Die. *Mar. Quodam.*
Sabb. *Syr. Sabbati. Mar. Sabbato.*
Egressi sumus. *Syr. Exiuimus.*
Foras portam. *S. Prosp. Extra portas ciuitatis. S. Chryſ. Ciuitatem. Vat. E ciuitate. Ar. M. Extra vrbem.*
Iuxta fl. *Syr. Ad litus fluminis. S. Chryſ. Ad flumen.*
Vbi videb. *Syr. Quoniam illic conſpiciebatur. S. Chryſ. Vbi putabatur. Oecum. Vbi mos erat. Pagn. Vbi solebat.*
Oratio esse. *Syr. Cùm consedissemus.*
Loqu. mul. *Syr. Alloquuti sumus mulieres.*
Quæ conuenerant. *Syr. Quæ conuenerant illic. Ar. M. Conuenientibus.*

Vers. 14.

Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

Quædam. *Syr Erat quædam.*
Purpuraria. *Syr. Purpura venditrix. S. Chryſ. Purpurarum venditrix.*
Ciuit. Thyatir. *Syr. Ex Theatirâ vrbe. S. Chryſ. Ex ciuitate Thyatiris.*
Colens. *Syr. Quæ venerebatur.*
Audiuit cuius D. a. c. *Syr. Cuius Aperuit cor Dominus noster auditque.*
Intendere. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Vt attenderet. S. Prosp. Vt intenderet.*
His quæ dic. à P. *Syr. Quod dicebat Paulus Ar. M. Effatis à Paulo.*

Vers. 15.

Cùm autem baptizata esset & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

Cùm a. b. e. *Proinde baptizata est. S. Chryſ. Vt autem baptizata est.*
Domus e. *Syr. Filij domus eius. Oecum. Vna cum familiâ suâ.*
Deprecata est. *Syr. Petebat autem à nobis. S. Chryſ. Obsecrauit.*
Si iud. *Syr. Si vere confiditis. S. Chryſ. Domini mei, si iudicatis.*
Domino *Syr. In Domino vestro. Syr. Deo.*
Introite i. d. m. *Syr. Venite. S. Chryſ. Ingressi in domum meam.*
Et manete. *Syr. Diuersamini in ædibus meis. S. Chryſ. Manete.*
Coëgit. *Syr. Multum adegit. Vat. Adegit.*

Vers. 16.

Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quandam, habentem spiritum pythonem, obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando.

Factum e. *Occum. Vat. Accidit.*
Eunt. n. *Syr. Cùm proficiſceremur.*
Ad orat. *Syr. Domum precationis. Vat. Ad precationem.*
Puellam quandam h. *Syr. Vt adoleſcentula quædam, in quâ erat. S. Chryſ. Vt puella quædam habens.*
Spirit. pythonem. *Syr. Spiritum diuinationis. Lucif. Spiritum pythonis.*
Obuiare. *Syr. Occurrerit. S. Chryſ. Occurreret. Lucif. Occurrere.*
Quæstum. *Lucif. Redditum.*
Magnum præstabat. *Syr. Multum faciebat. Lucif. Multum præstabat.*
Diuinando. *Syr. Diuinatione, quâ diuinabat, vaticinans.*

Vers. 17.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 17.

Hæc ſubſecuta Paulum & nos clamabat, dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.

Hæc ſubſ. *Syr. Et ſequebatur clamabatque.*
Homines. *Syr. Viri.*
Excelſi. *S. Chryſ. Altiſſimi. Oecum. Summi. Vat. Excelſiſſimi.*
Qui annunc. *Syr. Et annunciant. Lucif. Qui prædicant.*
Vobis. *Lucif. Nobis.*

Vers. 18.

Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab eâ. Et exiit eâdem horâ.

Hoc a. f. *Syr. Et ita fecit.*
Mult. d. *Oecum. Ad multos dies. Lucif. Per multos dies. Pagn. Multis diebus.*
Dolens a. *Syr. Sed indignatus eſt Paulus. S. Chryſ. Sed moleſtè ferens Paulus. Oecum. Ægrè verò ferens Paulus. Lucif. Quod cùm indoluiſſet Paulo.*
Conuerſus ſpiritui. *Syr.* [illegible] *ſpiritui illi. Oecum. Conuerſus, ad ipſum. Lucif. Conuerſus, ad ſpiritum.*
In nom. *S. Chryſ. Per nomen.*
Exire. *Lucif. Vt exeat.*
Et exiit. *Syr. Exiit igitur.*
Eâd. horâ. *Syr. Eo momento. S. Chryſ. In illâ horâ.*

Vers. 19.

Videntes autem domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum; apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad principes:

Vid. a. d. *Syr. Cùmque vidiſſent heri.*
Quia e. ſ. *Syr. Abiiſſe ex eâ ſpem. S. Chryſ. Quod actum eſſet de ſpe.*
Quæſtus e. *S. Chryſ. Quæſtus ſui. Lucif. Redditus.*
Apprehend. *S. Chryſ. Apprehenſum.*
Perduxer. *Syr. Et trahendo adduxerunt eos. S. Chryſ. Traxerunt. Lucif. Extraxerunt.*
In for. a. p. *Syr. In plateam. Lucif. Ad forum ad magiſtratus.*

Vers. 20.

Et offerentes eos magiſtratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem noſtram, cùm ſint Iudæi:

Offerentes. *Syr. Steterunt.*
Magiſtr. *Syr. Ante magiſtratus & primores vrbis. Ar. M. Præfectis.*
Conturbant. *S. Chryſ. Turbarunt.*
Cùm ſint. *Syr. Quoniam ſunt. Ar. M. Subſiſtentes.*

Vers. 21.

Et annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere neque facere, cùm ſimus Romani.

Annunc. *S. Chryſ. Annunciarunt. Lucif. Prædicant.*
Morem quem. *Syr. Ritus, quos. S. Chryſ. Mores quos. Lucif. Sectam, quam. Vat. Inſtituta, quæ.*
Suſcipere. *Lucif. Recipere.*
Facere. *Syr. Exequi. S. Chryſ. Seruare.*
Cùm ſimus R. *Syr. Quippe qui Romani ſimus. Ar. M. Romanis exiſtentibus.*

Vers. 22.

Et cucurrit plebs aduersùs eos: & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, iuſſerunt eos virgis cædi.

Et cucurrit p. *Syr. Turba item plurima coacta eſt. S. Chryſ.* omittit. *Lucif. Et conſurrexit vniuerſa turba. Ar. M. Et conſurrexit turba. Pagn. Concurrit turba.*
Aduersùs eos. *S. Chryſ.* omittit.
Et magiſtr. *Syr. Tunc præfecti. S. Chryſ. Militum principes.*
Sciſſis tun. *Syr. Diſruperunt veſtimenta. S. Chryſ. Diſruptis veſtibus.*
Iuſſerunt. *Syr. Iuſſerunt.*
Eos virg. cæ. *Ar. M. Flagellare.*

Vers. 23.

Et, cùm multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi, vt diligenter cuſtodiret eos.

Multas p. e. i. *Syr. Multum eos flagellaſſent.*
Miſerunt. *S. Chryſ. Coniecerunt. Ar. M. Immiſerunt.*
Carcerem. *Ar. M. Cuſtodiam.*
Præcipientes. *Ar. M. Mandantes.*
Cuſtodi. *Syr. Cuſtodi domus vinctorum. S. Chryſ. Cuſtodi carceris. Ar. M. Vinctorum cuſtodi.*
Diligent. *Syr. Cautè. Ar. M. Tutò.*
Cuſtodiret. *Oecum. Seruaret.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 24.

Qui, cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno

Qui. *Syr. Ipse verò.*
Cùm tale p. a. *Syr. Cùm suscepisset hoc mandatum.*
Misit eos. *Syr. Intromittens eos occlusit. S. Chrys. Coniecit eos.*
Inter. carc. *Syr. Locum intimum carceris.*
Strinxit l. *Syr. Vinxit numellâ. S.Chrys. Asserrauit ad lignum diligenter. Ar.M. Strinxit in lignum.*

Vers. 25.

Mediâ autem nocte Paulus & Silas, orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodiâ erant.

Med.a.n. *Ar. M. Secundùm autem mediam noctem.*
Orantes laud. *Syr. Precabantur & glorificabant. Oecum. Laudabant.*
Et audiebant. *Oecum. Et auscultabant. Vat. Exaudiebant autem.*
Qui in c. e. *S. Chrys. Vincti Caiet. Qui in custodiâ vincti erant.*

Vers. 26.

Subitò verò terræmotus factus est magnus; ita vt mouerentur fundamenta carceris: & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt.

Subitò verò. *Syr. Et repentè.*
Factus est. *Syr. Extitit.*
Magnus. *Syr. Ingens.*
Ita vt mouerentur. *Oecum. Adeò vt concuterentur.*
Et statim. *S.Chrys. Statim autem. Oecum. Ac protinus.*
Aperta s. o o. *Syr. Aperta sunt fores omnes. S.Chrys. Aperta sunt omnes ianuæ.*
Vniuersorum. *S. Chrys. Omnium. Oecum. Vinctorum.*
Soluta. *Ar. M. Remissa.*

Vers. 27.

Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

Expergef. a. *Syr. Cùmque excitatus esset. S. Chrys. Experrectus autem. Ar. M. Esomnis autem factus.*
Carceris. *Syr. Domus vinctorum. Ar. M. Vinctorum.*
Et videns. *Syr. Et videret. S. Chrys. Videns.*
Ianuas. *Syr. Fores.*
Euaginato gl. *Syr. Accepit gladium. S. Chrys. Arrepto gladio. Ar. M. Educens gladium.*
Volebat se i. *S.Chrys. Se ipsum interempturus erat. Pagn. Erat se ipsum interfecturus. Ar. M. Futurus erat se ipsum interficere.*
Æstimans. *Syr. Quippe qui putaret. S. Chrys. Putans. Pagn. Existimans.*
Fugisse. *S. Chrys. Effugisse. Pagn. Aufugisse.*

Vers. 28.

Clamauit autem Paulus voce magnâ, dicens: Nihil tibi mali feceris, vniuersi enim hîc sumus.

Clamauit a. *Syr. Proinde vocauit eum.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Dicens. *Syr. Et dixit ei.*
Nihil tibi m. *Pagn. Ne quid tibi ipsi mali. Ar. M. Nihil tibi ipsi malum.*
Vniuersi. *Syr. Nos omnes. S. Chrys. Omnes.*

Vers. 29.

Petitoque lumine introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:

Petitoque l. *Syr. Ille verò accendit sibi lucernam. Oecum. Postulatoque lumine. Ar. M. Petens verò lumen.*
Introgressus. *Syr. Prosiliitque & ingressus. S.Chrys. Irrupit. Oecum. Accurrit.*
Et tremefactus. *Syr. Tremens. Ar. M. Et tremefactus factus.*
Procidit. *Syr. Ac procidit. Al. Accidit.*
Paulo & S. a. p. *Syr. Ad pedes Pauli & Silæ. S. Chrys. Ante Paulum & Silam. Ar. M. Paulò & Silæ.*

Vers. 30.

Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?

Et prod. eos f. *S. Chrys. Et. Vat. Et productis illis foras.*
Domini. *Syr. Domini mei.*
Vt saluos f. *Syr. Vt saluus sim. Oecum. Quo saluus fiam. Ar. M. Vt seruer.*

Vers. 31.

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

Vers. 31.

At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum: & saluus eris tu & domus tua.

Dominum I. *Syr. Dominum nostrum Iesum Christum. S. Chrys. Dominum Iesum Christum.*
Saluus eris t. *S. Chrys. Seruaberis tu. S. Epih. Saluaberis.*
Domus. *S. Chrys. Omnis domus.*

Vers. 32.

Et loquuti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius.

Et loqu. f. e. *Syr. Porrò alloquuti sunt eum.*
Verbum. *S. Chrys. Sermonem.*
Cum omnibus. *Syr. Omnesque. S. Chrys. Et omnibus.*
Qui e. i. d. *Syr. Domesticos.*

Vers. 33.

Et tollens eos in illâ horâ noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò.

Tollens eos. *S. Chrys. Assumptis illis.*
Illâ horâ. *Syr. Eâ ipsâ horâ. S. Chrys. Eâdem horâ. Al. Horâ.*
Noctis. *Syr. In illâ nocte.*
Lauit. *Pagn. Abluit.*
Plagas e. *Syr. Vibices eorum. S. Chrys. A plagis. Pagn. Plagas.*
Baptizatus est ip. *Syr. Baptizatus est.*
Omnis d. e. *S. Chrys. Qui illius erant. Vat. Omnes domestici illius.*
Continuò. *Syr. Eo momento.*

Vers. 34.

Cúmque perduxisset eos in domum suam apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo suâ credens Deo.

Cúmque perdux. e. *Syr. Et acceptos eos subduxit. S. Epiph. Et deducens eos. Ar. M. Perducensque eos.*
In domum f. *Syr. Domum suam. S. Epiph. In domum.*
Apposuit eis. *S. Chrys. Apposuit.*
Lætatus e. *Syr. Exultabat ipse. S. Chrys. Exultauit.*
Cum omni d. f. *Syr. Et domestici eius. S. Chrys. Cum totâ domo. S. Epiph. Cum vniuersâ familiâ. Pagn. Quod cum omni domo suâ.*
Credens Deo. *Syr. In fide Dei S. Epiph. Postquàm credidit Deo. Pagn. Credidisset Deo.*

Vers. 35.

Et, cùm dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

Et c. d. f. e. *Syr. Exorto autem die. S. Chrys. Facto autem die. Oecum. Cúmque dies ortus esset.*
Magistratus *S. Chrys. Militum principes.*
Lictores. *Syr. Eos, qui ferebant fasces. Al. Viatores.*
Dicentes. *Syr. Qui dicerent præfecto domus vinctorum.*

Vers. 36.

Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus, vt dimittamini: nunc igitur, exeuntes, ite in pace.

Nunciauit. *Syr. Qua cùm audisset ingressus renunciauit. S. Chrys. Annunciauit autem.*
Custos c. *Syr. Præfectus domus vinctorum.*
Verba hæc. *Syr. Hunc sermonem. S. Chrys. Sermones. Vat. Sermones hos.*
Quia mis. *Syr. Miserunt, inquit.*
Magistratus. *S. Chrys. Militum principes.*
Exeuntes. *Syr. Exite. S. Chrys. Egressi.*
Ite. *Syr. Proficiscamini.*

Vers. 37.

Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem; & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos educant.

Cæsos. *Syr. Flagris ceciderunt. Ar. M. Cædentes.*
Publicè. *Syr. Coram toto Mundo.*
Indemnatos. *Syr. Innocentes. S. Chrys. Indictâ causâ.*
Homines R. *Pagn. Cùm simus Romani. Ar. M. Homines Romanos subsistentes.*
Miserunt *Syr. Nosque coniecerunt.*
Et nunc o. *Syr. Nunc autem clam.*
Non ita. *Syr. Minimè sanè. S. Chrys. Non profectò. Ar. M. Non enim.*
Veniant. *Vat. Veniant ipsi.*
Ipsi n. e. *S. Chrys. Ipsi nos educant. Vat. Nos educant.*

Vulgata Editio.

Vers. 38.

Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque, audito quòd Romani essent,

Vers. 39.

Et venientes deprecati sunt eos,& educentes rogabant,vt egrederentur de vrbe.

Vers. 40.

Exeuntes autem de carcere,introierunt ad Lydiam: &, visis fratribus, consolati sunt eos,& profecti sunt.

Lectionum Varietas.

Nunciauer. *Syr. Abierunt itaque & renunciauerunt. S. Chrys. Annunciauerunt. Ar. M. Reinunciauerunt.*
Magistrat. *S. Chrys. Militum principibus.*
Lictores. *Syr. Gestores fascium. Al. Vinctores.*
Verba h. *Syr. Hos sermones, qui sibi dicti.*
Audito. *Ar. M. Audientes.*

Venientes. *Syr. Venerunt ad eos. S. Chrys. Egressi.*
Deprecati s. e. *Syr. Et efflagitarunt ab eis. S. Chrys. Orauerunt eos.*
Et educentes rog. *Syr. Vt exirent, S. Chrys. Et eductos rogabant.*
Vt egrederentur. *Syr. Excederentque.*
De vrbe. *Syr. Ciuitate. S. Chrys. E ciuitate. Oecum. Ciuitatem.*

Exeuntes a. *Syr. Cùm egressi fuissent. S. Chrys. Egressi autem.*
De carcere. *S. Chrys. Carcere. Pagn. E carcere. Ar. M. De custodiâ.*
Introierunt. *Syr. Ingressi sunt.*
Visis fratribus. *Syr. Inuiserunt fratres. Ar. M. Videntes fratres.*
Consolati *Syr. Consolatique sunt. S. Chrys. Exhortati.*
Profecti s. *Syr. Exierunt. Ar. M. Egressi sunt.*

CAPVT XVI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Dei serui pro iniuriis *beneficia reponunt.* 1099
Vnius iusti præsentia *quantum possit.* 1099
Concordia *quanta afferat commoda.* 1100
Orationis *locus adeundus.* 1101
Audire *non videtur, qui audit tantùm.* 1103
Iusti *rerum terrenarum iacturam lucri loco habent.* 1104
Oratio *quantùm dæmoni displiceat.* 1105
Inanis gloriæ *præiudicia.* 1105
Adulatoriæ *vocis vitandæ.* 1106

Peruenit autem Derben, & Lystram.

1099. IN his locis,vt capite quattodecimo habes, malè habitus,ac tractatus Paulus fuerat. Sed cur,inquies,eò se contulit,cùm longè ab illis abire deberet? Fallitur,qui ita censet. Dei serui iniuriarum illatarum obliti, suam illis præsentiam, operamque libentiùs exhibent, à quibus vexati fuerunt; beneficiique loco iniurias habent, & contumelias.

Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis patre Gentili.

NVllam aliam in hæc loca veniendi causam habuissent Apostoli,hæc satis illis erat; vt scilicet Timotheum viderent, & publico testimonio probatum ad sacra ministeria promouerent. Ob vnius iusti præsentiam grata hæc Apostolis loca, licèt alioquin ob habitantium malitiam inuisa: tantum vel vnius sancti præsentia prodest.

Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis.

PAolus, qui priùs contra circumcisionem steterat,& pugnauerat,& pro legalium immunitate decertauerat, nunc pro circuncisione stat: cur secum ipse Paulus pugnat? Non pugnat, sed tempori se accommodat,& occasioni, omnibus omnia factus: vt Iudæos lucraretur, Iudæus Iudæis fit; nam, si veteris legis statuts statim abominatus fuisset,nec ipse,nec Timotheus auditus fuisset. 1100.

Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

VNde hic fructus,vnde hoc ecclesiarum incrementum? A Pauli cum Iudæis concordiâ, quam in Timothei circuncisione ostenderat: tantum concordia prodest, tantumque ad Ecclesiæ propagationem confert.

Vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ.

CVr in Asiâ verbum Dei prædicari à Spiritu sancto vetitum est? An, quia præuidit, verbum Dei contempturos esse? Ne igitur grauiùs de contemptâ prædicatione mali auditores iudicari mererentur, vetuit illo tempore prædicationem. An, quia præcognouit ibi, Spiritum sanctum impugnantium hæresim esse dominaturam?

Dic

Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse.

1101. ORatio hîc orationis locum significat, vnde pto eo, quod noster habet, *vbi videbatur oratio esse*, Syrus vertit, *quoniam illic conspiciebatur locus orationis*. Ad orationis locum se conferunt orationis amici, ac studiosi.

Et sedentes loquebantur mulieribus, quæ conuenerant.

1102. ACcurrunt promptiùs mulieres ad orationis locum, quàm viri; loquebantur autem illis: nec idiotis mulieribus dedignatur prædicare Gentium doctor.

Et quadam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

CVr inter tot mulieres, quæ aduenerant, sola Lydia nominatur? An, quia sola credidit? Recenseri non metuerunt, quæ fidem dictis minimè adhibuerunt. Præterea singulariter Lydiæ mentio facta est, quia humanitate, hospitalitate nobilis erat, adeò vt eos coegerit ad eius domum diuertere, ac in ea hospitari.

Purpuraria erat, non quia purpurâ vestiretur, quod Regum erat; sed, vel quia purpuram tingeret, vel quia purpuram venderet. Si purpuram induisset, non ità facilè caruisset infidelitatem, hospitalitatem coluisset: diues ille in Euangelio, qui purpurâ induebatur, nec panis micam mendico, & iacenti exhibuit Lazaro.

1103. *Audiuit*: Cur id de aliis quoque mulieribus non refertur? An, quia audierunt aliæ mulieres, sed audierunt duntaxat, non exaudierunt, nec obedierunt. Audire non videtur, qui non exequitur, quod audit. Aperuit huic mulieri Deus cor: non *aurem*, sed *cor*: non enim extimis auribus Dei verba recipere satis est, debent corde recipi.

Cùm autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

HÆc mulier priùs salutaribus aquis ablutæ perhibetur, deinde domus eius cum ipsâ, quam exemplo informauerat, adhortatione conuerterat. Explicari non potest, quantas in subditorum mentes, Domini, Dominæque exempla habeant vires.

Prius baptizatur mulier, deinde Apostolos in domum suam inuitat: cur non ante? Poterat, sed non est ausa, sacrosanctos viros inuitare, indignam se omninò reputans, ad quam Apostoli diuerterent.

1104. Post baptismum hospitalitatis opus exercet: fidei quippè, & charitatis signum, operis exhibitio est. Prophetæ verba sunt: *Beati, qui seminatis super omnes aquas*. Cur non super has baptismi? Super has seminat, qui solo baptismo, fideque non contentus, bonorum operum spargit semina, quæ multiplici fœnore pullulent, & adolescant.

Coëgit nos: Quia nimirùm Paulus beneficia con- *Nouarin in Act. Apost.* ferre studebat, nolebat accipere; ne spe quæstus laborare videretur. Iusti rerum terrenarum iacturam, lucri loco habent, lucrum pro iactura. Mundô maiora satis lucrantur, si animas lucrentur quæ mundô maiores. *Coëgit nos*: Cogendus erat Paulus, ne sponte, libenter apud mulierem hospitari videretur. Plerunque *impuritatis est hospes, qui mulierum nimis amat hospitium.*

Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obuiare nobis.

DÆmonem sibi familiarem puella hæc habebat, à quo, dum obsideretur, spiritu diuinationis replebatur. Quidni Apostolis tunc occurreret, cùm ad orationis locum se conferebant? Dæmon eos laudans volebat ab oratione aut penitus ipsos reuocare, aut retardare. Neminem ad orationem ire dæmon vellet, orationis hostis. 1105.

Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.

PAulum, aliosque laudat dæmon, & sanctitatis eorum testis fit, qui hostis, iisque acerrimus, est. Sed cur laudat? An quia à Spiritu sancto coactus est? An subdolè laudem exhibuit, vt ipsi de hac laude sibi placerent, atque adeò in eum minimè sæuirent? Priùs per Iudæos contumeliis vincere Paulum, aliosque dæmon studuit; nunc blanditiis, landibus vtitur, quæ fortiora plerunque arma, quàm tormenta, cruciatusque. Incitare ad inanem gloriam Paulum quærit, vt prædicationis eius fructum impediret.

Huius encomij causa ex euentu potissimùm petenda est. Præuidebat sagacissimus dæmon, Paulum his laudibus deliniri non posse, quin potiùs, post has laudes, ab eo expellendum, statim abiturum; non quia libenter puellam non obsideret; sed vt ij, quibus puella diuinationis spiritu magnos faciebat quæstus, quæstu priuati, in Paulum insurgerent, Paulum occiderent. Igitur laudat, vt, qui laudatur, occideretur. Nimirum dæmonis laudes Pauli necę grauidæ esse videbantur. Sic non raro accidit, vt, qui adulando alios laudibus obruunt, eorum necem meditentur, quos laudant. 1106.

Tandem laudat Euangelij doctores dæmon, præuidens, auditores ea eorum prædicatione fructus non facturos: vt igitur grauiùs à Deo plecterentur, & inexcusabiles essent, doctores celebrat, ac laudat, in Dei iudicio testis contra Doctrinæ contemptores futurus; qui antea testis veritatis fuerat, eiusque prædicatores commendauerat.

Qui annunciant vobis viam salutis: Signatè, *vobis*, dixit, non, *nobis*; nam nec Paulus, nec alij viam salutis dæmoni annuntiabant, nec dæmon salutis viam inire volebat, nec poterat, à quâ semel exciderat.

SECTIO II.

Laudes *meretur, qui laudes fugit.* 1107
Ingentium malorum causa, pecuniæ amor. 1108

Iusti *magis contumelias amant, quàm laudes.* 1108
Res singularis, contumeliis affici *&* *in Dei laudes prorumpere.* 1109
Hymni *in Dei laudem quando præcipuè canendi.* 1110
Cunctatio *amolienda quum de anima salute agitur.* 1111. 1113
Aliis non se præferunt, *qui verè magni.* 1111
Canere peccator *debet ne ob eius vitam Dei verba contemnantur.* 1113

Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab eâ. Et exiit eâdem horâ.

1107 NOn ob exhibitas laudes complacuit sibi Paulos, sed ob puellæ calamitatem, diabolique fraudem, quá multis imponebat, indoluit. Rara hæc laus, laudis titillatione adeò non corripi, vt alienæ miseriæ sensu corripiamur. Despexit laudes Paulus, sed, hoc ipso, maiori laude dignus effectus est.

Præcipio tibi in nomine Iesu Christi: Timuit Dæmon superiùs Iesu nomen proferre: non enim dixit, *Isti homines serui Iesu Christi sunt*, quo pacto seruitutem suam efferre solebat Paulus, sed, *serui Dei excelsi sunt.* Iesu Christi nomen exosum dæmoni erat, vt pronuntiare illud noluerit: meritò Paulus in nomine Iesu Christi exire eum iubet, vt eius nominis vim sentiat, quod renuebat proferre.

Videntes autem domini eius quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes.

1108 CVm, exeunte à puellâ dæmone, exiuit & à dominis spes quæstus, statim in liberatores sæuire incipiunt. Vide inhumanitatem: puellam à dæmone vexari volunt, vt pecuniam augeant. Vbique ingentium malorum causa pecuniæ amor. Pro vt Paulo gratias agerent, iniuriis, & contumeliis Paulum onerant.

Apprehendentes Paulum & Silam: cur sui quoque Lucas non meminit, sicut & superiùs fecit, cùm dixit? *Hæc subsecuta Paulum, & nos.* An hîc de se tacet, vt iactantiam vitaret? iustis maior videtur gloria, pro Christo comprehendi, patique contumelias, & flagella, quàm ingentibus laudibus celebrari. An de se tacet, quia fortè tunc à Paulo aberat?

Et cucurrit plebs aduersùs eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi.

1109 PAuli, & Silæ sciderunt vestes, & in ignominiam, & vt duriùs flagellis cæderentur. Flagellatur Paulus: non respondet, non se excusat, non conqueritur: forti animo omnia perfert, & verè Apostolico. Silentio, ac mansuetudine ferientes repercutit.

Mediâ autem nocte, Paulus & Silas orantes laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodiâ erant.

HÆc laus, hæc oratio Pauli, Silæque in patiendo fortitudinem, ac hilaritatem prodit. Post flagella, plagasque acceptas, Deum laudare, ac Deo gratias agere singularis virtutis nota est. Deo gratias egerit, Deum laudauerit Paulus, dum signa, dum miracula ederet, non adeò magnum: eximium, & prorsùs admirabile est, plagis deformatum, iniuriis altâ obliuione sepultis, in Dei laudes erumpere, Deum glorificare: quod Paulus diligentiùs fecisse legitur, cùm flagellis cæsus esset, quàm cùm miracula patrasset.

1110 In carcere dum Paulus esset, suo non tenebat carcere ligatam linguam, sed in Dei soluebat laudes; vt nos ad paria prouocet hoc exemplum, qui nec carcere tenemur, nec mala ea timere possumus, quæ timere poterat Paulus. *Si enim Paulus,* inquit sanctus Chrysostomus, *cui intolerabilia flagella imminebant, cùm ligno alligatus in carcere habitaret, mediâ nocte, quando est omnibus somnus iucundissimus, cum Silâ Deum perpetuò laudabat, & nec locus, nec tempus, nec solicitudines, nec somni tyrannis, nec illi labores, nec dolores, nec quicquam aliud eum coegit modulationem illam intermittere; multo magis nos, qui iucundè viuimus, & Dei bonis fruimur, hymnos, quibus Deo gratiæ agantur, oportet emittere.*

In carcere erat Paulus: Pauli manus ligatæ erant, vincti erant pedes, & tamen carcer concutiebatur, soluebantur vincti, vt, vel ab hac parte, orationis vires apparerent. *In ligno erant pedes*, ait sanctus Chrysostomus, *in catenis manus; & carcer sub mediam noctem quatiebatur, ipsis Deum laudantibus. Cernis, quomodo ipsius virtus in infirmitate perficiebatur: Si fuisset solutus Paulus, & illud habitaculum concussisset, non fuisset tam mirandum, quod fiebat: idcirco inquit: Remane vinctus, & commoueantur parietes vndique, & soluantur compediti; vt magis mea virtus euidens sit, dum per te constrictum, & colligatum omnes vincti soluuntur. Hoc ipsum igitur, & carceris custodem tunc perculit, quòd, cùm tantâ teneretur necessitate per orationem solam potuit fundamenta quidem quassare, fores verò carceris aperire, & omnes vinctos soluere.*

Nihil tibi mali feceris.

1111 CVstos sui custodis fit Paulus: iniuriæ oblitus à morte eum liberat, vt viuere deinceps Deo posset, qui mundo tantùm viuere didicerat. Custodis huius feruorem Paulique exemplum in hunc modum expendebat sanctus Chrysostomus, rem totam nobis ob oculos verbis istis ponens: *En feruorem carcerarij: non procrastinationes quæsiuit, sed, cùm solutus à metu esset, non oblitus est beneficij accepti, sed statim ad salutem animæ accelerat. Nox erat, atque adeò intempesta nox, & non dixit, deliberemus, despiciamus, dies fiat; sed statim ad initiationem sacrorum perrexit, hoc secum loquens: maximus est hic Paulus, & mortalium naturam trascendit: vidi illius potentiam, & admiror illius humanitatem: post mille à me acceptas iniurias, in extremis suis casibus colligatorem suum in ipsius manum adductum, cùm posset occidere, non solùm non occidit, sed meditantem sibi mortem, ac iamiam gladium iugulo immergentem, ab exitio destinato reuocauit. Meritò ergo dicit: Domine, quid oportet me facere, vt saluus fiam. Non enim solùm miracula, sed vita Apostolorum, miracula præcedens, ad fidem trahebat.*

Omnes hic sumus.

O*Mnes hic sumus.* Qui super alios erat, cùm aliis se Paulus recenset? se adesse dixit in al-

tertius

terius auxilium, non miraculum fecisse in sui gloriam narrat; rem appositè vrget Sanctus Chrysostomus orat. habita in magna hebdomada: *Nihil tibi facias mali, omnes enim hîc sumus, acerbum illum colligatorem, non permisit acerbè mori. Immemor fuit iniuriarum, omnes hîc sumus, non dixit, ego ista feci miracula, nec dixit ego ista admiranda perpetraui, sed quidem omnes hîc sumus, cum reliquis vinctis seipsum adnumerat Paulus.* Hæc magnorum virorum vera est nota, tunc maximè se demittere seque cum aliis conferre tamquam aliquos ex illis cum præferri mererentur.

Petitoque lumine, introgressus est; & tremefactus procidit Paulo & Sila ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?

CVstos lumen petit, vt carcerem ingrediator: cum lumine ingreditor, meliore lumine perfundendus. *Produxit eos foras*, vt eorum ope foras educere posset quicquid eius salutem impediebat: produxit alios foras ipse intus iuit, de animæ suæ salute solicitus; ait enim: *Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Statim ad salutem animæ mentem flectit: non expectat diem aduenire, nesciens, quid superuentura dies esset paritura. Noctem in diem vertit, qui se conuertit in nocte.

1112. *Domini quid me oportet facere?* cunctorum custos, incipit esse custos etiam sui: in custodiâ positos consulit, vt consuleret suæ saluti. Bonus carceris custos audire nunc potest, qui videns, carceris ostia aperta fuisse, sui cordis ostium Deo aperit, vt meliùs custodiretur à Deo, quàm ipse homines custodiret.

Moras nesciuit nectere, vt conuerteretur, qui nectere sciebat vinculis illorum corpora, qui carceri adiiciebantur. Statim conuersus est hic custos, Apostolicæ vitæ sanctitate tractus potiùs, quàm miraculis. Custos, vinculis discipulorum Christi corpora ligauit: discipuli, vitæ puritate, custodis animam ligauerunt: ligauit custodem suum Paulus, cùm eum à morte liberauit eo tempore, quo alius mortem intulisset.

Qui in carcere alios tenebat, se à peccati carce- 1113.
re statim studuit liberare; vtque se liberet, eos consolit, quos tenebat vinctos. Eius verba hisce verbis expendebat sanctus Chrysostomus: *En feruorem, en studium carcerarij. Non procrastinationes quæsiuit, sed, cùm solutus à metu esset, non oblitus est beneficij accepti, sed statim ad salutem animæ accelerat. Nox erat, atque adeò intempesta nox, & non dixit: deliberemus, dispiciamus, dies fiat. Sed statim ad initiationem sacrorum perrexit, hoc secum loquens: Maximus est hic Paulus, & mortalium naturam transcendit. Vidi illius potentiam, & admiror illius humanitatem. Post mille à me acceptas iniurias, in extremis suis casibus colligatorem suum, in ipsius manum adductum, cùm possit occidere, non solum non occidit, sed meditantem sibi mortem, ac iamiam gladium iugulo immergentem, ab exitio destinato reuocauit. Meritò ergo dicit: Domini, quid oportet, me facere, vt saluus fiam? Non enim solum miracula, sed vita Apostolorum miracula praecedens, ad fidem trahebat.*

Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita: sed veniant: & ipsi nos eiiciant.

COnsulit suæ famæ Paulus, consulit nomini: non vult haberi reus, non seditiosus. In carcerem publicâ magistratus auctoritate coniectus fuerat Paulus; nunc clam, & priuatè à carcere se liberari non permittit: petit publicè dimitti: vult, sententiam de eius innocentiâ magistratum ferre, vt scilicet pluribus prædicatione prodesse posset; nam si vel leuis culpæ nota Paulo adhæsisset, ægrè ad Christum alios adduxisset. Eius quippè despicitur sermo, cuius contemnitur vita.

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVII. ACT. APOST.

Vers. 1.

CVM autem perambulassent Amphipolim, vbi erat synagoga Iudæorum.

Cùm a. p. *S. Chrys. Transierunt autem. Oecum. Cùmque iter fecissent.*
Amphipolim. *S. Chrys. Per Amphipolim.*
Apolloniam. *Syr. Apolloniam vrbem.*
Venerunt. *S. Chrys. Et venerunt.*

Vers. 2.

Secundùm consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,

Secund. consuetud. *Syr. Prout consueuerat. S. Chrys. Pro more. Oecum. Iuxta consuetudinem suam. Ar. M. Secundùm consuetum.*
Paulus. *Ar. M. Paulo.*
Per tria s. *Syr. Tribus sabbatis.*
Disserebat eis. *Syr. Verba fecit ad eos. S. Chrys. Loquebatur ad eos.*
De Scripturis. *Syr. Ex scripturis. Vat. E scripturis. Quid. Codd. De scripturâ.*

Vers. 3.

Adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis:

Adaperiens. *Syr. Dum explicaret. S. Chrys. Aperiens.*
Insinuans. *Syr. Ostenderet. S. Chrys. Allegans. Oe-*

Vulgata Editio. | ***Lectionum Varietas.***

& quia hic est Iesus Christus, quem ego annuncio vobis.

rum. Citatisque testimoniis comprobans.
Quia Christum o. *Pagn. Quod Christum oportuisset.*
Resurgere. *Quidd. Codd. Surgere.*
A mortuis. *S.Chrys. Ex mortuis.*
Iesus Christus. *Caiet. Christus Iesus.*
Ego annuncio. *Syr. Inquit euangelizo. Vat. Ego, inquit, annuncio.*

Vers. 4.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

Et quidam. *Syr. Proinde quidam.*
Et adiuncti sunt. *Syr. Seseque adiunxerunt.*
De colentibus Gentilibusque. *Syr. Ex Græcis illis, qui timebant Deum. S.Chrys. Religiosorum. Græcorum. Quidd. Codd. De colentibus gentilibus. Quidd. ap. Mar. De colentibus Græcis.*
Multitudo m. *Syr. Multi. Ar. M. Multa multitudo.*
Et m. n. *Syr. Atque adeò mulieres percelebres. Ar. M. Mulierumque primariarum.*

Vers. 5.

Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turbâ factâ, concitauerunt ciuitatem: & assistentes domui Iasonis quærebant eos producere in populum.

Zelantes a. *Syr. Sed commoti sunt inuidiâ. S.Chrys. Zelo autem commoti increduli. Ar. M. Imperssuasi autem.*
Assumentes. *Syr. Adiunxerunt eis. S.Chrys. Assumptis.*
De vulgo v. q. *Syr. Homines scelerati ex compitis ciuitatis. S.Chrys. Quibusdam forensibus viris malis. Vat. Quibusdam circunforaneis viris malis. Ar. M. Circunforaneorum viros quosdam malos.*
Turbâ factâ. *Syr. Coëgerunt turbam multam. S. Chrys. Turbâ coactâ. Ar. M. Turbam facientes.*
Concitauerunt. *Syr. Et conturbauerunt.*
Et assist. d. *Syr. Porrò venerunt & insurrexerunt aduersùs domum. S.Chrys. Vrgentes domum.*
Quærebant. *Syr. Studebantque.*
Producere. *Syr. Educere illinc. S Chrys. Vt ducerent.*
In pop. *Syr. Et tradere eos turbæ. S.Chrys. Ad plebem. Pagn. Ad populum.*

Vers. 6.

Et, cùm non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt,

Inuenissent. *Syr. Inuenissent illic.*
Trahebant I. *Syr. Litem intendebant Iasoni.*
Quosdam f. *Syr. Fratribus, qui aderant illic.*
Ad princ. *Syr. Et adduxerunt eos ad primores.*
Clamantes. *Syr. Vociferantes.*
Quoniam h, q. v. c. *Syr. Hi sunt, qui vniuersam terram conturbarunt. S. Chrys. Hi, qui terrarum orbem concitarunt. Oecum. Hi qui terrarum orbem conturbarunt. Ar. M. Quoniam habitatam subuertentes, hi.*
Et huc ven. *Syr. Et ecce iterùm huc venerunt. S. Chrys. Huc quoque venerunt. Ar. M. Et hîc adsunt.*

Vers. 7.

Quos suscepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum.

Quos s. *Syr. Eos autem excepit. S.Chrys. Quos clàm hospitio excepit. Vat. Quos clanculum excepit.*
Iason. *Syr. Iste Iason.*
Decreta C. f. *Syr. Mandata Cæsaris insurgunt.*

Vers. 8.

Concitauerunt autem plebem & principes ciuitatis audientes hæc.

Concitauerunt. *Syr. Concitati sunt.*
Plebem & p. c. *Syr. Primores ciuitatis & omnis populus. Pagn. Turbam & magistratus ciuitatis.*
Audientes hæc. *Syr. Cùm hæc audissent. Oecum. Audientes eos.*

Vers. 9.

Et, acceptâ satisfactione, à Iasone, & à cæteris dimiserunt eos.

Acceptâ. *Syr. Acceperunt fideiussores. Goth. Accepto satis. S.Petr. Alex. Alex. Accepta satisdatione.*
Et à c. *Syr. Nec non à fratribus.*
Dimiserunt. *Syr. Et tunc dimiserunt.*

Vers. 10.

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

Vers. 10.

Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beroëam: Qui, cùm venissent, in synagogam Iudæorum introierunt.

Conf. p. n. *S. Petr. Alex. Protinus noctu.*
Dimiserunt. *S. Chrys. Emiserunt. S. Petr. Alex. Miserunt.*
Paulum. *Vat. Paulum simul.*
In Beroëam. *Syr. Beroëam urbem.*
Qui. *Syr. Quò.*
Cùm venissent. *S. Chrys. Cùm aduenissent. Pagn. Accidissent. Ar. M. Aduenientes.*
Introierunt. *Oecum. Profecti sunt. Pagn. Abierunt.*

Vers. 11.

Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.

Hi a. e. *Syr. Erant enim isti Iudæi. S. Chrys. Hi autem, qui erant.*
Nobiliores. *S Chrys. Generosissimi. Oecum. Generosiores. Vat. Summo genere nati.*
Eorum qui f. T. *Syr. Iudæis illis, qui erant Thessalonicæ. Ar. M. Aliis qui sunt in Thessalonicâ. S. Chrys. Thessalonicensium. Oecum. Inter eos, qui degebant Thessalonicæ. Caiet. Aliorum in Thessalonicâ.*
Qui suscep. *Syr. Et audiebant ab eis. S Chrys. Qui receperant.*
Verbum. *Pagn. Sermonem.*
Cum omni a. *Syr. Hilariter. S. Chrys. Cum omni alacritate. Pagn. Cum omni animi promptitudine. Caiet. Cum omni promptitudine.*
Quotidie. *Ar. M. Per diem.*
Scrutantes S. *Syr. Dum discuterent è scripturis. S. Chrys. Diiudicantes scripturas.*
Si hæc ita se h. *S. Chrys. Num hæc ita se habeant.*

Vers. 12.

Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.

Et multi q. *Syr. Porrò multi. Ar. M. Multi quidem ergo.*
Et mulier. G. h. *Syr. Ac similiter quoque ex Græcis viri plurimi & fœminæ percelebres. Ar. M. Et Græcarum mulierum honestarum & virorum non pauci.*

Vers. 13.

Cùm autem cognouissent in Thessalonicâ Iudæi, quia & Beroëæ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commouentes & turbantes multitudinem.

Cùm cognou. *S. Chrys. Vbi cognouerunt. Oecum. Vt cognouerunt.*
In Thess. *S. Chrys. Thessalonicenses.*
Iudæi. *Syr. Iudæi illi.*
Beroëæ. *Syr. Beroëæ vrbi.*
Prædic. e. *S. Chrys. Annunciatum esset. Pagn. Annunciatus esset.*
Verbum. *Pagn. Sermo.*
Et illuc com. & t. *Syr. Etiam illuc: nec quieuerunt, quin commouerent & concitarent. S. Chrys. Et illic concitarunt. Vat. Et illic quoque commouebunt.*
Mult. *Syr. Plebem. S. Chrys. Turbas.*

Vers. 14.

Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.

Statimque tunc. *Syr. Itaque. S. Chrys. Statim autem.*
Dimiserunt. *S. Chrys. Emiserunt.*
Iret vsque. *Syr. Descenderet. S. Chrys. Iret velut.*
Remans. ibi. *Syr. Commorati sunt in illâ vrbe. S. Chrys. Manserunt illic.*

Vers. 15.

Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas; &, accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum,

Qui a. d. *Syr. Cæterum illi, qui deduxerunt. S. Chrys. Porrò, qui prosequebantur. Ar. M. Actuò collocaturi.*
Paulum. *Syr. Ipsum Paulum.*
Perdux. e. *Syr. Venerunt cum eo. S. Chrys. Duxerunt eum. Vat. Deduxerunt.*
Vsque A. *Syr. Adusque Athenas vrbem.*
Accepto m. a. e. *Syr. Acceperunt ab eo litteras. S. Chrys. Accepto mandato.*
Celeriter. *Syr. Primùm. Pagn. Celerrimè. Ar. M. Citissimè.*
Ven. a. i. *Syr. Ad ipsum proficiscerentur. S. Chrys.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

theum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

Ad ipsum veniant.
Profecti s. *Syr. Cùm discederent ab eius latere. Ar. M. Abierunt.*

Vers. 16.

Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem.

Paulus a. *Syr. Ipse verò Paulus.*
Incitabatur. *Syr. Mœrore afficiebatur. S. Chrysost. Exacerbabat. Pagn. Incandescebat. Caiet. Irritabatur.*
Spiritus eius in ipso. *Syr. In spiritu suo.*
Videns. *Syr. Conspiciens.*
Idololatriæ deditam. *Syr. Refertam idolis. Oecum. Idolorum cultui deditam. Vat. Simulachrorum cultui deditam. Ar. M. Idololatram existentem.*
Ciuitatem. *Syr. Vrbem.*

Vers. 17.

Disputabat igitur in synagogâ cum Iudæis & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant.

Disputabat igitur. *Syr. Colloquebatur autem. Ar. M. Disputabat quidem igitur.*
Cum Iud. *Syr. Iudæis.*
Colent. *Syr. Iis, qui Deum venerebantur. S. Chrys. Religiosis.*
Foro. *Syr. Plateâ.*
Per omnes dies. *S. Chrys. Quotidiè. Ar. M. Per omnem diem.*
Ad eos q. a. *Syr. Quibuslibet obuiis. S. Chrys. Cum his, qui ipsum fortè adiissent. Oecum. Cum his, quos nactus fuisset. Pagn. Cum iis, qui ipsum fortè audissent. Ar. M. Ad contingentes. Caiet. Ad eos, qui fortè accedebant. M. SS. Ad eos, qui adserant.*

Vers. 18.

Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi differebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse. Quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.

Quid a. E. *Syr. Quinetiam philosophi ex dogmate Epicuri. Ar. M. Quidam autem Epicureorum.*
Stoici philos. *Syr. Alij qui vocantur Stoici. Ar. M. Stoicorum philosophorum.*
Differebant cum eo. *Syr. Disceptabant cum eo. S. Chrys. Conflictabantur cum eo. Pagn. Conflictabant cum eo. Ar. M. Comiciebant eo.*
Quidam. *Syr. Vnusquisque ex eis.*
Seminiuerbius. *Syr. Collector verborum. S. Chrys. Verbisator. Vat. Spermologus. Ar. M. Seminator verborum. Mar. Loquax.* vel: *Garrulus.*
Hic dicere. *Syr. Iste. S. Chrys. Ille dicere.*
Alij verò. *Syr. Alij verò dicebant.*
Nouorum. *Syr. Alienos. S. Aug. Peregrinorum.*
Dæmoniorum v. a. e. *Syr. Deos prædicas.*
Annunc. e. *Syr. Prædicabat eis. S. Chrys. Euangelizabat.*

Vers. 19.

Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?

Et appr. *Syr. Itaque apprehenderunt.*
Ad Areopagum. *Syr. In senatum, qui vocatur Areopagus. Pagn. Ad Martium vicum. Caiet. Ad Martium pagum.*
Duxerunt. *Syr. Adduxerunt.*
Dicentes. *Syr. Dicentes ei.*
Possumus. *S. Chrys. Possumúsne.*
Quæ est hæc. *S. Chrys. Quænam ista.*
Quæ à te. *Syr. Quam.*
Dicitur. *Syr. Prædicas. S. Chrys. Docetur. Vat. Refertur. Ar. M. Effata.*

Vers. 20.

Noua enim quædam infers auribus nostris: volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse.

Noua e. q. *Syr. Verba enim extranea. Ar. M. Peregrina enim quædam. Oecum. Noua siquidem.*
Infers a. n. *Syr. Disseminas in aures nostras.*
Volumus e. *Syr. Volumusque.*
Quidam v. h. e. *Syr. Quid hæc sibi velint. Ar. M. Quid vtique velint hæc esse.*

Vers. 21.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 21.

(Athenienſes autem omnes,& aduenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid noui)

Aduenæ h. *Syr. Ij, qui illuc venerant alienigena. S. Chryſ. Qui illuc verſabantur hoſpites.*
Ad nihil a. *Syr. Nulli alij rei.*
Aliquid noui. *Oecum. Quippiam noui. Ar. M. Nouum.*

Verſ. 22.

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video.

Medio Areop. *Syr. Areopago. Oecum. Medio Martijpagi. Pagn. Medio Martij vici.*
Ait. *S. Chryſ. Dicebat.*
Per omnia quaſi. *Syr. Inter omnia. S. Chryſ. Per omnia ferè.*
Superſtitioſiores. *Syr. Nimios eſſe in cultu dæmonum. Quidd. codd. Superſtitioſos.*
Video. *Ar. M. Aſpicio.*

Verſ. 23.

Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & aram, in quâ ſcriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Præteriens e. *Syr. Cùm perluſtrarem. S. Chryſoſt. Tranſiens.*
Videns. *Syr. Conſpicarer. S. Chryſ. Contemplans.*
Simul. v. *Syr. Ædem deorum veſtrorum. Goth. Simulachra veſtra, quæ colitis. S. Chryſ. Culturas veſtras. Oecum. Delubra veſtra. Ar. M. Sacra veſtra.*
Inueni & a. *Syr. Nactus ſum aram quandam. Oecum. Reperi & aram.*
In quâ ſ. *Syr. Cui inſcriptum. S. Chryſ. In quâ inſcriptum.*
IGNOTO DEO. *Syr.* DEI RECONDITI.
Quod er. *Syr. Hunc igitur, quem S. Chryſ. Quem. Clem. Alex. Quem ergo.*
Hoc e. *Syr. Hunc ipſe. S. Chryſ. Hunc ergo. Clem. Alex. Eum.*

Verſ. 24.

Deus, qui fecit Mundum & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat;

Deus. *Clem. Alex. Deus enim.*
Qui f. *Oecum. Qui condidit. Ar. M. Faciens.*
Mundum. *S. Chryſ. Cælum.*
Omnia quæ in e. ſ. *Syr. Quicquid in eo eſt. S. Chryſ. Omnia quæ in eo. Clem. Alex. Omnia quæ in ipſo ſunt.*
Hic. *Syr. Quique.*
Cùm ſit. *Syr. Eſt. S. Chryſ. Exiſtens*

Verſ. 25.

Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia.

Nec. *S. Nyſſ. Quia non.*
Manibus hum. c. *Syr. Ei miniſtratur per manus hominum. S. Nyſſ. Per palpationem & tactum vis Diuina inuenitur. Clem. Alex. A manibus humanis colitur. Ar. M. A manibus hominum colitur.*
Indig. a. *Syr. Nulliuſque rei indiget.*
Cùm i. d. *Syr. Quippe qui tribuat. S. Chryſ. Dans.*
Omnibus v. *S. Chryſ. Vitam.*
Inſpirationem & o. *Syr. Animam. S. Chryſ. Spiritum & omnia. Pagn. Halitum per omnia. Ar. M. Inſpirationem per omnia. Caiet. Halitum ſecundùm omnia.*

Verſ. 26.

Fecitque ex vno omne genus hominum, inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum;

Fecitque. *Syr. Et condidit.*
Ex vno. *Syr. Ex vno ſanguine.*
Omne g. h. *Syr. Totum mundum.*
Inhabitare. *Syr. Vt degerent. S. Chryſ. Quod habitat.*
Super vniu. f. *Syr. In ſuperficie. S. Chryſ. Super omnem faciem.*
Terræ. *Syr. Vniuerſa terra.*
Definiens. *Syr. Et diſtinxit. S. Chryſ. Præfiniique.*
Statuta. *Syr. Decreto ſuo. S. Chryſ. Præſtituta. Oecum. Deſtinata.*
Terminos. *Syr. Poſuit terminos. S. Chryſ. Præfixit terminos.*
Eorum. *Syr. Hominum.*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
Verſ. 27. Quærere Deum, ſi fortè attrectent eum aut inueniant, quanuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm.	Quærere D. *S.Chryſ. Vt quærerent Deum. Ar. M. Quærere Dominum.* Si furtè a. e. *Syr. Exquirerentque. S. Chryſ. Si fortaſſis palpent eum.* Aut inu. *Syr. Et ab ipſius creaturâ inuenirent eum. Ar. M. Et inueniant.* Quamuis. *Syr. Quandoquidem.* Sit. *Syr. Eſt. S.Chryſ. Abſit. Ar. M. Subſiſtentem.*
Verſ. 28. In ipſo enim viuimus & mouemur & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.	In ipſo. *Pagn. Per ipſum.* Veſtr. poët. *Syr. E ſapientibus veſtris. S.Chryſ. Ex veſtris poëtis. Vat. Veſtratium poëtarum. Ar. M. Apud vos poëtarum.* Dixerunt. *Syr. Dixit.* Ipſius e. e. g. ſ. *Syr. Nam ab eo eſt progenies noſtra. S.Chryſ. Nam huius & progenies ſumus.*
Verſ. 29. Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro aut argento aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Diuinum eſſe ſimile.	Genus e. *Syr. Homo igitur noſtra proſapia. S.Chryſ. Progenies ergo.* Cùm ſimus D. *Syr. Cùm ſit à Deo. Ar. M. Subſiſtentes, Dei.* Æſtimare. *S.Chryſ. Putare. Pagn. Exiſtimare.* Sculpturæ a. *Syr. Inſculpto artificio. S.Chryſ. Arte ſculpto. Irin. ap. Mar. Deformato per artem.* Et cogitationis h. *Syr. Et ſcientiâ humanâ. S. Chryſ. Et inuento humano.* vel: *Inuentionis hominis. Pagn. Et inuento hominis. Irin. ap. Mar. Vel concupiſcentiam hominis.* Diuinum e. ſ. *S.Chryſ. Deum eſſe ſimilem.* vel: *Numen eſſe ſimile.*
Verſ. 30. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant;	Et t. q. *Oecum. Tempora itaque. Orig. Tempora igitur. Ar. M. Ipſa quidem ergo tempora.* Huius ign. *Syr. Idololatria. Oecum. Ignorantia.* Deſpiciens. *Syr. Præterire fecit. S. Chryſ. Cùm diſſimularit. Pagn. Cùm hactenus diſſimulauerit.* Nunc annunciat. *Syr. Hoc autem tempore præcipit. Orig. Nunc denunciat. Quidd. Codd. Nunc annait.* Hominibus. *S.Chryſ. Hominibus omnibus.* Vt omnes vbique. *Syr. Vt quilibet vbique. S.Chryſ. Vbique. Al. Vt omnes vtique.* Pœnit. ag. *Syr. Pœnitentiam agat. S. Chryſ. Reſipiſcant. Vat. Pœniteant.*
Verſ. 31. Eò quòd ſtatuit diem, in quo indicaturus eſt Orbem in æquitate, in Viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.	Eò quòd ſ. *Syr. Quippe qui ſtatuerit.* In quo. *Syr. Quo. Orig.* omittit. Iudic. e. *Ar. M. Futurus eſt iudicare. Orig. Iudicare.* Orbem. *Syr. Vniuerſam terram. Pagn. Orbem terrarum. Ar. M. Habitatam.* In æqu. *Syr. Cum æquitate. S.Chryſ. In iuſtitiâ. Vat. Cum iuſtitiâ.* In viro. *Syr. Per virum. Pagn. Per eum virum. Orig. In virum.* In quo ſ. *Syr. Quem definiit. S. Chryſ. Cui decreuit. Oecum. Quem decreuerat. Orig. Quem ſtatuit. Pagn. Per quem decreuerat. Ar. M. Quo ſtatuit.* Fidem p. o. *Syr. Et reſtituit vnumquemque hominem ad fidem eius. S.Chryſ. Fide præſtitâ omnibus. Orig. Præſtare fidem.* Suſcitans. *S. Chryſ. Reſuſcitando. Pagn. Cùm excitarit. Orig. Reſuſcitans.* A mort. *S.Chryſ. Ex mortuis.*
Verſ. 32. Cùm audiſſent autem reſurrectionem	Cùm a. *Syr. Audientes.* Mort. *Syr. A mortuis.*

mortuorum,

Vulgata Editio.

mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.

Vers. 33.
Sic Paulus exiuit de medio eorum:

Vers. 34.
Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt: in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Lectionum Varietas.

Quidam q. *Syr. Alij. S. Chrys. Alij quidem.*
Irrideb. *Syr. Subsannabant.*
Quidam. *Syr. Alij.*
Te de hoc. *Syr. Te de hac re. S. Chrys. Te super hac re. Pagn. De te hoc.*
Iterum. *Syr. Aliàs.*

Sic. *Syr. Et ita.*
De medio. *Vat. E medio.*

Quidam v. v. *Syr. Caeterùm quidam ex eis.*
Adhærentes. *Syr. Se se adiunxerunt.*
Credid. *Syr. Et crediderunt.*
In quibus &c. *Syr. Vnus autem ex eis erat. Oecum. Inter quos &.*
Areopag. *Syr. Ex iudicibus Areopagi.*
Mulier. *Syr. Mulier quadam.*

CAPVT XVII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Patiendi *desiderium in Paulo.* 1114
In animarum salute *quaerenda laborem non sentit, qui amat.* 1114
Probi doctoris *nota, auditorum salutem gloria sua praeferre.* 1115
Vera nobilitas *in quo sita.* 1116
Forenses cur in Paulum *excitarint Iudai.* 1116
Laboris *&* impietatis *nexus.* 1117
Mali malum *obiiciunt aliis, quod ipsi praestant.* 1117
Inuidia *eos excacat, quos corripit.* 1118

Venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudaeorum.

1114. PHILIPPIS egressus Paulus, Thessalonicam venit, vbi erat Iudæorum synagoga, quæ Philippis non erat: nimirum Iudæorum salutem quærit à Iudæis cõtumeliis lacessitus, plagiis vexatus. Patiendi desiderio Paulus æstuans, persecutores sequitur, sæuientibus adhæret Iudæis, inque eorum synagogis, illatarum iniuriarum oblitus, salutis verba prædicat, orbis totius prædicator.

Secundùm consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de Scripturis.

DVbium est, de quâ consuetudine hîc sermo sit: de Pauline consuetudine, aut de Iudæorum, an de vtrôrumque. Syrus secundum sensum amplectitur, vertens, *sicut solitus erat.* Sic & Carthusianus, dum habet, *secundùm consuetudinem autem suam Paulus.* Et aliqui ex Græco ad hunc sensum vertunt, *secundùm id autem, quod erat consuetum Paulo.* Cùm gentem suam singulari amore Paulus prosequeretur, prodesse ei non desinit, licèt se, suâ duritie, indignam exhibuerit. Assiduè prædicabat Paulus, & quamuis parùm proficeret, ob illius gentis malitiam, & obduratum cor, non destitit tamen à labore; amor quippe, ac iuuandi desiderium labo-

rem ferè sentiri non finit: leuis omnis labor amanti, quin & nullus. In animarum salute quærendâ laborem sentit, qui non amat: qui amat non sentit.

Adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis.

CHristi passionem, & resurrectionem sacris Litteris probat Paulus, vt Iudæos ad rectam in Christum Iesum fidem traduceret. Non Diuinæ Scripturæ obscura aperire loca Paulus studet, vt doctus, sapiensque appareret; suorum salutem quærebat, non suam gloriam: & ideo Christum, qui in sacris Scripturis laterat ex sacris Litteris exculpit, & Iudæis prædicat. Vera hæc probi doctoris nota, non gloriæ suæ consulere, dum docet, sed auditorum saluti. 1115.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non pauca.

ALiqui crediderunt Pauli verbis, sed non omnes, & *adiuncti sunt Paulo, & Silæ*; vt plenius scilicet erudirentur, informarentur. Non moram aliquam traxerunt: statim se Pauli, & Silæ consortio adiungunt, ne aliorum duritiâ; atque perfidiâ à bono proposito auocarentur.

Et mulieres nobiles non paucæ: In bono viri præeant, sequentur facilè mulieres ad pietatem flexiles, ac promptæ. *Nobiles* dicuntur; & verè nobilitatem veram produnt, dum, Pauli verbis fidem adhibentes, ad Christum conuertuntur. Maiorem nobilitatem tùnc indeptæ sunt, quàm haberent, prius ac venirent. *Sanguinis nobilitas nihil est, quam nulla nobilitat virtus.* 1116.

Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turbâ factâ, concitauerunt ciuitatem.

ZElo malo correpti Iudæi, inuidiæque liuore laborantes, ciuitatem in Paulum, Silamque atque in Iasonem, qui eos receperat, excitant, & exa-

euunt, malorum hominum operâ, quos ex vili plebe elegerant vrentes. *De valgo:* Græcè, *τῶν ἀγοραίων*, *ex circumforaneis*. Circumforaneos appellat eos, qui in foro versari solent, quos Pagninus *forenses* vocat, quales sunt vendentes, & ementes: hominum genus tumultibus assuetum, vt idoneos eos putauerint Iudæi, quos in hos Dei seruos concitarent.

1117. *Assumentes viros quosdam malos:* Assumunt malos mali. Græcè est, *πονηρούς*, *prauos, flagitiosos*. Hæc vox de egenis, miserisque dicitur: sed cohæret vtraque notio, nam praui homines, licèt felices, ac fortunati videantur, verè infelices, miseríque sunt; & quamuis temporalibus rebus abundare appareant, egeni, inopesque reuera existunt. Præterea, egestas magnam cum improbitate cognationem habet; sic enim plerumque accidit, vt paupertatis angustiâ homines pressi in grauissima flagitia incidant. Tandem, *πονηρὸς*, id est, *prauus*, &, *πονηρία*, id est, *improbitas* à labore denominatur (nam, *πόνος*, laborem significat) quia laborem, ac ærumnam improbitas afferat, etsi delectare videatur; & peccator graui labore prematur, licèt in deliciis natet, deliciis obsepiatur. Malos assumunt; etenim probos, & pios falsæ criminationis ministros adhibere non possent. Egregium Pauli, sociique innocentiæ testimonium, quòd non alij accusatores produci contra eos potuerint, quàm viles, praui, ex vulgi fæce homines.

Hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt.

SEditionis eos insimulant, quódque tumultus in vrbe excitarent. *Vrbem*, inquiunt, *concitant:* Græcè est, *οἰκουμένην*, *orbem*. Syrus, *Vniuersam terram*. Impij, cùm probos arguunt, res semper exaggerant: non concitant terram, sed excitant homines ad cælum, à terrâ auocant. *Vrbem concitant:* Mali malum obiiciunt, quod ipsi præstant. Qui vrbem concitabant in Paulum, & Silam, à Paulo, & Silâ concitari vrbem dicunt.

1118. *Et huc venerunt:* Suspectos eos reddunt, tanquam ignotos, extraneosque & tanquam errones, & vagabundos arguunt. Venerunt ad hanc vrbem, non contra ciues pugnaturi, sed pro ciuibus: venerunt illuc, vt illuc salus adueniret. Homines, opum cupiditas ad varias vrbes vrget: ita ad varias vrbes ferebantur, vt ad cœlestes illas diuitias, sine vllâ terreni lucri spe deferrent.

Quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse, Iesum.

Ioan. 19. 12. AQuàm fatuâ calliditate calumnia hæc fluxit. Cùm Iesus apud eos esset, aliquem hæc accusatio colorem habuit, quæ in eum intentata legitur: nunc, Christo in Cælis iam regnante, vana, & inanis erat: non enim contra decreta Cæsaris erat Regem alium in cælis esse; erat esse in terris terrenum: sed hoc inuidiæ dandum, ac liuori, qui rectè sentiendi, ac iudicandi potestatem quodammodo aufert, & eos, quos possidet excæcat adeò, vt delira, fatuaque, ac secum pugnantia proferant.

Et acceptâ satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.

1119. INsignis Iasonis hîc apparet pietas, insignis virtus, qui, non tantùm hospitio Paulum Silamque recipit, sed receptos defendit, & magno sui discrimine ab Iudæorum manibus subduxit. Dei seruos qui defendit, defendit se, & custodes eos habet, quorum est custos.

Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate.

DE quanam nobilitate hîc sermo est? sanguinis, an virtutis? Illa vera nobilitas non est, si careat istâ. Generis nobilitas adiunctam animi nobilitatem si habeat, vera est, vt illa istius sit pulchritudo, ac venustas. Nobilitatem suam hi prodiderunt, qui adeò humani, ac benefici in Paulum fuerunt.

Qui susceperunt verbum cum omni auiditate: Prodigij faciem quandam habet, vrbis nobiliores auiditate tantâ Dei verbum suscipere. Ferè Dei verbum contemnunt, qui, tanquam nobiliores, contemni ab aliis nolunt.

SECTIO II.

Euangelico doctori *posterior sui cura est.* 1120
Athenas *cur se contulerit Paulus.* 1120. 1121
Diuinæ gloriæ *zelus omnes difficultates superat.* 1121
Integerrimis iudicibus *reuerentia & honor exhibeatur.* 1122
Iniusti iudices *difficilè conuertuntur.* 1123
Curiositas *quàm noxia.* 1123.
Qui nouis rebus audiendis *vacant Deum ignotum colunt.* 1123
Cur Athenienses *alloquens proœmio non sit vsus Paulus.* 1124
De ignoti Dei *arâ.* 1126
Probi Doctoris *est, ad salutem referre, & ordinare, quæ ad ruinam erant extructa.* 1126

Tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.

CVr Paulum dimiserunt, non Silam, non Timotheum? Quia Paulus, tanquam verbi dux, ac prædicator præcipuè quærebatur. Ab vnius 1120.
Pauli nece maius damnum timeri poterat, quàm ab aliorum captiuâ, aut interfectione. Abiit Paulus, non vt mortem fugeret quam desiderabat, millies pro Iudæorum salute daturus vitam; sed prudenter ab Iudæorum manibus se subducit, vt eorum salutem quæreret, & sæuientibus opem ferret. Euangelico doctori posterior sui cura est, aut etiam nulla.

Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

ET honoris, & muniminis causâ Paulũ comitãtur, ne quas insidias à Iudæis pateretur. Athenas pertexere, vbi litteræ, & sapientia vigebat; sed hîc quoque magna Idolorum multitudo erat; adeo vt Idololatriæ primatum, inter alias orbis vrbes, Athenis deferat Theodoretus. Vt hinc colligeremus, litteras, & eruditionem, errorum germina, spinasque

nasque producere, nisi humilitate sepiantur: quod in nostri temporis hæreticis planum est, quos sapientiæ tumor in errorum voragines proficit.

1121. Athenas se confert Paulus; suósque comites, Silam, & Timotheum statim aduocat, ac si densam messem, in quâ laborarent, reperisset. Celeriter adiutores vocat, vt aliis quoque gloriam fructus dispertiret, nec vni sibi tribueret. Athenis errores euellere incipit Paulus, quia ex Athenis, velut ex capite, in alias vrbes, velut in membra, salutaris doctrinæ monita deriuanda erant; vt, quæ fuerat magistra erroris, talium magistrorum ope inciperet esse magistra veritatis.

Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem.

DOlebat Paulus, tam nobilem, eruditamque ciuitatem tot errorum tenebris inuolui; nec poterat se continere, quin animo æstuaret, & ob compassionem perditæ gentis, & desiderio eam iuuandi, & erudiendi; quod postea fecit. Verus hic animarum zelus: ibi animo magis feruere, vbi densiores tenebræ sunt, maiora crimina.

Quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse.

1122. VTilia, & salutaria docens Paulus contemnitur, & irridetur: non tamen à prædicationis munere abstinuit; quin irrisione, ac contumeliis ad eas inferentium salutem quærendam magis opinor, incitabatur, maiori diuinæ gloriæ Zelo æstuabat, quàm vt irrisionibus auocari à suo munere posset: vrgebatur potiùs.

Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: possumus scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?

AReopagi iudicio nihil erat constantius, nihil seuerius: hinc dicti sunt Areopagitæ, iudices seuerissimi, qui in templo, vel iuxta templum Martis iudicabant. Erant famâ integerrimi, virtute spectatissimi, iudicabantque noctu in tenebris, ne reorum mouerentur adspectu, flecterentur lachrymis. Sententiam autem ferebant non sermone, sed calculis, vt eorum taciturnitas abierit in prouerbium. Præ Areopagi, & Areopagitarum reuerentiâ nefas ducebant in eorum conspectu ridere. Vt hinc colligere liceat, quanta integerrimis iudicibus reuerentia debeatur, quantus honor, & quàm alieni ab omni personarum acceptione hi esse debeant.

1123. Ad Areopagum duxerunt Paulum, non vt ab eo aliquid cognoscerent, sed vt eum punirent, suppliciisque afficerent; ibi enim capitalia iudicia exercebantur. Sed contrà Dei prouidentia accidit: nam Euangelij dignitatem, & euangelicæ doctrinæ veritatem in Areopago adeò disertè probauit Paulus, vt iudicem ipsum Dionysium Areopagitam conuerterit, & à Gentilismo ad Christianismum traduxerit. Nimirum sincerè, & absque vllâ fraude iudicans à Deo illuminatur; quod difficilius fuisset si iudex corruptus exstitisset; vt videre est in illis, qui Christum iudicarunt: nullus conuersus legitur, quia nullus sincerè iudicauit, nullus iustè.

Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut audire aliquid noui.

NOn laborant, vt ad vtilitatem suam, & profectum discerent, sed vt inani sciendi studio satisfacerent. Noxia curiositas est, quæ impedit, ne salutaria monita quis ebibat. Otio Athenienses torpebant, & noua curiosè inuestigabant. Licèt nullum aliud crimen de illis recenseretur, ab hoc, vt à diuite fonte, multorum malorum scaturigines emanabant; nam, qui otio deditus est, facilè in multa labitur crimina, quæ à desidiâ nascuntur.

Nouitatis studiosi Athenienses fuere, & curiositatis quædam mancipia, vt non mirum si inter alia numina etiam aram haberent *ignoto Deo* sacram. *Ferè enim*, vt ille ait, *qui adeo nouitati student vt in* RABVS NOVIS AVDIANOIS, *aut dicendis totos absumant dies*, IGNOTO DEO, *vt Athenienses deseruiunt, hoc est aut nulli aut ficto, non certo, sed quem sibimet ipsi fabricant, & affingunt.*

Aut dicere, aut audire: Cognata hæc vitia sunt: qui noua percunctatur, noua facilè spargit, si audierit: percunctator, garrulus etiam est, & promptè omnia effundit, qui auidè, & curiosè excipit, vt se continere, vix queat, quin ipsi commissa in vulgus spargat. 1124.

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.

NOn prooemio vtitur Paulus non exordio; huius quippè vsus apud Athenienses interdictus erat: abstinet ergo ne statim offenderentur, & ita prædicationis fructus impediretur. Vt videas doctoris esse, omnibus omnia fieri, & omnium consuetudini, si apertè mala non sit, sese accommodare, vt omnes lucrifaciat.

Viri Athenienses: Magno honori ducebant ciues esse Athenienses, atque adeò dici. Iudæos alloquens Paulus, & Petrus dicebant: *Viri fratres.* Hic ciuitatis nomine vtitur, viros Athenienses eos vocat, vt, audito nomine, quo adeo gloriabantur, faciliùs flecterentur, & Pauli doctrinam reciperent. 1125.

Quasi superstitiosiores vos video: Magis eos pupugisset, si absolutè superstitiosos vocasset: lenius eos reprehendit, vt fructuosior correctio sit. Quid; quòd à studio pietatis eos laudare videtur; quippè qui nihil non Diuino dignentur honore in quo aliquid Diuinitatis deprehendere possint; adeò vt & ignoto Deo sacra facerent, aras erexerint, & in nimio deorum cultu peccarent.

Præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni & aram, in quâ scriptum erat: Ignoto Deo.

NOn curiosè Deorum simulachra, qui Athenis colebantur spectabat Paulus, sed ita inspectabat, vt colentium ignorantiam doleret, conuersionem cogitaret, & quæreret: & ideo ait. *Præ-* 1125.

teriens. Fors Deorum templa non introiuit, ne Deorum cultor, vel per errorem haberetur: potuit in ipso foro ignoti Dei ara esse, sicut & aræ duodecim Deorum erant. Quod si Deorum ædes ingressus est Paulus, id fecit, vt posset, tanquam oculatus testis, eorum errorem vanitatemque refellere.

Ignoto Deo: Multorum censio est, in plurali fuisse, *ignotis diis.* Philostrati verba sunt: *Praclarum est, modestiæ maioris indicium de diis omnibus bene loqui; Athenis præsertim, vbi etiam ignotis diis aræ sunt constitutæ.* Hoc idem Tertullianus significauit, dum ait: *Inuenio planè ignotis diis aras prostitutas, sed Attica idololatria est.* Cur ergo Paulus singulari numero rem enunciat? dicens, *Ignoto Deo.* An, quia non pluribus diis indigebat ignotis, sed vno tantùm, vt scilicet doceret, illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo, ac inscriptione prænotassent? Sed magis placet vni Deo aram dicatam, non pluribus; alioquin Athenienses Paulum falsitatis arguissent. Etiam Arabes aram ignoti Dei habebant, in qua pingues, & saginatos camelos sacrificabant; vt non soli Athenienses ignotum Deum coluerint.

Inueni & aram. Hæc veri doctoris consignatio est, satanicum hostem de sua paratura repercutere, & ad salutem referre, quæ ad ruinam erant extencta. Inscriptio illa fouendæ idololatriæ facta erat; Apostolus verò eâ vsus est, prædicandæ & suadendæ veritati. Pulchrè sanctus Chrysostomus orat. in Sanctum Paulum apud Photium: *O rem nouam? Ara diaboli Christi causa patrocinata est: inscriptio erroris veritati testimonium præbuit: fraudis fraudem detegendo publicauit: cum Prophetarum oracula Athenienses non caperent, ara & inscriptio dæmonum Pauli sapientia verum Dei cultum annunciauit: doluit sanè dæmon videns argutias suas in Christi laudem conuersas: ingemuit adspiciens Paulum ducem quondam suum contra se certantem, propriisque armis prosternentem.*

Quod ergò ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

APparet hîc magna dicendi libertas: nec loci, 1127.
nec auditorum maiestate terretur Paolus: apertè eorum prodit errores, palam arguit, intrepidè loquitur, nihil timet. Vbi de erroribus extirpandis agitur, qui multos obsident, timor omnis enumendus est.

Genus ergò cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile.

CVr non dixit: *Non debetis, ô impij, atque sacrilegi, æstimare, auro, aut argento, aut lapidi Deum esse similem.* Abstinuit ab hac loquendi formulâ, ne auditores irritaret, & irritando prædicationis impediret fructum. Humiliùs, & modestiùs dixit, *non debemus æstimare auro;* suam cum illis personam coniungens, quos charitatis, & affectus exceperat sinu.



Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XVIII. ACT. APOST.

Vers. 1.

POST hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum:

Post hæc. *Syr. Porrò. S. Chrys. Post hæc autem.*
Egressus. *Syr. Quum Paulus discessit. S. Chrys. Separatus. Pagn. Digressus Paulus.*

Vers. 2.

Et inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italiâ, & Priscillam vxorem eius, (eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Româ) accessit ad eos.

Inueniens. *Syr. Inuenit ille. Vat. Nactus.*
Quendam. *Syr. Virum quendam.*
Ponticum genere. *Syr. Qui cum esset ex regione Ponti. S. Chrys. Qui & genere Ponticus erat.*
Qui nuper. *Syr. Illo tempore. S. Chrys. Nuperque.*
Ab Ital. *Syr. Ex regione Italiæ ipse.*
Prisc. v. *Syr. Priscilla uxor. Ar. M. Priscillam mulierem.*
Eò quod pr. *Quandoquidem edixerat. Ar. M. Propter ordinasse.*
Claudius. *Syr. Claudius Cæsar. Ar. M. Claudium.*
Discedere. *Syr. Vt excederint. S. Chrys. Separari. Oecum. Decedere.*
Iudæos. *Syr. Iudæi.*
Accessit a. e. *Syr. Itaque accessit ad eos. S. Chrys. Accessit eos.*

Vers. 3.

Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem scenofactoriæ artis.)

Eiusdem e. a. *Syr. Erat filius artis ipsorum. S. Chrys. Eiusdem essent opificij. Pagn. Eiusdem erat artificij.*
Manebat. *Syr. Diuersatus est. S. Chrys. Mansit.*
Operabatur. *Syr. Operabatur cum eis. S. Chrys. Operatus est.*
Erant a. s. a. *Syr. Cæterum in artificio ipsorum opifices conopeorum erant. Ar. M. Erat autem ars illorum texere tabernacula.*

Vers. 4.

Vulgata Editio.

Vers. 4.

Et disputabat in synagogâ per omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatque Iudæis & Græcis.

Vers. 5.

Cùm venissent autem de Macedoniâ Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis, esse Christum Iesum.

Vers. 6.

Contradicentibus autem eis & blasphemantibus excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

Vers. 7.

Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ.

Vers. 8.

Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo suâ: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

Vers. 9.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere; sed loquere, & ne taceas,

Vers. 10.

Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, vt noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.

Vers. 11.

Sedit autem ibi annum & sex menses,

Lectionum Varietas.

Et disp. *Syr. Verba autem faciebat.*
Per omne sabb. *Syr. Omni sabbato.*
Interponens nomen n. D. I. *Syr. Goth. Et ferè omnes* omittunt.
Suadebat. *Syr. Persuadebat.*
Iudæis. *Syr. Tam Iudæis. Vat. Iudæis pariter.*
Et Græcis. *Syr. Quàm Ethnicis.*

Cùm venis. *Ar. M. Vt venissent.*
Instab. v. *Syr. Constringebatur sermone. Pagn. Coarctabatur spiritu. Ar. M. Constringebatur spiritu.*
Paulus. *Syr. Ipse Paulus.*
Testificans I. *Syr. Cùm testaretur eis.*
Esse Ch. I. *Oecum. Iesum esse Christum. Pagn. Christum esse Iesum.*

Contrad. a. e. *Syr. Quòd insurgerent in eum Iudæi. Ar. M. Oppositis autem eis.*
Blasph. *Syr. Blasphemarent. S. Chrys. Blasphema loquentibus.*
Excut. *Syr. Proinde excussis.*
Vestimen. s. *Syr. Vestibus suis. S. Chrys. Vestimentis.*
Sanguis v. s. c. v. *Syr.* omittit.
Mundus e. *Syr. Posthac mundus sum.*
Ex hoc. *Syr. Ego. S. Chrys. Ab hoc tempore. Pagn. Posthac. Ar. M. A nunc.*
Vadam. *Syr. Proficiscor.*

Et migr. i. *Syr. Itaque exiit. S. Chrys. Et digressus.*
Intrauit. *Syr. Ingressus est.*
In d. c. *Syr. Ædes viri cuiusdam.*
Titi iusti. *Syr. Titi. S. Chrys. Iusti.*
Colentis. *Syr. Qui quidem venerebatur.*
Cuius d. *Syr. Domus autem eius.*
Erat coniunc. *Syr. Adherebat. S. Chrys. Erat contigua.*

Archisynag. *S. Chrys. Principes synagoga.*
Credid. D. *Syr. Crediderat in Dominum nostrum ipso.*
Cum omni. *Syr. Et omnes. S. Chrys. Cum totâ.*
Domo s. *Syr. Domestici eius.*
Multi. *Syr. Plurimi.*
Audientes cred. *Syr. Audientes cred. Syr. Audiebant & credebant in Deum. S. Chrys. Audientes crediderunt.*
Baptiz. *S. Chrys. Baptizati sunt.*

Nocte. *Syr.* omittit: *S. Chrys. In nocte.*
Visionem. *Syr. Visum.*
Noli t. *S. Chrys. Ne timeas.*
Taceas. *Syr. Tacueris. S. Chrys. Sileas.*

Propter q. e. s. *Caiet. Propterea quòd ego sim.*
Nemo a. t. *Syr. Nemo poterit. Goth. Nemo apponet: S. Chrys. Nullus adorietur te. M. SS. Nullus poterit.*
Vt noceat te. *Syr. Tibi molestiam exhibere. S. Chrys. Vt affligat te. Mar. Vt noceat tibi. M. SS. Nocere tibi.*
Quoniam p. *Syr. Et populus. S. Chrys. Eò quod populus.*
Multus. *S. Chrys. Magnus.*

Sedit a. i. *Syr. Habitauit ergo Corinthi. Quidd. codd. Sedit autem.*
Docens. *Syr. Et docebat.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

docens apud eos verbum Dei.

Apud eos. *Syr. Eos. S. Chrys. Inter eos. Ar.M. In eis.*
Verbum. *S. Chrys. Sermonem.*

Vers. 12.

Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

Gall. a. p. *S. Chrys. Caterùm cùm Gallio ageret proconsulem.*
Insurr. *Syr. Coacti sunt.*
Vno a. I. *Syr. Simul. S.Chrys. Unanimiter Iudai. Ar. M. Concorditer Iudai.*
In P. *S. Chrys. Contra Paulum. Ar. M. Paulo.*
Adduxerunt. *Syr. Sisterunt. S. Chrys. Duxerunt.*
Ad trib. *Syr. Ante tribunal.*

Vers. 13.

Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.

Contra l. *Syr. Prater legem.*
Persuadet. *Pagn. Suadet.*
Colere. *Syr. Reuereri.*

Vers. 14.

Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: siquidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, ô viri Iudæi, rectè vos sustinerem:

Incip. a. p. a. o. *Syr. Cúmque postularet Paulus, vt aperiret os suum & loqueretur. Pagn. Cum autem Paulus iam pararet aperire os.*
Ad I. *Sy. Iudais.*
Si quidem esset i. a. *Syr. Si de quopiam malo aut fraude. Caiet. Si qua iniuria esset.*
Aut fac. pes. *Syr. Aut flagitio reum postularetis. Caiet. Aut facinus malum.*
Viri. *Iudai. Oecum. Iudai.*
Rectè. *Syr. Vt par est. Pagn. Meritò. Ar.M. Iuxta rationem vtique.*
Sustinerem. *Syr. Reciperem.*

Vers. 15.

Si verò quæstiones sunt de verbo & nominibus & lege vestrâ, vos ipsi videritis: iudex ego horum nolo esse.

Si verò. *Syr. Sin autem.*
Quæstiones s. *Pagn. Quastio est.*
Verbo. *Oecum. Sermone.*
Et lege. *Goth. Legis.*
Vestra. *Goth. Vestra. Oecum. Qua apud vos. Pagn. Vestrate. Ar.M. Qua secundùm vos.*
Vos ipsi vid. *Syr. Ipsi nostis inter vos.*
Iudex. *Vat. Iudex enim.*
Horum. *Syr. Horum placitorum.*

Vers. 16.

Et minauit eos à tribunali.

Et minauit. *Syr. Proinde amandauit. Vat. Et abegit. Caiet. Et depulit.*
Tribun. *Syr. Suo Tribunali.*

Vers. 17.

Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

Apprehen. a. *Syr. Caterùm comprehenderunt. Pagn. Apprehensum autem.*
Omnes. *Syr. Omnes Ethnici. Pagn. Omnes Graci.*
Principem. *Syr. Seniorem.*
Percutiebant e. *Syr. Et cadebant eum. Pagn. Percutiebant.*
Et nihil e. *Syr. Hac autem. Oecum. Nec quicquam eorum.*
Galioni c. e. *Syr. Gallio paruipendebat.*

Vers. 18.

Paulus verò, cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum.

Cum a. s. *Syr. Cùm illic egisset. S.Chrys. Expectans. Oecum. Postea commoratus. Pagn. Deinde commoratus. Ar.M. Adhuc admanens.*
Valefac. *Syr. Dedit pacem. S.Chrys. Vale dicto. Oecum. Cùm vale dixisset. Al. Valedictis.*
Nauig. *Syr. Ac mare sulcauit, vt proficisceretur. S. Chrys. Abnauigauit. Oeum. Enauigauit.*
Et c. eo. *Syr. Veneruntque cum eo. S.Chrys. Et cum. Pagn. Comitantibus eum.*
Qui. *Syr. Cùm suum. S.Chrys. Posteaquàm.*
Sibi totonderat. *Syr. Totondisset suum. S. Chrys. Raserat.*
Hab. e. v. *Syr. Siquidem nuncupauerat.*

Vers. 19.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 19.

Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit: Ipse verò ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis.

Deuenitque. *Syr. Perneniteque.*
Et i. i. r. *Syr.* omittit.
Ipse v. ingr. *Syr. Et ingressus est Paulus.*
Disp. cum I. *Syr. Verbaque fecit ad Iudaeos. Ar. M. Disputabat Iudaeis.*

Vers. 20.

Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit:

Rogant. a. e. *Syr. Et efflagitabant ab eo. Ar. M. Interrogantibus autem eis.*
Ampliori temp. m. *Syr. Commoraretur apud eos. Goth. Ampliori tempore maneret ibi. S. Chrys. Ampliori tempore apud illos. Ar. M. Super plus tempus manere apud eos.*
Non consensit. *Syr. Nec assensum praebuit. S. Chrys. Non annuit.*

Vers. 21.

Sed valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos, Deo volente, profectus est ab Epheso.

Sed valef. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Sed vale dixit eis.*
Et d. *Syr. Dicens: oportet certè festum venturum me in Ierusalem agere. S. Chrys. Dicens. Pagn. Dicens: oportet omnino me festum, quod instat, agere Ierosolymis. Ar. M. Dicens: Oportet, me omninò festum venientem facere in Ierosolymâ.*
Iterum. *S. Chrys. Iterum autem. Vat. Sed iterum.*
Deo vol. *Syr. Si Deus voluerit.*
Et prof. e. a. E. *Syr. Aquilam autem & Priscillam reliquit Ephesi: ipse verò per mare perrexit. S. Chrys. Et soluit ab Epheso.*

Vers. 22.

Et, descendens Cæsaream, ascendit & salutauit ecclesiam, & descendit Antiochiam.

Descendens. *Syr. Venit. S. Chrys. Vt peruenit.*
Cæsaream. *S. Chrys. In Caesaream.*
Ascendit ac salut. *S. Chrys. Ascendissetque & salutasset.*
Eccles. *Syr. Filios ecclesiae.*
Et descendit. *Syr. Tum profectus est. S. Chrys. Descendit.*

Vers. 23.

Et, facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Facto i. a. t. *Syr. Cùm egisset illic dies aliquot. S. Chrys. Facto multo tempore. Oecum. Commoratus ibi aliquantum temporis.*
Prof. e. *Syr. Discessit. S. Chrys. Exiuit.*
Peramb. ex o. *Syr. Et peragrauit ordine. S. Chrys. Transiuit deinceps.*
Galat. reg. e. Phr. *Syr. Regionem Phrygiae & Galatiae. S. Chrys. Per Galaticam regionem & Phrygiam*
Confir. *Syr. Dum confirmaret.*

Vers. 24.

Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis.

Iud. a. q. *Syr. Porrò vir quidam Iudaeus.*
Genere. *Syr. Natione.*
Vir eloqu. *Syr. Et praeditus facundiâ.*
Deuenit. *Syr. Venit.*
Potens i S. *Syr. Peritissimus Scripturarum. Ar. M. Potens existens in Scripturis. Al. Potens in Scripturâ.*

Vers. 25.

Hic erat edoctus viam Domini; & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu, sciens tantùm baptisma Ioannis.

Edoctus v. *Pagn. Institutus in viâ.*
Loqueb. *Syr. Proinde loquebatur.*
Dili. *Syr. Planè.*
Ea q. s. I. *Syr. De Iesu. Goth. Ea quae sunt de Iesu. S. Chrys. De Domino. Vat. Ea, quae sunt Domini.*

Vers. 26.

Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagogâ: Quem cùm audissent Priscilla &

Hic ergo cœpit. *Syr. Cœpitque. S. Chrys. Hic coepit.*
Fiducialiter a. *Syr. Palàm loqui. S. Chrys. Liberè annunciare Pagn. Liberè loqui.*
Quem cum audissent. *Syr. Quem cùm audisset. S. Chrys. Audientes illum*
Priscilla e. A. *Syr. Aquila & Priscilla.*
Assump. e. *Syr. Adduxerunt domi sua.*

Vulgata Editio.

Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.

Vers. 27.

Cùm autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, vt susciperent eum: Qui, cùm venisset, contulit multùm his, qui crediderant.

Vers. 28.

Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse Christum Iesum.

Lectionum Varietas.

Diligentiùs. *Syr. Pleniùs. S. Chrys. Diligenter. Oecum. Exactiùs.*
Expos. ei. *Syr. Ostenderunt ei. S. Chrys. Prædicauerũt*
Viam D. *S. Chrys. Vitam Dei. Pagn. Viam Dei.*

Ire. *Syr. Proficisci.*
Exhortati. *Syr. Præuenerunt eum.*
Scrip. d. *Syr. Scripseruntque ad discipulos.*
Susciperent. *Syr. Exciperent.*
Contulit. *Syr. Adiuuit.*
His qui c. *Syr. Per gratiam omnes fideles. Pagn. His, qui crediderunt per gratiam. Ar. M. Credentibus per gratiam.*

Iudæos r. *Syr. Disceptabat contra Iudæos. Ar. M. Iudæos redarguebat.*
Publicè. *Syr Coram cœtu*
Ostendens. *Syr. Demonstrans.*
Esse C. I. *Oecum. Iesum esse Christum. Vat. Quod Iesus esse ille Christus.*

CAPVT XVIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Christi verba *contemni, Christi seruus ferre non potest.* 1128
Manuum labor *quàm vtilis.* 1129
A terrenorum *affectu liber prædicator sit.* 1129
Sacras litteras *qui profitentur, artem aliquam addiscere apud Hebræos iubentur.* 1130
Dei amatores *lucrum mortem reputant, mortem animas non lucrari.* 1131
Apostolici prædicatoris *est, salutem afferre aliis, non sua quærere commoda.* 1132
Singulari affectu cur Antiochiam *Paulus prosequeretur.* 1133

Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum.

1128. CVr diu Athenis Paulus non permansit? An, quia Athenienses nouitatis studiosi, audita Pauli doctrinâ statim exaturati sunt, vt noua rursùs audire vellent, expositâ fastidirent? Abit Corinthum Paulus, Atheniensibus relictis, quia nouarum rerum auidi iis, quæ à Paulo dicebantur, non intendebant. Se contemni, & contumeliis obrui ferre Paulus potuit; non potuit sustinere, Dei verba haberi contemptui. Corinthum se contulit, quæ ciuitas oratoribus plena erat, plena philosophis, ac sapientibus; sed à verâ Christi doctrinâ fors eò magis aberat, quò externæ doctrinæ splendore magis intumescebat, vt proinde Pauli aduentus magis fuerit necessarius.

Et inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, & Priscillam vxorem eius, accessit ad eos.

1129. CVr potiùs ad hos se recepit Paulus, quàm ad alios? Quia non luxui vacabant, non otio tempus terebant, sed suis manibus laborabant. Ad hos accessit, vt, laborandi occasionem nactus, otium fugeret, à quo abhorrebat. Pende, quàm vtilis manuum labor sit, quamque viris iustis placeat. Hospitio Paulum minimè recepissent, si otio, atque desidiâ torpuissent.

Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis.

QVamuis sciret Paulus, dignum esse operarium suâ mercede, suo cibo; laborare tamen propriis manibus voluit, vt victum sibi acquireret, ne quem grauaret, vtque ad laborem alios suo exemplo prouocaret, ad otium vitandum alliceret, sicque eos deterreret, qui solius quæstus causâ prædicabant. Denique ab omni sorde liber, ab omni auaritiâ, liberiùs loqui poterat, libentiùs audiebatur. Explicari non potest, quàm altè auditorum mentibus illius doctoris verba insideant, qui ab omni rerum terrenarum affectu immunis æstimatur, & est.

Victum propriis manibus sibi acquirebat Pau- 1130.
lus, vt maiori pondere, ac efficaciâ, atque fiduciâ alios ad bona opera inhortaretur. Pauli verba fulmina videntur extitisse non verba: non fuissent, si quæstui studuisset, ac lucro. Quid? Quòd antiqua apud Iudæos lex vigebat, cuius antiqui Rabbini, magnique nominis meminerunt, vt scilicet, qui litteras sacras profiteri vellent, manuale officium addiscerent, quo sibi victum pararent: adeò ab omni rerum cupiditate abesse debent, qui Diuinarum Scripturarum studio addicti sunt.

Erant autem scenofactoriæ artis: Syrus, *opifices autem cenopæorum erant.* Aliqui de tabernaculis, & funibus exponunt: alij de auleis, quæ diuitum, & magnatuum exornant domus: quod aliquibus non placet, quia non sit verisimile, Paulum, Aquilam, & Priscillam artificium exercuisse fouendæ voluptati, luxuique potiùs destinatum, quàm leuandæ necessitati. Censeo pelles macerasse, ac præparasse, ac deinde tabernacula ex pellibus confecisse.

Hanc mechanicam artem exercere Paulus voluit, ne vlli fidelium pro victu, atque vestito esset

molestus,

moleſtus, ſtatimque conſtaret; ipſum non lucra venari, ſed animas; ſicque plures ad Chriſtum alliceret.

Et migrans inde, intrauit in domum cuiuſdam, nomine Titi Iuſti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta ſynagoga.

1131. ET *migrans inde*: Ab Aquilæ, & Priſcillæ domo Paulus diſceſſit, vt hoſpitis caueret damnum, quod eis ex Pauli receptione imminebat. *Intrauit in domum cuiuſdam nomine Titi iuſti*: Etſi gentilis, colebat tamen Deum iſte Titus. Ex auditione legis, pietatem haurire potuit, & idcircò domum ſynagogæ proximam habebat: adeò ſalutare eſt Diuina verba audire, & ſpiritualibus colloquiis intereſſe. Colebat iſte Titus Deum, &, domum iuxta ſynagogam habuiſſe legitur; vt ſciremus, quantam vtilitatem à Diuinæ legis auditione reportauerit.

Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas.

CVr timorem euomere iubetur Paulus? An imperterritus illius animus potuit timore aliquo corripi? Non de proprio periculo timet: de alieno damno propter alienam incredulitatem, nequitiamque timet: non ſibi, vitæ ſuæ; ſed aliis, quos ad ſalutis viam redire ſummopere cupiebat, & ob eorum duritiam timebat, ne irritus eius labor eſſet.

Non timebat Paulus, ne vitam prodigeret, hoc quippe in votis habebat; ſed timebat, ne irritus & caſſus eius labor eſſet futurus, adeò vt melius alibi locari poſſet. Dei amatores lucrum, mortem reputant; mortem verò, animas non lucrari.

Sedit autem ibi annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei.

1132. ELucet hîc parſimonia Pauli cum ſummâ patientiâ coniuncta. Tandiu apud Corinthios cæleſtem panem per prædicationem exhibuit, nec vnquam doluit, aut quæſtus eſt, ſe terrenum ab ipſis panem non accipere. Ab exhortatione reſilit, licèt nullum beneficentiæ ſignum in prædicatorem reſiliret; Nimirum, *Apoſtolici prædicatoris eſt, ſalutem ſuis afferre, non commoda referre à ſuis.*

Deuenitque Epheſum, & illos ibi reliquit ipſe verò ingreſſus ſynagogam, diſputabat cum Iudæis.

FRatrum ſuorum ſalutem quærit ſemper Paulus, ac primo quidem loco; ac ſi illorum cura tangeretur duntaxat: nimirum quò magis in eum Iudæi ſæuiebant eo ardentiùs ipſe in eorum profectum laborabat. *Diſputabat cum Iudæis*: Quia ſcilicet doctrinæ, quam Paulus prædicabat, contradicebant Iudæi.

Valefaciens, & dicens, Iterum reuertar ad vos Deo volente. Profectus eſt ab Epheſo.

FOrmula iſta, *Deo volente*, in rebus omnibus, 1133.
actibuſque ſemper ſubintelligitur: frequenter etiam exprimenda, ſicut hîc Paulus facit; continet quippe imminentis mortis memoriam, ac cogitationem, & auxilij Diuini ſummopere neceſſarij quorum duorum cogitatio maximè circumſpectos homines reddit, modeſtos, humileſque.

Et deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutauit eccleſiam, & deſcendit Antiochiam.

SAlutauit eccleſiam Paulus, ſcilicet Ieroſolymitanam. Salutauit tantùm, nullum ibi euangelicum exercuit miniſterium, non quia laborem defugeret; ſed quia id fratres prohibuerunt, ne ſcilicet tumultus aliquis propter ipſum excitaretur. Deſcendit Antiochiam, quam ſingulari affecto proſequebatur, quia primùm ibi diſcipuli appellati ſunt Chriſtiani, ibique traditus eſt gratiæ Dei.



Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XIX. ACT. APOST.

Verſ. 1.

FACTVM eſt autem, cùm Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus, peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum, & inueniret quoſdam diſcipulos.

Factum eſt a. e. *Syr. Cùm. Oecum. Accidit autem cùm.*
Eſſet. *Syr. Degeret.*
Vt P. p. ſ. p. *Syr. Paulus peragrauit regiones ſuperiores.*
Veniret. E. *Syr. Ad Epheſum.*
Inuen. q. d. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Inuentis quibuſdam diſcipulis. Pagn. Repertis quibuſdam diſcipulis.*

Verſ. 2.

Dixitque ad eos: ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad

Dixitque a. e. *Syr. Et interrogauit diſcipulos, quos illic inuenit.*
Si. *S. Chryſ. Num.*
Sanctum. *Syr. Sanctitatis.*
Accepiſtis. *Syr. Recepiſtis.*
Credentes. *S. Chryſ. Poſteaquàm credidiſtis.*

eum:

Vulgata Editio.

eum: sed neque, si Spiritus sanctus est audiuimus.

Vers. 3.

Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate.

Vers. 4.

Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens; in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum.

Vers. 5.

His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.

Vers. 6.

Et, cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.

Vers. 7.

Erant autem omnes viri ferè duodecim.

Vers. 8.

Introgressus autem synagogam, cum fiduciâ loquebatur per tres menses, disputans & suadens de Regno Dei.

Vers. 9.

Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine; discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidiè disputans in scholâ Tyranni cuiusdam.

Vers. 10.

Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Asiâ, au-

Lectionum Varietas.

At i. d. a. e. *Syr. Responderunt & dicunt ei.*
Sed neque. *Syr. Ne quidem. Vat. Immo neque.*
Si Sp. s. e. *Syr. An sit Spiritus. S. Chrys. An sit Spiritus sanctus. Pagn. Sit ne Spiritus sanctus.*
Audiu. *Syr. Auditione accepimus.*

In quo. *S. Chrys. Ad quid. Oecum. Quo. Vat. In quid.*
In Ioannis. *Oecum. Ioannis.*

Ioannes. *S. Chrys. Ioannes quidem.*
Populum d. *Syr. Populos, dicens. S. Chrys. Populo dicens. Pagn. Populo loquens.*
In eum. *Pagn. De eo.*
In Iesum. *Syr. In Iesum Christum. S. Chrys. In Christum Iesum. Pagn. De Christo Iesu.*

His a. *S. Chrys. Vt autem audierunt. Ar. M. Audientes autem.*
Bap. s. *Syr. Baptizabantur.*
Domini I. *Syr. Domini nostri Iesu Christi. S. Chrys. Iesu Christi.*

Cum i. *Syr. Imponebat. S. Chrys. Postquam imposuit.*
Manus. *Syr. Manum.*
Venit. *Syr. Veniebatque.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
Super eos. *Syr. In eos.*
Et loqu. *Syr. Perinde loquebantur.*
Ling. e. p. *Syr. Singulis linguis ac vaticinabantur.*

Erant a. *S. Chrys. Erantque.*
Viri. *Syr. Isti viri.*
Ferè duod. *Syr. Duodecim. S. Chrys. Quasi duodecim.*

Introgress. *S. Chrys. Ingressus.*
Synag. *S. Chrys. In synagogam.*
Cum fid. *Syr. Palàm. S. Chrys. Liberè.*
Loqu. *S. Chrys. Loquutus est.*
Per tres m. *Syr. Tribus mensibus. S. Chrys. Ad tres menses.*
Disput. & s. *Syr. Ac persuadebat. S. Chrys. Disserens & suadens.*
De Regno. *Vat. Ea quæ sunt de regno. Ar. M. Quæ de Regno.*

Cùm a. q. i. *Syr. Quidam autem ex eis indurabantur. S. Chrys. Quia autem quidam ex eis indurabantur.*
Non cred. *Syr. Excandescebant. S. Chrys. Non persuadebantur.*
Maled. v. *Syr. Atque conuitiis proscindebant viam. S. Chrys. Malè loquentibus de viâ. Oecum. Maledicentes via.*
Multit. *Syr. Turba Gentium.*
Discedens ab eis. *Syr. Tunc recedere fecit Paulus. S. Chrys. Digressus ab illis.*
Segregauit. *Syr. Et separauit ab eis.*
Quotid. d. *Syr. Et quotidiè verba faciebat ad eos. S. Chrys. Quotidie disserens.*
Tyranni c. *Syr. Viri cuiusdam nomine Tyranni.*

Bien. *S. Chrys. Annos duos.*
Ita vt om. q. *Syr. Vsque dum quotquot.*
Audirent. *Syr. Audissent.*
Verbum D. *S. Chrys. Verbum Domini Iesu. Oecum.*

direnc

Vulgata Editio. | *Lectionum varietas.*

dirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.

Sermonem de Domino Iesu. Pagn. Sermonem Domini Iesu.
Iud. e. Gent. *S. Chrys. Tam Iudai, quàm Gentiles. Pagn. Iudai simul & Graci.*

Vers. 11.
Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:

Virtutesque. *Syr. Porrò virtutes. Caiet. Potentiasque.*
Non quaslibet. *Syr. Maximas. S. Chrys. Non vulgares. Caiet. Non medicas quaslibet. &, Non casuales.*
Faciebat. *Vat. Edebat.*
Manum. *S. Chrys. Manus.*

Vers. 12.
Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia; & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Super lang. *Syr. Ægrotis. S. Chrys. Super infirmos.*
Deferrentur. *Syr. Imponeretur. S.Chrys. Auferrent. Pagn. Differrentur. Ar. M. Adferri.*
A corpore eius. *Syr. A vestimentis, quae erant super corpus eius.*
Et semic. *Syr. Aut scissura. Pagn. Et semicinctia. Mar. ex Gr.* vel *Semicinctia.*
Reced. *Syr. Discederent. S. Chrys. Liberabantur. Ar. M. Abscedere.*
Ab e. languores. *S. Chrys. Ab infirmitatibus suis. Oecum. Ab eis morbi.*
Et sp. neq. *Syr. Atque adeò dæmonia. S. Chrys. Et spiritus immundi. Oecum. Spiritus praui. Ar. M. Spiritus malignos. Caiet. Spiritus mali.*
Egrediebantur. *Syr. Exirent. S. Chrys. Egrederentur ab eis.*

Vers. 13.
Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat.

Tentauerunt. *Syr. Studebant. S. Chrys. Attentauerunt.*
Quidam &. *Oecum. Quidam.*
De circum. *Syr. Iudai, qui circulabant. S.Chrys. Ex Iudais, qui obambulabant. Pagn. E circumeuntibus Iudæis.*
Exorcistis. *Syr. Et adiurant dæmonia.*
Inuocare *Syr. Adiurare. S.Chrys. Nominare.*
Eos qui h. *Syr. Eos, qui in quibus erant. Ar. M. Habitantes.*
Malos. *Syr. Immundi. Oecum. Prauos.*
Domini. *Syr. Domini nostri.*
Adiuro. *S.Chrys. Exorcizamus. Pagn. Adiuramus.*
Iesum. *Syr. Nomen Iesu.*

Vers. 14.
Erant autem quidam Iudæi Sceuæ principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant.

Quidam Iudæi Seuæ p. s. s. f. *Syr. Septem filij viri cuiusdam Iudai summi sacerdotis, cui nomen erat Scena. S. Chrys. Erant Iudai Sceua principis sacerdotum septem filij. Caiet. Cuiusdam Iudai nomine Sceua principis sacerdotum sepeem filij. Mar. Sceua Iudai è pracipuis sacerdotibus septem filij erant.*

Vers. 15.
Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis?

Spiritus nequam. *Syr. Cacodæmon ille. S.Chrys. Spiritus malus. Ar. M. Spiritus malignus.*
Noui. *S. Chrys. Cognosco.*
Qui. *Oecum. Quinam.*

Vers. 16.
Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus am-

Insiliens h. *Syr. Insiliit homo ille.*
Dæmon. pes. *S.Chrys. Spiritus malus. Vat. Dæmonium malum. Ar. M. Spiritus malignus.*
Et domin. amb. *Syr. Et inualuit contra eos. S.Chrys. omittit. Ar. M. Et prædominatus eis. Caiet. Et dominatus eis.*
Inualuit contra eos. *Syr. Eosque subiecit.*
Nudi. *Syr. Nudati.*
Vulnerati. *S. Chrys. Saucij.*

borum;

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

borum, inualuit contra eos; ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illâ.

Effugerent. *Syr. Fugerent.*
De domo illâ. *Syr. Ab adibus illis. S. Chrys. De domo illius. Ar. M. Ex domo illa.*

Vers. 17.

Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis atque Gentibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu:

Notum f. e. *Pagn. Innotuit.*
Iudæis. *Syr. Tum Iudais.*
Atque G. *Syr. Tum Gentilibus. S. Chrys. Atque Gracis. Pagn. Simul & Gracis.*
Cecidit t. s. o. i. *Syr. Incidit timor in omnes. S. Chrys. Factus timor super omnes illos. Vat. Incidit timor super omnes illos.*
Magnificabatur. *Syr. Exaltabatur. S. Chrys. Magnificatum est.*
Domini Iesu. *S. Chrys. Domini nostri Iesu Christi.*

Vers. 18.

Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.

Multi. *Syr. Plurimi.*
Credentium. *Syr. Ex iis qui crediderant. S. Chrys. Eorum, qui crediderant.*
Veniebant. *S. Chrys. Venerunt.*
Confit. *Syr. Et renunciabant offensas suas.*
Annunciantes. *Syr. Confitebantur.*
Actus s. *Syr. Quod fecerant. S. Chrys. Opera sua. Oecum. Facta sua.*

Vers. 19.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: &, computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

Multi autem. *Syr. Multi autem etiam. S. Chrysost. Multi autem erant. Oecum. Multi quoque.*
Ex eis, qui f. c. s. *Syr. Et magis. S. Chrys. Ex his, qui curiosas artes exercuerant. Ar. M. Curiosa agentium.*
Contulerunt. *Syr. Congregarunt. S. Chrys. Qui comportatos. Ar. M. Conferentes.*
Libros. *Syr. Libros suos.*
Et comb. *Syr. Allatosque concremarunt. S. Chrys. Exusserunt.*
Et comp. p. *Syr. Caterum supputarunt pretium. S. Chrys. Et computauerunt pretium.*
Inuenerunt. *Syr. Et ascendit. S. Chrys. Et repererunt.*
Denariorum quinquaginta m. *Syr. Ad argenti quinque myriadas. S. Chrys. Nummorum quinquaginta millia. Oecum. Argenti quinquaginta millia. Pagn. Pecunia quinquaginta millia nummos. Vat. Pecunia quinquaginta millia.*

Vers. 20.

Ita fortiter crescebat verbum Dei & confirmabatur.

Ita fortiter. *Syr. Vsque adeò virtute magnâ. Ar. M. Ita per potentiam.*
Crescebat. *Syr. Inualescebat.*
Verbum D. *Syr. Fides in Deum. Pagn. Sermo Dei. Oecum. Verbum Domini.*
Confirmab. *Syr. Progressus faciebat. Ar. M. Inualescebat. M. SS. Confortabatur.*

Vers. 21.

His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transitâ Macedoniâ & Achaiâ, ire Ierosolymam dicens: Quoniam postquàm fuero ibi, oportet me & Romam videre.

Expletis. *Syr. Peractis. S. Chrys. Impletis.*
Spiritu. *Syr. Mente suâ.*
Transitâ. *Syr. Vt perlustraret. Ar. M. Peruadens.*
Macedon. e. Ach. *Syr. Macedoniam & Achaiam.*
Ite Ieros. *Syr. Proficiscereturque ad Ierusalem. S. Chrys. Proficisci in Ierusalem.*
Dicens. *Syr. Dicebat autem.*
Quon. p. f. *Syr. Postquam illuc profectus fuero. Ar. M. Quòd post fieri me ibi.*
Et Romam v. *Syr. Quoque Romam inuisere.*

Vers. 22.

Mittens autem in Macedoniam duos

Mittens. *Syr. Miserat. S. Chrys. Missis.*
Duos ex ministr. *S. Chrys. Duobus, qui ministrabant.*
Timotheum & Erastum. *S. Chrys. Timotheo & Erasto.*

ex

Vulgata Editio. — *Lectionum varietas.*

ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asiâ.

Ipse remansit. *Syr. Ipse verò substitit. S. Chrys. Et ipse remansit. Oecum. Ipse mansit.*
Ad t. i. A. *Ar. M. Tempus in Asiam.*

Vers. 23.

Facta est autem illo tempore turbatio non minima de viâ Domini.

Facta est. *Syr. Extitit. S. Chrys. Ortus est.*
Illo temp. *Ar. M. Secundum tempus illud.*
Turbatio n. m. *Syr. Tumultus plurimus. S. Chrys. Tumultus non paruus. Pagn. Tumultus non exiguus. Ar. M. Turbatio non parua.*
De via Domini. *Syr. Propter viam Dei. S. Chrys. De viâ illa. Oecum. De ipsâ viâ. Caiet. De viâ.*

Vers. 24.

Demetrius enim quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum:

Demetrius e. q. n. *Syr. Illic enim erat quidam, cui nomen erat Demetrius.*
Argentarius. *Syr. Cudens argentum. S. Chrys. Faber argentarius. Ar. M. Argentò celator. Mar. Trapezita.*
Ædes arg. *S. Chrys. Delubra argentea.*
Præst. *Syr. Suppeditabat.*
Non mod. *Syr. Maximum. S. Chrys. Non exiguum. Oecum. Non paruum.*
Quæstum. *Syr. Lucrum.*

Vers. 25.

Quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio:

Quos conu. *Syr. Ille congregauit eos omnes artifices. S. Chrys. Quibus conuocatis.*
Et eos, qui huius. erant op. *Syr. Qui cum eis operabantur. S. Chrys. Et iis, qui similium rerum erant opifices. Ar. M. Et eos, qui circa talia opifices.*
Quia d. h. artific. *Syr. Ex hoc artificio. S. Chrysost. Quòd ex opificio.*
Est nobis a. *Syr. Mercedem nostram omnem esse. S. Chrys. Noster est quæstus.*

Vers. 26.

Et videtis & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens auertit multam turbam dicens: Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt.

Et vid. e. a. *Syr. Quia etiam auditis & videtis. Ar. M. Et spectatis & auditis.*
Ephesi. *Syr. Ciues Ephesi. Al. Ephesinæ ciuitatis.*
Sed penè *S. Chrys. Sed etiam.*
Totius A. *Oecum. Per totam Asiam. Caiet. In totâ Asiâ.*
Paulus hic. *Syr. Ab hoc Paulo.*
Suadens. *Syr. Allectam. S. Chrys. Persuasit.*
Auertit. *Syr. Et auersam.*
Quoniam non sunt d. *S. Chrys. Non esse deos.*
Qui m. f. *Syr. Qui manibus hominum fiant. S. Chrys. Manu factos. Ar. M. Per manus facti.*

Vers. 27.

Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire; sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur; sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia & Orbis colit.

Non solùm. *Syr. Neque tantummodò.*
Hæc pars. *Syr. Hoc placitum.*
Periclitabitur nobis. *Syr. Diffamatur. S. Chrys. Mihi in periculum venit. Pagn. Nobis in periculum venit.*
In redarg. ven. *S. Chrys. Ne reprobetur.*
Sed &. *Vat. Verumetiam, ne.*
Dianæ. *Goth. Dea Diana.*
Templum. *Syr. Templum illud.*
In nih. rep. *Vat. Pro nihilo habeatur.*
Sed & dest. i. *Syr. Atque adeò ludibrio habebitur. S. Chrys. Et destruetur. Vat. Futurumque sit, vt etiam destruatur.*
Maiest. e. *Syr. Ipsa dea totius Asiæ.*
Tota As. e. O. c. *Syr. Omnes gentes adorant. Ar. M. Tota Asia & habitata colit.*

Vers. 28.

His auditis, repleti sunt irâ, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

His aud. *Ar. M. Audientes autem.*
Repl. s. i. *Syr. Repleti sunt furore. S. Chrys. Impleti sunt furore. Ar. M. Et facti pleni excandescentia.*
Et exclam. *S. Chrys. Et clamauerunt. Ar. M. Exclamarunt.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 29.

Et impleta est ciuitas confusione; & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

Et imp. e. c. c. *Syr. Proinde conturbata fuit tota ciuitas.*
Impetum fec. *Syr. Concurrerunt. Ar. M. Ruerunt.*
Vno animo. *Syr. Simul. S. Chrys. Vnanimiter.*
In theatr. *Syr. Ac profecti sunt in theatrum.*
Rapto. *Syr. Correptosque. S. Chrys. Correptisque. Pagn. Correpto.*
Caio & Arist. *Syr. Adduxerunt secum Gaium & Aristarchum.*
Maced. *Syr. Viros Macedones.*
Comitibus P. *Syr. Filios societatis Pauli. S. Chrys. Pauli comitibus traxerunt illos.*

Vers. 30.

Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.

Paulo a. v. *Syr. Paulus autem volebat.*
Intrare. *Syr. Prodire.*
In populum. *Syr. In theatrum. S. Chrys. Ad turbam. Vat. Ad populum.*
Non permis. *Syr. Sed prohibuerunt eum. Oecum. Non passi sunt. Ar. M. Non sinerunt eum. Caiet. Non permiserunt.*
Discip. *S. Chrys. Fratres.*

Vers. 31.

Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum.

Quid. a. e. *Syr. Quin etiam.*
De A. p. *Syr. Primores Asia. S. Chrys. De Asia primoribus. Pagn. Ex Asia primoribus. Ar. M. Asia principum.*
Qui e. *S. Chrys. Cùm essent. Ar. M. Existentes.*
Eius. *Ar. M. Ei.*
Miserunt a. e. *Syr. Miserunt. Oecum. Misso ad eum nuncio.*
Rogantes. *Syr. Qui efflagitarent ab eo. S. Chrys. Et obsecrabant. Oecum. Rogabant.*
Se daret. *Syr. Traderet seipsum, vt prodiret. S. Chrys. Se committeret.*
In th. *S. Chrys. Theatro.*

Vers. 32.

Alij autem aliud clamabant: erat enim ecclesia confusa, & plures nesciebant, quâ ex causâ conuenissent.

Alij a. *Syr. Turba autem qua erant in theatro. Pagn. Alij quidem igitur.*
Aliud clam. e. e. e. c. *Syr. Valdè tumultuabantur & alij aliud clamabant. Goth. Aliud clamabant erat enim conuentus confusus. Vat. Aliud quiddam clamabant erat enim concio confusa.*
Et pl. *Syr. Multi verò ex eis. Pagn. Et plerique.*
Quâ ex ca. *Syr. Cur. Ar. M. Cuius causâ.*

Vers. 33.

De turbâ autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem, manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo:

De turbâ. *Syr. Ex se ipsis. S. Chrys. Ex turbâ.*
Detraxerunt. *Syr. Statuerunt. Goth. Produxerunt. S. Chrys. Protraxerunt.*
Alexandrum. *Syr. Virum Iudæum, cui nomen erat Alexander.*
Propellent. e. I. *Syr. Plebs Iudæorum, qua illic erat.*
Alexander a. m. s. p. *Syr. Cúmque staret silentium indixit manu. Ar. M. Alexander concutiens manum.*
Volebat. *S. Chrys. Voluit.*
Redd. r. *Syr. Proferre spiritum. Ar. M. Rationari.*

Vers. 34.

Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

Vox f. e. *Syr. Vociferati sunt. Pagn. Vox orta est.*
Vna omnium. *Syr. Omnes vnâ voce. Oecum. Vna ab omnibus. Ar. M. Vna ex omnibus.*
Quasi per horas. *Syr. Circiter ad horas. Pagn. Fermè ad horas.*
Clamantium. *Oecum. Clamantibus.*
Magna. *S. Chrys. Magna est.*

Vers. 35.

Et, cùm sedasset scriba turbas, dixit: Vi-

Et cùm s. *Syr. Caterùm compescuit. Ar. M. Reprimens autem.*
Scriba. *Syr. Princeps ciuitatis.*

ri Ephesij

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

ri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisque prolis?

Turbas. *Syr. Eas. S.Chrys. Turbam.*
Dixit. *Syr. Cùm diceret.*
Hominum. *Ar.M. Homo.*
Çiuit. *Syr. Vrbem.*
Cultricem esse. *S. Chrys. Neocorum esse. Ar. M. Edituam existentem.*
Dianæ. *S.Chrys. Dea Diana.*
Iouisque prolis. *Syr. Et simulachri è calo delapsi. S. Chrys. Et diopetis. Oecum. Et à Ioue delapsa. Pagn. Et à Ioue delapsi simulachri.*

Vers. 36.

Cùm ergo his contradici non possit, oportet, vos sedatos esse, & nihil temerè agere.

His. *Syr. Huic rei.*
Contradici. n. p. *Syr. Nemo possit contradicere. S. Chrys. Nemo contradicat.*
Oportet. *Ar. M. Necesse est.*
Esse. *Ar.M. Subsistere.*
Temerè. *Syr. Festinanter. S. Chrys. Pracipitanter. Ar.M. Praceps.*

Vers. 37.

Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.

Homines. *Pagn. Viros.*
Sacrilegos. *Syr. Templum expilauerint.*
Blasphem. d. *Syr. Blasphemos se gesserint in deam. S. Chrys. Contumeliosos in deam.*

Vers. 38.

Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersùs aliquem causam, conuentus forenses aguntur & proconsules sunt, accusent inuicem:

Quod si. *S. Chrys. Itaque si.*
Demetr. *Syr. Iste Demetrius.*
Qui c. e. s. a. *Syr. Filij artis eius.*
Aduers. a. *Syr. Cum aliquo.*
Causam. *Syr. Litem. Ar. M. Sermonem.*
Conuent. for. ag. *Syr. Ecce proconsul est in vrbe. Oecum. Forenses iudices admittuntur. Ar M. Fora aguntur.*
Et proc. s. *Syr. Artifices sunt, accedant.*
Accusent inuicem. *Syr. Et iudicium subeant vnus cum alio. Ar. M. Postulent alij alios.*

Vers. 39.

Si quid autem alterius rei quæritis, in legitimâ ecclesiâ poterit absolui.

Si quid a.a.r. *Syr. Quòd si quidpiam aliud. S.Chrys. Si quid autem de aliis rebus. Ar. M. Si autem quid de aliis.*
Quæritis. *Syr. Requiritis.*
In leg. eccl. *Syr. In loco à lege ad concionem datum. Goth. In legitimo conuentu. S.Chrys. In legitimâ cōgregatione. Oecum. Legitimâ concitatione. Pagn. In legitimâ concione.*
Pot. ab. *S. Chrys. Dirimetur. Ar. M. Absoluetur.*

Vers. 40.

Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et, cùm hæc dixisset, dimisit ecclesiam.

Nam & pericl. *Syr. Quandoquidem & nunc in periculo sumus. S. Chrys. Nam periculum est.*
Argui. *Syr. Ne rei postulemur. S. Chrys. Ne rei fiamus. Ar. M. Postulari.*
Seditionis hod. *Syr. Seditionis. Ar. M. Seditionis circa hodiernum.*
Cùm nullus obnox. s. *Syr. Cùm. Goth. Cùm causa sit nulla. S. Chrys. Cum nulla causa sit. Vat. Cùm nulla causa subsit. Ar. M. Nulla causa subsistente.*
De quâ p. *Syr. Non possimus. Goth. De quâ possimus. S. Chry. Vnde poterimus.*
Reddere. *Ar. M. Dare. Goth. Reddere.*
Concurs. ist. *Syr. De congregatione diei istius quo conuenimus otiosè & tumultuati sumus nullâ de causâ*
Cùm hæc dixisset. *Ar. M. Hac dicens.*
Eccles. *Goth. Conuentum. Pagn. Concionem.*

CAPVT XIX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Qui animarum zelo *corripitur, adesse maximè suis videtur quum ipsis sua morte prodest.* 1134
Qui rebus terrenis *adheret, etiam rerum spiritualium narratione induresc it.* 1136
Via *non videtur esse, que non est Domini.* 1136
Exemplo *pratre patres debent, vt sequantur filij.* 1137
Audè Dei verba *excipienda.* 1137
Dei amatoribus labor *minuitur, quum acquirendarum animarum causâ augetur.* 1139
Aliquem se minorem *estimare, quum maiora prastat, quàm singulare.* 1139
Iustorum lachrymæ *quàm diabolo displiceant.* 1140
Blasphemi *vt diabolo deteriores.* 1140
Homines *quandoque nequitiâ diabolum vincunt.* 1141
Noxÿ libri *& impuri maximè vitandi.* 1142
Auaritiæ *telum quàm robustum contra religionem.* 1143

Factum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos,

1134. VENIT Ephesum Paulus, sicut & promiserat. Paruo tempore ibi moratus fuerat &, licèt ex scripturis de communi salute in genere dissetuerit, nihil tamen de Iesu apertè dixit: redit, vt prædicationem suam perficeret, & consummaret, quæ sine Iesu Christi explicatione manca videbatur.

Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum.

CVr venturum Ioannes prædicat, qui iam aduenerat? Et non in medio eorum Christus Iesus versabatur? Versabatur. Cur igitur venturum dicit? An quò ad prædicationem venire debebat, ac si venisse non videretur, quia non prædicauerat. Nimirum esse non videtur doctor, qui doctrinæ semina non spargit. Adesse non videtur Christus, quia prædicatione aliis non proderat. Præterea venturus dicitur, licèt in medio ipsorum versaretur, etenim ad mortem venire debebat: hic aduentus Christi dicitur, cùm ad mortem venit, quâ mortales omnes ad vitam reuocaturus esset. Nimirum is, qui animarum zelo corripitur, adesse maximè videtur suis, cùm suis vel suâ morte prodest.

Et, cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.

1135. MAnuum impositione dabatur Spiritus Sanctus. Olim etiam super victimas manus ponebantur: ergo, qui Spiritum sanctum accipit, Dei victima fit; &, vt pienè sit victima, Spiritum sanctum recipiat. *Cum imposuisset illis manus:* Magna manuum cognatio cum Spiritus receptione; quia operi debet manum admouere, qui diues, soperl Spiritus gratiâ est.

Introgressus autem synagogam, cum fiduciâ loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de Regno Dei.

COntemni, ac iniuriis affici à Iudæis Paulus potuit; non potuit eorum curam negligere, eos deserere: contumeliis, Pauli in Iudæos affectus excitabatur. Ingrediebatur synagogam, vt de Regno Dei, rebusque cælestibus, de æternâ beatitudine ageret, quæ Iudæis, terrena quærentibus, noua erant, & perobscura.

Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in scholâ Tyranni cuiusdam.

LVtum solis radiis induratur; & impura Iudæorum corda Pauli verbis: qui omnes, velut Sol, suo splendore illuminabat, duritiem contraxere. 1136.
Qui rebus terrenis adhæret etiam rerum spiritualium narratione indurescit, cùm liquefieri deberet: vnde & ille in Euangelio, qui multas possessiones habebat, Christi audiens verba, tristis abscessit à Christo.

Maledicentes viam Domini: Græcè est tantùm, τὴν ὁδὸν, *Viam.* Syrus addit, *Dei.* Latinus interpres, *Domini*, vt, quod simpliciter dictum erat, hoc addito coerceretur. Quid? Verè via est, quæ *Domini* est: quæ Domini, Deique non est, non tam via est, quàm præcipitium.

Coram multitudine: Dubitari potest, an coram Iudæorum multitudine maledixerint, vel potiùs coram Gentium turbis. Syrus hoc postremum amplectitur, dum legit: *Coram turbâ Gentium.* Vt colligere liceat, Iudæos fuisse, qui indurati fuerant; & maledictis, Dei viam proscindebant, coram Gentilibus, in synagogam ad sermones audiendos conuenientis: hos Christianâ imbui doctrinâ indignè præ inuidiâ ferebant Iudæi.

Discedens ab eis: segregauit discipulos: Peruersorum, & irridentium consuetudinem vitandam esse, docet Paulus. Maledicentium furori prudens cessit, cùm videret trimestrem laborem, operamque sine fructu fuisse. Sed verborum nexum perde: 1137.
discedit Paulus à Iudæis, & simul discipulos ab ipsis segregat; vt exemplo suo id facilè præstaret, quod nudis verbis tam facilè non præstitisset. Abeunt ab hoc more Patres, qui filios monent, vt malorum consuetudinem vitent, cùm ipsi non vitent: exemplo præirent, & faciliùs filios persuaderent.

Quid necesse erat segregari? *Ne credentes*, inquit, Lyranus, INFICERENTVR *verbis obstinatorum.* Non satis à malo aliquos reuocasse: à malorum quoque consortio subducendi sunt, ne illorum exemplo iterum relabantur.

Quotidie disputans: In Iudæorum synagogâ tantùm diebus sabbati disputare consueuerat: hic quotidie disputabat. Nimirum Christiani præ Iudæis Diuinorum verborum audiendorum studiosiores, auidioresque. Apud Iudæos per tres menses semel in singulis hebdomadis de rebus Diuinis verba faciebat Paulus: satis hoc debili illorum stomacho,

ſtomacho, qui charitatis calore vidui, digerere amplius non poterant. Apud Gentiles, quotidie per annos duos de Dei Regno, rebúsque cæleſtibus, ac Diuinis Paulus diſputabat: ſatiari eorum fames facilè non poterat; adeò vt quò plùs comedebant, plùs eſurirent; neque enim Dei ſermo faſtidium illis parturiebat.

1138. *In ſcholâ Tyranni cuiuſdam:* Tyranni nomen aliquibus dignitatis nomen eſt; aliis proprium viri. Fuerit ædificium potentis hominis, Paulus in Christi ſcholam illud conuertit. Pors Primas ille, ac princeps eâ ſcholâ vtebatur pro ſe, ſuiſque filiis. Verè animum regium prodit, & regiæ dignitatis notam refert, qui pro erudiendis filiis ſcholam habebat. Sic Tyranni nomen regem ſignificabit: quod ſacris, ac profanis familiare.

Apud Tyrannum, regémque docet Paulus, vt obſtinati timerent, néve auderet quiſpiam eum impedire, veritus illius domini offenſam, ac poteſtatem. Nimirum à Ciuili magiſtratu magnum Eccleſiæ adiumentum accidere poteſt, ſi opem ferat; ſicut & graue damnum, ſi eam impugnet.

Hoc autem factum eſt per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Aſiâ, audirent verbum Domini.

1139. TAndiu manſit, tandiu prædicauit Epheſi Paulus, quia continuus ex omni parte erat ad audiendum concurſus: ſpe frugis, moras traxit, ac ſi laborem non ſentiret, lucrandarum animarum deſiderio. Dei amatoribus minuitur labor, cùm acquirendarum animarum cauſa augetur: augetur verò ſi ab hac cauſâ minuatur.

Virtuteſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli.

GRandia, & illuſtria miracula per Paulum Deus operabatur. In edendis miraculis vera Deus cauſa eſt: homo, inſtrumenti fungitur officio. Quod verò faciebat Deus per Paulum, Paulus non tribuebat ſibi, tanquam auctori. Inter miracula hoc quodammodo reponendum, quod nihil ſibi ille tribuat, per quem fiunt; quin minorem ſe exiſtimet, quò maiora ſunt miracula, quæ facit.

Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

1140. LIntea, quibus laborantium abſtergebatur ſudor, aut plorantium lachrymæ ſalutaria languentibus fuêre, & immundis ſpiritibus noxia. Hic laborum, ac ſudorum fructus, ac lachrymarum, quas fudit frequenter Paulus, dum Epheſi eſſet. Ferre lintea illa dæmon non poterat, quæ Pauli lachrymas ebiberant; iuſtorum quippe lachrymis ſæuiſſimè cruciatur diabolus, cruciatur doctorum ſudoribus, quos, in animarum ſalutem laborantes, fundunt. Memini, me vidiſſe, dæmonem in obſeſſo linteolum proieciſſe, nec tangere voluiſſe, effuſis ob Dei amorem, dolorémque peccatorum lachrymis adſperſum.

Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?

ELuſa Iudæorum calumnia eſt, eluſa fraus: ſuis ipſorum armis ſternuntur. Coactus eſt dæmoniacus, Ieſu Christi potentiam fateri, ac virtutem: coactus eſt, veram Pauli doctrinam approbare. Non eſt auſus dæmon Christi nomen maledictis proſcindere, aut Pauli doctrinæ detrahere, ne grauiùs torqueretur. In hoc dæmone deteriores homines ſunt, quos pœnæ metus à blaſphemiâ non deterret, non deterret à maledicentiâ.

Sed quæri poteſt, cur Iudæorum exorciſtas non coërcuerit Paulus, qui Ieſu nomine in ſuis exorciſmis vtebantur, cùm fraudulenter Euangelicæ doctrinæ inſidiarentur. An non coërcuit, ne Christi nomen, quod ipſe prædicabat, inuocantibus inuidere videretur? 1141.

Ieſum noui, & Paulum ſcio: Dæmones Chriſtum honorant, & Apoſtulum Christi: Iudæi dæmonibus ſæuiores Chriſtum, & Christi ſectatores odio implacabili perſequuntur. *Vide*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *vbique grauiores dæmonas, quàm Iudæos, & non audentes contradicere, neque accuſare vel Apoſtolos, vel Chriſtum.* Quò hominum euadit nequitia! vt vel diabolum vincant.

Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illâ.

PErmittuntur in exorciſtas dæmones inſilire, quia irriſores Diuinorum verborum erant; vt per illos alij erudirentur, ne deinceps aliquis Dei nomen in vanum auderet aſſumere. Nudi fugerunt, qui nudam quoque à veris virtutibus animam habebant. 1142.

Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.

VEra hæc pœnitentiæ nota: peccati occaſionem ſtirpitùs euellunt, idque vltrò, nullo cogente, nec Apoſtolico præcepto adſtricti. Comburunt impios libros, vt ignibus non morituris ignes euitarent. Noxij libri, impurique non prohibendi tantùm, ſed & concremandi. In curioſis libris fugiendis incurioſus nemo ſit, nemo ſupinus.

Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum.

IGnotus, ignobiliſque cùm eſſet Demetrius, ſulâ aduerſùs ſanctiſſimum Paulum inſaniâ notus extitit: vniuerſam Epheſum in Paulum concitauit. Argenteas ædes Dianæ faciebat; plumbeam ipſe habebat mentem, ferreum cor, chalybeúmque, quod flectere Paulus non potuit. 1143.

Quos conuocans, & eos qui huiuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis quia de hôc artificio eſt nobis acquiſitio.

NImirum, Dianæ religione abutitur; ad priuatum lucrum, pietatem præſeferebat, vt diues fieret. Diabolus Demetrij auaritiâ vtitur ad veram religionem euertendam: nullum robuſtius telum ad eam impugnandum potuit reperire. Explicari non poteſt, quàm noxia religioni Chriſtianæ auaritia ſit.

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XX. ACT. APOST.

Verſ. 1.

POSTQVAM autem ceſſauit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedixit; & profectus eſt, vt iret in Macedoniam.

Conuenit. *Syr. Sedatus eſt.*
Vocat. P. d. *Syr. Aduocauit Paulus diſcipulos. S. Chryſ. Vocatis ad ſe Paulus diſcipulis.*
Exhortatus e. *Syr. Conſolatus eſt.S.Chryſ. Complexus illos eos. Ar. M. Salutans. Caiet. Complexus eos.*
Valedixit. *Syr. Ac deoſculatus eos S.Chryſ.* omittit. *Ar. M. Exiit. Caiet. Exiuit.*
Et profect. e. vt i. *Syr. Et egreſſus eſt profecturus. S.Chryſ. Profectus eſt vt iret. Ar. M. Proficiſci.*

Verſ. 2.

Cùm autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad Græciam:

Cùm a. p. *Syr. Cúmque peragraſſet. Ar. M. Perambulans autem.*
Partes. *Syr. Regiones.*
Exhortatus. *Syr. Conſolatus.*
Sermone m. *Syr. Multis ſermonibus.*
Ad Græc. *Syr. In Græcia regionem. Pagn. In Græciam.*

Verſ. 3.

Vbi, cùm feciſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam; habuitque conſilium, vt reuerteretur per Macedoniam.

Vbi, cùm f. *Syr. Et exactis illic. S.Chryſ. Et ibi peractis. Ar. M. Facienſque.*
Menſ. t *Syr. Tribus menſibus.*
Factæ ſunt illi i. *Syr. Ei quidem dolos nectebant. S. Chryſ. Cùm eſſent illi ſtructæ inſidiæ. Oecum. Cùm eſſent inſtructæ illi inſidiæ.*
A Iud. *Syr. Iudæi.*
Nauigat. *Syr. Cùm profecturus eſſet. S. Chryſ. Soluturo. Ar. M. Futuro prouelli.*
Habuitque conſ. *Syr. Proinde cenſuit ſibi S. Chryſ. Habebat in animo. Ar. M. Facta fuit ſententia.*
Vt reuert. *Syr. Reuertendum eſſe.*
Per Maced. *Syr. Macedoniam.*

Verſ. 4.

Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Beroënſis: Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus & Secundus & Gaius Derbeus & Timotheus: Aſiani verò Tychicus & Trophimus.

Comit. e. a. e. *Syr. Progreſſi ſunt autem cum eo ad Aſiam vſque. S. Chryſ. Comitatus eſt autem eum vſque ad Aſiam.*
Sopater P. B. *Syr. Soſipater Beroënſis ciuis.*
Theſſalonic. v. A. e. S. *Syr. Et Ariſtarchus & Secundus Theſſalonicenſes.*
Derbæus. *Syr. Ex Derbe ciuitate.*
Timoth. *Syr. Timotheus ex Lyſtrâ.*
Aſiani v. *Syr. Ex Aſia denique.*

Verſ. 5.

Hi, cùm præceſſiſſent, ſuſtinuerunt nos Troade:

Cùm præceſſ. *Syr. Præceſſerunt nos. S. Chryſ. Progreſſi. Ar. M. Accedentes.*
Suſtin. *Syr. Et præſtolati ſunt. S.Chryſ. Expectarunt. Ar. M. Manſerunt.*

Verſ. 6.

Nos verò nauigauimus poſt dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati ſumus diebus ſeptem.

Nauigauimus. *Syr. Progreſſi ſumus. S. Chryſ. Abnauigauimus. Ar. Enauigauimus.*
Azymorum. *Pagn. Infermentatorum.*
A Philip. *Syr. Philippos, vrbem Macedoniæ.*
Et venimus ad e. *Syr. Et mari perreximus venimuſque.*
In d. q. *Syr. Ad diem quintum. Goth. Iter dierum quinque. S. Chryſ. Intra dies quinque.*
Vbi d. ſ. *Syr. Illic autem egimus.*
Diebus. *Syr. Dies.*

Verſ. 7.

Vnâ autem ſabbati; cùm conueniſſe-

Vna a. ſ. *Syr. Primo autem die hebdomadis S.Chryſ. In die autem ſabbatorum. Vat. Vno autem die ſab-*

mus

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

mus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum: protraxitque sermonem vsque in mediam noctem.

batorum. Mar. Die Dominica.
Cùm conuen. *Syr. Dum congregati essemus. S. Chrys. Congregatis nobis. Oecum. Cum venissent discipuli. Pagn. Cùm conuenissent discipuli. Ar. M. Congregatis discipulis.*
Panem. *Syr. Eucharistiam.*
Dispot. c. e. *Syr. Verba faciebat ad eos. S. Chrysost. Differebat eis. Ar. M. Disputabat eis.*
Profect. *Syr. Quippè qui abiturus esset. S. Chrys. Abiturus. Ar. M. Futurus exire.*
In crast. *S. Chrys. Postridie.*
Protrax. *Syr. Produxit.*

Vers. 8.

Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, vbi eramus congregati.

Erant a. *Syr Et erant illic.*
Lampad. *Syr. Lucerna ignis. Pagn. Lucerna.*
Copiosæ. *Syr. Plurima. Goth. Multa.*
In cœnac. *Syr. In cœnaculo illo.*
Vbi e. *S. Chrys. In quo erant. Oecum. Vbi erant.*

Vers. 9.

Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo; ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

Sedens a. q. *Syr. Porrò sedebat.*
Super f. *Syr. In fenestra, & audiebat. S. Chrys. In fenestrâ.*
Cùm m. *Syr. Demersus est autem. S. Chrys. Cùm degrauaretur. Ar. M. Deiectus.*
Graui. *S. Chrys. Profundo. Oecum. Profundiori.*
Disp. d. P. *Syr. Cùm produceret sermonem ipse Paulus. S. Chrys. Differente diutiùs Paulo.*
Ductus somno. *S. Chrys. Magis depressus à somno. Oecum. Magis depressus. Ar. M. Ruens præ somno. Caiet. Depressus somno.*
Cecidit. *Syr. Deciderat. S. Chrys. Decidit.*
De tertio. *Syr. Ex tertiâ. S. Chrys. Ex tertio.*
Cœnaculo. *Syr. Contignatione. Caiet. Tecto deorsùm.*

Vers. 10.

Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum; & complexus dixit: Nolite turbari; anima enim ipsius in ipso est.

Ad q. c. d. *Syr. Descendens autem. S. Chrys. Cùm descendisset autem.*
Incubuit super eum. *Syr. Ruit in eum. Ar. M. Irruit ei.*
Complexus d. *Syr. Eum complexus est & dixit.*
Nolite t. *Syr. Ne turbemini.*

Vers. 11.

Ascendens autem, frangensque panem & gustans; satisque alloquutus vsque in lucem, sic profectus est.

Ascend. *S. Chrys. Cùm ascendisset.*
Frang. *S. Chrys. Fregisset.*
Gustans. *S. Chrys. Degustasset.*
Satisque all. *S. Chrys. Diù colloquutus est. Ar. M. Ad multúmque alloquutus.*
In lucem. *Syr. Ascendisset Aurora. S. Chrys. Ad diluculum.*
Sic. *Syr. Tum demùm. S. Chrys. Ita demùm.*
Prof. e. *Syr. Exiit per aridam profecturus. Ar. M. Exiit.*

Vers. 12.

Adduxerunt autem puerum viuentem, & consolati sunt non minimè.

Puerum v. *Syr. Adolescentem viuum.*
Consol. s. *Syr. Ob eum gauisi sunt. Oecum. Consolationem acceperunt. Vat. Refocillati sunt.*
Non min. *Syr. Vehementer. S. Chrys. Non mediocriter. Oecum. Non mediocrem.*

Vers. 13.

Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Pau-

Ascend. n. *Syr. Descendimus in nauem. S. Chrys. Conscensâ naui. Ar. M. Progressi ad nauem.*
Nauig. i. A. *Syr. Et perreximus ad congregationem Thesus. S. Chrys. Soluimus Asson. Ar. M. Deuecti sumus in Asson.*
Inde suscepturi. *Syr. Quoniam illinc excepturi eramus. S. Chrys. Illic expectaturi. Ar. M. Inde futuri recipere.*
Disposuerat. *Syr. Præceperat nobis. S. Chrys. Cōstituerat. Pagn. Ordinauerat. Ar. M. Erat Constitutus.*

Vulgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

lum: Sic enim dispofuerat ipse, per terram iter facturus.

Ipse. *Syr. Ipso.*
Per terram. *Syr. Per aridam. Oecum. Terrâ. Caiet. Pedibus.*
Iter fact. *Syr. Iter faciens. Ar. M. Facturus ire.*

Vers. 14.

Cùm autem conueniſſet nos in Aſſon aſſumpto eo, venimus Mitylenen.

Cùm a. c. n. *Syr. Vt autem recepimus eum. S. Chryſ. Cùm autem conueniſſemus. Oecum. Cùm autem conueniſſet ad nos. Ar. M. Vt autem congreſſus eſt nobis. Quidd. Codd. Cum autem inueniſſet nos.*
In Aſſon. *Syr. Ex Theſe.*
Aſſumpto. *Syr. Nam ſublato. S. Chryſ. Recepto.*

Verſ. 15.

Et inde nauigantes, ſequenti die venimus contra Chium, & aliâ applicuimus Samum, & ſequenti die venimus Miletum.

Nauigantes. *Syr. Poſtridie abnauigauimus.*
Sequenti d. v. c. C. *Syr. Contra Chium inſulam.*
Alia. *Syr. Rurſus aliâ.*
Applicuimus. *Syr. Venimus. S. Chryſ. Appulimus. Ar. M. Adiecimus.*
Samum. *Syr. Samum, ſubſtitimuſque Trogylly. S. Chryſ. Samum & commorati Trogyly. Ar. M. In Samon, & manentes in Trogyllio.*
Et ſequenti. *S. Chryſ. Poſtero.*

Verſ. 16.

Propoſuerat enim Paulus transnauigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia: Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis.

Propoſ. *Syr. Conſtituerat.*
Transmigr. *Syr. Praterire. Vat. Nauigare. Ar. M. Tranſnauigare. Caiet. Praternauigare.*
Ne qua m. i. f. *Syr. Ne moram traheret. Oecum. Ne commorandum ei eſſet. Pagn. Ne tempus tereret. Ar. M. Vt non fieret ei tempus terere. Caiet. Ne contingeret terere ſibi tempus.*
In Aſiâ. *Syr. Illic.*
Feſtinabat e. *Syr. Quippe qui feſtinaret.*
Si poſ. ſ. e. *Syr. Si fieri poſſet. S. Chryſ. Si poſſibile eſſet.*
Faceret. *S. Chryſ. Ageret.*

Verſ. 17.

A Mileto autem mittens Epheſum, vocauit maiores natu eccleſiæ:

Mittens E. *Syr. Miſit. S. Chryſoſt. Miſſis Mineiis Epheſum.*
Vocauit. *Syr. Qui accerſerent. S. Chryſ. Accerſiuit.*
Maiores n. *S. Chryſ. Presbyteros.*
Eccleſiæ. *Syr. Eccleſia Epheſi.*

Verſ. 18.

Qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis à primâ die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim,

Qui c. v. a. e. *S. Chryſ. Qui cum perueniſſent ad ipſum. Ar. M. Vt autem aduenißent ad eum.*
Et ſimul eſſent d. *S. Chryſ. Dixit.*
Primâ die quâ. *Oecum. Primo die, dum. Pagn. Primo die, quo. Ar. Primâ die, à quâ.*
In Aſiam. *S. Chryſ. Aſiam. Ar. M. In Aſiâ.*
Qualiter. *S. Chryſ. Quomodò.*
Per o. t. *Oecum. Omni tempore. Ar. M. Omne tempus.*

Verſ. 19.

Seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum.

Seruiens D. *Syr. Dum ſeruirem Deo.*
Omni. *Syr. Multâ.*
Humilit. *S. Chryſ. Animi humilitate. Oecum. Animi modeſtiâ.*
Lachr. *S. Chryſ. Cum multis lachrymis.*
Quæ m. a. *Syr. Qua concepta fuerant contra me. Ar. M. Euenientibus mihi.*
Ex inſid. *Syr. Inſidiis. Ar. M. In inſidiis.*

Verſ. 20.

Quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quominùs annunciarem vobis, & doce-

Subtraxerim. *Syr. Spreuerim. S. Chryſ. Subterfugerim. Ar. M. Remiſerim.*
Vtilium. *Syr. Quod prodeſſe poſſet animabus veſtris. S. Chryſ. Eorum qua eſſent in rem veſtram. Oecum. Eorum, qua vobis vtilia eſſent. Ar. M. Conferentium.*

tem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

rem vos publicè & per domos,

Annunc. *Syr. Prædicarem.*
Publicè. *Syr. Foris.*
Per domos. *Syr. Domi. S. Chrys. Per omnes domos. S.Hier. Domesticè. Vat. Per singulas domos.*

Vers. 21.

Testificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

Testificans. *S. Chrys. Dum testificarer.*
Atque Gentibus. *Syr. Et Aramæis S.Chrys. Simul ac Græcis. Quidd. Codd. Atque Gentilibus.*
In D. p. *Syr. De conuersione ad Deum. S. Chrys. Eam, quæ erga Deum est pœnitentiam.*
In D. *S. Chrys. Quæ est in Dominum. Vat. Erga Dominum.*
Iesum Christum. *Vat. Iesum.*

Vers. 22.

Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in eâ ventura sint mihi ignorans:

Et nunc e. *Syr. Nunc autem.*
Alligatus ego spiritu. *Syr. Ego vinctus sum spiritu. Oecum. Ego alligatus. Ar. M. Ego vinctus spiritu.*
Vado. *Syr. Et proficiscor.*
Quæ. *Syr. Nec quod.*
Ventura sint. *Syr. Obuenturum sit. S. Chrys. Occursura sint. Pagn. Obuentura sint. Ar. M. Concursura.*
Ignoraos. *Syr. Scio. Ar. M. Non noscens.*

Vers. 23.

Nisi quòd Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.

Nisi quod. *Syr. Enimuero. S. Epiph Veruntamen.*
Spiritus sanctus. *Syr. Spiritus sanctitatis. S.Epiph. Spiritus.*
Omnes ciuit. *Syr. Omnem ciuitatem. S.Chrys. Singulas ciuitates. S. Epiph. Vrbes. Oecum. Singulares ciuitates. Ar.M. Ciuitatem.*
Mihi protest. *S. Epiph. Contestatur mihi. Interp. Chrys. Testificatur mihi. Pagn. Testificatur.*
Dicens. *Syr. Et ait.*
Quoniam vinc. *Syr. Vincula. S.Chrys. Quòd vincula.*
Tribulat. *Syr. Oppressiones. S. Chrys. Persecutiones. Orig. Carceres. Pagn. Afflictiones.*
Ierosol. *Syr. Goth. Et ferè omnes.* omittunt.
Me manent. *Syr. Parata sunt mihi. S. Chrys. Me expectant.*

Vers. 24.

Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me; dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei.

Sed n. h. v. *Syr. Pro nihilo verò. S. Chrys. Verùm nihil me mouet. Ar. M. Sed nullius rationem facio.*
Nec facio a. m. p. q. m. *Syr. Mihi habetur anima mea. S.Chrys. Neque anima mea charior est mihi. Oecum. Neque vitam meam habeo mihi in vllo pretio. Origen. Sed ego non facio animam meam chariorem mihi. Pagn. Neque vita mea est chara mihi ipsi. Caiet. Neque habeo vitam meam pretiosam mihi ipsi.*
Dummodò c. *S. Chrys. Vt consummem. Vat. Vt absoluam. Ar. M. Vt finire.*
Meum. *S.Chrys. Meum cum gaudio.*
Et minister. verbi. *S. Epiph. Hoc est ministerium spiritus & verbi. Pagn. Et ministerium.*
Domino. *Syr. Domino nostro. S.Chrys. Domino meo.*
Testific. *Syr. Vt testimonium perhibeam. S.Chrys. Vt testificer. Ar. M. Pro testificari.*
Euang. *Syr. Euangelio.*

Vers. 25.

Et nunc ecce ego scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes,

Et nunc ecce. *Syr. Nunc igitur.*
Quia ampl. *Syr. Amplius. S. Chrys. Quòd vltrà. Vat. Quòd posthac.*
Videb. *Syr. Visuros.*
Vos omnes. *Syr. Illos ex vobis omnibus. S. Chrys. omittit.*

per

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

lum: Sic enim disposuerat ipse, per terram iter facturus.

Ipse. *Syr. Ipso.*
Per terram. *Syr. Per aridam. Oecum. Terrâ. Caiet. Pedibus.*
Iter fact. *Syr. Iter faciente. Ar. M. Facturus ire.*

Vers. 14.

Cùm autem conuenisset nos in Asson assumpto eo, venimus Mitylenen.

Cùm a. c. n. *Syr. Vt autem recepimus eum. S. Chrys. Cùm autem conuenissemus. Oecum. Cùm autem conuenisset ad nos. Ar. M. Vt autem congressus est nobis. Quidd. Codd. Cum autem inuenisset nos.*
In Asson. *Syr. Ex Theso.*
Assumpto. *Syr. Nam sublato. S. Chrys. Recepto.*

Vers. 15.

Et inde nauigantes, sequenti die venimus contra Chium, & aliâ applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.

Nauigantes. *Syr. Postridie abnauigauimus.*
Sequenti d. v. c. C. *Syr. Contra Chium insulam.*
Alia. *Syr. Rursus aliâ.*
Applicuimus. *Syr. Venimus. S. Chrys. Appulimus. Ar. M. Aduecimus.*
Samum. *Syr. Samum, substitimusque Trogyllij. S. Chrys. Samum & commorati Trogylij. Ar. M. In Samon, & manentes in Trogyllio.*
Et sequenti. *S. Chrys. Postero.*

Vers. 16.

Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia: Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

Propos. *Syr. Constituerat.*
Transmigr. *Syr. Praeterire. Vat. Nauigare. Ar. M. Transnauigare. Caiet. Praeternauigare.*
Ne qua m. i. f. *Syr. Ne moram traheret. Oecum. Ne commorandum ei esset. Pagn. Ne tempus tereret. Ar. M. Vt non fieret ei tempus terere. Caiet. Ne contingeret terere sibi tempus.*
In Asiâ. *Syr. Illic.*
Festinabat e. *Syr. Quippe qui festinaret.*
Si pos. s. e. *Syr. Si fieri posset. S. Chrys. Si possibile esset.*
Faceret. *S. Chrys. Ageret.*

Vers. 17.

A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit maiores natu ecclesiæ:

Mittens E. *Syr. Misit. S. Chrysost. Missis Miletiis Ephesum.*
Vocauit. *Syr. Qui accerserent. S. Chrys. Accersiuit.*
Maiores n. *S. Chrys. Presbyteros.*
Ecclesiæ. *Syr. Ecclesia Ephesi.*

Vers. 18.

Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à primâ die, quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,

Qui c. v. a. e. *S. Chrys. Qui cum peruenissent ad ipsum. Ar. M. Vt autem aduenissent ad eum.*
Et simul essent d. *S. Chrys. Dixit.*
Primâ die quâ. *Oecum. Primo die, dum. Pagn. Primo die, quo. Ar. Primâ die, à quâ.*
In Asiam. *S. Chrys. Asiam. Ar. M. In Asiâ.*
Qualiter. *S. Chrys. Quomodò.*
Per o. t. *Oecum. Omni tempore. Ar. M. Omne tempus.*

Vers. 19.

Seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum.

Seruiens D. *Syr. Dum seruirem Deo.*
Omni. *Syr. Multâ.*
Humilit. *S. Chrys. Animi humilitate. Oecum. Animi modestiâ.*
Lachr. *S. Chrys. Cum multis lachrymis.*
Quæ m. a. *Syr. Quæ concepta fuerant contra me. Ar. M. Euenientibus mihi.*
Ex insid. *Syr. Insidiis. Ar. M. In insidiis.*

Vers. 20.

Quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominùs annunciarem vobis, & doce-

Subtraxerim. *Syr. Spreuerim. S. Chrys. Subterfugerim. Ar. M. Remiserim.*
Vtilium. *Syr. Quod prodesse posset animabus vestris. S. Chrys. Eorum quæ essent in rem vestram. Oecum. Eorum, quæ vobis vtilia essent. Ar. M. Conferentium.*

sem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

rem vos publicè & per domos,

Annunc. *Syr. Prædicarem.*
Publicè. *Syr. Foris.*
Per domos. *Syr. Domi. S. Chryſ. Per omnes domos. S.Hier. Domeſticè. Vat. Per ſingulas domos.*

Verſ. 21.

Teſtificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Teſtificans. *S.Chryſ. Dum teſtificarer.*
Atque Gentibus. *Syr. Et Aramæis S.Chryſ. Simul ac Græcis. Quidd. Codd. Atque Gentilibus.*
In D. p. *Syr. De conuerſione ad Deum. S.Chryſ. Eam, quæ erga Deum eſt pœnitentiam.*
In D. *S. Chryſ. Quæ eſt in Dominum. Vat. Erga Dominum.*
Ieſum Chriſtum. *Vat. Ieſum.*

Verſ. 22.

Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in eâ ventura ſint mihi ignorans:

Et nunc e. *Syr. Nunc autem.*
Alligatus ego ſpiritu. *Syr. Ego vinctus ſum ſpiritu. Oecum. Ego alligatus. Ar. M. Ego vinctus ſpiritu.*
Vado. *Syr. Et proficiſcor.*
Quæ. *Syr. Nec quod.*
Ventura ſint. *Syr. Obuenturum ſit. S.Chryſ. Occurſura ſint. Pagn. Obuentura ſint. Ar. M. Concurſura.*
Ignorans. *Syr. Scio. Ar.M. Non neſcens.*

Verſ. 23.

Niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent.

Niſi quod. *Syr. Enimuero. S. Epiph Veruntamen.*
Spiritus ſanctus. *Syr. Spiritus ſanctitatis. S.Epiph. Spiritus.*
Omnes ciuit. *Syr. Omnem ciuitatem. S.Chryſ. Singulas ciuitates. S. Epiph. Vrbes. Oecum. Singulares ciuitates. Ar.M. Ciuitatem.*
Mihi proteſt. *S. Epiph. Conteſtatur mihi. Interp. Chryſ. Teſtificatur mihi. Pagn. Teſtificatur.*
Dicens. *Syr. Et ait.*
Quoniam vinc. *Syr. Vincula. S.Chryſ. Quòd vincula.*
Tribulat. *Syr. Oppreſſiones. S. Chryſ. Perſecutiones. Orig. Carceres. Pagn. Afflictiones.*
Ieroſul. *Syr. Goth. Et ferè omnes.* omittunt.
Me manent. *Syr. Parata ſunt mihi. S. Chryſ. Me expectans.*

Verſ. 24.

Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me; dummodò conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei.

Sed n. h. v. *Syr. Pro nihilo verò. S. Chryſ. Verùm nihil me mouet. Ar. M. Sed nullius rationem facio.*
Nec facio a. m. p. q. m. *Syr. Mihi habetur anima mea. S.Chryſ. Neque anima mea charior eſt mihi. Oecum. Neque vitam meam habeo mihi in vllo pretio. Origen. Sed ego non facio animam meam chariorem mihi. Pagn. Neque vita mea eſt chara mihi ipſi. Caiet. Neque habeo vitam meam pretioſam mihi ipſi.*
Dummodò c. *S. Chryſ. Vt conſummem. Vat. Vt abſoluam. Ar.M. Vt finire.*
Meum. *S.Chryſ. Meum cum gaudio.*
Et miniſter. verbi. *S.Epiph. Hoc eſt miniſterium ſpiritus & verbi. Pagn. Et miniſterium.*
Domino. *Syr. Domino noſtro. S.Chryſ. Domino meo.*
Teſtific. *Syr. Vt teſtimonium perhibeam. S.Chryſ. Vt teſtificer. Ar.M. Pro teſtificari.*
Euang. *Syr. Euangelio.*

Verſ. 25.

Et nunc ecce ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes,

Et nunc ecce. *Syr. Nunc igitur.*
Quia ampl. *Syr. Amplius. S. Chryſ. Quòd vltrà. Vat. Quòd poſt hac.*
Videb. *Syr. Viſuros.*
Vos omnes. *Syr. Vllos ex vobis omnibus. S. Chryſ. omittit.*

per

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

per quos transiui prædicans Regnum Dei:

Per quos transiui. *Syr. Ad quos peragraui. S. Chrys.* omittit.
Prædicans. *Syr. Prædicans vobis. S. Chrys.* omittit.

Vers. 26.

Quapropter contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium.

Quapr. c. v. *Syr. Testor vobis. S. Chrys.* omittit. *Ar. M. Ideo & testor vobis.*
Hodier. d. *Vat. Hodierno die. S. Chrys.* omittit. *Ar. M. In hodiernâ die.*
Quia m. s. *Syr. Me mundum esse. Oecum. Quòd mundus ego sim. Pagn. Quòd mundus ego sum. S. Chrys. Mundus ego sum.*
Omnium. *Syr. Vestrûm omnium.*

Vers. 27.

Non enim subterfugi, quominùs annunciarem omne consilium Dei vobis.

Noo enim. *S. Orat. Nihil.*
Subterf. *Syr. Me excusaui. S. Orat. Subtraxi.*
Anounciarem. *Syr. Patefacerem.*
Omne c. *Syr. Omnem voluntatem. S. Orat. Voluntatem.*

Vers. 28.

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Attendite. *Syr. Cauete ergo. S. Chrys. Attendite igitur. S. Isid. Hisp. Videte.*
Vobis. *Vobis ipsis.*
Vniuerso g. *Syr. Toti gregi illi. S. Chrys. Gregi. Pagn. Cuncto gregi.*
In quo. *Syr. In quem.*
Spiritus s. p. *Syr. Spiritus sanctitatis constituit. S. Isid. Hisp. Spiritus sanctus ordinauit.*
Regere *S. Chrys. Vt pascatis. Vat. Ad regendum.*
Sanguine s. *Syr. Proprio sanguine. S. Chrys. Per proprium sanguinem.*

Vers. 29.

Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

Et scio. *Syr. Ego siquidem noui. S. Chrys. Et scio enim hoc. Vat. Ego enim noui hoc.*
Quoniam intrabunt. *Syr. Ingressuros. S. Chrys. Quòd ingredientur.*
Post d. m. *Syr. Postquam abiero. S. Iust. M. Quoniam abibunt. S. Chrys. Post abitum meum. Pagn. Post discessum meum.*
Lupi rap. *Syr. Lupos efferos. Goth. Lupi feroces. S. Iust. M. Lupi graues.*
In vos. *Syr. Vobiscum. S. Iust. M. Vos.*
Non parc. *Syr. Qui non parcent. S. Iust. M. Nec parcent.*

Vers. 30.

Et ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

Et e. v. *Syr. Quin ex vobis, vobis inquam.*
Exurgent. *Syr. Surrecturos. S. Chrys. Surgent. Oecum. Exorientur. Quidd. Codd. Peruenient.*
Viri. *Syr. Homines. Quidd. Codd. Viris.*
Peruersa. *Lintr. Distorta.*
Vt abducant. *Syr. Ad subuertendum. Chrys. Vt abstruant. S. Iust. M. Vt dispergant. Ar. M. Ad abstrahendum. Lintr. Vt abstrahant.* seu: *auellant.*
Post se. *Syr. Vt se sequantur. S. Iust. M. Qui ipsos sequantur.*

Vers. 31.

Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui, cum lachrymis monens vnumquemque vestrûm.

Memoriâ ret. *Syr. Et memores estote. Pagn. Memores.*
Quoniam. *Syr. Ille.*
Per t. *Ar. M. Triennium.*
Nocte & die. *Syr. Noctu & interdiu.*
Cessaui monens. *Syr. Cessasse admonere.*
Vnumque v. *Syr. Vnumquemque ex vobis. Pagn. Vnumquemque.*

Vers. 32.

Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, &

Et n. *Syr. Nunc autem.*
Vos. *S. Chrys. Vos fratres.*
Verbo. *Vat. Sermoni.*
Qui p. e. *Syr. Quod quidem potest.*

date

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

Ædif. *Syr. Vos ædificare. S.Chrys. Superstruere. Ar. M. Superædificare.*
Dare. *S.Chrys. Dare vobis.*
In sanct. o. *Syr. Cum omnibus sanctis. S.Chrys. Inter omnes sanctificatos.*

Vers. 33.

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui,

Et aurum. *M. SS. Aut aurum.*
Vestem nullius c. *Syr. Vestimentum non concupiui.*

Vers. 34.

Sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.

Sicut i. s. *Syr. Et vos nostis. S. Chrys. Sicut vos scitis. Pagn. Immo ipsi scitis. Ar. M. Ipsi noscitis. Caiet. Sed ipsi scitis. Quidd. codd. Ipsi scitis.*
Quoniam ad e. q. m. o. e. *Syr. Indigentiæ meæ. S. Chrys. Quòd necessitatibus meis. S.Epiph. Non solum mihi.*
Et his q.m.s. *S.Epiph. Sed & iis, qui mecum sunt. Ar. M. Et existentibus cum me.*
Ministrauerunt m. i. *Syr. Ministrasse manus meas. S. Chrys. Subministrauerunt manus istæ. S. Epiph. Manus istæ suppeditarunt. Pagn. Suppeditauerunt manus hæ.*

Vers. 35.

Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.

Omnia. *Syr. Et in omnibus.*
Ostendi. *Oecum. Commonstraui.*
Quon. s. l. o. *Syr. Sic oportere laborare.*
Suscipere i. *Syr. Et curam habere de infirmis. Oecum. Suscipere imbecilles.*
Verbi. *Syr. Sermonum. S. Epiph. Verborum.*
Domini. *Syr. Domini nostri.*
Quon. i. d. *Syr. Quippe qui dixerit.*
Beatius est magis d. *Syr. Melior est, qui dat. S.Epiph. Melius est magis dare. Vat. Beatum est dare potius.*
Accipere. *Syr. Qui accipit.*

Vers. 36.

Et, cùm hæc dixisset, positis genibus suis, orauit cum omnibus illis.

Cùm h. d. *Ar. M. Hæc dicens.*
Positis g. s. *Syr. Procubuit in genua.*
Orauit. *Syr. Preces fudit. S. Chrys. Orabat.*
Cum o. i. *Syr. Cunctique homines cum eo. S. Chrys. Cum illis.*

Vers. 37.

Magnus autem fletus factus est omnium; & , procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum:

Magnus a. *Syr. Proinde magnus. S. Chrys. Et magnus.*
Factus. *Syr. Obortus. Pagn. Coortus.*
Omnium. *Syr. Omnibus.*
Procumbentes s. c. P. *Syr. Complexi sunt eum. S. Chrys. Ruentes in collum Pauli.*
Osculab. e. *Syr. Eumque deosculabant. Ar. M. Exosculabantur eum.*

Vers. 38.

Dolentes maximè in verbo, quod dixerat: quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

Dolent. max. *Syr. Magis autem angebantur.*
In verbo q. *Syr. Ob illum sermonem quem. S.Chrys. Ob sermonem, quem.*
Essent visuri. *Ar. M. Futuri essent spectare.*
Et deducebant. *Syr. Et concomitati sunt. Ar. M. Præmittebant autem.*
Ad nau. *Syr. Vsque ad nauem. S. Chrys. In nauem.*

CAPVT XX.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Flectere auaros *vel Paulus ipse desperat.* 1144
Quam solicitam de suis curam habere præsules *debeant.* 1144
Eleemosynæ *custodis loco sunt.* 1145
Pauli feruor *in prædicando.* 1146
Diuinorum verborum *fructum ut impedire diabolus studeat.* 1147
Quantâ reuerentiâ *Pauli verba exciperentur.* 1147
Pauli modestia *& humilitas.* 1148
Magna quies *pro aliorum salute laborare.* 1149

Verùm

Verus doctor *animarum lucris magis inhiat, quàm cibis.* 1149

Postquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos valedixit.

1144. PRVDENTER agit Paulus: ab persecutorum furore se subducit, ne fideles, quos in eâ ciuitate pepererat Christo, suâ causâ duriorem persecutionem fustioereor. Demetrij, & argentariorum furori cedit Paulus, ne in Christianos omnes insurgerent, eosque occidereor. *Flectere suis verbis auaros vel Paulus ipse desperat.*

Sed nec illud casu accidit, quod non priùs abiecit, quàm tumultua cessarit; *ne scilicet* MAIOREM SALVTIS PROPRIÆ, *quam fidelium illic commorantium rationem* vt ille ait, *habuisse videretur*, nullibi suorum Paulus obliuiscitur, & talem à Paulo mentem deberent ebibere, qui Pauli exercent officium, dignitatem sustineot.

Facta sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam.

OBsederunt Iudæi viam occidere volentea Paolum; aor fors eripere volebant Eleemosyoas, & collectas, quas secum deferebat in pauperum, qui Ierosolymis degebant, auxilium. Vbique pecuniæ inhiant Iudæi, & auaritiâ corripiuntur, vt non mirum, si in tot nefanda scelera lapsi sint.

1145. Sed, quia Iudæorum insidias detexit? Per reuelationem id Paolus cognouisse plerique existimant: tantum meruit, quia collectaa pauperibus deferebat. Ipsæ Eleemosynæ potuerunt custodis loco esse & curam illius habere, qui paoperum habebat curam: tantum prodest iodigentibus prodesse.

Vnâ autem sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum.

HAnc panis fractiooem ad Eucharistiam plerique referunt: fauet Sytus, qui ita vertit: *Dum congregati essemus ad frangendam Eucharistiam*: Fors cibi corporalis sumptio non tanti erat, vt hîc à sacro scriptore insereretur. Fractus est panis antequam Paulus discederet: frangi Pauli affectus non potuit, quo io eos, quos relinquebat, ferebatur.

Protraxitque sermonem vsque in mediam noctem.

1146. ELucet hîc Pauli feruor in prædicando: ad iter labore se parat; sed alienæ salutis desiderio laborem non sentiebat. Etiam populi in audiendo apparet studium, qoi cælestem illam tubam & videre, & audire cupiebant etiam cùm viderent, & audireor: oullus longiùs protrahi sermonem queritur, nullus finiri sermooem postulat.

Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum.

DOrmientis Eutychi aliqua excusatio est, quod adolescens erat: tanquam humidiores adolescentes somnolentiores esse solent. Mali ominis fuit io fenestrâ residere, & in concione dormire. Præmissum est, vsque ad mediam noctem Pauli sermonem protractum, vt aliqua excusatio dormienti subesset, quòd io nocte dormiuit, & cecidit. Quid merentur illi, qui diem in ooctem vertunt, dum dormiunt, & dormientes sacras conciones excipiunt, atque ideò non excipiuot, quia sunt dormientes?

Sublatus est mortuus.

MOrtem exprimit, ne quia de suscitatione du- 1147.
bitaret. Mors, vt probæ notæ auctorea censent, auctore diabolo contigit, vt festum illud, & spiritale gaudium interturbaret, & fructum qui ex Pauli verbis oriebatur, auferret, aut imminueret: sed dæmonia inuidia in dæmonem resiliuit, cùm, qui mortuos fuerat, mirantibus omnibus, à Paulo est vocatus ad vitam.

Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.

DEscendit Paulus: nemo eum rogat, vt descenderet: sponte suâ id præstat. Fors nullus ausus rogare, ne loquentem Paulum interturbaret: tantâ nimirum reuerentiâ doctoris sancti excipiebant verba. Descendit, & incubuit super eum, vt misericordiæ viscera super eum effundere videretur.

Eum, qui somno correptus ceciderat, complectitur Paulus, vt reuocet ad vitam. Innuit aliquid iste compleaos: boc nimirum, quia (vt ait Glossa) *operosior est suscitatio eorum, qui* PER NEGLIGENTIAM, *quàm qui per necessitatem & infirmitatem peccant.*

Anima ipsius in ipso est: Noo quia verè esset, 1148.
ac in corpore lateret; oam animam iam efflauerat: sed, quia emissa anima post modicum tempus reuersura erat, idcirco dictum est, animam io corpore fuisse: vel non de mortuo Eutycho loquitur Paolus, sed de resuscitato. Apparet hîc Pauli modestiâ, & humilitas: noo dixit, *Nolite turbari, resurget enim, & ego excitabo illum.* Sed ab omni fastu alienus miraculum humilitatis veste contegit: *anima*, inquit, *ipsius in ipso est*. Abeunt ab hac mente, qui se, qui sua iactant. Etiam Christus ob humilitatis studium, cùm defunctum quempiam suscitabat, defunctum vocare, *dormientem*, plerunque solebat.

Anima enim ipsius in ipso est: Non de mortoo istue dicit, sed de iam resuscitato. *Priùs incubuit* ORANDO, inquit hîc Caietanus, *deinde complexus eum viuum restituit, dicendo nolite turbari, quia anima eius in ipso est*. In ipso anima erat, quia iuxta ipsum Paulus orauerat, orauerat pro ipso.

Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque alloquutus vsque in lucem, sic profectus est.

POst excitatum Eotychum cibum sumpsit; sed 1149.
& inter edendum, &, ablatâ cœnâ, sermo de rebus Diuinis continuatus est, vt suo mens cibo pasceretur, sicut corpus suo. Loquutum Paulum legimos vsque in lucem, & sic profectum: non legô quieuisse, dormiuisse nocte illâ. Magna illi quies

pro

pro aliorum salute laborare. Angelis par videbatur effectus Paulus, & ita mentis intentione vigilauit, vt incorporeus videretur, & à corporis necessitatibus exemptus. Fregit panem, qui laboribus frangi non poterat.

Frangénsque panem: Post mortui suscitationem panem sumpserunt, fregerunt panes, illi quos sermonis protractio vsque ad mediam noctem non fregerat. *Intentis omnibus sermoni*, inquit Caietanus hîc, *mentis cibo dum pascuntur, ferè illius cibi sunt obliti, quo pascitur corpus.*

Et gustans: Gustauit potiùs cibum Paulus, quàm sumpsit, *vt modicum cibum intelligamus sumptum*, inquit Caietanus hîc. Veri hæc doctoris consignatio, animarum magis lucris inhiare, quàm cibis.

SECTIO II.

Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson inde suscepturi Paulum; sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

1150. PAulus pedes iter fecit: socios nauigare iussit, ne laborem pedestris itineris subirent. Bonus magister indulget aliis, sibi non indulget. Pedes iuit Paulus non mortificationis tantùm causâ, sed vt pedestri itinere amicos salutaret, vbique euangelizaret, omnibus prodesset. Nullum longum in terrâ iter illi videbatur, qui in cælum abierat, raptus in cælum fuerat.

Per terram iter facturus: Corpore per terram iter libenter faciebat Paulus, cuius mens frequens iter in cælum faciebat; nisi quòd in cælum mente via videbatur ascendere, qui semper in cælo ambulabat, cùm eius conuersatio esset in cælis.

Vos scitis à primâ die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim.

MOdestè suas laudes Paulus commemorat, non vt se commendet; sed vt se purget, aut

Nouarin. in Act. Apost.

alios instituat, dictisque suis maiorem auctoritatem concilier, maiorem fidem. *Vos*, inquit, *scitis*: Auditorum testimonium affert, ne putes superba verba committere, aut mentiri. Magna doctoris virtus est, quando suorum operum testes eos habet, quos habet discipulos.

Seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum.

SErmiens Domino: Vera hæc seruitus, quam tentationes, & insidiæ non impediunt. Verè Deo seruit, quem nullæ aduersitates, contumeliæ nullæ, nullæ insidiæ, à Dei seruitute eximunt. 1151.

Cum omni humilitate: Memor humilitatis est, quæ his, qui præsunt, maximè necessaria est; quippe quos facilè arrogantia extollat, & fastus efferat. Primo loco humilitatem præmittit, vt iactantiæ suspicionem auferret. *Omnem humilitatem*, cùm dicit, omnes humilitatis gradus includit, & erga omnium hominum gradus, superiorum, æqualium, quin & inferiorum. In omni humilitate Deo seruit, qui & in aduersis humilis est, & in secundis; in corde, in verbis, in habitu, in vultu, in incessu humilitatem prodit. In omni humilitate Deo famulatur, qui non in vnâ re dumtaxat, nec obiter se humiliat, sed in omnibus.

Humilitatem cum Dei seruitute iungit, nullâ quippe re clarius quispiam, seruum Dei se esse, profitetur, quàm humilitate, quæ in Paulo eò admirabilior extitit, quò ipse signis, & miraculis magis admirandus. In tantâ celsitudine, & sublimitate tantam humilitatem seruare, insignis sanctitatis insigne est. 1152.

Et lachrymis: Græcè, *καὶ πολλῶν δακρύων, & multis lachrymis*, quas scilicet & ob sua, & ob aliorum peccata fundebat. Nullus tanto affectu mala propria, quàm Paulus aliena, deflebat. *Et tentationibus*: Non quibuslibet, sed *quæ*, inquit, *mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum*: Etiam à Gentilibus multa passus fuerat: cur igitur Gentium quoque non facit mentionem? An, quia, instigantibus Iudæis, Paulum Gentiles persecuti fuerant? An, quia Gentiles, propter ignorantiam, veniâ aliquâ digni videbantur. Tacitè insinuare etiam voluit, Iudæorum, quàm Gentilium, perniciosiorem esse consuetudinem ac consortium. Ea, quæ passus erat Paulus commemorat, non quia ægrè ferret, sed vt ad paria toleranda pastores alliceret, ac prouocaret.

Quomodo nihil subtraxerim vtilium quominùs annuntiarem vobis.

NIhil vtilium, & eorum, quæ prodesse poterant, subtraxit Gentium Doctor, & doctorũ exemplar. Vtilia, & profutura veritatis doctor docere debet: superflua, & inutilia ableganda sunt. Nec curiosa sectanda, speciosa, & blanda, sed, quæ auditorum saluti conferant, & animæ salubria sint. 1153.

Subtraxerim: Non dixit, *suppresserim*, aut *tacuerim*, sed subtraxerim. Tanto impetu, & velut connaturali motu vtilia à doctore ad auditores fluunt, vt, qui illa denegat proferre, quadam violentiâ subtrahere ab auditoribus videatur.

Et docerem vos publicè, & per domos.

NOn satis est, animarum pastorem communia monita solis exhibere; debet singulos priuatè 1154.

monere, instruere, informare suæ doctrinæ Gentium doctor meminit; non meminit miraculorum, quæ in doctrinæ confirmationem edebat: vt commendaret suam doctrinam noluit commendare se. Omittit narrare miracula; narrat labores, narrat ærumnas, ac tribulationes, quæ Paulo, Paulique imitatoribus, ipsis miraculis sunt clariores.

Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quæ in eâ ventura sint mihi, ignorans.

ET *nunc ecce alligatus?* Cur alligatus? An quia alligandus? Ad hanc mentem: scio mihi instare vincula, quæ perinde habeo, ac si illis essem alligatus: tanto desiderio in vincula ferebatur. Vel sensus est: pergo Ierosolymam, excitante me Spiritu Sancto cui quasi alligatus, & deuinctus sum. Spiritus Sanctus spiritum, & desiderium Paulo indebat, vt in Ierusalem iret.

1155. Sed quæri hîc potest, quæ fuerit huius impulsus, & huius desiderij causa, qua Paulus, vt in Ierusalem iret, vrgebatur. Hoc eodem anno post paucos dies Beata Virgo Ierosolymis in cælum migratura erat: vt igitur Paulus assisteret abituræ Virgini, impulit eum Spiritus in Ierusalem; &, licèt ibi vincula pati deberet, vincula tamen libentissimè sustinuit, solâ videndæ, & venerandæ Virginis spe. Nimirum nulla tam grandia incommoda sunt, quæ leuia, & nulla non censeantur, Mariæ præsentiâ, Mariæ aspectu. Nos quoque grauia quæque discrimina subire hîc debemus, spectandæ in Cælo Virginis desiderio. Mariæ amore, omnis grauis labor, leuis, ac nullus labor est.

Quæ in eâ ventura sint mihi ignorans: Prophetiæ Spiritum aliquando Deus dat, aliquando subtrahit. Nimirum, *prophetantium mentes*, inquit sanctus Gregorius, *& eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt, accipientes spiritum, inueniant, quid de Deo sint; & rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant, quid sint de semetipsis:* Alioquin quid prophetiæ spiritum accepisse prodesset, si alia sciremus, & nos nostramque vilitatem ignoraremus?

Vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.

VBi Dei Ecclesiam persequebatur, ibi pro Ecclesiâ pugnat; & ibi pœnas luit, vbi ante peccauerat: vbi malo alios exemplo læserat, ibidem bono ædificare debebat. *Vincula*, inquit, *& tribulationes Ierosolymis me manent:* Manent Paulum tribulationes sed non remanet Paulus, vt tribulationes defugiat. Multa iam erat perpessus Apostolus, sed præteritorum oblitus, futura cogitat.

Felix Paulus, dum vinculis, & tribulationibus adijcitur. Sæpè passum legimus Paulum, semel tantùm cælesti gaudio perfusum; vt statim eius exemplo colligeremus hoc tempus patiendi potius esse, quàm fruendi; Dominus ipse alloquens sanctam Teresam hæc ad eam habuisse in eius vita legimus: *Existimásne, ô filia, meritum consistere in fruendo? Imò potius consistit in patiendo. Non est auditum nisi semel; quod Sanctus Paulus gaudio cælesti fruitus sit; sed multiplices eius passiones frequenter audisti. Tu quoque vides totam vitam meam tolerantia & passione acerba plenam; nec nisi semel fit mentio de gaudio meo, in monte Thabor. Dum matrem meam inter brachia mea complexum, non existima exinde ei semper gaudium affuisse sine dolore; nam ex eo tempore quo eam allocutus est Simeon de gladio animam eius pertransituro, lucem percepit à patre meo, quâ semper intuebatur ea, quæ passurus eram. Viri quoque sancti in deserto, spiritu Dei ducti, magnis se pœnitentiis affligebant, multáque prælia contra Satanam, & concupiscentiam non sine amaritudine patiebantur, sæpè diu dilatâ consolatione. Crede, ô filia, hunc plus à Patre amari, cui grauiores imponit labores, & amorem tribuit correspondentem. Et quomodo hunc amorem magis erga te possum ostendere, quàm volendo pro te, quod volui pro me? Intuere hæc vulnera & dolores, ad eorum acerbitatem tui numquam pertingent cruciatus.* Sic edocta Teresa cælitus, dicebat crebrò, sibi haud opus esse vlteriùs viuere, nisi ad patiendum pro Deo. Vnde & illud sæpe repetebat, sæpeque à Domino petebat, Aut *mori* Aut *Pati*.

Te vincula, te tribulationes manent Paule: cur 1156.
igitur eò abis, vbi hæc tibi parantur? cur non fugis, vt vincula fugias? Vix aliud vehementiùs eò trahere Paulum poterat, quàm vincula, quæ illi parabantur. Amat vincula, vt sit liberior. Vincitur amat, qui amat vincere. Nolo hic desiderari ad hæc verba sancti Chrysostomi verba Eclogâ de Patientiâ: *Intuere, mihi beatam illam animam, in quibus glorietur: in vinculis, in tribulationibus, in catenis, in stigmatibus. Vado, inquit, in Hierusalem alligatus spiritu, quæ in eâ ventura sint mihi ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes ciuitates protestatus est mihi, quoniam vincula & tribulationes me maneat. Cur igitur abis, si te vincula & tribulationes manent? Ob hoc: vt pro Christo vinciar, vt pro ipso moriar. Nec enim alligari solùm, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini mei. Quid igitur est hoc? Non erubescis? Non times, ne quis Dei damnet infirmitatem? ne quis idcò te non accedat? Non eiusmodi, inquit, sunt mea vincula: in regiis etiam splendere scio. Vt vincula mea, inquit, clara notáque fiant in vniuerso prætorio, & plerique fratrum vinculis meis permoti, ampliùs sine timore verbum loqui audeant. Vides vinculorum potiùs fortitudinem, quàm suscitationis mortuorum? vinctus est Romæ, & plerosque attraxit: vinctus est Hierosolymis, & ligatus concionans regem exterruit, præsidi timorem incussit. Timens enim, inquit, dimisit eum. Vinctus nauigabat, & naufragium soluit, & tempestatem impediuit. In vinculis positum ipsum bestia illa apprehendit, & nihil nocens decidit.*

Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.

PVrgat se Paulus, & probat, si quis pereat se va- 1157.
care culpâ, cùm nullus officio suo defuerit. Videat Prælatus, & Doctor, si torpeat, & munus suum minimè obeat, perditarum ouium reddendam illi rationem esse. *Mundus sum à sanguine omnium:* Verè ab omnium sanguine erat mundus, qui suum pro omnibus sanguinem fundere erat paratus.

Mundus à sanguine omnium; ac si effusor esset sanguinis, qui Dei consilia omnibus in omnium salutem non annuntiat. Rem in torpentes sacerdotes intorquet Sanctus Gregorius hom. 11. in Ezechielem: *O quam liber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat: Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annunciasset, mundus à sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annunciare studuit, ab eorum sanguine*

sanguine mundus fuit. In qua voce nos conuenimus, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, ALIENAS QVOQVE MORTES ADDIMVS: QVIA TOT OCCIDIMVS, QVOT AD MORTEM IRE QVOTIDIE TEPIDI ET TACENTES VIDEMVS.

1158. Mundum à sanguine se dicit, eò quòd à Diuinorum consiliorum manifestatione se minimè subduxerit; ac si sanguinem ille fundat, qui Dei consilia hominibus non annuneiat. Rem grauitet vrget sanctus Chrysostomus hom. de Doctrinâ & correptione. *Mundus ego sum à sanguine omnium. Quare? Non enim subterfugi, quominus annunciarem vobis omne consilium Dei. Si ergo subterfugissem, quominus annunciaret, non fuisset mundus à sanguine; sed* VELVTI HOMICIDA IVDICATVS FVISSET. *Et meritò sanè: homicida enim solùm corpus interimit, & præsenti morti tradit: qui verò ad gratiam concionatur, & segniores reddit auditores, ille animas perdit, easque ad sempiternas pœnas ac cruciatus transmittit.*

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

1159. Priùs iubemur nobis attendere, quàm aliis. Ineptè aliorum curam gerit, qui se ipsum non curat; & inordinatè alienam salutem quærit, qui suam negligit, sui oblitus. rectè igitur Paulus prius ait, *Attendite vobis*, deinde, *& vniuerso gregi*, ne quis ordinem inuerteret, & aliis attenderet, non sibi; quod extremæ amentiæ est. *Attendite vobis*: se perficiat Pastor, aptiùs & gregem perficiet; sicut & mater, quo meliùs se curat, eò melius lac exhibet infanti. Vix potest beoè suis attendere, qui sibi non attendit: *Ægrè aliorum bonus pastor esse potest, qui suamet in se lupus apparet.*

In quo vos Spiritus Sanctus posuit: Vide veterum pastorum discrimen, & luporum: illi non ingerunt se, non se in munus obtrudunt; ponit eos Spiritus Sanctus, vt Dei Ecclesiam regant: at lupi, intrant; sic enim statim addit: *Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces.* Igitur, qui se in dignitates ingerit, lupum se prodit, non pastorem. *Verè impenit sibi, qui in dignitatibus ponit se.*

Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

1160. *Ex vobis ipsis exurgent:* Nimirum etiam ex sanctis familiis impij homines prodeunt, qui ferè eò peiores, quò à sublimiore gradu lapsi sunt. *Exurgent:* Exsurrectio ista lapsos est. A bonis exurgere, est cadere. *Viri loquentes peruersa:* qui peruersa agunt, possunt & sibi soli officere: qui peruersa loquuntur, & aliorum perniciem quærunt; vnde additur: *Vt abducant discipulos post se.* Non sunt contenti soli perire; cum multis perire volunt, vt pleniùs pereant.

Per triennium nocte, ac die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrum,

Nox vix erat nox: in diem eam conuertebat Paulus, dum conuertere omnes studeret ad Christum; idque eum lachrymis. *Quemnam fontem*, inquit Sanctus Chrysostomus hom. 44. in epist. ad Coloss. *vis comparare cum* HIS LACHRYMIS? *eumne, qui est in paradiso, qui irrigat vniuersam terram? sed nihil dices æquale.* Irrigauerit ille fons paradisum, iste lachrymarum facit Paradisum eos, pro quibus fluit.

Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius.

Etiam antè pro suis discipulis orare consueuerat Paulus, eosque Deo commendare: cur igitur ait, *& nunc commendo vos Deo*, ac si priùs id non præstiterit? Idem antea præstiterat, sed nunc maximè commendat, quia maximè opus habent, eùm sine doctore remanent, & rapacium luporum patent insidiis: Quàm vtilis probi doctoris præsentia est, tam noxia, mali.

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui.

Parum est, quòd non habuerit, non quæsierit; at magnum, & rarum est, nec concupiuisse. Quod auaros pastores arguit, qui temporalia spiritualibus præferunt, & ouium lanam quærunt, non quærunt oues; quin, perire ipsas, sinunt. 1161.

Poterat multa alia in sui commendationem Apostolus adducere: cur, omnibus omissis, hoc vnum producit in medium, se ab omni auaritiâ, & cupiditate abfuisse? An, quia hoc multa alia continet? Vbi enim iudex, doctor, superior ab omni auaritiæ sorde immunis fuerit, præclarè reliquas sui muneris partes obibit, & se in cæteris quoque facilè commendabilem præbebit. Non auarè se commendat doctor, si se auarum non esse probat, nisi dumtaxat salutis animarum.

Beatius est magis dare, quàm accipere.

Regium, & Diuinum est dare; accipere vile, ac humanum. Dictum istue ad beneficia coërcendum est, non porrigendum ad iniurias: in iniuriis enim beatius est accipere, quàm dare.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXI. ACT. APOST.

Vers. 1.


CVM autem factum esset, vt nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu

Nouarin. in Act. Apost.

Cùm a. f. e. *Syr. Et Oecum. Cùm autem contigisset. Ar. M. Vt autem factum est.*
Nauig. a. *Syr. Separati sumus. S. Chrys. Soluissemus auulsi. Ar. M. Preuchi nos auulsos.*

SS a venimus

Vulgata Editio. — *Lectionum varietas.*

venimus Coum, & sequenti die Rhodum, inde Pataram.

Recto c. *Syr. Et rectâ. Ar. M. Rectâ currentes.*
Venimus C. *Syr. Enauigauimus ad Coum insulam.*

Vers. 2.

Et, cùm inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicem, ascendentes nauigauimus.

Cùm inuen. *Syr. Nactique illic. S. Chrys. Nacti.*
Transfret. *Syr. Profecturam. S. Chrys. Traiicientem.*
Ascend. *Syr. Conscendimus eam. S. Chrys. Eâ conscensâ.*
Nauig. *Syr. Et perreximus. S. Chrysost. Soluimus. Ar. M. Prouecti sumus.*

Vers. 3.

Cùm apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum; ibi enim nauis expositura erat onus.

Cum a. a. C. *Syr. Peruenimus autem vsque ad Cyprum. S. Chrys. Vbi apparuit autem nobis Cyprus. Pagn. Cùm autem cœpisset nobis apparere Cyprus.*
Relinq. e. *S. Chrys. Relictâ eâ.*
Nauig. *Syr. Venimus.*
In Syriam. *Oecum. Versùs Syriam.*
Venimus. *Syr. Illinc peruenimus. Oecum. Delati sumus. Ar. M. Deuecti sumus.*
Onus. *Syr. Onus suum.*

Vers. 4.

Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Ierosolymam.

Inuentis. *Vat. Repertis.*
Discip. *S. Chrys. Fratribus.*
Mansimus. *Syr. Permansimus. S. Chrys. Permanserunt. Ar. M. Admansimus.*
Ibi. *Syr. Apud eos. Pagn. Ibidem. Ar. M. Eis.*
Dies. *Syr. Diebus. S. Chrys. Ad dies.*
Qui. *Syr. Isti autem quotidie.*
Ascend. I. *Syr. Proficisceretur ad Ierusalem.*

Vers. 5.

Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filiis vsque foras ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus.

Et expl. d. *Syr. Illis autem post diebus. Oecum. Cúmque dies explessemus. Ar. M. Quoniam autem factum est nos peragere dies.*
Profecti ib. *Syr. Exiuimus iter facturi.*
Deducentibus nos o. *Syr. Et concomitati sunt nos ij omnes. Ar. M. Præmittentibus nos omnibus.*
Cum vxor. *Syr. Et vxores. Pagn. Vnâ cum vxoribus.*
Filiis. *Syr. Liberi eorum. S. Chrys. Liberi.*
Vsque f. c. *Syr. Donec extra vrbem essemus. S. Chrys. Vsque extra portam. Pagn. Donec exissemus ciuitatem.*
Posit. g. *Syr. Prociderunt in genua. Ar. M. Ponentes genua.*
In littore. *Syr. Iuxtaque littus maris.*
Orauimus. *Syr. Preces fuderunt. Vat. Precati sumus.*

Vers. 6.

Et, cùm valefecissemus inuicem, ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua:

Cum valefecis. *Syr. Deosculati sumus. S. Chrysost. Consalutatis nobis. Ar. M. Salutantes.*
Inuicem. *Syr. Alij alios.*
Ascend. *Oecum. Nos conscendimus.*
Redier. i. s. *Syr. Reuersi sunt domos suas. S. Chrys. Reuersi sunt in propria. Pagn. Redierunt ad sua.*

Vers. 7.

Nos verò nauigatione expletâ à Tyro descendimus Ptolomaidam: &, salutatis fratribus, mansimus die vnâ apud illos.

Nauig. expl. *Syr. Perreximus. Ar. M. Nauigationem perficientes. Vat. Nauigatione explicitâ.*
Descendimus. *Syr. Et venimus.*
Ptolemaidam. *Syr. Ad Acon vrbem.*
Et salut. fr. *Syr. Salutauimúsque fratres, qui illic erant.*
Mansimus. *Syr. Et diuersati sumus.*
Die v. a. i. *Pagn. Diem vnum cum illis.*

Vers. 8.

Aliâ autem die profecti, venimus Cæsaream: &, intrantes domum Philippi

Alia. *S. Chrys. Sequenti.*
Profecti. *S. Chrys. Egressi. Oecum. Nos, qui eramus cum Paulo egressi. Pagn. Nos qui eramus cum Paulo. Vat. Qui erant cum Paulo egressi.*
Venimus. *Vat. Venerunt.*

euang elistæ,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum.

Intrant. d. *Syr. Ingressi diuersati sumus in adibus. S. Chrys. Ingressi in domum.*
De septem m. a. e. *Syr. E septem.*

Vers. 9.

Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

Huic a. *Syr. Cui quidem. S. Epiph. Sic & Philippo.*
Filiæ v. *S. Epiph. Filia.*
Proph. *Syr. Qua vaticinabantur. S. Epiph. Prophetissa.*

Vers. 10.

Et, cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudæâ propheta, nomine Agabus.

Moraremur. *Syr. Illic egissemus. S. Chrys. Permaneremus. Ar. M. Admanentibus nobis.*
Per d. a. *Syr. Dies plurimos. S. Chrys. Dies complures. Ar. M. Dies plures. Caiet. Per dies complures.*
Superuenit. *Syr. Descendit. S. Chrys. Venit. Pagn. Aduenit.*
Quidam à Iudæâ. *Syr. Ex Iudaâ quidam. S. Chrys. A Iudaâ.*

Vers. 11.

Is, cùm venisset ad nos, tulit Zonam Pauli; & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.

Is cum v. a. n. *Syr. Et introiit apud nos. S. Chrys. Et cum venisset ad nos. Oecum. Is cum ad nos peruenisset.*
Tulit. *Syr. Sumpsitque. S. Chrys. Et tulisset.*
Zonam. *Syr. Cingulum lumborum. Vat. Cingulum.*
Alligans. *Syr. Vinxit. S. Chrys. Ligasset.*
Sibi. *S. Chrys. Illius.*
Ped. e. m. *Oecum. Manus & pedes.*
Hæc d. S. s. *Syr. Sic dicit Spiritus sanctitatis.*
Cuius est Z. h. *Syr. Dominum huius cinguli. Vat. Cuius est cingulum hoc.*
Alligab. *Syr. Vincient. S. Chrys. Ligabunt.*

Vers. 12.

Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

Quod c. a. *Syr. Cumque hos sermones audissemus. S. Chrys. Vt autem audiuimus hac.*
Rogabamus. *Syr. Efflagitauimus ab eo. S. Chrys. Obsecrauimus.*
Nos. *Pagn. Et nos.*
Et qui. *Syr. Et filij. Vat. Et cæteri, qui.*
Loci i. e. *Syr. Regionis.*
Ascend. *Syr. Proficisceretur. S. Chrys. Ipse ascenderet.*
Ierosolym. *S. Chrys. In Ierusalem: & multi orabant; ne abiret, & neque sic audiit.*

Vers. 13.

Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.

Tunc r. *Syr. Respondit autem.*
Facitis. *Syr. Agitis.*
Flentes. *Syr. Qui fletis.*
Afflig. *Syr. Contundistis. Ar. M. Comminuentes.*
Ego enim *Oecum. Ego verè.*
Alligari. *S. Chrys. Ligari. Pagn. Vinciri.*
Paratus s. *Ar. M. Paratè habeo.*
Prop. n. *S. Chrys. Pro nomine.*

Vers. 14.

Et, cùm ei suadere non possemus quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat.

Et cum e. s. n. p. *Syr. Cùm itaque assensum non præbuisset nobis. S. Chrys. Et cùm ei non persuaderetur. Ar. M. Non suaso autem eo.*
Quieu. *Syr. Destitimus. S. Chrys. Acquieuimus.*
Domini. *Syr. Domini nostri.*

Vers. 15.

Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Ierusalem.

Post d. a. i. *Syr. Proinde post dies istos. Al. Post dies autem.*
Præparati. *Syr. Preparauimus nos. S. Chrys. Sublatis sarcinis. Oecum. Parati.*
Ascend. *Syr. Et conscendimus. S. Chrys. Conscendebamus.*
In Ierusalem. *S. Chrys. Ierusalem, hoc est; receptis iis, qua ad iter necessaria.*

Vers. 16.

Venerunt autem & ex discipulis à Cæ-

Et ex d. *Syr. Quidam discipuli. S. Chrys. Vnà quidam ex discipulis. Ar. M. Simul & discipulorum.*

Vulgata Editio.

fareâ nobiſcum, adducentes ſecum, apud quem hoſpitaremur, Iaſonem quendam Cyprium, antiquum diſcipulum.

Lectionum Varietas.

Adduc. ſ. *Syr. Adducentes ſecum fratrem quendam. S. Chryſ. Adducentes.*
Apud quem hoſp. *Syr. Vt exciperet nos domi ſuæ. S. Chryſ. Cum quo hoſpitaremur.*
Iaſonem qu. *Syr. Cui nomen erat Innaſon. Quidd. codd. Innaſonem quendam.*
Cyprium. *Syr.* (*Erat autem ex Cypro.*)
Antiquum d. *Syr. Ex primis diſcipulis. Oecum. Veterem diſcipulum.*

Verſ. 17.

Et, cùm veniſſemus Ieroſolymam, libenter exceperunt nos fratres.

Et cùm v. *Syr. Cùm igitur veniſſemus. Ar. M. Factu autem nobis.*
Libenter. *Syr. Hilariter. Mar. Benignè.*

Verſ. 18.

Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Iacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores:

Seq. *Pagn. Poſtero.*
Introibat. *Goth. Nos introiuimus. S. Chryſ. Ingrediebatur.*
Paulus n. *Goth. Cum Paulo.*
Omneſque collecti ſunt. *Syr. Cum apud eum eſſent omnes. S. Chryſ. Omneſque aderant. Vat. Omneſque conuenerunt.*
Sen. *S. Chryſ. Presbyteri.*

Verſ. 19.

Quos cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius.

Quos c. ſ. *Syr. Ac ſalutauimus eos. Oecum. Quos vbi ſalutaſſet.*
Narrabat. *Syr. Ac renunciauit eis Paulus. Ar. M. Expoſuit.*
Per ſing. *Syr. Sigillatim. Ar. M. Per vnum ſingulum.*
Quæ. *Syr. Quicquid.*
In Gent. *S. Chryſ. Inter Gentes.*
Per miniſt. ip. *Syr. Miniſterio ſuo.*

Verſ. 20.

At illi, cùm audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis.

At illi c. a. *Ar. M. At audientes.*
Magn. D. *Syr. Gloriam tribuerunt Deo. S. Chryſ. Glorificabant Deum. Caiet. Glorificabant Dominum.*
Vides. *Ar. M. Conſpicis.*
Frater. *Syr. Frater noſter.*
Quot m. *Syr. Quot millia eorum. Ar. M. Quòd decem millia.*
In Iudæis. *Syr. In Iudæâ. S. Chryſ. Iudæorum.*
Qui cred. *Ar. M. Credentium.*
Omnes. *Syr. Iſti omnes. S. Chryſ. Hi omnes.*
Æmulat. *Syr. Zelatores. S. Chryſ. Zelotes. Pagn. Studioſi ſectatores.*
Sunt. *Ar. M. Subſiſtunt.*

Verſ. 21.

Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum; dicens, non debere eos circuncidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingredi.

Audierunt. *Syr. Dictum eſt eis. S. Chryſ. Edocti ſunt. Ar. M. Edocti erant.*
Diſceſſionem. *Syr. Vt deficiant. S. Chryſ. Defectionem.*
Eorum Iudæorum. *Syr. Cuncti Iudæi. S. Chryſ. Omnes Iudæos.*
Per Gent. *S. Chryſ. Inter Gentes.*
Non debere eos c. *Syr. Vt circuncidant.*
Fil. ſ. *S. Chryſ. Filios. Ar. M. Ipſos filios.*
Secund. c. *Syr. Secundùm ritus legis. S. Chryſ. His ritibus. Pagn. Secundùm conſuetudines. Vat. Secundùm inſtituta. Ar. M. Ritibus.*
Ingredi. *Syr. Ambulent. S. Chryſ. Incedere. Pagn. Ambulare. Vat. Viuere.*

Verſ. 22.

Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem; audient enim te ſuperueniſſe.

Quid ergo e? *Syr. Quamobrem.*
Vtique o. c. m. *Syr.* omittit. *S. Chryſ. Omninò congreganda eſt multitudo.*
Audient e. *Syr. Quia auditione acceperunt.*
Te ſ. *Syr. Huc veniſſe. S. Chryſ. Quòd veniſti.*

Verſ. 23.

Volgata Editio. — *Lectionum Varietas.*

Verſ. 23.

Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe.

Hoc e. f. *Syr. Fac.*
Votum h. *Syr. Voto obnoxij.*
Super ſe. *Syr. Vt mundentur. Ar. M. Super ſeipſos.*

Verſ. 24.

His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita: & ſcient omnes, quia, quæ de te audierunt, falſa ſunt; ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.

His a. *Syr. Aſſume eos & proficiſcere.*
Sanctif. te. *Syr. Mundator. S. Chryſ. Purifica.*
Impende. *Syr. Expende expenſas.*
In illis. *Syr. Pro eis. Pagn. Super illis.*
Radant c. *Syr. Radant capita ſua. S. Chryſ Radantur caput.*
Scient o. *Syr. Innoteſcat.*
Quia q. d. t. a. *Syr. Quod dictum eſt de te. S. Chryſ. Quod quæ edocti ſunt de te.*
Falſa ſunt. *Syr. Falſum eſſe. S. Chryſ. Nihil ſunt. Ar. M. Nihil eſt. Oecum. Nihil ſunt.*
Sed amb. c. i. *Syr. Teque adimplere. Ar. M. Sed incedis & ipſe.*
Cuſtodiens l. *Syr. Legem & conſeruans.*

Verſ. 25.

De his autem, qui crediderunt ex Gentibus nos fcripfimus iudicantes, vt abſtineant ſe ab idolis, immolato & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione.

Scripſimus. *Oecum. Significauimus. Vat. Epiſtolas miſimus.*
Iudicantes. *Syr. omittit. S. Chryſ. Decernentes, ne quid huiuſmodi obſeruent illi.*
Vt abſt. ſe. *Syr. Vt cuſtodiant ſe. S. Chryſ. Niſi vt caueant ipſi.*
Immolato i. *Syr. Immolato. S. Chryſ. His, quæ ſunt immolata ſimulachris, Oecum. Idolothytis*
Sanguine & ſ. e. f. *Syr. A ſcortatione & ſuffocato & ſanguine. S. Chryſ. A ſanguine & à ſuffocato & à ſtupro.*

Verſ. 26.

Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſterâ die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.

Aſſumptis v. *Syr. Aſſumpſit viros illos.*
Poſtera. *S. Chryſ. Sequenti. Oecum. In ſequenti. Pagn. Poſtero.*
Purif. *Syr. Et purificatus eſt.*
Intrau. *Syr. Et introiens profectus eſt. S. Chryſ. Ingrediebatur.*
Annunc. *Syr. Patefaciens eis. S. Chryſ. Denuncians:*
Donec off. *Syr. Vſque dum oblata ſint. Mar. Vſque quo oblata eſt.*
Pro vno quoque e. *Syr. Vniuſcuiuſque ex eis.*

Verſ. 27.

Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi, qui de Aſiâ erant Iudæi, cùm vidiſſent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus clamantes:

Dum autem. *Ar. M. Vt autem.*
Septem d. c. *Syr. Adueniſſet dies ſeptimus. S. Chryſ. Septem dies eſſent iam implendi.*
De Aſia. *S. Chryſ. Ab Aſia.*
Cùm v. *Syr. Vt conſpicati ſunt. Ar. M. Conſpicientes.*
Concitauerunt. *Syr. Concitarunt aduerſus eum. S. Chryſ. Conturbarunt. Ar. M. Confuderunt. Ar. M. Conturbabant.*
Omnem p. *Syr. Totam plebem. S. Chryſ. Tot[illegible] populum. Ar. M. Omnem turbam.*
Ei. *S. Chryſ. In eum.*
Clam. *Syr. Clamantes & dicentes.*

Verſ. 28.

Viri Iſraëlitæ, adiuuate: hic eſt homo, qui aduersùs populum & legem & locum hunc omnes vbique docens, inſuper & Gentiles ioducit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum.

Iſraël. *Syr. Filij Iſraël.*
Adiuuate. *Syr. Ferte opem. S. Chryſ. Succurrite.*
Homo. *S. Chryſ. Homo ille.*
Populum & l. & l. h. o. v. d. *Syr. Gentem noſtram docet vbique & aduersùs legem atque aduersùs hunc locum.*
Gentiles. *Syr. Aramæos. S. Chryſ. Græcos.*
Induxit. *Syr. Introduxit.*
Violauit. *S. Chryſ. Profanauit. Ar. M. Polluit.*
Sanctum. *Syr. Sacroſanctum.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 29.

Viderant enim Throphimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem, æstimauerunt, quoniam in templum introduxisset Paulus.

Viderant e. *S. Chrys. Erant enim, qui viderant. Ar. M. Fuerunt enim videntes.*
Troph. *Syr. Iam ante Trophimum.*
Quem æst. *Syr. Et putabant eum. S. Chrys. Quem existimauerunt.*
Quoniam in t. i. P. *Syr. Cùm Paulo ingressum fuisse in templum.*

Vers. 30.

Commotaque est ciuitas tota, & facta est concursio populi: & apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum, & statim clausæ sunt ianuæ.

Commota. *Syr. Proinde commota.*
Facta e. c. p. *Syr. Coactus est vniuersus populus Iudæorum. S. Chrys. Factus est concursus populi.*
Apprehend. *Syr. Prehenderunt. S. Chrys. Apprehensum.*
Traheb. *S. Chrys. Extraxerunt. Pagn. Protrahebant.*
Extra t. *S. Chrys. Ex templo. Pagn. E templo.*
Statim. *Syr. Eo momento.*
Ianuæ. *Syr. Valuæ. S. Chrys. Fores.*

Vers. 31.

Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ierusalem.

Quærent. a. *Syr. Cumque studeret turba. S. Chrys. Quærentibus autem illis.*
Occidere. *Syr. Interficere.*
Nunciatum est t. *Syr. Auditione accepit tribunus. S. Chrys. Ascendit rumor ad tribunum. Ar. M. Ascendit fama tribuno.*
Confunditur. *S. Chrys. Conturbata est.*

Vers. 32.

Qui statim, assumptis militibus & centurionibus, decurrit ad illos: Qui, cùm vidissent tribunum & milites, cessauerunt percutere Paulum.

Qui statim. *Syr. Proinde eo momento. S. Chrys. Qui ex illá.*
Assump. m. e. c. *Syr. Assumpsit centurionem & milites quàm plurimos.*
Decurrit a. i. *Syr. Et excurrerunt in eos.*
Qui. *S. Chrys. At illi.*
Percutere. *Syr. Ij, qui percutiebant. Ar. M. Percutientes.*

Vers. 33.

Tunc accedens tribunus apprehendit eum & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat, quis esset, & quid fecisset.

Tunc a. *Syr. Et accedens ad eum. Ar. M. Appropinquantes autem.*
Apprehendit. *Syr. Prehendit.*
Alligari. *S. Chrys. Ligari. Ar. M. Vinciri.*
Interrog. *Syr. Sciscitatus est super eo.*
Quis. *S. Chrys. Quisnam.*
Fecisset. *Ar. M. Est perpetrans.*

Vers. 34.

Alij autem aliud clamabant in turbâ. Et, cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

Alij a. *Syr. Quidam autem in eum.*
Aliud *S. Chrys. Alia. Ar. M. Aliud quid.*
In t. *Syr. Ex turbâ, alij aliud.*
Et e. n. p. *Syr. Ita vt non potuerit. Oecum. Cùmque posset.*
Certum. *Syr. Quæ esset veritas. Oecum. Nihil certi.*
Præ t. *Syr. Præ vociferatione eorum.*
Iussit. *Syr. Proinde iussit.*

Vers. 35.

Et, cùm venisset ad gradus, contigit, vt portaretur à militibus propter vim populi.

Et c. v. *Syr. Cumque peruenisset Paulus. Ar. M. Cùm autem factus est.*
Contig. v. p. a. m. *Syr. Portauerunt eum milites.*
Vim p. *Syr. Violentiam plebis. S. Chrys. Violentiam turbæ.*

Vers. 36.

Sequebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum.

Sequ. e. *Syr. Veniebat enim post eum. Ar. M. Sequebatur eum.*
Mult. p. *Syr. Populus multus.*
Clamans. *Syr. Et vociferabantur, ac dicebant.*

Vers. 37.

Et, cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui ali-

Et cùm cœp. i. *Syr. Et cùm iam introducendus esset. S. Chrys. At introducendus. Oecum. Et dum cœpisset duci.*
Paulus. *Syr. Ipse Paulus.*

quid

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

quid ad te? Qui dixit: Græcè nosti?

Si licet. *Syr. Si permiseris. S. Chrys. Num licet.*
Loqui a. a. t. *Syr, Loquar tecum. Goth. Loqui te. S. Chrys. Dicere ad te. Pagn. Loqui ad te.*
Qui. *Syr. Ille verò. S. Chrys. At ille.*

Vers. 38.

Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?

Ægyptius. *S. Chrys. Ægyptius ille.*
Tumultum c. *Syr. Concitasti. S. Chrys. Seditionem concitasti. Ar. M. Tumultum mouens.*
Eduxisti. *Syr. Abduxisti*
Desertum. *S. Chrys. Solitudinem.*
Millia. *Ar. M. Mille.*
Vir. sic. *Syr. Hominum sceleratorum. S. Chrys. Sicariorum. Ar. M. Viros sicarios.*

Vers. 39.

Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus à Tharso, Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps: rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

Ad eum. *Syr. Ei.*
Homo s. q. I. *Syr. Sum vir Iudæus. S. Epiph. Sum.*
A Tarso. *Syr. Ex Tarso. S. Epiph. Tarsensis.*
Non ign. *Syr. Celeberrimâ. S. Chrys. Non obscura. S. Epiph. Nec obscura.*
Ciuitatis. *Syr. Vrbe. S. Epiph. Vrbis.*
Municeps. *Syr. In quâ natus sum. S. Epiph. Ciuis.*
Rogo a. *Syr. Rogo.*
Loqui a. p. *Syr. Vt alloquar populum.*

Vers. 40.

Et, cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem: &, magno silentio facto, alloquutus est linguâ Hebræâ, dicens.

Et cùm ille perm. *Syr. Cùm itaque permisit ei.*
Paulus s. i. g. *Syr. Surrexit Paulus super gradus.*
Annuit. *Syr. Et silentium indixit.*
Ad p. *Syr. Eis. Ar. M. Populo.*
Et to. s. f. *Syr. Et cùm sedati essent. Ar. M. Multo verò silentio facto.*
Alloquutus est. *Syr. Alloquutus est eos. Oecum. Alloquebatur.*
Ling. H. *Syr. Hebraicè.*
Dicens. *Syr. Dixitque eis.*

CAPVT XXI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Orationem *fundebant antequàm mari se committerent.* 1163
Puritatis *comes est sapientia.* 1164
Virginum modestia *& verecundia.* 1165
Quàm libenti animo Paulus *vincula pateretur.* 1167
Lachrymarum *vis.* 1167
Cauent iusti, *ne se iactent.* 1167
Ab inani gloriâ *sibi quisque caueat.* 1168
Humiles *sua non efferunt, sed demittunt.* 1169
In tribulationibus, *quas patimur, peccatorum, quæ commisimus recordari debemus.* 1169

Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Ierosolymam.

1162. PER spiritum prophetiæ intellexerunt, Paulum, si Ierosolymam ascenderet, multa passurum; sicut eidem Paulo antea reuelatum fuerat. Cur igitur, quod Paulo aperierat Spiritus Sanctus, aperuit, etiam his discipulis? An, vt magis Paulus confirmaretur, & ne videretur, se ipsum commendasse, cùm dixit, se admonitum à Spiritu sancto.

Et, expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filiis vsque foras ciuitatem.

APparet hîc, quantus fuerit dilectionis, & charitatis ardor in primitiuâ Ecclesiâ: omnes Paulum comitantur, etiam vxores. Fors virgines, vt pudori consulerent, domi remanserunt; quod gratius Paulo, quàm si egressæ comitatæ eum fuissent: nisi dicamus, filiorum nomine, etiam filias intelligi.

Et, positis genibus in littore, orauimus.

POst plures annorum centurias, vt testatur Beda, Christiani eum locum venerabantur, vbi in arenis pariter orauerant. Antequam vndis se committant, orationem fundunt: vel Ethnici hoc, licèt impiè, præstabant, cùm falsa numina venerarentur: hinc illæ apud Petronium Arbitrum: *Adoratis syderibus intra nauigium*: Syderum conditor adorandus, non sydera. 1163.

Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum.

CVm Cæsaream Palestinæ peruenissent, ad Philippi Euangelistæ diuertunt domum. Non subeunt nobilioris viri hospitium, ditiorisque: Dei serui

serui motum sanctitatem externo fastui præferunt. Euangelista Philippus iste dicitur, non quia scripserit, sed quia prædicauerit.

Nobili hoc titulo insignitur Philippus: dicitur Euangelista: sed quodnam scripsit Euangelium, vt Euangelista diceretur? *Ob promptum prædicationis officium Euangelista meruit vocari*, ait hic Glossa & Lyranus: *Dicitur iste Euangelista, quia tempore persecutionis verbum Euangelicum prædicauit feruenter.* Tanti refert promptè boni aliquid præstare, & munus suum aliquem exercere, etiam cùm difficultatibus obsidetur, multos patitur impugnatores.

Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

1164. GRata Dei seruis domus, quam ornabat virginitas, virgines incolebant. Virgines erant, sed simul prophetiæ Spiritu donatæ: rectus nexus, virginitatis, & prophetiæ: virginitatis præmium prophetia fuit. Ferè puritatis comes sapientia est.

Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudæâ propheta, nomine Agabus.

PRæuidit, prædixitque propheta iste Paulo vincula, sed cur ad iter illud suscipiendum Paulum non inhortatur? An, quis sciebat, licèt nullus hortaretur, Paulum spontè, libenterque iturum, patiendi desiderio æstum? Quin iuit, licèt multi dehortati fuissent.

Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit.

1165. IMitatur Agabus antiquos Prophetas, qui non verbis dumtaxat, sed factis etiam vaticinabantur; vt scilicet res visa altiùs animo infigeretur, quàm audita, sicque ad prophetiæ significationem inuestigandam magis excitarentur.

Tulit Zonam Pauli: Nihil tale fecerunt quatuor illæ virgines prophetantes; quin nihil de Paulo dixerunt, nihil prophetarunt. Virginum modestia, ac verecundia id effecit.

Hæc dicit Spiritus Sanctus: virum, cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.

1166. OLim propheta hac formulâ vtebatur: *Hæc dicit Dominus Deus.* Nunc hac vtitur Agabus: *Hæc dicit Spiritus Sanctus.* Vt innueretur, Spiritum æquè, ac Patrem, & Filium, Deum, Dominumque esse, vt eorum operatio diuidi non possit, quorum vna natura, & substantia est.

Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

NOn tam Paulo compatiebantur, quàm sibi, totique Ecclesiæ; nam, eo de medio sublato, vel in vinculis incluso, grauia omnibus imminebat iactura: idcirco rogabant, ne Ierosolymam iret.

Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?

QVi in propriis tentationibus non patiebatur, hoc dolebat, dolebat præ amore, quia alios videbat sui causâ lachrymantes; & lædi quodammodo se putabat ab ipsis, quasi censeret, cum propriis periculis, quæ prædicebantur, ægrè affici. Non is Pauli animus: ingenti gaudio perfundebatur audiens, vincula se passurum. 1167.

Pauli cor, quem frangere aduersitates nullæ poterant, nullæ terere vires, nullæ flectere minæ, suorum lachrymæ flectunt conteruntque: *Cùm videret quorundam lachrymas*, inquit sanctus Chrysostomus hom. 24. in epist. ad Coloss. *ita perfrangebatur & conterebatur adamas ille, vt animi affectionem non absconderet, sed mox diceret: Quid facitis flentes, ac conterentes cor meum? Quid dicis, dic quæso? ADAMANTINVM ANIMVM LACHRYMA CONTERERE POTEST? Etiam, inquit, nam omnibus resisto, vnâ demptâ dilectione: illa me vincit ac superat: hoc Deo ita probatur. Abyssus aquarum illum non contriuisset, & medica lachryma contriuit*; aliqui enim codices pro *affligentes*, habent *conterentes*.

Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.

NOn timet Paulus vincula, mortem in Iesu gloriam sponte, libenterque subiturus. Suppressit diu magnum hunc patiendi æstum, ne se iactare videretur; sed, cùm pergerent eum reuocare, cúmque omni conatu eum dehortarentur, ne Ierosolymam iret, tandem toties tactus, hæc amoris flamma erupit, dicens: *Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Initio hoc idem sensit, sed non dixit, ne de se nimium præsumere videretur.

Narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

NArrat singula Paulus, vt singulari laude Deus celebraretur: non res recenset rebus commixtas, & velut coaceruatim, sed per singula, vt ob singula Deo gratiæ agerentur. Sed, quia non suam, sed Dei gloriam quærebat, dum narraret, Deo, tanquam Auctori singula tribuit, *quæ*, inquit, *Deus fecisset.* Ab inanis gloriæ studio penitùs immunis, gloriam rerum gestarum Deo tribuit. 1168.

At illi cùm audissent, magnificabant Deum.

EA, quæ narrabat Paulus, audientes, Deum magnificabant, laudibus efferebant. Sed cur non etiam Paulum, qui ea Dei auxilio operatus fuerat? An, vt Pauli menti responderet? sic enim ille narrauit ab ipso facta, vt Deo cuncta referret accepta. Non hominum laudes recensendo venabatur; quod aliqui iactabundi solent, licèt subdolè laudem quærere non videantur.

Dixeruntque ei: vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.

DIxerunt: Sed qui? Iacobus omnium nomine: fors & alij annuêre, & consensum verbis expoluerunt, 1169.

posuerunt. *Vides, inquit, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt.* Non dixit Iacobus, aliique cum ipso: *Vides, quot millia ex Iudæis à nobis conuersa, quot hominum myriadas edocuerimus, & ad proba visa genus traduxerimus.* Nihil tale dixerunt, ne viderentur sibi aliquid tribuere, alieni ab omni iactantiâ, ac inani gloriâ. Modestè dicunt, *qui crediderunt*; ac si ipsi nihil laborassent. Humiles opera sua ita comminuunt, vt ab aliorum oculis ea subducant: superbi verbis extollunt, & laudes ab aliorum ore exculpunt. *Sed humiles, dum opera sua extenuant, augent; superbi, dum augent, extenuant.*

Tunc accedens tribunus apprehendit eum & iussit eum alligari catenis duabus.

Catenis vinciri Paulus fert æquo animo, recolens se curasse, vt in vincula Christi discipuli coniicerentur, & carceres. *Persecutor erat Paulus* (inquit Sanctus Gregorius Nyssenus in Baptismum Christi) *sed post gratiam Apostolus, graues (illas) ferens pro Christo catenas ad pœnitentiam & purgationem iniustorum* VINCVLORVM, *quæ, cùm aliquando accepisset à lege, aduersus Euangelia portabat.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXII. ACT. APOST.

Vers. 1.

VIRI fratres, & patres, audite, quam ad vos nunc reddo rationem.

Viri f. *Syr. Fratres.*
Quam a. vi n. r. r. *Syr. Probationem spiritus, quam apud vos habeo. S. Chrys. Meam ad vos excusationem. Oecum. Meam quam nunc ad vos loquor excusationem. Pagn. Meam quæ nunc apud vos vior, excusationem.*

Vers. 2.

Cùm audissent autem, quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.

Cùm a. *S. Chrys. Cùm audirent.*
Hebræa l. *Syr. Hebraicè. S. Chrys. Hebraico idiomate.*
Loqueret. a. i. *Syr. Ipsos alloqui. S. Chrys. Alloqueretur eos. Vat. Ipsis loqueretur.*
Præstit. sil. *Syr. Cessarunt. S. Chrys. Attenti facti sunt.*

Vers. 3.

Et dicit: Ego sum vir Iudæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in istâ ciuitate, secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie.

Et d. *Syr. Itaque dixit eis.*
Ego. *S. Chrys. Ego quidem.*
Nutritus. *S. Chrys. Educatus.*
Secus p. *S. Chrys. Ad pedes. Quidd. Codd. Circa pedes.*
Erud. *Syr. Et eruditus. S. Chrys. Eruditus autem. Oecum. Institutus.*
Iuxta v. *Syr. Perfectè. S. Chrys. Accuratè. Ar. M. Iuxta exquisitionem.*
Paternæ l. *Syr. In lege patrum nostrorum. S. Chrys. Patriâ lege. Oecum. In patriâ lege.*
Æmulat. l. *Syr. Fuique zelator Dei. S. Chrys. Sectator existens Dei. Oecum. Dei zelo ductus. Ar. M. Zelotes existens Dei. Caiet. Æmulator Dei. Mar. ex Gr. Zelator existens Dei.*
Estis hod. *Syr. Estis.*

Vers. 4.

Qui hanc viam persequutus sum vsque ad mortem, alligans & tradens in custodias viros, ac mulieres;

Qui b. v. *Syr. Et hanc doctrinam.*
Alligans. *Syr. Dum vincirem. Oecum. Alligans.*
Tradens. *Syr. Traderem.*
Custodias. *S. Chrys. Carceres.*
Viros. *Syr. Tum viros. Pagn. Viros pariter.*
Ac m. *Syr. Tum mulieres.*

Vers. 5.

Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à

Princ. s. *Syr. Summus sacerdos. S. Chrys. Et princeps sacerdotum.*
Test. r. *S. Chrys. Testatur. Vat. Testis est. Mar. Testimonium reddet.*
Omnes m. o. *Syr. Omnes seniores. S. Chrys. Totus presbyterorum ordo. Oecum. Vniuersa seniorum congregatio. Vat. Totus seniorum ordo.*
Et epist. a. *Syr. Accepi epistolas. S. Chrys. Et epistolis acceptis.*

quibus

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

quibus & epistolas accipiens ad fratres Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ierusalem, vt punirentur.

Ad fr. *Syr. Vt ad fratres.*
Damascum. *Syr. Qui erant Damasci:*
Pergebam. *Syr. Proficiscerer.*
Vt a. i. *Syr. Adducturus etiam eos, qui illic essent. Ar. M. Adducturus & illic existentes.*
Vinctos. *S. Chrys. Vinctos, qui ibi erant.*
Punirentur. *Syr. Mulctam capiti impositam subirent.*

Vers. 6.

Factum est autem eunte me, & appropinquante Damasco mediâ die, subitò de cælo circumfulsit me lux copiosa:

Factum e.a.e.m. *Syr. Cùmque iter facerem. S. Chrys. Factum est autem mihi iter facienti. Oecum. Accidit autem iter facienti. Ar. M. Factum est autem mihi profecto.*
Appropinq. *Syr. Inciperem appropinquare. S. Chrys. Appropinquanti.*
Mediâ d. *S. Chrys. Circiter meridiem.*
Subitò. *Syr. De repentè.*
De c. *Syr. E cælo.*
Circunf. *S. Chrys. Vt circumfulgeret. Pagn. Vt circumfulguraret.*
Me. *Ar. M. Circa me.*
Copiosa. *Syr. Plurima. S. Chrys. Multa.*

Vers. 7.

Et decidens in terram, audiui vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?

Et d.i.t. *Syr. Cecidique humi. S. Chrys. Et cecidi in solum.*
Audiui. *Syr. Et audiui.*

Vers. 8.

Ego autem respondi: Quis es, Domine? Dixitque ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.

Resp. *Syr. Respondi & dixi.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Dixitque a. m. *Syr. At ille dixit mihi.*
Iesus. *S. Chrys. Iesus ille.*

Vers. 9.

Et, qui mecum erant, lumen quidem viderunt; vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.

Et qui. *Syr. Porrò quidam, qui.*
Mecum e. *S. Chrys. Simul mecum. Ar. M. Cùm me existentes.*
Lumen. *S. Chrys. Lucem.*
Viderunt. *S. Chrys. Viderunt & exterriti sunt. Ar. M. Spectabant & expauefacti sunt.*
Qui l. m. *S. Chrys. Loquentis mihi.*

Vers. 10.

Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.

Et dixi. *Syr. Tum dixi. S. Chrys. Dicebam autem.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Dom. a. *Syr. Dominus autem noster. S. Chrys. At Dominus.*
Ad me. *Syr. Mihi.*
Surgens v. *Syr. Surge proficiscere. S. Chrys. Vt surrexeris vade. Vat. Surge ac vade.*
De omnibus quæ. *Syr. Quicquid. S. Chrys. Quid.*
Te op. f. *Syr. Præcipiatur tibi vt facias. Oecum. Ordinata sunt vt tu facias. Pagn. Ordinata sunt tibi vt facias. Ar. M. Constituta sunt tibi facere.*

Vers. 11.

Et, cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.

Et e. n. v. *Syr. Cùm verò nihil appareret mihi.*
Claritate l. *Syr. Gloriâ lucis. S. Chrys. Gloria luminis. Oecum. Claritate & fulgore luminis.*
Ad m. d. *Syr. Apprehenderunt me manibus. Pagn. Per manum ductus. Ar. M. Manuductus. Mar. Apprehensâ manu meâ me deduxerunt.*
A comit. *Syr. Ij, qui mecum erant. S. Chrys. A comitibus qui erant mecum. Ar. M. A simul existentibus mihi. Mar.* omittit.
Veni D. *Syr. Ascendi ad Damascum. Mar. Damascum.*

Vers. 12.

Ananias autem quidam, vir secundùm

Vir. *Syr. Vir iustus. Goth. Vir timoratus. S. Chrys. Vir pius. Cuiet. Vir religiosus.*
Secundùm l. *Syr. In lege.*

legem,

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis.

Test. h. *Syr. Prout dant ei testimonium. S. Chrys. Testimonio approbatus. Ar. M. Testimonio ornatus.*
Ab hominibus e. I. *Syr. omnes Iudæi, qui illic sunt. Goth. Ab omnibus habitantibus in Damasco Iudæis. S. Chrys. Omnium illic habitantium Iudæorum.*

Vers. 13.

Veniens ad me, & astans dixit mihi: Saule, frater, respice. Et ego eâdem horâ respexi in eum.

Astans d. *Syr. Dixit.*
Frater. *Syr. Frater mi.*
Respice. *Syr. Aperi oculos tuos. S. Chrys. Recipe visum.*
Ego e. h. *Syr. Eo momento. S. Chrys. Ego eâdem horâ recepto visu.*
Resp. i. e. *Syr. Aperti fuerunt oculi mei & eum sum intuitus. S. Chrys. Vidi eum.*

Vers. 14.

At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius:

Ille d. *Syr. Dixit mihi.*
Præord. *Syr. Constituit. Pagn. Præparauit.*
Videres. *Syr. Conspicere.*
Iustum. *Syr. Iustum illum. Pagn. Id, quod iustum est.*
Ore eius. *Syr. Ore ipsius.*

Vers. 15.

Quia eris testis illius ad omnes homines eorum, quæ vidisti, & audisti.

Quia e. t. i. *Syr. Proinde eris ei testis.*
Ad o. h. *Syr. Apud homines. S. Chrys. Apud populos.*
Eorum. *Syr. Super iis omnibus. S. Chrys. Super his*

Vers. 16.

Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.

Et nunc. *Syr. Nunc ergo.*
Moraris. *S. Chrys. Cunctaris. Pagn. Contaris.*
Exurge & b. *Syr. Surge, baptizare. S. Chrys. Surge, baptizeris. Ar. M. Surgens baptizare.*
Ablue. *Syr. Purgare. S. Chrys. Abluas.*
Pecc. t. *Syr. A peccatis tuis.*
Inuoc. n. *Syr. Inuocans nomen.*
Ipsius. *Vat. Domini.*

Vers. 17.

Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis,

Factum e. a. r. m. *Syr. Reuertens autem. S. Chrys. Factum est autem, cùm essem reuersurus. Oecum. Accidit autem, cùm essem reuersus. Caiet. Factum est autem reuerso me.*
In Ier. *Syr. Veni huc nempe Ierusalem.*
Oranti. *Syr. Precatus sum. S. Chrys. Orarem. Caiet. Orante.*
Fieri me in s. m. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Vt fierem in extasi. Pagn. Vt raperer extra me. Quid. ap. Mar. Fieri me in mentis excessu.*

Vers. 18.

Et videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem; quoniam non recipient testimonium tuum de me.

Et v. i. *Syr. Vidique Visione.*
Dic. *Syr. Quum diceret.*
Exi vel. *Syr. Egredere. Vat. Exi citò. Ar. M. Exi cum celeritate.*
Accipient. *Syr. Accipient. S. Chrys. Suscipient.*

Vers. 19.

Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quia egò eram concludens in carcerem & cædens per synagogas eos, qui credebant in te:

Et ego. *Syr. Ego verò.*
Dixi. *S. Chrys. Dicebam.*
Domine. *Syr. Domine mi.*
Ipsi sciunt. *Syr. Et ipsi norunt.*
Quia ego eram c. *Syr. Me tradidisse. S. Chrys. Quòd coniiciebam. Pagn. Quod ego pertrahebam. Ar. M. Quia ego eram.*
In carc. *Ar. M. Carcerans.*
Cædens. *Syr. Verberasse. S. Chrys. Percutiebam. Pagn. Cædebam.*
Per syn. *Syr. Per omnes synagogas. S. Chrys. In singulis synagogis.*

Vers. 20.

Et, cùm funderetur sanguis Stephani

Cùm funderetur. *S. Chrys. Quando effundebatur.*
Test. *Ar. M. Primi testis.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

restis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.

Ego. *Syr. Ego quoque cum eis. S. Chrys. Ipse etiam. Pagn. Ego quoqae.*
Astab. *S. Chrys. Assistebam. Ar. M. Eram astans.*
Consent. *Syr. Adimplebam voluntatem eorum. S. Chrys. Consentiebam neci eius. Paga. Assentiebar morti illius. Ar. M. Censentieat interemptioni eius. Caiet. Consentiebam morti illius.*
Et cust. *S. Chrys. Custodieas.*
Vestimenta. *Syr. Pallia.*
Interf. *Syr. Eeram, qai ipsum trucidabant. S. Chrys. Occidentium.*

Vers. 21.
Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.

Ad me. *Syr. Mihi.*
Vade. *Syr. Preficiscere.*
In nat. *Syr. Vt pradicem geatibus. S. Chrys. Ad gentes.*
Longè. *S. Chrys. Procal.*
Mittam. *Syr. Missurus sum.*

Vers. 22.
Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terrâ huiusmodi: non enim fas est eum viuere.

Aud. a. e. *Syr. Cùm audissent autem Paulum. Goth. Audierunt autem eum.*
Hoc v. *S. Chrys. Hunc sermonem.*
Et leu. v. s. *Syr. Sustulerunt vocem suam. S. Chrys. Atque sublatis vocibus. Paga. Atque sublatâ voce. Ar. M. Eleuauerunt vocem suam.*
Dicentes. *Syr. Et clamauerant. S. Chrys. Dicebant.*
Tolle de t. *Syr. Tollatur è terra.*
Huiusmodi. *Syr. Qai est eiusmodi. S. Chrys. Istiusmodi hominem. Quidd. Codd. Huiascemodi.*

Vers. 23.
Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem,

Vocif. *Syr. Cùm clamarent. S. Chrys. Clamantibus.*
Proiicient. *Syr. Preiicerent.*
Vest. s. *Syr. Pallia sua. S. Chrys. Vestimenta.*
Puluerem iactant. *Syr. Facerent puluerem ascendere. S. Chrys. Puluerem mitteatibus.*
In aër. *Syr. In calum.*

Vers. 24.
Iussit tribunus, induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum; vt sciret, propter quam causam sic acclamarent ei.

Induci. *Syr. Introduci.*
Flag. c. e. t. e. *Syr. Pracepit vt verberibus inquireretar. S. Chrys. Dicens flagris examiaandum. Pagn. Imperauit, eum flagris examinari.*
Sciret. *Syr. Resciret. S. Chrys. Cognoscat.*
Sic a. e. *Syr. Vociferareatur aduersus eum S. Chrys. Contra illum clamant.*

Vers. 25.
Et, cùm astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi centurioni Paulus: si hominem Romanum & condemnatum licet vobis flagellare?

Et c. a. *Syr. Et cum exteadissent. S. Chrys. Vt autem astrinxerunt. Pagn. Et Cum astrinxisset.*
Astan. s. c. *Syr. Centurioni, qui insurrexerat in eum. S. Chrys. Ceatarioni.*
Si hom. *Syr. Verumne. S. Chrys. Num hominem.*

Vers. 26.
Quo audito, centurio accessit ad tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est.

Acced. a. t. *Syr. Adiit tribunum. S. Chrys. Accedens tribunum.*
Et nunciau. *S. Chrys. Aannunciauit.*
Quid a. e. *Syr. Quid agis. S. Chrys. Vide, qaid facturus es. Ar. M. Vide, qaid futarus es facere.*
Hic enim. *S. Chrys. Hic.*
Ciuis Romanus. *Oecum. Romanus.*

Vers. 27.
Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

Audiens a. *Syr. Proinde accessit ad eum.*
Dixit. *Syr. Et dixit.*
Dic. *Syr. Cedo.*
Si *Pagn. Num.*

Vers. 28.
Et respondit tribunus: Ego multâ sum-

Multâ s. *Syr. Multâ pecaniâ. Ar. M. Multe capitali.*
Ciuilit. h. *Syr. Ius municipij Romani. Oecum. Ius ciuitatis huius. Vat. Ciuitatem istam.*

mâ

Vulgata Editio.

mâ ciuilitatem hanc consequutus sum. Et Paulus ait : Ego autem & natus sum.

Vers. 29.

Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam resciuit, quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.

Vers. 30.

Posterâ autem die volens scire diligentiùs, quâ ex causâ accusaretur à Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire & omne concilium : & producens Paulum, statuit inter illos.

Lectionum Varietas.

Consequutus f. *Syr. Acquisiui. S. Chrys. Emi. Oecum. Comparaui.*
Ego a. e. *Syr. Ego verò etiam sum eo.*

Discesser. *S. Chrys. Recesserunt.*
Eum t. e. *Syr. Fuerant in eum flagellatione inquisituri. S.Chrys. Eum examinaturi. Ar. M. Fuerant eum inquirere.*
Trib. q. *Ar. M. Tribunus verò. Quidd. Codd. Tribunus autem.*
Post. r. *Syr. Cùm didicisset. S.Chrys. Vt cognouit.*
Ciuis R. *S. Chrys. Romanus.*
Alligasset. *Syr. Vinxerat. S.Chrys. Ligasset. Ar. M. Erat vinciens.*

Posterà. *Syr. Sequenti. Pagn. Postero. Mar. Crastinâ.*
Volens. *Syr. Voluit.*
Seire. *Oecum. Cognoscere.*
Diligent *Syr. Certissimè. S.Chrys. Certum. Oecum. Quippiam certi.*
Quà ex c. *Syr. Quanam esset illa accusatio. S.Chrys. Quam ob causam.*
Accusaretur à I. *Syr. Quam afferebant aduersus eum Iudæi.*
Soluit e. *Syr. Et soluit eum Pagn. Soluit eum à vinculis.*
Sacerd. *S. Chrys. Principes sacerdotum.*
Conu. *Syr. Venire. S. Chrys. Simul venire.*
Omne c. *Syr. Totum primorum cœtum. S. Chrys. Totum concilium. Vat. Totum concilium eorum. Ar. M. Omnem consensum eorum.*
Producens. *Syr. Deduxit. S. Chrys. Deductum.*
Statuit. *Syr. Dimittensque statuit ipsum. S. Chrys. Sistebat.*
Inter eos. *S. Chrys. Coram illis.*



CAPVT XXII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Persequutores *& ferendi & efferendi.* 1170
Ad pedes doctorum *sedere, discentis habitus.* 1171
Vt in Dei lege *erudiantur filij, studeant patres.* 1172
Via cur *Christiana religio dicta.* 1173
Nuda loca *sanctitatem non afficiunt hominibus.* 1174
Qui inuidiâ *corripitur, à rationis suggestu cadere videtur.* 1174
Romanâ ciuitate, *vt quis donaretur, pecuniis quandoque emebatur.* 1175
Cælesti ciuitate *donamur Eleemosynarum largitione.* 1175
Romanus *quomodo factus Paulus.* 1175

Viri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

1170. AMORIS, & affectus hîc nomina habes, nullum adulationis: non vocat eos *dominos*, vt aulica tenet consuetudo. Amare nouerat, quos alloquebatur Paulus, non iis adulari. Germanitatis nomine vtitur, ne se alienum ab illis ostenderet.

Fratres, & patres : Fors Iudæorum sacerdotes

Nouarin. in Act. Apost.

aderant, & ætate grandiores, quos, *patrum*, appellat nomine. Apparet hîc summa Pauli modestia, qui tam indignè tractatus, tam dirè verberatus, tam turpiter vinculis adstrictus, tanquam à persecutoribus suis honoratus, honorat suos persequutores.

Viri fratres, & patres : Minores, maioresque alloquitur Paulus : attentos omnes reddit, omnium saluti quærendæ intentus ipse. Defensio ista Pauli non nuda Pauli defensio est, sed auditorum conuersionem spectat. A damnatione æterna auditores eximere volebat Paulus, dum hîc, & alibi, ne iniustè ipse damnetur, quærit.

Cùm audissent autem quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.

RApit illos suæ linguæ vsus, & propriarum vocum sonus. Habebant reuerentiam quandam linguæ, sura vt omnium primæ, saltem vt præcipuæ, aut vt sanctiori ; nam Hebræa lingua sancta dicitur. 1171.

Et dicit : Ego sum vir Iudæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in istâ ciuitate, secus pedes Gamaliel.

HEbræum nomen, ac religionem se non horrere Paulus demonstrat, vt Iudæorum sibi be-

 neuolentiam

nenulentiam conciliater. Ad Gamalielis pedes nutritum se dicit, non quia ei, tanquam seruus, obsequeretur, quæ aliquorum expositio fuit; sed quia Gamalielis, tanquam doctoris, verba exceperat humilis discipulus. Hinc illud vetus Hebræorum dictum: *Ad pedes doctorum sedeto, & verba eorum cum siti bibito.* Ad pedes sedere discentis olim erat habitus: vnde & Magdalena, *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Denotat hic situs discipuli erga doctorem reuerentiam.

1172. *Nutritus autem in ista ciuitate*: Nam Ierusalem illum miserat illius pater, *pro Sacræ scripturæ studio*, inquit Lyranus, *quod ibi vigebat.* Vetus veri patris character: nullis sumptibus, incommodis nullis parcere, vt in Dei lege filij erudiantur.

Secus pedes Gamalielis: Peritissimus in lege doctor fuit iste Gamaliel: nil mirum, si hunc maximè Paulus adierit, ab isto erudiendus. Meliores semper doctores sunt adeundi, peritioresque, nisi aliud alia suadeant.

Æmulator legis: Id est, vt interpretatur Lyranus, *Zelans pro eius obseruatione.* Nimirum, non nutriendæ tantùm curiositati, non fouendæ superbiæ tantùm, legi nauanda opera est; sed, vt obseruetur à nobis, & ad eius obseruationem alios alliciamus; &, quod in paternâ lege Paulus præstitit, præstemus nos in Euangelicâ.

Qui hanc viam persequutus sum vsque ad mortem.

1173. Viam, Christianam religionem vocat, quæ ad vitam eos ducit, qui ambulant per eam. Via est Christiana perfectio, quia per illam semper eundum est, in illâ semper aliquid acquirendæ perfectionis est. Viam nudè vocat, ne excellentiori vocabulo vsus statim Iudæos offenderet, & ad iram prouocaret, iræ deditissimos. *Hanc viam persequutus sum vsque ad mortem*: Stephani mors clamat, quàm acriter in hunc viuendi institutum Paulus sæuierit: sed, qui Christianam religionem persequutus vsque ad mortem, mori pro Christianâ religione meruit, vt ipsâ meliùs viueret, viueret in pluribus.

Quis es Domine.

Quis es Domine: Cur vocat Dominum, quem nesciebat? *Deum esse credebat*, inquit glossa interlinearis, *qui de sursum loquebatur.* Qui tantam lucem inquutntos præmiserat, non poterat non haberi pro Domino.

Quid faciam Domine?

Quid faciam Domine: Non dixit, *quid dicam*, sed, *quid faciam*: qui nuda verba habet, non plenè se conuertit ad Deum. *Quid faciam*: hoc est, inquit glossa interlinearis, *Te cognoscens, tibi obediam.*

Festina, & exi velociter ex Ierusalem.

Festina, & exi velociter ex Ierusalem: Nimirum, duriores in malo erant, qui proniores ad bonum debebant esse. Qui Ierusalem incolebant, maiori legis Diuinæ notitiâ erant præditi, & Diuini cultus, qui in templo gaudebant prærogatiuâ: non iden sanctiores erant, sanctæ ciuitatis incolæ. Vt vel binc discamus, loca hominibus non mutuare sanctitatem, sed potiùs homines locis, & frequenter peiores euadere, qui cæteris meliores esse poterant. 1174.

Vociferantibus autem eis.

Vociferantibus autem eis: Hic perfidorum mos, vt teneant per clamorem obtinere, quod ratione non possunt. *Et proiicientibus vestimenta sua*: Qui bonæ mentis vestimenta exuerant, exuunt & corporis in doloris signum. *Et puluerem iactantibus in aërem*: In detestationem scilicet eorum verborum, quæ Paulus vltimùm dixerat. Proiiciunt puluerem, vt puluis proiiciendi. Iactant puluerem, *more brutorum animalium*, inquit Glossa interlinearis. Qui inuidiâ, liuoreque corripitur, rationis fugestu cadere videtur, vt motorum, rationeque carentium animalium edat signa.

Ego multa summa ciuilitatem hanc consequutus sum.

Ego multâ summâ ciuilitatem hanc consequutus sum: Sensus est: Romanâ ego sum ciuitate donatus, magnâ pecuniæ summâ: quomodo ergo te ciuem Romanum dicis, qui adeò pauper, ac vilis appares? Nobilior, certiorque ciuilitatis istius titulus ille fuit, quem Paulus habuit, natus Romanus ciuis, *Ego autem*, inquit, *& natus sum*: nam Pauli pater nobilitatis insigne habuit à Romania. At verò maior illa fuit nobilitas Romæ, Romanisque à Paulo data, hac ab illis acceptâ. 1175.

Romana ciuitas pecuniâ emi poterat: potest & Regni cælestis. *Aliqui*, inquit hîc Lyranus, *fiunt ciues cælestes per pecuniam, de qua faciunt Eleemosynas pauperibus, quibus merentur ascribi cælestibus ciuibus.*

Quomodo Romanum se dicat Paulus sic exponit Sanctus Prosper de Promiss. part. 2. cap. 40. *Herodes eo tempore sumpsit imperium, quo Cæsar pacati orbis totius sub edicto describtionem fieri precepit. Itaque eo anno professionis illius, quæ facta est præside Syriæ Cirino natus est Christus Dominus: in quâ descriptione venit & Paulus. Sic enim intelligendum est, quod Tribuno Lysia dixit: Ego autem natus sum Romanus, omnes enim pretio comparabant huius nominis dignitatem.*

CAP. XXIII.

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXIII. ACT. APOST.

Vers. 1.

INTENDENS autem in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conſcientiâ bonâ conuerſatus ſum ante Deum vſque in hodiernum diem.

Intend. *Syr. Cùm intueretur. S. Chryſ. Intentis oculis.*
In conc. *Syr. In conſeſſum eorum. Ar. M. Conſeſſui.*
Fratr. *Syr. Fratres mei.*
Conuerſ. ſ. *Syr. Verſatus ſum. Ar. M. Miniſtraui.*
Ante D. *S. Chryſ. Coram Deo. Ar. M. Deo.*
In hod. *Syr. Ad hunc. S. Chryſ. In hunc.*

Verſ. 2.

Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi, percutere os eius.

Princ. a. ſ. A. *Syr. Ananias autem ſacerdot.*
Percut. *Syr. Caderent Paulum.*
Os e. *Syr. In os ipſius.*

Verſ. 3.

Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundùm legem, & contra legem iubes, me percuti?

Percutiet. *Syr. Futurum eſt, vt percutiat. S. Chryſ. Percuſſurus eſt. S. Iuſt. M. Feriet. S. Ambr. Percutere incipiet.*
Paries d. *Mar. Hypocrita.*
Sedens iud. *Pagn. Sedes iudicans.*
Et c. l. *Syr. Quum legem tranſgrediaris.*
Iubens. *Syr. Et iubeas.*
Percuti. *Syr. Cadi.*

Verſ. 4.

Et qui adſtabant dixerunt: ſummum ſacerdotem Dei maledicis?

Et q. a. *Syr. Illi verò, qui illic adſtabant. S. Chryſ. Illi autem adſtantes.*
Dix. *Syr. Dicunt ei.*
Sum S. D. m. *Syr. Sacerdotem Dei conuitio afficis. S. Chryſ. Principi ſacerdotum Dei maledicis. Pagn. Summo ſacerdoti Dei maledicis. Vat. Summo ſacerdoti Dei conuiciaris.*

Verſ. 5.

Dixit autem Paulus: Neſciebam, fratres, quia princeps eſt ſacerdotum; ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.

Dixit a. *Syr. Dixit eis.*
Fratres. *Syr. Fratres mei.*
Neſciebam. *Quidd. ap. Mar. Nihil video.*
Quia p. e. ſ. *Syr. Eum eſſe ſacerdotem. S. Chryſoſt. Quòd eſſet ſummus ſacerdos. Pagn. Quòd ſummus pontifex eſſet. Vat. Quod pontifex eſſet. Quidd. ap. Mar. In eo dignum ſacerdotio.*
Princ. p. t. n. m. *S. Chryſ. Principi populi tui ne maledicas. Ar. M. Principem populi tui non dices malè.*

Verſ. 6.

Sciens autem Paulus, quia vna pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum: de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor.

Sciens a. *Syr. Cùm verò noſſet.*
Quia v. p. e. *Syr. Partem populi eſſe.*
Altera. *Syr. Partem verò.*
Exclamauit. *Syr. Clamabat.*
Concilio. *Ar. M. Conſeſſu.*
Fratres. *Syr. Fratres mei.*
Phariſæorum. *S. Chryſ. Phariſæi.*
De ſ. & r. *Syr. Deque ſpe reſurrectionis.*
Ego iud. *Syr. In iudicium vocor.*

Verſ. 7.

Et, cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo.

Hæc. *S. Chryſ. Hoc.*
Facta e. d. *Syr. Alij in alios irruerunt. Ar. M. Facta eſt ſeditio.*
Inter Ph. & S. *Syr. Phariſæi & Sadducæi.*
Soluta. *Syr. Ortum eſt diſſidium. S. Chryſ. Diſſecta eſt. Ar. M. Diuiſa eſt.*
Mu. tit. *Syr. Populi.*

Verſ. 8.

Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſur-

Sad. e. *S. Chryſ. Nam Sadducæi quidem.*
Angelum. *Syr. Angelos.*

Vulgata Editio. | Lectionum Varietas.

rectionem, neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi autem vtraque confitentur.

Vtraque c. *Syr. Nec omnia confitentur. Al. Confitentur.*

Vers. 9.

Factus est autem clamor magnus: & surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid, si spiritus locutus est ei, aut Angelus?

Factus e. a. *Syr. Extitit ergo.*
Clam. m, *Syr. Vox magna.*
Et surg. *Syr. Proinde surrexerunt. S. Chrys. Et cùm surrexissent. Ar. M. Et exurgentes.*
Quidam. *Syr. Quidam scriba. S. Chrys. Scribæ.*
Pharis. *Syr. Et delectus Pharisæorum. S. Chrys. Partis Pharisæorum. Oecum. De factione Pharisæorum. Pagn. De secta Pharisæorum.*
Pugnab. *Syr. Et altercabantur cum eis. S. Chrys. Depugnabant. Mar. Litigabant.* vel: *Contendebant.*
Mali. *Ar. M. Malum.*
Inuen. *Syr. Comperimus.*
Homine. *Syr. Viro.*
Quid si. *S. Chrys. Quòd si. Oecum. Si autem.*
Ei. *Syr. Cum eo.*
Aut A? *Syr. Aut Angelus, quid in hoc rei est? S. Chrys. Vel Angelus, ne repugnemus Deo. Oecum. Aut Angelus, ne repugnemus Deo. Caiet. Aut Angelus, ne pugnemus cum Deo.*

Vers. 10.

Et, cùm magna dissensio facta esset, timens tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis; iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

Et c. m. d. f. e. *Syr. Cùm autem ortus esset tumultus magnus inter eos. Oecum. Et dum magna seditio coorta esset. Lucif. Et cùm magna dissensio esset inter illos. Ar. M. Multâ autem factâ seditione.*
Timens. *Syr. Timebat. S. Chrys. Veritus.*
Discerp. *Lucif. Raptus esset.*
Iussit. *Syr. Itaque misit.*
Milites d. *Syr. Romanos. S. Chrys. Exercitum.*
Et r. *Syr. Qui venientes raperent.*
De med. *Syr. E medio. Lucif. De castris.*
Deducere. *Syr. Subducerent. S. Chrys. Adducere.*

Vers. 11.

Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem; sic te oportet & Romæ testificari.

Sequ. a. n. *Syr. Cùm facta esset nox. Ar. M. At adexistenti nocte.*
Assistens ei D. *Syr. Visus est Dominus noster Paulo.*
Ait. *Syr. Et dixit ei.*
Const. e. *Syr. Obfirma te. S. Chrys. Bono animo esto Paule. Ar. M. Confide, Paule.*
Testif. *Syr. Testatus.*
De me. *Ar. M. Quæ de me.*
Sic te o. *Syr. Ita futurum est.*
Et R. t. *Syr. Vt & Romæ testificeris. Ar. M. Et in Romam testificari.*

Vers. 12.

Factâ autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

Factâ a. d. *Syr. Facto autem diluculo. Pagn. Facto autem die.*
Collegerunt se. *Syr. Conuenerunt. S. Chrys. Facta collectione. Ar. M. Facientes concionem.*
Quidam e. I. *S. Chrys. Iudæi. Ar. M. Quidam Iudæorum.*
Deuou. se. *Syr. Sese anathemate deuouerunt. S. Chrys. Anathematizarunt se.*
Manduc. *S. Chrys. Esuros. Ar. M. Edere.*
Bibituros. *Ar. M. Bibere.*
Donec o. *Syr. Vsque dum interfecissent.*

Vers. 13.

Erant autem plus, quàm quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant:

Plusquam. *Goth. Plus. Lucif. Ferè. Pagn. Plures quàm.*
Quadrag. v. *Goth. Quadraginta.*
Hanc c. f. *Syr. Pepigerunt iureiurando hoc pactum. Goth. In necem Pauli coniurarunt.*

Vers. 14.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 14.

Qui accesserunt ad principes sacerdotum & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

Accesserunt. *Ar. M. Accedentes.*
Ad p. s. *Syr. Ad sacerdotes. Ar. M. Principes sacerdotum.*
Et senior. *Lucif.* omittit.
Et dixerunt. *Syr. Dicebantque. Lucif. Et indicauerunt dicentes. Ar. M. Dixerunt.*
Nos. *Pagn. Nos ipses.*
Gustaturos. *S. Chrys. Degustaturos. Lucif. Gustare in totum.*
Donec o. *Syr. Quousque interfecerimus.*

Vers. 15.

Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, vt producat illum ad vos tanquam aliquid certius cogn ituri de eo: nos verò, priusquàm appropiet, parati sumus interficere illum.

Notum f. t. c. c. *Syr. Petite & primores synagoga à tribuno. S. Chrys. Significate tribuno & concilio. Lucif. Colligite concilium & notum facite tribuno. Ar. M. Indicate tribuno cum consessu.*
Producat. *Syr. Adducat. S. Chrys. Cras producat. Lucif. Deducat.*
Ad vos. *S. Chrys. Ad nos.*
Tanquam. *Lucif. Quasi. Ar. M. Vt.*
Aliquid certius. *Syr. Veriùs facimus. Lucif. Diligentiùs. Ar. M. Exquisitiùs qua.*
Cognituri de eo. *Syr. Eius comparari. Lucif. De eo quæsiturus. Ar. M. De eo futuros cognoscere.*
Approp. *Syr. Peruenias ad vos. S. Chrys. Appropinques.*
Interf. *Syr. Trucidare.*

Vers. 16.

Quòd, cùm audisset filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit in castra, nunciauitque Paulo.

Quod cum a. *Syr. Audieras autem. Oecum. Cúmque audisset. Ar. M. Audiens autem.*
Insid. *Syr. Has insidias.*
Venit e. i. *Syr. Proinde introiuit. Ar. M. Adueniens & intrans.*
Nunciauitque. *Syr. Et renunciauit. Ar. M. Nunciauit.*

Vers. 17.

Vocans autem Paulus ad se vnum ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi.

Vocans a. *Syr. Misit itaque vocatum. S. Chrys. Accersito autem. Ar. M. Aduocans autem.*
Ad se vnum. *Syr. Quendam. S. Chrys. Vno.*
Ex cent. *Ar. M. Centurionum.*
Ait. *Syr. Cui dixit.*
Adolesc. h. *Pagn. Adolescemulum hunc adduc.*
Perduc. *Pagn. Abduc. Ar. M. Adduc.*
Habet e. *Pagn. Habet &.*
Aliq. i. *Syr. Quod dicat. S. Chrys. Quod renunciet.*

Vers. 18.

Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me, hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

Et i. q. a. e. *Syr. Assumpsit igitur centurio adolescentem.*
Duxit. *Syr. Et introduxit eum. S. Chrys. Adduxit.*
Rogauit me. *Syr. Aduocauit me, petiitque à me. S. Chrys. Accersito me rogauit. Pagn. Accersitum me rogauit. Ar. M. Aduocans me rogauit. M.SS. Vocans me rogauit.*
Adolesc. *Pagn. Adolescentulum.*
Perd. *Syr. Vt adducerem. Goth. Vt ducerem.*
Hab. a. l. *Syr. Quippe qui habet quod dicat. S. Chrys. Habeat aliquid, quod loquatur.*

Vers. 19.

Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est, quod habes indicare mihi?

Appreh. a. *Syr. Prehendit itaque.*
Illius. *Syr. Adolescentis.*
Secessit c. e. s. *Syr. Et traxit eum ad vnum latus.*
Interrogau. i. *Syr. Sciscitatus est ab eo. S. Chrysost. Percontatus est illum.*
Quid e. q. h. *Syr. Ecquid habes.*
Indicare. *Syr. Dicendum. S. Chrys. Significandum.*

Vers. 20.

Ille autem dixit: Iudæis conuenit ro-

Ille a. *Syr. Et adolescens ei.*
Iud. c. *Syr. Iudæi machinati sunt. S. Chrys. Iudæi conspirarunt.*

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

gare te, vt crastinâ die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo?

Rog. t. *Syr. Petere à te.*
Crastinâ. *S. Chrys. In crastino.*
Produc. *Syr. Dimittas. S. Chrys. Educeres.*
Concilium. *Syr. Consensum eorum. Oecum. Concilio.*
Certiùs. *Syr. Accuratiùs Ar. M. Exquisitiùs*
Inquis.s. *Syr. Velint discere. S. Chrysost. Cognituri. Ar. M. Futuri percontari.*
De i. *Syr. Ab illo.*

Vers. 21.

Tu verò ne credideris illis; insidiantur enim ei ex eis viri ampliùs, quàm quadraginta, qui se deuouerunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum: Et nunc parati sunt, expectantes promissum tuum.

Tu v. *Syr. Tu ergo.*
Credid. illis. *Syr. Assensum eis prabueris. S. Chrys. Morem gesseris. Oecum. Persuadearis ab eis.*
Insidiantur e. e. *Syr. Ecce enim obseruant eum in insidiis.*
Ampliùs quàm. *Goth. Ampliùs. S. Chrys. Plures.*
Qui se. *Syr. Et sese. S. Chrys. Se ipsos.*
Deuou. *Syr. Anathemate deuouerunt.*
Non m. o. b. *Syr. Neque esuros neque bibituros. S. Chrys. Ne vel edant vel bibere.*
Et nunc. *Syr. Et ecce.*
Promis. t. *S. Chrys. Vt promittas. Ar. M. A te renunciationem.*

Vers. 22.

Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens, ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset.

Adolesc. *Pagn. Adolescentulum.*
Præcip. *Pagn. Pracipitque ei.*
Ne c. l. *Syr. Nemini patefacias te. S. Chrys. Ne cui effutiat. Pagn. Ne cui eloqueretur, inquiens. Vat. Ne cui effutias, inquiens.*
Quoniam hæc. *Syr. Ista.*
Nota s. f. *Syr. Mihi indicasset. S. Chrys. Ad me retuleris. Ar. M. Indicaueris ad me.*

Vers. 23.

Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, vt eant vsque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, à tertiâ horâ noctis:

Et voc. *Syr. Caterùm aduocauit. S. Chrys. Et accersitis. Quidd. Codd. Et conuocatis.*
Duobus c. *Syr. Duos centuriones. S. Chrys. Duobus quibusdam centurionibus.*
Dixit. *Syr. Et dixit.*
Parate. *Syr. Ite apparate. S. Chrys. Parate mihi.*
Milites. *Syr. Romanos.*
Vt e. v. *Syr. Qui proficiscantur. Oecum. Vt eant.*
Lancearios. *Syr. Speculatores à dextera. Ar. M. Stipatores.*
A tert. h. *Syr. Qui exeant à tertiâ horâ.*

Vers. 24.

Et iumenta præparate, vt imponentes Paulum, saluum perducerent ad Felicem præsidem.

Et ium. p. *Syr. Parata autem & iumenta. S. Chrys. Et prabete iumenta.*
Imponen. *Syr. Imponatis ei.*
Saluum. *Syr. Et ereptum eum.*
Perducerent. *Syr. Perducatis. S. Chrys. Perducant.*

Vers. 25.

(Timuit enim, ne fortè raperent eum Iudæi, & occiderent; & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam)

Timuit &c. *Syr. Goth. Et ferè omnes.* totum omittunt.
Tanquam a. p. *Quidd. ap. Mar. Quasi promissâ pecuniâ.*

Vers. 26.

Scribens epistolam continentem hæc: CLAVDIVS Lysias optimo præsidi Felici salutem.

Scrib. e. *Syr. Scripsit autem epistolam dedítque eis. S. Chrys. Scriptis litteris.*
Continentem h. *Syr. Qua erat huiusmodi. S. Chrys. In hanc formam. Ar. M. Continentem formam hanc.*
Optimo. *Syr. Victorioso. S. Chrysost. Potentissimo. Oecum. Maximè strenuo. Ar. M. Prastantissimo.*
Salutem. *Syr. Pacem. Ar. M. Gaudere.*

Vers. 27.

Virum hunc comprehensum à Iudæis

Compr. à I. *Syr. Prehenderunt Iudai.*
Et princip. in. e. *Syr. Vt trucidarent eum. S. Chrys. Cùm iam interficiendus esset ab eis. Ar. M. Et*

et

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

& incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus est:

futurum interfici ab eis.
Superuen. *Syr. Sed obstiti ego.*
Exercitu. *Syr. Romanis.*
Eripui. *Syr. Eumque liberaui.*
Cognito. *Syr. Cùm didicissem.*

Vers. 28.

Volensque scire causam, quam obiiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

Volensque. *Syr. Ac dum studerem.*
Quam o. i. *Syr. Ob quam rem postulabant eum. S. Chrys. Ob quam accusarent illum. Ar. M. Ob quam incusarent eum.*
Deduci. *Syr. Dimisti.*
Conc. e. *Syr. Consessum eorum.*

Vers. 29.

Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum; nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem criminis.

Quem. i. *Syr. Et comperi. S. Chrys. Quem comperi.*
Accusati. *Syr. Quod reum postularent eum. Ar. M. Appellatum.*
Nihil verò. *Syr. Sed nullam in eo causam esse. S. Chrys. Nullum.*
Dignum. *Syr. Dignam.*
Morte a. v. *Syr. vinculis aut morte. Oecum. Aut morte aut vinculis.*
Criminis. *S. Chrys. Crimen.*

Vers. 30.

Et, cùm mihi perlatum esset de insidiis, quas parauerant illi, misi eum ad te denuncians & accusatoribus, vt dicant apud te. Vale.

Et, cùm p. e. *Syr. Cùm porrò indicatum esset mihi insidiis. Ar. M. Indicatis autem mihi insidiis.*
Quas parauerant illi. *Syr. Dolum nectere in eum Iudaeos. S. Chrys. Quas ponerent illi. Pagn. Quas parauerant illi Iudæi. Ar. M. In virum futuris esse à Iudæis. Mar. Quas parauerant contra illum.*
Misi. *Syr. Confestim misi. Oecum. Protinus misi. Ar. M. Statim misi.*
Denuncians. *Syr. Et præcepi. S. Chrys. Præcepto dato.*
Et a. *Syr. Delatoribus eius.*
Vt dicant. *Syr Vt veniant agantque cum eo. S. Chrys. Vt quæ habent aduersus eum dicant. Ar. M. Dicere, quæ ad eum.*
Apud te. *Syr. Coram te.*

Vers. 31.

Milites ergo secundùm præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem.

Milit. e. *Syr. Tunc Romani.*
Secundùm præceptum. *S. Chrys. Vt præceptum erat. Vat. Iuxta quod iniunctum erat. Ar. M. Secundùm constitutum.*
Assumentes. *Syr. Acceperunt. Vat. Receptum.*
Duxerunt per n. *Syr. Noctu, & adduxerunt eum.*
Antipatr. *Syr. Antipatrida vrbem.*

Vers. 32.

Et posterâ die demissis equitibus, vt cum eo irent, reuersi sunt ad castra.

Posterâ. *Oecum. Postero die.*
Dimissis e. *Syr. Equites dimiserunt. S. Chrys. Relictis.*
Vt cum e. i. *Syr. Pedibus socios suos. S. Chrys. Qui erant cum eo.*
Reuersi sunt. *Syr. Vt reuerterentur.*
Ad castra. *S. Chrys. In castra.*

Vers. 33.

Qui, cùm venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt, ante illum & Paulum.

Qui cùm v. *Syr. Et adduxerunt eum. S. Chrys. At illi vt venerunt.*
Et trad. *Syr. Reddideruntque. S. Chrys. Reddiderunt duci.*
Statuerunt a. i. *Syr. Ac steterunt coram eo. S. Chrys. Statuerunt. Ar. M. Statuerunt ei.*

Vers. 34.

Cùm legisset autem, & interrogasset de

Cum l. a. *Syr. Cùm legisset autem epistolam. S. Chrys. Vt legit. Pagn. Cùm legisset autem præses.*
Interrogauit. *S Chrys. Rogauit.*
De quâ. *Syr. Ex quanam. S. Chrys. Ex quâ. Ar. M. Ex quali.*

quâ

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
quâ prouinciâ esset: & cognoscens, quia de Ciliciâ,	Cognoscens. *Syr. Cùm dixisset. Pagn. Cùm cognouisset.* De Ciliciâ. *Orcum. Ex Ciliciâ.*
Vers. 35. Audiam te, inquit, cùm accusatores tui venerint. Iussitque in prætorio Herodis custodiri eum.	Audiam. *Syr. Auditurus sum.* Cùm accusat. *Pagn. Cùm accusatores quoque. Ar. M. Cùm & accusatores.* Venerint. *Vat. Aduenerint. Ar. M. Adfuerint.*

CAPVT XXIII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Dei seruis inter aduersa *animus crescit.* 1176
Quum probantur boni, *mali se argui censent.* 1177
Sacerdotum *peccata Diuino iudicio relinquenda,* 1178
Sacerdotis *nota.* 1179. 1180
Sacerdotes *honorandi etiam mali.* 1180
Nunquam suorum obliuiscitur Christus. 1180
Diuinum auxilium *ita expectandum, vt humana remedia quum res id fert, non respuamus.* 1181

Intendens autem in concilium Paulus ait: viri fratres, ego omni conscientiâ bonâ conuersatus sum ante Deum vsque in hodiernum diem.

1176. FIxis oculis consessum illum Paulus intuebatur: quod confidentiæ indicium erat, & relatæ innocentiæ signum. Iussus autem vel voce, vel nutibus, sic exorsus ait: *Viri fratres.* Cur patres non adiungit, quod superiori capite fecerat? Cur ad tribunum sermonem quoque non dirigit cum honoris titulo? An quià vincula, licèt charitatem non minuerint, robur tamen addiderunt, & animum? Nimirum, Dei seruis inter aduersa animus crescit: & inter passiones fortitudo. Fors ad eos tantùm se conuertit, à quibus intelligi, & in causâ religionis iudicari poterat. Tribunus, militaris homo, & Gentilis erat.

Ego omni conscientiâ bonâ conuersatus sum: Non se laudat, non sua iactat; sed se defendit, ac si diceret: *Non sum mihi ipsi conscius, quòd vos læserim, & aliquid dignum hisce vinculis commiserim.*

Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius.

1177. PRinceps sacerdotum erat Ananias, sed seruiebat liuori, seruiebat iræ. Aliorum princeps erat, satiùs fuisset, si fuisset sui. Hic igitur iussit Pauli os percuti, & obtundi. Indignatus est ob innocentiam, quam orationis suæ initio professus est Paulus, ac si alterius probitas suæ malitiæ accusatio esset. Cùm probantur boni, mali se argui, damnarique censent. Indignatus præterea est, quòd Paulus honoratiore titulo eum non affecerit.

Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate.

ALloquitur Paulus eum, qui percussionem imperauerat, non qui percusserat: magis enim ille deliquerat, qui criminis auctor fuerat, quàm iste, qui minister. Apostolicâ Auctoritate denuntiat principi sacerdotum exitium, & interitum, vt eum deterreret.

Et qui astabant dixerunt: summum sacerdotem Dei maledicis?

QVi adstant pro summo sacerdote respondent: cur non ipse pro se ipso? Adeò Pauli verbis perculsus fuit, vt, mortuo similis, nec verbum potuerit proferre. Malâ conscientiâ accusatus, Pauli increpantis, & arguentis vocem sustinere non potuit: quis in extremo iudicio iudicantis, sed irati Dei tonitruum sustinebit? Quis audebit hiscere, se defendere, se tueri? O, si hæc cogitaremus! 1178.

Summum sacerdotem Dei: Addiderunt, *Dei*, ad exaggerandam iniuriam. Pro, *maledicis*, Græcè est, λοιδορεῖς, *conuicio afficis*: nam, imprecando, dignum ducebat animaduersione Diuinâ, sicque conuicio afficere videbatur. Obserua, Paulum huius sacerdotis scelera non proferre, & aperire: tantùm Dei in illum animaduersionem prædicit, & prænuntiat; vt exemplo suo nos doceret, sacerdotum scelera non propalanda, sed Diuino iudicio relinquenda.

Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum.

QVi nescire principem sacerdotum potuit Paulus, cùm in Ierusalem eruditus, & versatus esset; & vel ex ipso sedendi ordine, sedebat quippe primus in loco augustiore, cognoscere eum potuerit? An non cognouit summum Pontificem esse, quia ex loquendi modo irâ plenus, non summus sacerdos videbatur, sed tyrannus? Audite sacerdotum princeps non debet, qui passionum suarum seruus est. Cum versutis versutè agit Paulus, & prudenti hoc responso vafritiem illorum eludit. 1179.

Præterea nesciebat, eum esse pontificem, qui loquutus fuerat, audiuit enim tantùm vocem; præ turbâ verò ignorauit à quo esset emissa, præsertim quia concilium non consueto loco coactum est, & tumultuariè ac confusè sedebant; nec in solio summus pontifex considebat, sed in sede, aut scamno aliis pontificibus, & iudicibus mixtus.

Solui aliter hic nodus potest, si dicamus, verè nesciuisse, quia diu ab Ierusalem abfuerat Paulus, vt ignotus illi esset summus pontifex. Tandem nesciuit, eum esse summum pontificem, eò quòd per Euangelium iam cessasset summum sacerdotium nec alium agnoscebat summum pontificem, quàm Christum & Vicarium Christi Petrum. Se tamen corrigit Paulus vt ostenderet reuerentiam iis deberi, sub quorum potestate sumus, quales quales ipsi sint.

Dixerant summi pontificis defensores: *Summum* 1180.

mum sacerdotem Dei maledicis ? Paulus respondet, *nesciebam, quia princeps est sacerdotum.* Non dixit, *nesciebam, quia summus sacerdos Dei esset*, vt textus nexus exigere videbatur. Non caret hæc res mysterio : vt esset princeps sacerdotum concedi poterat; sed præ suâ malitiâ, & iniquitate, Dei sacerdos dici vix poterat, qui sibi, satanæque famulabatur ; imo sibi, quia & satanæ, & satanæ, quia & sibi.

Nesciebam, quia princeps est sacerdotum. Poterat Paulus aliter excusare quod egerat, scilicet eorum narratione, quæ mali sacerdotes in Christum præstiterant, quibus se sacerdotis titulo indignos probauerant; sed noluit, vt honorandos veros sacerdotes innueret, cum vmbratilem ipse coluerit; Præclarè rem expendit Sanctus Cyprianus epist. 69. *Beatus*, inquit, *Apostolus, cùm ei dictum esset : Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo? nihil contumeliosè locutus sit aduersus sacerdotem : quando & potuerit se constanter exerere aduersus eos, qui Dominum crucifixissent, & qui iam Deum & Christum, & templum, & sacerdotium perdidissent. Sed quamuis in falsis & spoliatis sacerdotibus*, VMBRAM TAMEN IPSAM INANEM SACERDOTALIS NOMINIS COGITANS *dixerit. Nesciebam, fratres, quia Pontifex est : scriptum est enim : Principem populi tui non maledices.*

Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto : sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

1181. CVm in tribulatione esset Paulus apparet ei Dominus : probabile est, dormienti Paulo apparuisse Angelum, qui Christi personam sustineret. Nunquam suorum obliuiscitur Christus; quin tunc maximè recordatur, cùm aliquid patiuntur. Plories apparuit Paulo Christus, vt, qui Christum in carne non viderat, videret, cùm immortalis in cælo esset.

Constans esto : Græcè, *θάρσει παῦλε, Aude Paule.* Non arguit adhortatio hæc defectum aut fidei, aut fortitudinis ; sed virtutis confirmationem, & quandam congratulationem indicat; & naturalem timorem, si quis erat, abstergit. Vrget Christus Paulum, & ad maiora vocat : *sicut*, inquit, *testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Præteritam constantiam ita laudat, vt eaciter ad futuram.

Factâ autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

F*Acta autem die :* Dum dies fit, altâ perfidiæ nocte hi, qui se collegerunt, obsidentur. Inuidiâ correpti ægrè tulerunt, quòd tantâ solertiâ, atque prudentiâ Paulus euasisset. Deuouerunt se non manducaturos, nec bibituros, donec Paulum occiderent: non sanctificant isti ieiunium, sed polluunt: edere cibos nolunt, qui solent edi, vt Paulum quodammodo deuorarent, quod non debebant.

Vocans autem Paulus ad se vnum ex centurionibus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum : habet enim aliquid indicare illi.

VInctus Paulus mittit ad tribunum adolescen- 1182.
tem, qui Iudæorum insidias detegeret, & proderet, ampliùs, quàm quadraginta, viros fuisse, qui se deuouerunt, non manducare, & bibere, donec Paulum interficerent. Sciebat Paulus, nam ei Christus dixerat eundum: Romam iturum, atque adeo à Iudæis non occisum iri ; sed, licèt Christi oraculo crederet, humanâ tamen industriâ, & prudentiâ vtitur : adhibet remedia, quæ Deus offert, prodit insidiatores, cui oportuit; vt ita disceremus, Diuinum auxilium ita expectare, vt interim, quantum in nobis est, operemur, nec humana remedia respuamus.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXIV. ACT. APOST:

Vers. 1.

POst quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, cum senioribus quibusdam & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem aduersùs Paulum.

Vers. 2.

Et, citato Paulo ; cœpit accusare Tertullus, dicens : Cùm in multâ pace aga-

Dies. *Syr. Diebus.*
Princ. s. *Syr. Summus sacerdos.*
Senioribus qu. *S. Chrys. Senioribus.*
Oratore. *S. Chrys. Rhetore*
Qui a. p. *Syr. Atque ostendit se præsidi, S. Chrys. Qui & comparuerunt apud præsidem. Oecum. Qui comparuerunt præsidi. Ar. M. Qui comparuerunt præsidi.*

Et c. P. *Syr. Cùmque conuocatus esset. S. Chrys. Vocato autem illo.*
Cœpit a. *Syr. Exorsus est accusans eum.*
Cùm i. m. p. a. *Syr. In multâ quidem tranquillitate degimus. Ar. M. Multa pacis compotes. Quidd. Codd. Cùm multa pace.*
Per te. *Syr. Propter te.*
Multa c. *Syr. Multæ directiones fiunt huic genti. Pagn. Et multa rectè gerantur in populo hoc. S.*

mus

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

mus per te, & multa, corrigantur per tuam prouidentiam;

Chryf. Multa bona opera fiant huic populo. Ar. M. Directionum factarum genti huic. Caiet. Officia praestentur multa genti huic.
Per t. p. *Syr. Pendere rationis tuae. Ar. M. Per tuam prudentiam.*

Verf. 3.

Semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.

Semper e. v. *Syr. Nosque omnes vbique. Ar. M. Et semper & vbique. Caiet. Et semper & vbique.*
Suscipimus. *Syr. Recipimus. Vat. Comprobamus.*
Optime. *Syr. Victoriose. Vat. Praestantissime.*
Cum o. g. a. *Syr. Gratiam tuam.*

Verf. 4.

Ne diutiùs autem te protraham, oro breuiter audias nos pro tuâ clementiâ.

Ne diut. a. *Syr. Ne verò pluribus. S. Chryf. Sed nè diutiùs. Ar. M. Vt autem non super plus.*
Protraham. *Syr. Fatigem. S. Chryf. Morer. Pagn. Detineam. Ar. M. Interpellam.*
Oro. *Syr. Peto à te. Oecum. Oro te.*
Breuiter. *Syr. Pracisâ oratione. S. Chryf. Paucis. Ar. M. Concisè.*
Nos p. t. c. *Syr. Nostram humilitatem. S. Chrysost. Nos pro tuâ humanitate. Ar. M. Tuâ clementiâ.*

Verf. 5.

Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudaeis in vniuerso Orbe, & authorem seditionis sectae Nazarenorum:

Inuenimus. *Syr. Comperimus enim. S. Chryf. Inuentum enim. Vat. Nacti enim sumus.*
Hominem. *Syr. Virum.*
Pestiferum. *Syr. Esse perniciosum. S. Chryf. Pestilentem.*
Concit. *S. Chryf. Mouentem. S. Epiph. Corrumpentem.*
Seditiones o. I. *S. Epiph. Populum. Pagn. Seditionem omnibus Iudaeis.*
In vniu. Or. *Syr. Per Vniuersam terram. Ar. M. Qui per habitatam.*
Et author. *Syr. Est enim princeps. S. Chryf. Praesidem. Vat. Et praefectum. Ar. M. Antistitemque.*
Sedit. sectae. *Syr. Doctrina. S. Chryf. Secta. Oecum. Haeresis. Ar. M. Secta.*

Verf. 6.

Qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm legem, nostram iudicare:

Qui etiam t. *Syr. Ac templum nostrum.*
Violare. *Syr. Polluere. Ar. M. Profanare.*
Conatus est. *Syr. Voluit. S. Chryf. Attentauit. Caiet. Tentauit.*
Quem & apprehensum. *Syr. Cùm autem apprehendissemus eum. Goth. Quem & apprehendimus.*
Voluimus. *Syr. Voluimus eum. Goth.* omittit.
Secundùm l. n. i. *Goth.* omittit.

Verf. 7.

Superueniens autem tribunus Lysias, cum vi magnâ eripuit eum de manibus nostris:

Superuen. a. *Syr. Venit autem. Goth.* omittit. *Vat. Sed superueniens. Ar. M. Adueniens autem.*
Trib. Lys. *Goth.* omittit.
Cum vi magnâ. *Syr. Hac multâ vi. Goth.* omittit. *Ar. M. Vi multa.*
Eripuit e. d. m. n. *Syr. De manibus nostris abduxit eum & ad te misit eum. Goth.* omittit. *S. Chryf. Abduxit ex manibus nostris. Vat. Eripuit eum è manibus nostris. Ar. M. Ex manibus nostris eripuit, & ad te misit.*

Verf. 8.

Iubens accusatores eius ad te venire, a quo poteris ipse iudicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

Iubens a. c. t. v. *Goth.* omittit.
A quo. *Syr. Proinde ab eo. S. Chryf. Ex quo.*
Ipse Iud. *Syr. Cùm eum interrogaueris. S. Chrysost. Diiudicans. Pagn. Inquisitione factâ.*
De omn. i. *Syr. Ea omnia.*
Cognoscere. *Syr. Discere.*
De quibus. *Ar. M. Quorum.*

Verf. 9.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Vers. 9.

Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes, hæc ita se habere.

Adiecerunt a. *Syr. Litem porrò intenderunt ei. Ar. M. Consenserunt autem.*
Et Iudæi. *Syr. Etiam illi Iudæi.*
Se habere. *Ar. M. Habere.*

Vers. 10.

Respondit autem Paulus, (annuente sibi præside dicere) ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.

Resp. a. P. a. s. p. d. *Syr. Innuit autem præses Paulo, vt loqueretur, respondit itaque & ait.*
Ex multis. *Syr. A multis. S. Chrys. Multis. Pagn. Multis iam.*
Esse. *Vat. Fuisse. Ar. M. Existentem.*
Iudicem. *S. Chrys. Iudicem iustum.*
Genti h. s. *Syr. Huius gentis scio.*
Bono a. *Syr. Et ideo maiori cum gaudio. S. Chrys. Æquiore animo. Ar. M. Meliori animo.*
Pro me s. *Syr. Depromam spiritum pro me ipso. S. Chrys. De rebus meis satisfacio. Oecum. Pro me ipso respondeo. Pagn. Pro me ipso causam dico. Ar. M. Qua de me ipso defendam. Caiet. Pro meâ causâ respondeo.*

Vers. 11.

Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem:

Potes enim. *S. Chrys. Cùm tu possis.*
Cognoscere. *Syr. Nosse.*
Quia non plus s. m. *Syr. Non plures mihi præteriisse. S. Chrys. Non esse plures dies.*
Adorare. *Syr. Adorandi gratiâ.*

Vers. 12.

Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate.

Inuenerunt. *Pagn. Compererunt.*
Cum a. d. *S. Chrys. Cum aliquo loquentem. Ar. M. Apud aliquem disputantem.*
Aut concursum f. t. *Syr. Nec etiam congregantem turbam Ar. M. Aut seditionem facientem turba.*
Neque i. s. *Syr. Siue in synagogis eorum.*
Neque i. c. *Syr. Siue in vrbe. Ar. M. Neque per ciuitatem.*

Vers. 13.

Neque probare possunt tibi de quibus me accusant.

Probare p. t. *Syr. In eorum potestate situm est, vt demonstrent coram te quicquam eorum. S. Chrys. Probare possunt ea. S. Epiph. Quicquam eorum admisi.*
De quibus a. *S. Epiph. Quibus.*

Vers. 14.

Confiteor hoc autem tibi quod secundùm sectam quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt:

Hoc tibi. *Syr. Hoc.*
Quod secundùm s. *Syr. Me hac eâdem doctrinâ. S. Chrys. Quod iuxta viam.*
Dicunt hæresim. *Syr. Dicunt. S. Chrys. Vocant sectam.*
Sic deser. P. e. D. m. *Syr. Colere Deum patrum meorum. S. Chrys. Colo Patrem Deum. Oecum. Sic colo patrium Deum. Caiet. Sic deseruio patrio Deo. Quidd. Codd. Patri & Deo meo.*
Credens. *Syr. Vt qui credam.*
In lege & proph. s. s. *Ar. M. Secundùm legem, & prophetis scriptis.*

Vers. 15.

Spem habens in Deum quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum.

Spem h. i. D. *Syr. Et qui spem habeam in Deum de eâ.*
Expectant. *S. Chrys. Amplexantur.*
Futuram. *Syr. Futuram à mortuis. Caiet. Futuram esse mortuorum.*
Iustorum. *Pagn. Iustorum simul.*
Iniquorum. *S. Chrys. Iniustorum.*

Vers. 16.

In hoc & ipse studeo sine offendiculo

In hoc & ipse s. *Syr. Propterea etiam laboro. Vat. Quin in hoc & ipse studeo. Ar. M. In hoc autem ipso me exerceo.*
Sine offendic. c. *Syr. Conscientiam puram. Ar. M. Conscientiam.*
Ad Deum & a. h. *Syr. Coram Deo & coram homini-*

Vulgata Editio.

conscientiam habere ad Deum & ad homines semper.

Vers. 17.

Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes & vota.

Vers. 18.

In quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turbâ neque cum tumultu.

Vers. 19.

Quidam autem ex Asiâ Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare, si quid haberent aduersùm me:

Vers. 20.

Aut hi ipsi dicant, si quid inuenerunt in me iniquitatis, cùm stem in concilio,

Vers. 21.

Nisi de vnâ hac solummodo voce, quâ clamaui inter eos stans: quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.

Vers. 22.

Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de viâ hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos.

Vers. 23.

Iussitque centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quenquam de suis prohibere ministrare ei.

Vers. 24.

Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusillâ vxore suâ, quæ erat Iudæa,

Lectionum varietas.

bus. S. Chrys. *Erga Deum & erga omnes.*
Semper. *Syr. Perseueranter.*

Post a. a. p. *Annis perrò multis. Ar. M. Per annos autem plures.*
Eleemos. *Syr. Eleemosynam.*
Facturus. *Syr. Largiturus. S. Chrys. Exhibiturus.*
In gent. m. *Syr. Ad filios meæ gentis.*
Veni. *S. Chrys. Accessi.*
Oblationes & v. *Syr. Oblaturus. S. Chrys. Oblationes.*

In quibus. *Syr. Et isti.*
Inuener. *S. Chrys. Compererunt quidam.*
Purificatum. *Syr. Cum expurgatus essem.*
Tumultu. *M. SS. Tumultu & apprehenderunt me clamantes & dicentes: Tolle inimicum nostrum.*

Quidam a. e. A. I. *Syr. Nisi quòd tumultuati sunt. Iudæi illi, qui venerant ex Asia.*
Apud te præsto e. *Syr. Sistere mecum coram te. S. Chrys. Tecum adesse.*
Et a. *Syr. Vt accusarent.*
Haberent a. m. *Syr. Haberent.*

Si quid inuenerunt *Syr. Quid inuenerint. Oecum. Si quid deprehenderunt.*
Iniquitatis. *Syr. Flagitij. S. Chrys. Iniustum. Ar. M. Iniquum.*
In concilio. *Syr. Ante consessum tuum. Ar. M. In consessu.*

De vna hac s. v. *Syr. Nisi vnicum hoc verbum.*
Ego iudicor. *Syr. In iudicium vocor.*
A vobis. *Syr. Coram vobis.*

Distulit a. *Pagn. Auditis autem his, distulit. Ar. M. Audiens autem hæc distulit.*
Certiss. s. *Syr. Quia planè sciebat. S. Chrys. Probè tenens. Pagn. Certè sciens. Ar. M. Exquisitiùs cognoscens. Caiet. Certiùs sciens.*
De viâ h. *Syr. Hanc viam. S. Chrys. De illâ viâ. Pagn. Quæ ad eam viam attinebant. Ar. M. Quæ de viâ.*
Descenderit. *Syr. Venerit.*
Aud. v. *Syr. Auditurus sum inter vos. S. Chrys. Pernoscam causam vestram. Ar. M. Pernoscam quæ per vos.*

Iussit. *Syr. Imperauit. Ar. M. Constituens.*
Centurioni. *S. Chrys. Centurionem.*
Custodire eum. *S. Chrys. Vt custodiret Paulum.*
Et h. r. *Syr. In requie. S. Chrys. Sineretque eum relaxari. Ar. M. Haberéque laxationem. Caiet. Et habere relaxationem.*
Nec q. d. s. p. *Syr. Vtque nemo ex familiaribus ipsius prohiberetur. S. Chrys. Et nullum familiarem prohiberet. Vat. Et neque ex illius familiaribus vetaret. Caiet. Nec quenquam suorum vetaret.*
Ministr. e. *S. Chrys. Ministrare vel accedere illum. Vat. Subministrare ei aut adire eum. Caiet. Inseruire aut adire eum.*

Post aliquot a. d. *Syr. Cæterum paucis post diebus.*
Veniens. *Syr. Misit. S. Chrys. Cum aduenisset.*
Cum D. v. s. *Syr. Et Drusilla vxor eius. Ar. M. Drusillâ vxore propriâ.*

vocauit

Vulgata Editio.

vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum:

Lectionum Varietas.

Quæ e. *Ar. M. Existeute.*
Vocauit. *Syr. Qui aduocarent. S. Chrys. Accersiuit.*
Audiuit ab eo. *Syr, Audierunt ab eo. Ar. M. Audiuit enim.*
Fidem, quæ est. *Syr. Quæ pertinent ad fidem. Ar. M. De fide, quæ.*
Christom Iesum. *S. Chrys. Christum.*

Vers. 25.

Disputante autem illo de iustitiâ & castitate & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.

Disp a. i. *Syr. Cúmque verba faceret ad eos Ar. M. Disserente autem illo.*
Castitate. *Syr. Sanctimoniâ. S. Chrys. Temperantiâ.*
De iod. f. *Ar. M. Iudicio futuro esse.*
Tremef. *Syr. Repletus est timore. Ar. M. Tremefactus factus.*
Resp. *Syr. Dixitque.*
Quod n. a. *Syr Nunc quidem. S. Chrys. In præsentiâ. Ar. M. Quod nunc habes.*
Vade. *S. Chrys. Abi.*
Temp. a. o. *Syr. Quando verè erit mihi. S. Chrys. Cæterùm opportunitatem nactus.*
Accersam te. *Syr. Mittam ad te.*

Vers. 26.

Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo; propter quod &, frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

Simul & s. *Syr. Sperabat enim. S. Chrys. Simul & aliud sperans fore.*
Quod pecunia ei. *Syr. Munus sibi. S. Chrys. Vt pecunia.*
Daretur. *Syr. Datum iri.*
A Pauló. *S. Chrys. Paulo, vt solueret ipsum.*
Et frequenter. *Syr. Frequentius.*
Accersens e. *Syr. Mittebat accersitum eum.*
Loquéb. c. e. *Syr. Et loquebatur cum eo. Ar. M. Loquebatur ei.*

Vers. 27.

Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis, Felix reliquit Paulum vinctum.

Bien. e. *S. Chrys. Impletis annis duobus.*
Accep. s. F. *Syr. Alius venerat in locum ipsius.*
Port. F. *Syr. Qui vocabatur Portius Festus.*
Volens a. g. p. I. *Syr. Vt autem iniret gratiam à Iudæis.*

CAPVT XXIV.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Plerunque mali agunt inuidiâ *acti, quod non agerent, si de salute suorum ageretur.* 1183
Vbi vitia *in corde regnant; ibi nulla pax.* 1183
Hominum iudicia de *hominibus quàm fallacia.* 1184
Iudæorum *iudicia.* 1184
Illata contumeliæ *ferenda.* 1185
Iudex, *castitatis cultor sit.* 1185
Luxuria *rationis oculum excæcat.* 1185
Qui auaritiæ *sorde laborat, ægrè à vitiorum sordibus liberatur.* 1186
Nihil contra iustitiam *aliquorum gratiâ iudex præstet.* 1186

Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem aduersùs Paulum.

1183.  ANTA erat hæc res, tantúsque erat, qui reus dicebatur, vt summus ipse illorum pontifex actor venerit, & accusator. Si alicoius imminenti periculo occurrendum esset; non accurrisset: si cuiuspiam salus quærenda esset, non aduolasset hic pontifex: nunc vrget eum ira, vrget inuidia, & liuor, & acturus contra Paulum, iter suscipit. Impij superiores illud, inuidiâ acti, agunt, quod non agerent, si de suorum salute ageretur.

Nouarin. in Act. Apost.

Descendit: non loco tantùm, sed & dignitate. Non poterat non descendere, qui præceps ad Paulum veritatis doctorem accusandum accedebat.

Cùm in multa pace agamus per te.

CVm in multâ pace agamus per te. Per Felicem in multâ pace agere se fatentur. Fallitur orator iste: in pace agere nullius officio poterant, qui iorûs vitiorum pugnas patiebantur: vt aliunde esset pacis occasio, quilibet sui hostis erat. Non est sine pugnâ, qui, inuidiâ cæcus, impugnat veritatem.

In multâ pace: suos damnat iste orator, dum laudare iudicem studet. Pax, quæ à Felicis regimine, bellum arguebat, quod in Iudæis erat à vitiis Iudæorum. In multâ pace erant, & in pace non poterant viuere, tam inquieti, & turbulenti Iudæi, vt

in multâ pace rixas multas excitarent. Sed non est in multâ pace, qui nullam cum pace pacem habet.

Et multa corrigantur per tuam prouidentiam.

1184. MVlta corrigantur: Multa corrigi potuerint, non potuit tuorum perfidia. Nimirum Iudæi semper fuere Iudæi. Deprimis te, deprimis tuos, Tertulle, dum Felicem euehis, & extollis.

Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones.

INuenimus hunc hominem: Nomen non exprimit in Pauli contemptum. Non erat orator iste dignus tam sanctum nomen efferre, nec ore impuro producere. *Inuenimus hunc hominem*: Supra hominem se fecit extulerat, qui nudus homo dicitur. *Pestiferus*, cùm pestiferus esset, non dicebatur: nunc dicitur, quia verè non est; tam facilè hominum iudicia falluntur.

Et concitantem seditiones omnibus Iudæis: Non concitabat seditionem, qui pacem vbique prædicabat. Post *pestiferi* titulum, seditiosum vocat; indicans, nihil eo esse magis pestiferum, qui concitat seditiones. Sed vtrumque falsum in Paulo.

Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens.

EX multis annis te esse iudicem genti huic sciens: Magna iudicis huius commendatio in his verbis latet; quasi diceret, inquit Lyranus: *Per hoc manifestè patet bonitas tui regiminis, quòd tandiu habuisti regimen huius gentis*: quæ adeo grauis quondam vel Moysi fuit.

Bono animo pro me satisfaciam.

1185. BOno animo pro me satisfaciam: Non de suâ paratum à Iudæos repercutit Paulus: non iniuriis, & maledictis respondet; sed placidè se tuetur, causam suam defendit, nec contumeliis lacessitus, contumeliis pugnat. Vel ex hoc vno probat, se nec pestiferum esse, nec seditiosum, cùm adeò pacatè illatas contumelias ferre potuerit.

Vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem.

VOcauit Paulum, & audiuit ab eo fidem: Cur non antea id præstiterat Felix? Pende verba, quæ his præmittuntur, & causam disces: *Post aliquot*, inquit sanctus historicus, *dies veniens Felix cum Drusillâ vxore suâ*. Nimirum induxit virum suum vxor, vt Paulum accerserent, fidemque ab eo in Iesum Christum audirent. Quæ res vxores monet, vt ad pietatem, pietatisque opera, quin & salutis viam viros vrgeant.

Disputante autem illo de iustitia, & castitate.

CVr iudicem alloquens Paulus, de castitate disserit, cur non potiùs iudicis partes explicat, & commendat? Indicare voluit maximè necessariam iudici castitatem esse, hæc enim si in illo desideretur si luxuriæ mancipium sit, mentis quoque acumine erit vidua, quod ad res difficiles dignoscendas ac diiudicandas requiritur, *in rebus publicis, ac priuatis* vt ille ait, CAECVTIT *animus cupidinibus obstratus*.

Tremefactus Felix respondit.

TRemefactus Felix: Ex Pauli prædicatione, & præcipuè Diuini iudicij consideratione timore correptus est Felix: sed in hoc infelix, Felix iste fuit, quòd tremuit tantùm, nec conuersus est. Quid verò prædicationis huius vim retudit, quid tremorem hunc reddidit inutilem? Pecuniæ amor; nam paulò post subditur: *Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo*. Qui auaritiæ sorde laborat, ægrè à vitiorum sordibus se subducit. Vel Pauli prædicatio vires suas videtur amittere, si cor auaritia correptum inueniat. Scitè hîc Isidorus Clarius: *Illud obserua, pecuniæ cupiditas quantæ ad salutem sit hominibus impedimento. Sperabat, quòd pecunia ei daretur à Paulo, nec quærebat iustitiam potius, qua pacto intrepidus staret ante illud tribunal, cuius appellatio ita eum perterruerat: & tantâ re neglectâ, frequentiùs accersebat Paulum, lumen illud Orbis terræ; & cum illo versabatur, ob solam accipiendæ pecuniæ spem.* 1186.

Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix.

VOlens autem gratiam præstare Iudæis Felix: Vinciri rursus Paulum, iubet Felix abiturus à munere, in gratiam Iudæorum; *timens*, inquit Lyranus hîc, *ne accusaretur ab eis* DE MALO REGIMINE *terræ*. Sed contra accidit; nam apud Cæsarem accusatores Iudæos habuit, quòd malè esset suo munere functus, vt refert Iosephus. Nimirum, iustè hostes homines habet, qui iniustè eorum gratiam venatur.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXV. ACT. APOST.

Vers. 1.

FEstvs ergo, cùm venisset in prouinciam, post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsareâ.

Vers. 2.

Adieruntque eum principes sacerdo-

Cùm v. 1. p. *Syr. Cùm venisset Cæsaream. S. Chryſ. Susceptâ prouinciâ. Ar. M. Ingressus prouinciam.*
Post. t. *Syr. Triduo post.*
A Cæsar. *S. Chryſ. Ab vrbe Cæsareâ.*

Adiet. q. e. *S. Chryſ. Significaueruntque illi. Ar. M. Iudicauerunt autem ei.*

tum

Vulgata Editio.

tum & primi Iudæorum aduersùs Paulum; & rogabant eum,

Vers. 3.

Postulantes gratiam aduersùs eum, vt inberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes, vt interficerent eum in viâ.

Vers. 4.

Festns autem respondit, seruari Paulum in Cæsareâ: se autem maturiùs profecturum.

Vers. 5.

Qui ergo in vobis (ait) potentes fnnt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

Vers. 6.

Demoratus autem inter eos dies non ampliùs, quàm octo aut decem, descendit Cæsaream: & alterâ die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci.

Vers. 7.

Qui, cùm perductus esset, circunsteterunt eum, qui ab Ierosolymâ descenderant Iudæi, & multas & graoes causas obiicientes, quas non poterant probare:

Vers. 8.

Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem qnidquam peccaui.

Vers. 9.

Festus autem volens gratiam præstare

Lectionum Varietas.

Princ. *Ar. M. Et Princeps.*
Primi. *S. Chrys. Primores.*
Adu. P. *S. Chrys. De Paulo.*
Rogab. e. *Syr. Petebant ab eo.*

Postul. *Syr. Rogantes.*
Grat. a. e. *Syr. Eum gratiam hanc. S. Chrys. Fauorem aduersùs eum.*
Iuberet perduci. *Syr. Mitteret, qui adduceret. S. Chrys. Accerseret.*
Insid. tend. *Syr. Dum struerent ei insidias in viâ. S. Chrys. Insidias tendentes. Ar. M. Insidias facientes.*
Vt interf. e. i. v. *Syr. Vt ipsum interimerent. Ar. M. Interficere eum per viam.*

Fest. a. *Ar. M. Ipse quidem ergo Festus.*
Respondit. *Syr. Responsum dedit.*
Seruari. P. *Syr. Asseruari Paulum. S Chrys. Vt seruaretur quidem Paulus.*
Se a. m. p. *Syr. Ego verò, inquit, festinans illuc peregrè proficiscar. S. Chrys. Se autem breui illò profecturum. Lucif. Se autem maturiùs proficisci. Ar. M. Se ipsum autem futurum in festinatione proficisci.*

In vobis. *Lucif. Inter vos.*
Potentes s. *Syr. Per se possunt. Lucif. Sunt.*
Descend. simul. *Syr. Descendant nobiscum. S. Chrys. Vnà nobiscum descendant. Lucif. Descendant.*
Si quod. *Sy. Et de quocunque. S. Chrys. Et si quod. Ar. M. Si quid.*
Est i. v. *Syr. Quod sit in hoc homine. S. Chrys. Est in hoc viro.*
Crimen. *Syr. Crimine. Ar. M.* omittit.
Accusent e. *Syr. Accusent.*

Demoratus a. *Syr. Cúmque egisset.*
Inter eos. *Syr. Illic. Ar. M. In illis.*
Dies. *S. Chrys. Diebus.*
Nom ampliùs. *S. Chrys. Plus. Lucif. Non plus. Pagn. Ampliùs. A M. Plures.*
Octo aut decem. *S. Chrys. Octo. Oecum. Decem.*
Alterâ. *S. Chrys. Postero.*
Adduci. *Syr. Accersiri. Lucif. Citari.*

Qui e. p. e. *Syr. Cùm autem venisset. Ar. M. Adueniente autem eo. Lucif. Qui cum adductus esset.*
Circ. *Syr. Circumdederunt.*
Multas e. g. c. *Syr. Criminationesque multas & graues causationes.*
Obiicientes. *Syr. Adducebant in eum. S. Chrys. Intendentes in Paulum. Vat. Intendentes aduersùs Paulum. Ar. M. Ferentes aduersùs Paulum.*
Quas. *S. Chrys. Quæ.*
Probare. *Syr. Demonstrare. S. Chrys. Probari.*

Paulo. *Syr. Et cùm Paulus. Ar. M. Eo.*
Ration. r. *Syr. Depromeret spiritum. S. Chrys. Rationem reddente pro se. Pagn. Pro se respondente. Ar. M. Rationante.*
Quoniam neque. *Syr. Se nec.*
Quicquam p. *Syr. Nihil deliquisse. S. Chrys. Peccasset.*

Festus a. *Syr. Festus vt pote.*
Volens g. p. *Syr. Volens fænerari gratiam. S. Chrys.*

Vulgata Editio.

Iudæis, respondens Paulo dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?

Lectionum varietas.

Volens gratificari.
De his iudicari. *Syr. De his iudicium subire. S. Chrys. Iudicari.*
Apud m. *Syr. Coram me.*

Vers. 10.

Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu meliùs nosti.

Ibi. *Syr. Hic. Mar. Vbi.*
Me o. i. *Syr. Æquum est, me iudicium subire.*
Iudæis n. n. *Syr. Nil peccaui in Iudæos. S. Chrys. Iudæos non læsi. Pagn. Iudæis nullam iniuriam feci. Ar. M. Iudæis nihil nocui.*
Tu meliùs. *Syr. Et tu. S. Chrys. Et tu meliùs. Ar. M. Tu pulchriùs.*

Si e. n. *Syr. Quòd si aliquod flagitium admisi. Oecum. Si enim iniuriam feci. Vat. Si enim iniuriatus sum.*
Aut d. *S. Chrys. Et dignum.*
Aliq. f. *Syr. Aliquid. Oecum. Quippiam perpetraui.*
Recuso mori. *Syr. Deprecor mortem. S. Chrys. Detrecto mori.*
Si verò. *Syr. Sin verò.*
Nihil e. *Syr. Nihil est in me.*
Quæ. *S. Chrys. De quibus.*
Nemo potest. *Syr. Nemo daturus est. S. Chrys. Nullus potest.*
Donare. *Syr. Dono. Ar. M. Gratificare.*

Vers. 11.

Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: Si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.

Vers. 12.

Tunc Festus cum concilio loquutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

Cum c. l. *Syr. Colloquutus est cum consiliariis suis. Vat. Cum consilio colloquutus. Mar. Ex. Syr. Colloquutus est cum consultoribus suis.*
Respondit. *Syr. Et ait.*
Cæs. a. *Syr. Cæsaris prouocationem appellasti.*
Ibis. *Syr. Proficisceris.*

Vers. 13.

Et, cùm dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.

Et c. d. *Syr. Diebus autem.*
Aliquot. *Ar. M. Quibusdam.*
Transacti e. *Syr. Exactis. Ar. M. Exactis.*
Agrippa r. *Syr. Agrippa.*
Bernice. *Mar. Berenice.*
Descend. *Syr. Descendit.*
Ad s. F. *Syr. Vt postularent pacem Festi.*

Vers. 14.

Et, cùm dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus,

Dies plures. *S. Chrys. Dies aliquot. Oecum. Pluribus diebus. Pagn. Complures dies.*
Ibi. *Syr. Apud eum. S. Chrys.* omittit
Demor. *Syr. Egissent. S. Chrysost. Transacti essent. Oecum. Commorarentur.*
Indicauit. *Syr. Renunciauit. S. Chrys. Retulit.*
De P. *Syr. Iudicium Pauli. S. Chrys. Causam Pauli. Ar. M. Quæ ad Paulum.*
Derelic. *S. Chrys. Relictus.*
A Felice. *Syr. Per manus Felicis.*

Vers. 15.

De quò, cùm essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum; & seniores Iudæorum, postulantes aduersùs illum damnationem?

De quo. *Syr. Et de eo.*
Cùm essem. *S. Chrys. Cùm venissem. Ar. M. Facto me.*
Ierosol. *Ar. M. In Ierosolymis.*
Adierunt me. *Syr. Indicarunt mihi. S. Chrys. Significarunt mihi. Ar. M. Indicauerunt.*
Post a. i. *Syr. Efflagitaruntque ut sibi de eo.*
Damnat. *Syr. Iudicium exequerer. S. Chrys. Sententiam.*

Vers. 16.

Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo, damnare aliquem ho-

Ad q. r. *Syr. Illis verò dixi.*
Consuetudo. *S. Chrys. Mos.*
Damnare. *Syr. Dono tradere. S. Chrys. Ob gratiam donare. Caiet. Gratificari. Mar. Donare*

minem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

minem priùs, quàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Aliq. h. *Syr. Quempiam interficiendum. S. Chrys. Aliquem hominem vt pereat. Ar. M. Aliquem hominem ad perditionem. Caiet. In interitum alicuius hominis.*
Priùs q. i. q. a. *Syr. Donec venerit aduersarius eius.*
Præsentes. *Syr. Et in faciem. Ar. M. Ad conspectum.*
Hab. a. *Syr. Arguat eum.*
Locumque d. *Syr. Locusque depromendi spiritum. Ar. M. Locumque defensionis.*
Accipiat. *Syr. Detur. S. Chrys. Habeat.*
Ad a. c. *Syr. Contra id, de quo reus postulatur. S. Chrys. De crimine. Ar. M. De criminatione.*

Vers. 17.

Cùm ergo huc conuenissent sine vllâ dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum:

Conuenis. *Syr. Venissem.*
Sine v. d. *Syr. Absque dilatione. Ar. M. Dilationem nullam faciens.*
Adduci v. *Syr. Ad me adduci hominem. Quidd. Codd. Duci virum.*

Vers. 18.

De quo, cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum.

De quo. *Syr. Cum eo autem.*
Cùm s. a. *Syr. Adstiterunt delatores eius. Ar. M. Stantes accusatores.*
Nullam c. d. *Syr. Nec potuerunt vllam culpam flagitiosam demonstrare aduersùs eum. S. Chrys. Nullum crimen intendebant super hisce rebus. Caiet. Nullam causam deferebant super iis.*
De quibus. *Syr. Prout.*
Susp. m. *Syr. Arbitratus fueram. S. Chrys. Suspicabar.*

Vers. 19.

Quæstiones verò quasdam de suâ superstitione habebant aduersùs eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.

Quæs. v. *Syr. Sed quæstiones.*
Sua. *Ar. M. Propriâ.*
Defuncto. *Syr. Qui mortuus est.*
Affimabat. *Syr. Dicebat.*

Vers. 20.

Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis.

Hæsitans a. e. *Syr. Et quia non mihi constabat.*
De h. q. *Ar. M. In eam, quæ de hoc, quæstionem.*
Diceb. *Syr. Dixeram Paulo.*
Si. *Pagn. Num.*
Ire. *Syr. Proficisci.*
Iudicari d. i. *Syr. Iudicium subire super istis.*

Vers. 21.

Paulo autem appellante, vt seruaretur ad Augusti cognitionem, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.

Paulo a. a. *Syr. Ipse verò petiit.*
Vt seruaretur. *Ar. M. Seruari se.*
Ad A. c. *Syr. Iudicio Cæsaris. S. Chrys. Augusti cognitioni.*
Iussi. *Syr. Proinde iussi.*

Vers. 22.

Aggrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

Vnleb. e. ip. *Syr. Velim.*
Hominem. *Syr. Hunc virum.*

Vers. 23.

Alterâ autem die, cùm venisset Agrippa & Bernice cum multâ ambitione, & introiissent in auditorium cum tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo, adductus est Paulus.

Alterâ. *S. Chrys. Postero.*
Cùm v. *Syr. Venit.*
Multâ a. *S. Chrys. Multo apparatu. Caiet. Multâ ostentatione. Mar. Multo fastu.*
Intrnissent. *Syr. Ingressus est. S. Chrysost. Ingressi essent.*
Viris p. *Syr. Primoribus. Oecum. Præcipuis viris. Ar. M. Viris secundùm eminentiam existentibus.*
Adduct. e. *Syr. Venit.*

Vers. 24.

Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis

Et d. F. *Syr. Tum Festus.*
Adestis. *Ar. M. Astantes.*
Nobiscum. *Ar. M. Nobis.*
Videtis hunc d. q. *Syr. Aduersùs hunc virum, quem*

Vulgata Editio.	*Lectionum Varietas.*
hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis, petentes & acclamantes, non oportere, eum viuere ampliùs:	*videtis. S. Chrys. Videtis hunc hominem, de quo. Ar. M. Spectatis hunc de quo.* Omnis m. *Syr. Tota gens.* Interpell. *Syr. Compellauit. Mar. Appellauit.* Ierosl. *Oecum. Tum Ierosolymis, tum hic. Vat. Et Ierosolymis & hic.* Petentes & a. *Syr. Vociferantes. S. Chrys. Acclamantes. Mar. Petentes & clamantes.*
Vers. 25. Ego verò comperi, nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicaui mittere:	Comperi. *Syr. Deprehendi.* Ipso autem h. a. a. A. *Syr. Sed quia ipse postulauit seruari iudicio Cæsaris. S. Chrys. Cùm Ceterùm ille appellarit Augustum.* Iudicaui m. *Syr. Decreui, eum missum iri. S. Chrys. Statui mittere eum.*
Vers. 26. De quo, quid certum scribam Domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te, rex Agrippa, vt, interrogatione factâ, habeam quid scribam.	De quo. *Syr. Ceterùm de eo.* Quid c. *Syr. Quid. Oecum. Quid certe.* Domino n. h. *Syr. Cæsari, nescio.* Produxi e. a. v. *Syr. Volui eum sistere coram vobis.* Ad te. *Syr. Coram te.* Vt interr. f. *Syr. Vt inquisitione adhibitâ de ipso. S. Chrys.* omittit. *Pagn. Vt examinatione factâ.* Habeam q. *Syr. Inueniam.*
Vers. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.	Sine r. *Syr. Non oportet. S. Chrys. Iniquum. Ar. M. Irrationabile.* Mihi v. m. *Syr. Nos mittere. Ar. Mittere eum vinctum.* Et c. e. *Syr. Cuius delictum. Goth. Et causam eius. S. Chrys. Et crimina, de quibus accusatur. Ar. M. Et eas, quæ contra eum causas.* Significate. *Syr. Scribamus.*

CAPVT XXV.

Expenditur & illustratur.

SECTIO VNICA.

Adieruntque eum principes sacerdotum & primi Iudæorum aduersùs Paulum.

1187. ADIERVNTQVE *eum principes sacerdotum:* Quàm seduli, quàm soliciti Iudæi, vt Festum adirent contra Paulum. Vrget eos eorum inuidia: malitia illorum illis ad malum est calcar. Diligentiam, quam in Dei obsequio adhibere debebant, adhibent in alterius innocentiâ nocenter insectandâ.

Aduersùs Paulum: Quin aduersùs se. Innocentem, qui persequuntur, non sunt ipsi à persequutione suâ immunes. Sæuit priùs in se ipsum, qui in alium, contra iustitiam, sæuit.

Principes sacerdotes, qui præ cæteris defendere innocentem debebant, cæteris acriùs in innocentem sæuiunt. Conclamata illius gentis est salus, in qua iustitiæ defensores ex munere hostes ex malitiâ fiunt.

Et rogabant eum, postulantes gratiam aduersùs eum, vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes vt interficerent eum in viâ.

PErduci eum in Ierusalem: Vrbem cogitant, quæ nomen à pace habet, ipsi pacis penitus osores. In Ierusalem duci Paulum vellent, vt Paulum in viâ tollerent, & occiderent. *Insidias tendentes, vt interficerent eum.* Malum, quod impius se facturum disponit, factum Deus computat. Insidias hîc tendere dicuntur, qui erant dispositi vt tenderent: quod notabat & Lyranus hoc loco. Insidiæ iam erant in Paulum paratæ, si Iudæorum spectes mentem: nondum erant paratæ, si nudas manus.

Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt.

QVi ergo in vobis ait, potentes sunt: Non potentes inuitandi contra Paulum erant, sed veridici. Periclitantur innocentes, cùm contra eos non veritatis amatores armantur, sed potentes: In iudicibus veri habenda ratio est, non est habenda potentiæ, quæ plerúmque vim infert veritati. Sed 1188.

fore

fors per potentes eos intelligit, qoi iter agere poterant, & ire Cæsaream, quæ simpliciot explicandi ratio aliquibus est visa.

Sedit pro Tribunali.

SEdit pro Tribunali: Suam vim habet hæc phrasis signarè, *pro tribunali*, dictum, non *in tribunali*. Iudex, qui sedet in tribunali tantùm, iudicis non meretur nomen. Pro tribunali sedere, est sedere in ordine ad iudicium: *in tribunali verò sedere*, nudam sessionem indicat; atque adeò etiam non iudex sedere in tribunali potest, non tamen pro tribunali. Iudices illi, qui in tribuoali sedent, & mentem aliò flectunt, nec iis intendunt, qoæ eruendæ veritati afferuntur, iudicum simulachrum dixeris, noo iudices.

Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, Respondens Paulo dixit.

FEstus autem volens gratiam præstare Iudæis: Infestus innocentiæ est Festus iste, dum in gratiam Iodæorum, innocentem non dimittit. Iudæorum gratiam venari studebat Festus, ne scilicet ab eis accusaretur: quod nouerat in prædecessores suos non semel ab illis præstitum. Excidere à superioris, & quod magis est, à Dei gratiâ iudex ille meretur, qui, accusantium gratiam vt mereatur, iustitiam vendit.

Respondens Paulo, dixit.

1189. REspondens Paulo, dixit: Respondit Paulo, non Pauli innocentiæ; quin nec verbis: hoc enim si fecisset, liberom amaodare debuisset à culpâ liberum: *Vis Ierosolymam ascendere:* Ire vult Paulum Ierosolymam, & ipse interim abit à suo munere. Se extra iustitiæ soggestum demittit, dum non dimittit inoocentem.

Ad tribunal Cæsaris sto.

AD Cæsaris tribunal appellat Paolus, non vt duntaxat ab imminenti discrimine, Iudæorumque perfidiâ se subduceret; sed vt ire Romam posset, passurus plura, vrbemque illam suis laboribus suo sanguine irrigaturus. *Cæsarem appello:* Cæsarem appellat, quòd ire Romam festinaret, noo tam vt se tueretor, quàm vt *prædicationi insisteret*, & multis *credentibus coronatus* (vt loquitur Glossa) iret tandem ad Christum.

Ad tribunal Cæsaris sto. Itane Romam, quæ gentilia adhuc erat, Ierosolymæ præferr; & apud alienos iudicari potiùs vult, quàm à suis? Religiosiores iustioresque esse Ierosolymæ debebant: sed impiores euaserant, maligno affectu correpti. Rem ita versat Philippus Abbas epist. 9. *Vis*, inquit, *ad ciuitatem regiam Hierosolymam proficisci, vt ibi merearis, quod iustum æstimas, plenius adipisci? Vbi lex tua viget, vbi gentis tuæ principes conuersantur, qui pondus & pondus abhorrentes, examen subdolum auersantur: vbi fons misericordiæ, vbi sedes iustitiæ reperitur. At ille sciens in Hierusalem tale quid non haberi, eamque legis vinculo, misericordiæ affectu, iustitiæ perpendiculo non teneri; exhorret, & recusat illius iudicio præsentari, prudenti consilio magis eligens apud exteros iudicari, Ad tribunal, inquiens, Cæsaris sto.*

De quodam Iesu defuncto.

DE quodam Iesu defuncto: Contemptum hæc loquutio sonat: parum rem curantis iudictum. Facilè qui alios iudicat, super alios est, ea negligit, quæ aoimæ salutem tangunt, quæ cæteris essent præferenda. *Merito*, inquit hîc sanctus Chrysostomus, *vtpotè principatum gerens, aliaque non curans.* 1190.

Cæsarem appello.

APpellat Cæsarem, non mortis timore correptus, sed desiderio verbi Diuini prædicandi. *Cùm audis*, inquit Sanctus Chrysostomus hom. 7. in Paul. *quòd appellet Cæsarem, quod Romam ire festinet, nequaquam putes verbum esse formidinis. Cuius igitur rei gratiâ ista faciebat? Proculdubiò,* VT DIVTIVS PRÆDICATIONI INSISTERET, *cumque multis hinc credentibus atque omnibus coronatus iret ad Christum. Iam profectò metuebat, ne pauper hinc atque inops multorum salutis abscederet.*

Agrippa autem dixit ad Festum: volebam & ipse hominem audire.

VTtiles malorum bominum insidiæ fiunt. Minùs clarus esset Paulus, si mitiores habuisset Iudæos. *Audis insidias Iudæorum*, inquit hîc sanctus Chrysostomus: *audis seditionem: hæc omnia Agrippam in desiderium audiendi excitârunt. Talia, insidiæ conciliarunt. Si hæc non fuissent, nullus horum principum dignatus esset, eum audire cum tanto silentio, tantâque patientiâ.* Claudit sanctus Pater: *Itaque ne putemus, rem grauem esse, insidias (modò nobis ipsis non insidiemur) nullus nobis insidiari poterit; imo insidiantur quidem, nihil autem nocent, sed etiam prosunt nobis plurimùm.* Insidiatur ille sibi, qui hominum insidias æquo auimo non fert, & insidias insidiis reponit, fraudes fraudibus.

CAPVT XXVI. ACT. APOST.

Vers. 1.

AGRIPPA verò ad Paulum, ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus, extentâ manû, cœpit rationem reddere.

Loqui. *Syr. Verba facere. Ar. M. Dicere.*
Pro temetipso. *S. Chrys. Pro te.*
Extentâ m. *Syr. Extendit manum suam. Goth. Extendens manum.*
Cœpit r. r. *Syr. Et deprompsit spiritum atque. S. Chrys. Reddebat rationem. Pagn. Pro se dicebat.*

Vers. 2.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 2.

De omnibus, quibus accuſor à Iudæis, rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cùm ſim defenſurus me hodie,

De o. g. *S. Chryſ. Super omnibus de quibus.*
Accuſor. *Syr. Reus poſtulor.*
Æſtimo. *Syr. De me ipſo hoc extimo. Vat. Exiſtimo.*
Me b. *Syr. Me beatum eſſe. Ar. M. Meipſum. beatum.*
Apod te. *S. Chryſ. Coram te.*
Cùm ſ. d. m. *S. Chryſ. Qui ſum rationem redditurus. Pagn. Qui cauſam ſim dicturus. Ar. M. Futurus defends.*

Verſ. 3.

Maximè te ſciente omnia, & quæ apud Iudæos ſunt conſuetudines & quæſtiones: propter quod obſecro patienter me audias.

Te ſciente. *Syr. Quod ſciam, te aſſenſum prabere. Ar. M. Cognitorem exiſtentem te.*
Omnia. *Syr. Omnibus. S. Chryſ.* omittit. *Ar. M. Omnium illorum. Caiet. Omnes.*
Quæ ap. I. ſ. *Syr. Iudaorum. S. Chryſ. Iudaicarum. Ar. M. Apud Iudaos.*
Conſ. e. q. *Syr. Quaſtionibus & legibus. S. Chryſ. Et conſuetudinem & quaſtionum. Ar. M. Morumque & quaſtionum.*
Obſecro. *Syr. Peto à te. Oecum. Obſecro te.*
Patienter. *Syr. Vt attento animo. S. Chryſ. Vt longanimiter.*

Verſ. 4.

Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente meâ in Ieroſolymis, nouerunt omnes Iudæi:

Et q. v. m. *Syr. Conuerſationis enim meas. S. Chryſ. Itaque vitam quidem meam. Ar. M. Illam quidem ergo vitam meam.*
A iuuentute. *Syr. A pueritiâ mea. S. Chryſ. Quam egi ab adoleſcentiâ. A. M. Illam à iuuentute.*
Quæ a. i. ſ. *Syr. Qua extiterunt mihi à principio. Ar. M. Illam ab initio factam.*
In g. *Syr. Tum in gente.*
In I. *Syr. Tum in Ieruſalem.*
Nouer. o. *Syr. Norunt & ipſi.*
Iudæi. *Syr. Iudai, ſi velint teſtari.*

Verſ. 5.

Præſcientes, me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibere) quoniam ſecundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.

Præſc. m. *Syr. Quoniam perſuaſi ſunt de me. S. Chryſ. Qui prius nouerant me.*
Ab i. *Syr. A longo tempore.*
Si velint. t. p. *Syr. Hic* omittit. *S. Chryſ. Si velint teſtimonium ferre. Ar. M. Si velint teſtari.*
Quon. ſ. *Syr. Sciunt in illâ.*
Certiſſ. ſ. *Syr. Pracipuâ diſciplinâ. S. Chryſ. Exquiſitiſſimam ſectam. Ar. M. Diligentiſſimam ſectam. Caiet. Exactiſſimam ſectam.*
Noſtræ relig. v. P. *Syr. Phariſaorum me vixiſſe.*

Verſ. 6.

Et nunc in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt à Deo, ſto iudicio ſubiectus.

Et nunc. *Syr. Nunc autem.*
In ſpe *S. Chryſ. Spe fretus. Oecum. Ob ſpem. Vat. Propter ſpem.*
Ad p. n. *Syr. Patribus noſtris. Ar. M. Ad patres.*
Repromiſ. *Syr. Promiſſionis.*
Sto Iud. ſ. *Syr. Sto & in iudicium vocor. Mar. Vt reus cogor ad tribunal litigare.*

Verſ. 7.

In quam duodecim tribus noſtræ, nocte ac die deſeruientes, ſperant deuenire. De quâ ſpe accuſor à Iudæis, rex.

In q. *Syr. Ad quam ſpem. S. Chryſ. Ad quam.*
Noc. a. d. d. *Syr. Precibus aſſiduis interdiu noctuque. S. Chryſ. Inſtanter nocte ac die colentes Deum. Ar. M. In aſſiduitate nocte & die deſeruientes.*
Deuenire. *Syr. Se peruenturos. S. Chryſ. Se peruenturas.*
De qua ſ. *Et de hac quidem ſpe.*
Accuſor. *Syr. Reus poſtulor.*
A Iud. *Syr. Per manus Iudaorum.*
Rex. *S. Chryſ. O rex.*

Verſ. 8.

Quid incredibile iudicatur apud vos, ſi

Quid incredibile. *Syr. Quid? non oportere vos credere. S. Chryſ. Cur incredibile. Oecum. Quid? an* Deus

Vulgata Editio.

Deus mortuos suscitat?

Vers. 9.

Et ego quidem existimaueram, me aduersùs nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere:

Vers. 10.

Quod & feci Ierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate acceptâ: &, cùm occiderentur, detuli sententiam.

Vers. 11.

Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare &, ampliùs insaniens in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates.

Vers. 12.

In quibus, dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum,

Vers. 13.

Die mediâ, in viâ, vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui simul mecum erant.

Vers. 14.

Omnesque nos cùm decidissemus in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraicâ linguâ: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

Vers. 15.

Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.

Lectiones Variantes.

incredibile.

Iud. a v. *Syr. Indicatur. Oecum. Iudicatur à vobis.*

Si D. m. s. *Syr. Deum excitaturum mortuos. Oecum. Quod Deus mortuos suscitet.*

Et e. q. *Syr. Ego quidem. Ar. M. Ego quidem ergo.*

Exist. *Syr. A principio in animum induxeram. Ar. M. Videbar mihi ipsi.*

Me aduers. *Oecum. Aduersùs.*

Deb. m. c. a. *Syr. Contraria multa patrare. S. Chrys. Multa repugnando facturum. Oecum. Oportere, vt multa repugnando facerem.*

Et f. *Syr. Ego etiam egi.*

Mult. s. *Syr. Sanctos quàm plurimos.*

Ego i. c. *Syr. In carcerem. S. Chrys. Carcere.*

Inclusi. *Syr. Conieci.*

A p. s. p a. *Syr. Potestate quam acceperam à principibus sacerdotum. S. Chrys. Potestate acceptâ.*

Cùm o. *Syr. Cùm interficerentur nonnulli ex eis. Ar. M. Interemptis illis,*

Det. s. *Syr. Suffragatus iis, qui damnabant, eos. Syr. Detuli suffragium. Mar. Meo suffragio probaui cædem.*

Frequ. p. o. *Syr. Sanciebam in eos.*

Compell. b. *Syr. Dum vt eos adigerem ad blasphemandum nomen Iesu.*

Ampliùs i. i. c. *Syr. Cum furore multo quo replebar aduersùs eos. Ar. M. Immoderatè insaniens eis.*

Persequebar. *Syr. Exiui ad persequendum eos. S. Chrys. Persequebar etiam.*

Vsque i. c. c. *Syr. In ciuitates exteras ingrediebar.*

In quibus. *Syr. Hacque de re. S. Chrys. Quarum rerum studio. Oecum. His rebus. Caiet. In quibus officiis.*

Dum i. *Syr. Cùm profectus fuissem. Oecum. Cùm proficiscerer.*

Potestate. *S. Chrys. Authoritate.*

Perm. *Syr. Procuratione.*

Princ. *Ar. M. A principibus.*

Mediâ. *Pagn. Medio.*

In v. *Ar. M. Per viam.*

De cælo. *S. Chrys. E cælo. Ar. M. Cælitùs.*

Supra s. s. *Syr. Sole præstantiorem.*

Circumf. *Ar. M. Circumfulgens.*

Lumen. *Syr. Lucem.*

Et e. *Syr. Cunctosque.*

Simul m. c. *Syr. Mecum erant. S. Chrys. Mecum faciebant iter. Ar. M. Mecum proficiscentes.*

Omnesque n. c. d. *Syr. Et omnes cecidimus.*

Audiui. *Syr. Atque audiui.*

Loqu. m. *Syr. Dicentem. S. Chrys. Ad me loquentem ac dicentem.*

Heb. l. *Syr. Hebraice.*

Durum est t. *Ar. M. Durum tibi.*

Contra s. *Syr. Ad stimulos. S. Chrys. Contra stimulos.*

Domine? *Syr. Domine mi?*

Dominus a. *Syr. Et Dominus noster. S. Chrys. At ille.*

Dixit. *Syr. Dixit mihi.*

Iesus. *Syr. Iesus ille Nazarenus.*

Vers. 16.

Vulgata Editio.

Verſ. 16.

Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum & teſtem eorum, quæ vidiſti; & eorum, quibus apparebo tibi,

Verſ. 17.

Eripiens te de populo & gentibus, in quas nunc ego mitto te,

Verſ. 18.

Aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me.

Verſ. 19.

Vnde, rex Agrippa, non fui incredulus cæleſti viſioni.

Verſ. 20.

Sed his, qui ſunt Damaſci primùm & Ieroſolymis & in omnem regionem Iudææ & Gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

Verſ. 21.

Hac ex cauſâ me Iudæi, cùm eſſem in templo, comprehenſum tentabant interficere.

Verſ. 22.

Auxilio autem adiutus Dei, vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque maiori, nihil extrà dicens, quàm ea, quæ prophetæ loquuti ſunt, futura eſſe, & Moyſes:

Verſ. 23.

Si paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſur-

Lectionum Varietas.

Sed e. e. ſ. *Syr. Subdiſque mihi: Sta.*
Sup. p. *Syr. In pedes.*
Ad hoc. *Syr. Propterea.*
Vt conſtituam. *Ar. M. Deſignare.*
Et teſtem. *Mar. Et eris teſtis.*
Eorum. *Syr. Eius rei. Pagn. Et eorum.*
Quæ v. *Syr. Nempe, quòd me conſpexeris.*
Et eorum, quibus. *Syr. Atque. Pagn. Et eorum in quibus. Mar. Et eorum, quæ viſurus es.*
App. t. *Syr. Conſpecturus es. Mar. Me ea monſtrante.*

Erip. *Syr. Proinde eripiam*
De p. *Syr. Ex populo Iudæorum. S. Chryſ. A populo. M. SS. A populis.*
Gentibus. *Syr. Ex aliis gentibus.*
In q. *S. Chryſ. Ad quas. Clem. Alex. Propterea ergo ad gentes.*
Nunc ego mitto. *Syr. Sum miſſurus. S. Chryſ. Mitto. Clem. Alex. Te miſi.*

Aperire. *S. Chryſ. Vt aperias.*
De poteſt. *Clem. Alex. A poteſtate.*
Accip. *Syr. Recipiant. Clem. Alex. Ipſi recipiant.*
Sortem. *Clem. Alex. Hereditatem.*
Inter ſ. *Syr. Cum ſanctis. S. Chryſ. Inter eos, qui ſanctificati ſunt. Clem. Alex. In iis qui ſunt ſanctificati. Ar. M. In ſanctificatis.*
Per f. *Clem. Alex. Fide.*
Quæ eſt in me. *S. Chryſ. Quæ eſt erga me. Clem. Alex. In me.*

Non f. *Syr. Non obſtiti.*
Incredulus. *Syr. Per contumaciam. S. Chryſ. Inobediens. Mar. Contumax.*

Damaſci primùm. *S. Chryſ. Damaſci.*
In o. r. *Syr. Per omnes pagos. S. Chryſ. Per omnem regionem.*
Et G. *Syr. Atque adeò Gentibus. Pagn. Deinde & Gentibus.*
Annunc. *Syr. Prædicabam.*
Vt pœnit. a. e. c. *Ar. M. Pœnitere & conuerti.*
Pœnit. *S. Chryſ. His, qui pœnitentiam egiſſent. Oecum. Reſipiſcentia.*

Hac ex c. *Syr. Horum autem cauſa.*
Cùm e. i. t. *Pagn. In templo*
Compreh. *Syr. Prehenderunt.*
Tent. *Syr. Studebant.*
Interf. *Syr. Me interimere. Quidã. Codd. Volentes me interficere.*
Aux. a. a. D. *Syr. Sed opem talis mihi Deus. S. Chryſ. Auxilium igitur nactus Dei. Ar. M. Auxilium igitur nactus.*
In hod. *Syr. Ad hunc. Ar. M. In diem hanc.*
Sto. *Syr. Et ecce ſto.*
Teſtif. *Syr. Teſtimoniumque perhibeo.*
Min. a. m. *Syr. Cùm paruis, tum magnis. S. Chryſ. Tum paruo, tum magno.*
Nihil e. d. *Syr. Cùm nihil præter Moſem & prophetas dicam.*
Quàm ea q. p. *Syr. Sed ea quæ ipſi.*
Loquuti ſ. *Syr. Prædixerunt. S. Chryſ. Prædixerant. Oecum. Dixerant.*
Futura eſſe & M. *Syr. Ventura.*

Si paſſ. *Syr. Nempe paſſurus. S. Chryſ. An paſſurus fuerit.*

rectione

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

rectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, & Gentibus.

Si primus. *Syr. Futurúmque primitias. S. Chrys. An primus.*
Ex resurrec. m. *Syr. Resurrectionis à mortuis.*
Lumen a. *Syr. Et prædicaturum lucem. Vat. Lumen renunciaturus sit. Ar. M. Lumen futurus est annunciare.*
Pop. *Syr. Huic populo.*

Vers. 24.

Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam conuertunt.

Hæc loq. e. & r. r. *Syr. Cùmque ita rationem redderet Paulus. S. Chrys. Hæc autem eo disserente. Pagn. Hæc autem cùm pro se diceret. Ar. M. Hæc autem eo defendente.*
Magnâ. *Syr. Altâ.*
Dixit. *Syr. Exclamauit. S. Chrys. Dicebat.*
Te litteræ. *Syr. Littera.*
Ad i. c. *Syr. Efficiunt, vt insanias.*

Vers. 25.

Et Paulus, Non insanio, inquit, optime Feste: sed veritatis & sobrietatis verba loquor:

Opt. *Syr. Victoriose. S. Chrys. Potentissime. Oecum. Præstantissime.*
Sobrietatis: *Syr. Rectitudinis.*
Loq. *Vat. Eloquor.*

Vers. 26.

Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quicquam horum gestum est.

Scit e. d. h. r. *Syr. Quin etiam rex Agrippa horum est maximè gnarus, quod sine huiusmodi.*
Ad q. *Syr. Et ideo coram eo. S. Chrys. Apud quem.*
Et const. *Syr. Apertè. S. Chrys. Et liberè. Ar. M. Et libertate vsus.*
Loq. *Ar. M. Eloquor.*
Lat. e. e. n. h. a. *Syr. Quippe qui putem ne vnam quidem harum rerum latere ipsum.*
Neque e. i. a. *Syr. Cùm in abdito.*
Quicquam h. g. e. *Syr. Acta non sint. S. Chrys. Hoc gestum non sit.*

Vers. 27.

Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio, quia credis.

Quia credis. *Syr. Te credere.*

Vers. 28.

Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me, Christianum fieri.

Paulum. *S. Chrys. Paulum dicebat.*
In mod. *Syr. Minimo negotio. S. Chrys. In paruo. Oecum. Paucis. Pagn. Modicâ ex parte. Caiet. In pauco. Quidd. ap. Mar. Parum abest.*
Suad. m. *Syr. Persuaderes mihi. S. Chrys. Persuades me. Oecum. Suades mihi. Quidd. ap. Mar. Quo minus.*
Christ. f. *Oecum. Vt Christianus efficiar. Quidd. ap. Mar. Fiam Christianus.*

Vers. 29.

Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, quales & ego sum, exceptis vinculis his.

Et P. *Syr. Tum Paulus dixit. S. Chrys. Paulus verò dixit.*
Opto a. D. *S. Chrys. Optarim à Deo. Oecum. Optarim sanè à Deo. Ar. M. Optarim vtique Deo.*
Et i. m. e. i. m. *Syr. Vt minimo maximoque negotio. S. Chrys. Non solùm in paruo verùm etiam in magno. Oecum. Et paucis & multis. Pagn. Non solùm modicâ ex parte, verùm etiam magnâ.*
Aud. *S. Chrys. Audiunt me.*
Fieri tales q. e. e. s. *Syr. Euasissent mei similes. Vat. Esse tales, qualis & ego sum.*
Ex. v. h. *Syr. Præter hæc vincula.*

Vers. 30.

Et exurrexit rex & præses & Bernice, & qui assidebant eis.

Et e. *S. Chrys. Surrexit autem. Oecum. Cùmque hæc loquutus esset surrexit. Vat. Et hæc eo loquente surrexit. Ar. M. Et hæc dicente eo exurrexit.*
Qui a. e. *Syr. Ij, qui sedebant cum eis. Oecum. Quique assidebant. Ar. M. Considentes eis.*

Vers. 31.

Et, cùm secessissent, loquebantur ad in-

Cùm s. *Syr. Cùm illinc discessissent. Ar. M. Secedentes.*
Loq. *Syr. Colloquebantur.*

Nouarin. in Act. Apost.

Vulgata Editio.

uicem, dicentes: Quia nihil, morte aut vinculis dignum, quid fecit homo iste.

Vers. 32.

Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Lectionum Varietas.

Ad i. *Syr. Alij ad alios. S. Chrys. Inter sese. Pagn. Inter se.*
Quid f. *Syr. Egit. S. Chrys. Fecit.*
Homo i. *Syr. Vir iste. Al. Homo ille.*

Si n. a. C. *Syr. Nisi prouocationem Cæsaris appellasset.*

CAPVT XXVI.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Vix benè loquitur, *qui tantùm pro se ipso loquitur non pro alio.* 1191
Statim post peccati lapsum *resurgendum.* 1192
Præcipuè arguendus, *qui in scelere est præcipuus.* 1192
Bonorum prudentia, *insania imprudentibus est.* 1193
Christianorum *proprium est tribulationes amplecti, ad vincula currere.* 1194

Agrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso:

1191. PAVLI mentem, charitatémque nimis, ô Agrippa, coerces, dum permitti illi inquis pro semetipso loqui. Vix bene loquitur, non & opportunè, qui tantùm pro seipso loquitur, non pro aliis. Has angustias Paulus non nouit: & ideo, permissus se defendere, defensioni vtilia monita interserit, vt videatur pro auditoribus potiùs loqui, quàm pro se ipso. *Videtur quidem dicere, & rationem reddere; sed magis magnâ cum dignitate concionatur,* inquit Beatus Chrysostomus. Vnde & Agrippa tandem dixit: *In modico suades me Christianum fieri.*

Tunc Paulus extentâ manu cœpit rationem reddere.

INnocentia promptum Paulum reddidit ad sui defensionem. Defensurus se, extendit manum, quam extendere non nouit ad ea, de quibus accusabatur. *Non dixit*, inquit Sanctus Chrysostomus hîc: *Quidnam? semel appellaui Cæsarem. Sæpissimè examinatus sum. Quamdiu examinabor?* Eò libentiùs, promptiusque sui reddit rationem, quò hac occasione cupiebat, ardentiùs alia in auditorum vtilitatē auditoribus ingerere: quod & fecit.

Omnesque nos quùm decidissemus in terram.

1192. CVm decidissemus: Videtur hoc non cohærere cum eo quod dictum superiùs est cap. 9. 7. *Viri autē illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti;* Vbi Glossa ait, viros illos non cecidisse. Cur igitur nunc Paulus dicit? *Cùm decidissemus.* An vtrumque verum? *Ceciderunt quidem priùs*, inquit Vgo Carensis, *ad subitum fulgorem; sed socij statim surrexerunt, Paulo adhuc iacente, & stabant, cùm Dominus loqueretur illi. Ideo autem dicit eos Glossa non cecidisse, quia statim surrexerunt.* Quod ad peccati lapsum flectere possumus: hîc quoque non videtur cadere, qui statim ac cecidit resurgit.

Saule, Saule quid me persequeris.

SAule, Saule: Nomen ingeminat, vt ad ipsum pertinere visionem ostendat. Facilè peccatores in alios correctionem Dei, Deique minas deriuant, nisi peculiari indicio ipsi designentur. *Nomen ingeminat*, inquit hic Glossa, *vt ad ipsum pertinere visionem ostendat*, & quia ægrè reuocetur à malo, qui diu in illo vixit.

Ego sum Iesus, quem tu persequeris.

EGo sum Iesus: Vix poterat aptiùs Paulus erigi, quàm istius nominis auditione. Terretur Domini voce Paulus; sed nominis istius suauitate delinitur.

Quem tu persequeris. Cur non & alij arguuntur Pauli comites, non in itinere solùm, sed & in scelere? Aliorum dux erat Paulus: ipso correpto, resipiscere alij quoque poterant, & ad meliorem mentem cum suo capite transire:

Hîc apparet summa Pauli prudentia, charitas summa, & Zelus animarum; qui, iussus se defendere, multa adducit in medium, quibus auditores allici poterant, vt in Christum crederent: qua etiam de causâ Christi apparitionem sibi in viâ factam producit, vt, qui aderant, Christi legem amplecterentur, se adiicerent Christo. 1193.

Insanis, Paule.

INsanis, Paule: Qui sana loquebatur, creditur insanire. Mundanorum ista consignatio est: putant in eo alios insanire, in quo insani sunt ipsi. Bonorum prudentia, insania imprudentibus est.

Non insanio (inquit) optime Feste.

NOn insanio: Illatam iniuriam reiicit Paulus, non sui causâ, sed doctrinæ; nam alioquin æquo illam animo, & tacitè concoxisset, si de se tantùm esset actum non de eâ, quam protulerat, doctrinâ; vnde subdit, *sed veritatis, & sobrietatis verba loquor*, vt appareat insaniæ notam propulsare præcipuè ob doctrinam, ne insania putaretur, quæ erat veritas.

Optime Feste: Optimum vocat, ex communi vsu, cui se conformat: vel in quantum Iudex, optimus dicitur; *quia tenebat locum Optimi Dei*, inquit Vgo Carensis. Etiam malus optimus est ab ea parte, qua Dei locum tenet, licet alioquin non sit ab eâ, quâ ab improbitate ipse tenetur. 1194.

Exceptis

Exceptis vinculis his.

E*Xceptis vinculis his :* Nunquid aliis inuidebat sua vincula Paulus? Non ex inuidiâ, sed ex summâ prudentiâ hæc dicebat; *nam ad Gentilem loquebatur*, inquit Sanctus Chrysostomus, *nec nostra scientem. Si vincula, inquit, audierit, & tribulationes, statim refugiet. Si vinculorum virtutem non nouit, fiat prius fidelis, tunc & ipse quoque ad hæc vincula curret.* Non est omnium, ad tribulationes accurrere, ad vincula se conferre: proprium hoc fidelium quibus rerum cælestium tributa cognitio est. Excepit vincula, non vt inuidus, sed vt prudens prouidusque.

Vinciri Paulus potuit, non potuit vinci; nihil apostolicæ virtutis abradunt vincula, adiiciunt potiùs aliquid; *Sancta quidem*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. in epist. ad Coloss. *Sunt omnes epistolæ Pauli, aliquid autem habent amplius, QVÆ EX VINCTO MITTVNTVR, cuiusmodi sunt epistola ad Ephesios, ad Philemonem, Timotheum, & hæc præsens*, ad Colossenses. Robur sanctorum mentibus vincula adduut, pondus eorum virtutibus tribuunt quæ illi patiuntur.

Vulgata Editio. *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXVII. ACT. APOST.

Vers. 1.

VT autem iudicatum est, nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Iulio cohortis Augustæ,

Vt a. i. e. *Syr. Decreuit autem de eo Festus. S. Chrys. Postquàm autem decretum est.*
Nauig. e. *Syr. Ipsum missum iri ad Cæsarem. S. Chrys. Vt nauigaremus. Caiet. Nos nauigare.*
Et tr. *Syr. Proinde tradidit. S. Chrys. Tradiderunt &.*
Cum r. c. *Syr. Et alios vinctos cum eo. S. Chrys. Et quosdam alios.*
Cent. *Syr. Viro cuidam centurioni.*
Nomine Iulio. *S. Chrys. Iulio.*
Cohortis A. *Syr. Ex cohorte Augustâ.*

Vers. 2.

Ascendentes nauem Adrumetinam, incipientes nauigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.

Ascend. n. *Syr. Cúmque nauigandum esset venimus in nauigium. S. Chrys. Conscensâ autem naue.*
Adrumetinam. *Syr. Ex Adrumento ciuitate S. Chrys. Adramytinâ. Pagn. Adramystinâ. Quidd. Codd. Adramytenam. M SS. Adrumentinam.*
Incip. n. *Syr. Et profecturum erat. S. Chrys. Nauigaturi. Ar. M. Futuri nauigare. M. SS. Incipiente nauigare.*
Circa Asiæ l. *Syr. Ad regionem Asiæ. S. Chrys. Iuxta Asiæ loca. Ar. M. Quæ circa Asiam loca.*
Sustulimus p. *Syr. Ingressus autem fuerat nauigium. S. Chrys. Soluimus perseuerante. Ar. M. Attinmus existente.*
Arist. *Syr. Aristarchus.*
Maced. *Syr. Macedo.*
Thessalon. *Syr. Ex Thessalonicâ vrbe.*

Vers. 3.

Sequenti autem die deuenimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

Sequenti a. d. *Syr. Postero autem die. Ar. M. Ipsâque alterâ.*
Deuen. *Syr. Peruenimus. S. Chrys. Appulimus.*
Humanè a. t. I. P. *Syr. Et vsus est centurio misericordiâ erga Paulum. S. Chrys. Humaniterque tractato Iulius Paulo. Ar. M. Humanéque Iulius Paulo vsus.*
Permisit. *Syr. Eique permisit.*
Amicos. *Syr. Amicos suos.*
Ire. *Syr. Vt proficisceretur. S. Chrys. Vt profectus. Ar. M. Euntem.*
Et c. s. a. *Syr. Atque respirare. S. Chrys. Ab illis curaretur. Ar. M. Curam suam nancisci.*

Vers. 4.

Et, inde cùm sustulissemus, subnauigauimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij.

Et inde. *Syr. Illinc porrò.*
Cum s. *Syr. Abnauigauimus. S. Chrys. Cùm soluissemus. Ar. M. Auecti.*
Subnauig. *Syr. Et sublegimus.*
Cyprum. *S. Chrys. Iuxta Cyprum.*

Vulgata Editio.

Lectionum Varietas.

Vers. 5.

Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ:

Et. *S. Chryſ. Tunc.*
Pelagus. *Syr. Mare. Ar. M. Hoc pelagus.*
Cilic. e. P. *S. Chryſoſt. Quod eſt inter Ciliciam & Pamphyliam. Pagn. Quod eſt contra Ciliciam & Pamphyliam. Ar. M. Quod iuxta Ciliciam & Pamphyliam.*
Nauigantes. *Syr. Traiecimus. S. Chryſ. Emenſi. Ar. M. Pernauigantes.*
Venimus L. *Syr. Ac deuenimus Myſiam. S. Chryſ. Peruenimus Myram. Ar. M. Delati ſumus in Myram. Caiet. Venimus Myram.*
Quæ eſt. *Syr. Vrbem. Ar. M. Ipſius.*

Vers. 6.

Et ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam.

Inuen. *S. Chryſ. Nactus.*
Alexandr. *Syr. Ex Alexandriâ.*
Nauig. *Syr. Proficiſcentem.*
Tranſpoſuit. *S. Chryſ. Tranſtulit. Vat. Impoſuit.*

Vers. 7.

Et, cùm multis diebus tardè nauigaremus, & vix deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem.

Cùm m. *Syr. Quia plurimis.*
Tardè nauig. *Syr. Grauiter nauigatum fuerat.*
Et v. d. *Syr. Vt vix perueniſſemus.*
Contra G. *Syr. Secundùm Gnidam inſulam. Oecum. Verſùs Gnidum.*
Proh. n. v. *Syr. Quoniamque non permittebat ventus vt rectà proficiſceremur.*
Adnau. C. *Syr. Sublegimus Cretam. Ar. M. Subnauigauimus Cretam.*
Iuxta Sal. *Syr. E regione Salmona vrbis.*

Vers. 8.

Et vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur, Boni portus, cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa.

Iuxta n. *Syr. Cùm præternauigaremus. S. Chryſ. Prælegentes illam.*
Venimus. *S. Chryſ. Peruenimus.*
In locum q. *Syr. Ad locum.*
Boni p. *Syr. Portus pulchri. S. Chryſ. Calilimenes. Ar. M. Pulchros portus.*
Cui i. e. *Syr. Erat autem & propinqua. S. Chryſoſt. Iuxta quem propè. Pagn. Cui vicina erat.*
Thalaſſa. *Syr. Nomine Laſia. S. Chryſ. Laſaa.*

Vers. 9.

Multo autem tempore peracto; &, cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eò quòd & ieiunium iam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus,

Multo a. t. p. *Syr. Vbi egimus multum temporis ad hunc vſque diem.*
Et c. i. n. e. t. n. *Syr. Ita vt periculoſum eſſet aliquem ſulcare mare. S. Chryſ. Et cùm iam eſſet periculoſa nauigatio. Ar. M. Exiſtente iam periculosâ nauigatione.*
Eò quòd & i. i. p. *Syr. Quoniam præterierat dies ieiunij Iudæorum. Goth. Eò quòd & autumnus iam præteriiſſet. S. Chryſ. Eò quod ieiunio iam defectis erant viribus. Pagn. Ob id quoque quòd iam vltra tempus ſuſtinuiſſent inediam.*
Conſolab. *Syr. Proinde conſilium dabat. S. Chryſ. Admonebat. Caiet. Hortabatur. M. SS. Conſulebat.*
Eos *Syr. Eis.*

Vers. 10.

Dicens eis: Viri, video, quoniam cum iniuriâ & multo damno, non ſolùm oneris & nauis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe nauigatio.

Video. *Ar. M. Conſpicite.*
Quon. c. iniuriâ c. m. d. *Syr. Cum oppreſſione & inopiâ multâ.*
Oneris & n. *Syr. Oneris nauis noſtræ.*
Incipit e. n. *Syr. Futuram nauigationem. S. Chryſ. Periculoſa futura ſit nauigatio.*

Vers. 11.

Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his, quæ à Paulo dicebantur.

Gub. e. n. *Syr. Gubernatorem & dominum nauis.*
Mag. c. *Syr. Potiùs audiebat.*
His, quæ a. P. d. *Syr. Sermonus Pauli.*

Vers. 12.

Et, cùm aptus portus non eſſet ad hye-

Et c. a. p. n. e. *Syr. Et quia commodus non erat portus. Ar. M. Inappoſito autem portu ſubſiſtente.*

mandum

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

mandum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quomodo possent, deuenientes Phœnicem, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum.

Hyemandum. *Syr. Hybernandum in eo hyeme. S. Chrys. Hybernandum. Ar. M. Hyemationem.*
Plutimi. *Syr. Plurimi nostrorum. S. Chrys.* *Complures. Ar. M. Plerique.*
Stat. c. *Syr. Volebant. S. Chrys. Ceperunt consilium. Ar. M. Posuerunt consilium.*
Nauig. *Syr. Vela facere. S. Chrys. Soluendi. Ar. M. Subduci.*
Si. *Syr. Vt si.*
Deuenientes. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Peruecti. Ar. M. Deuecti.*
Phœnic. h. p. C. *Hybernarent in portu quodam, qui erat Creta vocabaturque Phœnix. S. Chrys. Phœnicem illic hybernare, is est portus Cretæ.*
Resp. ad A. & C. *Syr. Et spectabat Austrum versùs.*

Vers. 13.

Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam.

Aspir. a. A. *Syr. Cùm autem perflaret ventus. Ar. M. Aspirante autem Noto.*
Æstim. *Syr. Putarentque. S. Chrys. Rati.*
Prop. s. t. *Syr. Se quasi voluntatem suam consequutos.*
C. s. de A. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Soluentes Asson.*
Leg. C. *Syr. Nauigabamus circa Cretam. S. Chrys. Praterlegebant Cretam.*

Vers. 14.

Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur, Euro-aquilo.

Non p. m. *S. Chrys. Verùm haud multò post.*
Misit se. *Syr. Impegit. S. Chrys. Coortus est.*
Contra i. *Syr. In nos.*
Ventus. *Syr. Flatus turbinis.*
Typhonic. *Goth. Vehemens. Mat. Vorticosus.*

Vers. 15.

Cúmque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, datâ naue flatibus, ferebamur.

Cúmque a. e. *Syr. Proinde abrepta est. S. Chrysost. Cúmque correpta esset.*
Et n p. *Syr. Nec potuit.*
Conari i. v. *Syr. Obsistere vento. S. Chrys. Obniti vento. Ar. M. Obtueri vento.*
Data n. f. f. *Syr. Itaque eius manui dati sumus. Ar. M. Concedentes ferebamur.*

Vers. 16.

In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.

Decurrentes. *Syr. Cùm præterissemus. S. Chrys. Deuecti. Ar. M Succurrentes.*
Cauda. *S. Chrys. Clauda.*
Obtinere s. *Syr. Prehendere scapham. Ar. M. Compotes fieri scapha.*

Vers. 17.

Quâ sublatâ adiutoriis vtebantur, accingentes nauem: timentes, ne in Syrtim inciderent, summisso vase, sic ferebantur.

Qua s. *Ar. M. Quam subducentes.*
Adiutoriis v. *Syr. Cingebamus.*
Accing. *Syr. Et dirigebamus. S. Chrys. Subcingentes.*
Timentes. *Syr. Et quia timebamus. Quidd. Codd. Timentesque.*
In S. i. *Syr. Forte incideret in Syrtim maris.*
Sub. v. *Syr. Submisimus antennam. S. Chrys. Demisso velo.*
Sic f. *Syr. Et ita perreximus.*

Vers. 18.

Validâ autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt:

Validâ. *Syr. Grauis. S. Chrys. Vehementi. Quidd. Codd. Valdè.*
Nob. t. i. *Syr. Cùm insurrexisset tempestas.*
Seq. d. *Ar. M. Sequenti.*
Iac. f. *Syr. Supellectilea nostra in mare proiecimus.*

Vers. 19.

Et tertiâ die suis manibus armamenta nauis proiecerunt.

Et t. d. *Syr. Die verò tertiâ. Pagn. Ac tertio die. Ar. M. Et tertiâ.*
Suis. *Syr. Nostris.*
Proiecerunt. *Syr. Abiecimus. S. Chrys. Proiecimus. Ar. M. Eiecimus.*

Vulgata Editio.

Vers. 20.

Neque autem Sole oeque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exiguâ imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

Vers. 21.

Et, cùm multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus io medio eorum dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me non tollere à Cretâ, lucrique facere iniuriam hanc & iacturam.

Vers. 22.

Et nunc suadeo vobis, bono animo esse; amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis.

Vers. 23.

Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio,

Vers. 24.

Dicens: Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum,

Vers. 25.

Propter quod bono animo estote, viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

Vers. 26.

In insulam autem quandam oportet nos deuenire.

Vers. 27.

Sed, posteaquàm quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adriâ circa mediam noctem, suspicabantur nautæ, apparere sibi aliquam regionem:

Vers. 28.

Qui & summittentes bolidem, inuenerunt passus viginti: &, pusillum inde separati, inueneruot passus quindecim.

Vers. 29.

Timentes autem, ne in aspera loca in-

Lectionum varietas.

Per p. d. *Syr. Cùm dies complures. S. Chrys. Ad complures dies.*

Et t. n. e. i. *Syr. Tempestas corripuisset eam.*

Iam a. e. *Syr. Præcisa erat. Ar. M. Reliquum, ablata erat.*

Sal. n. *Syr. Vita nostra. Ar. M. Ad seruari nos.*

E. c. m. i. f. *Syr. Cùmque nemo quicquam cibi cepisset. Vat. Cùm autem multa iam esset inedia. Ar. M. Multâ autem inediâ existente.*

In m. e. *Syr. Inter eos.*

Oport. q. ô. v. a. m. *Syr. Si assensum mihi præbuissetis, viri. Ar. M. Oportebat quidem, ô viri obedientes mihi.*

Tollere. *Syr. Soluissemus. S. Chrys. Soluere. Ar. M. Auehi.*

Lucrique f. i. h. *Syr. Et cauissemus hanc penuriam. S. Chrys. Nec accrescere nobis hanc iniuriam.*

Et iact. *Syr. Et hac oppressione.*

Et n. s. v. *Syr. Nunc autem consilium do vobis. S. Chrys. Et nunc hortor. Caiet. Et nunc hortor vos.*

Bono a. e. *Syr. Ne anxij fueritis.*

Amissio e. n. a. e. e. v. *Syr. Nemo enim vestrûm peribit. S. Chrys. Iactura enim animæ nulla erit ex nobis.*

Præterq. *S. Chrys. Sed tantùm.*

Adstitit. *Syr. Visus est.*

Dei. *Syr. Dei illius.*

Sum ego. *Vat. Sum.*

Cui d. *Syr. Et cui seruio. S. Chrys. Quem colo.*

Dicens. *Syr. Dixitque mihi.*

Cæsari t. o. a. *Syr. Oportet enim te sisti coram Cæsare. S. Chrys. Cæsari te oportet sisti.*

Donau. t. *Syr. Dono tibi dedit.*

Deo. *Syr. In Deum.*

Quia s. e. *Syr. Ita fore.*

Dic. e. m. *Syr. Loquutus est mecum.*

Oportet nos d. *Syr. Eiiciendi sumus. S. Chrys. Oportet nos eiici. Ar. M. Oportet nos incidere.*

Sed p. q. n. s. *Syr. Post diem autem decimum quartum. Ar. M. Vt verò quarta decima nox facta est.*

Nauig. n. *Syr. Cùm erraremus & ferremur. Ar. M. Perlatis nobis.*

In Adriâ. *Syr. In Adriaticum mare.*

Circa m. n. *Syr. Mediâ nocte. S. Chrys. Circa medium noctis.*

Suspic. *Syr. Putarunt.*

Apparere s. *Syr. Se accedere. Ar. M. Afferri sibi.*

Aliq. r. *Syr. Ad terram.*

Qui & submittentes b. *Syr. Proinde iecerunt bolidem. S. Chrys. Qui & dimissâ bolide. Ar. M. Et bolisantes.*

Inuen. *Syr. Et inuenerunt. S. Chrys. Repererunt.*

Et p. i. s. *Syr. Rursúsque paulùm prouecti. S. Chrys. Et pusillum inde digressi rursum demissâ bolide. Ar. M. Breui autem distantes & rursum bolisantes.*

Inuenerunt. *S. Chrys. Repererunt.*

Ne i. a. l. *Syr. Ne fortè in loca scopulosa.*

cideremus,

Vulgata Editio.

cideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

Lectionum Varietas.

Incideremus. *Syr. Nos ipsos naniculeremur. S. Chrys. Inciderent.*
De p. *Syr. E Puppi nauis.*
Mittentes a. *Syr. Iecerunt anchoras. S. Chrys. Iactis anchoris. Ar. M. Proicientes anchoras.*
Optabant *Syr. Et precabantur.*
Fieri. *S. Chrys. Oriri.*

Vers. 30.

Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prorâ anchoras extendere;

Nautis v. q. *Syr. Nautæ verò studebant. Ar. M. Ipsis verò nautis quærentibus.*
De n. *S. Chrys. A naui. Occum. Ex naui.*
Cùm m. *Syr. Proinde dimiserunt. S. Chrys. Cùm dimisissent. Ar. M. Et laxantibus.*
Sub o. *Syr. Occasione abeundi in eâ. S. Chrys. Sub prætextu. Ar. M. Obtentu.*
Quasi i. a. p. *Syr. Nauisque. S. Chrys. Velut è prorâ. Ar. M. Quasi è prorâ*
Extendere. *Syr. Ad terram Alligare. S. Chrys. Extensuri. Ar. N. Futurorum extendere.*

Vers. 31.

Dixit Paulus centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis.

Dixit. *Syr. Quòd cùm vidisset.*
Mans. *Syr. Permanserint.*
Salui f. *Ar. M. Seruari.*

Vers. 32.

Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

Abscid. *Syr. Præciderunt.*
Scaphæ. *Syr. Scapha à naui.*
Excidere. *Syr. Aberrantem.*

Vers. 33.

Et, cùm lux inciperet fieri rogabat Paulus, omnes sumere cibum, dicens: Quartadecimâ die hodie expectantes, ieiuni permanetis, nihil accipientes:

Et cùm l. i f. *Syr. Vsque dum verò fieret diluculum. S. Chrys. Et cùm dies inciperet oriri. Pagn. Et Et cùm dies inciperet apparere. Ar. M. Vsque autem quò futurus erat dies fieri.*
Rogabat. *S. Chrys. Hortabatur.*
Paulus. *Syr. Ipse Paulus.*
Sumere. *Syr. Vt caperent;*
Dicens. *Syr. Dicens eis.*
Quartad. d. b. *Syr. Ecce hodie decimusquartus dies agitur. S. Chrys. Dies hic decimusquartus est.*
Expect. *Syr. Ex quo præ periculo. S. Chrys. Quòd expectantes.*
Ieiun. perm. n. a. *Syr. Nihil gustauistis.*

Vers. 34.

Propter quod rogo, vos accipere cibum pro salute vestrâ; quia nullius vestrûm capillus de capite peribit.

Rogo v. *Syr. Peto à vobis. S. Chrys. Hortor vos.*
Accip. *Syr. Capiatis. S. Chrys. Sumatis.*
Pro s. v. *Syr. Ad confirmationem vitæ vestræ. S. Chrys. Hoc enim ad salutem vestram pertinet. Ar. M. Hoc enim ad vestram salutem est.*
Qui n. v. c. *Syr. Capillus enim ne vnus quidem à vobis.*
De c. *Syr. Ex capite.*
Perib. *S. Chrys. Cadet.*

Vers. 35.

Et, cùm hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; &, cùm fregisset, cœpit manducare.

Cùm h. d. *Oecum. Dum hæc dixisset. Ar. M. Dicens autem hæc.*
Sumens. *Syr. Accepit.*
Grat. e. D. *Syr. Et glorificauit Deum.*
In c. o. *Syr. Coram omnibus.*
Mand. *Syr. Comedere. S. Chrys. Edere.*

Vers. 36.

Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.

Animæquiores a. f. *Syr. Consolationem itaque acceperunt. S. Chrys. Porrò animis iam recreatis. Ar. M. Bono animo autem facti.*
Et ipsi s. *Syr. Sumpseruntque. Ar. M. Et ipsi adsumpserunt.*

Vers. 37.

Eramus verò vniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex.

Eramus v. v. a. *Syr. Eramus autem animæ. S. Epiph. Erant.*
Ducentæ s. s. *S. Epiph. Circiter septuaginta.*

XX 4 *Vers.* 38.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

Verſ. 38.

Et, ſatiati cibo, alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.

Et ſat. *Syr. Cùmque expleti eſſent.*
Alleuiabant. *Syr. Alleuabant.*
Iactantes t. *Syr. Et tollebant triticum proiiciebantque. S. Chryſ. Eiicientes triticum.*

Verſ. 39.

Cùm autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum verò quendam conſiderabant habentem litus, in quem cogitabant, ſi poſſent, eiicere nauem.

Cùm a. d. f. e. *Syr. Orto autem die. S. Chryſ. Dum autem dies eſſet.*
Terram. *Syr. Nauta quanam illa eſſet terra.*
Sinum v. q. *Syr. Sed ſecus aridam.*
Conſid. *Syr. Conſpicati ſunt. S. Chryſ. Animaduerterunt. Oecum. Conſpiciebant. Pagn. Animaduerterunt.*
Hab. l. *Syr. Litus quoddam maris.*
In quem. *Syr. Quò. S. Chryſ. In quod.*
Cogit. *Syr. Meditabantur. Oecum. Decreuerant.*
Si poſſent. *Oecum. Si fieri poſſet.*
Eiicere. *Syr. Impellere. S. Chryſ. Impingere. Vat. Appellere. Ar. M. Expellere. Caiet. Pellere.*

Verſ. 40.

Et, cùm anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gubernaculorum: &, leuato artemone, ſecundùm auræ flatum tendebant ad litus.

Cum a. ſ. *Syr. Abſciderunt anchoras à naui.*
Com. ſ. m. *Syr. Et laxarunt illas in mari.*
Simul l. i. *Syr. Et ſoluerunt vincula.*
Leuato. *Syr. Suſpenderuntque. S. Chryſ. Sublato.*
Artemone. *Syr. Paruum velum.*
Secundùm a. f. *Syr. Ad ventum flantem. S. Chryſ. Ad aura flatum. Ar. M. Flanti.*
Tend. a. l. .... *Itaque abnauigabamus ad ſuperficiem arida.*

Verſ. 41.

Et, cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt nauem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò ſoluebatur à vi maris.

Et c. incid. *Syr. Impegit autem nauis. S. Chryſ. Incidiſſent.*
Loc. dith. *Syr. Locum quendam iacentem inter duas profunditates. Goth. Locum vadoſum maris. S. Chryſ. Locum bimarem.*
Impeg. n. *Syr. Eaque illiſa eſt. Ar. M. Illiſerunt nauem.*
Et prora q. *Syr. Illic autem latus anterius.*
Fixa m. i. *Syr. Stabat. S. Chryſ. Infixa manebat immobilis.*
Pup. v. *Syr. Latus alterum verò.*
A vi m. *Syr. Præ violentiâ fluctuum. S. Chryſ. A vi vndarum. Ar. M. A vi fluctuum.*

Verſ. 42.

Militum autem conſilium fuit, vt cuſtodias occiderent; ne quis, cùm enataſſet, effugeret.

Mil. a. c. f. *Syr. Milites autem volebant.*
Cuſtodias. *Pagn. Vinctos.*
Occid. *Syr. Interficerent.*
Ne q. e. c. *Syr. Ne natatui ſe committerent.*
Eff. *Syr. Et effugerent ab ipſis.*

Verſ. 43.

Centurio autem volens ſeruare Paulum, prohibuit fieri: iuſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & euadere, & ad terram exire:

Volens. *Syr. Quippe qui vellet.*
Proh. f. *Syr. Prohibuit eos ab hoc. S. Chryſ. Compeſcuit eos à conſilio. Ar. M. Prohibuit eos à conſilio.*
Iuſſitque e. q. p. n. *Syr. Porrò, qui poterant natatui ſe committere, præcipit.*
Emit. ſ. p. *Syr. Vt inter primos enatarent. S. Chryſ. Abiicerent ſe primos. Ar. M. Abiicientes primos.*
Et e. e. a. t. e. *S. Chryſ. Et in terram euaderent. Ar. M. Ad terram exire.*

Verſ. 44.

Et cæteros, alios in tabulis ferebant, quoſdam ſuper ea, quæ de naui erant: & ſic factum eſt, vt omnes animæ euaderent ad terram.

Et cæteros a. i. t. f. *Syr. Cæteros verò ſuper tabulas. S. Chryſ. Et cæteri partim in tabulis. Ar. M. Et reliquos, hos quidem in tabulis.*
Quoſdam ſ. e. q. d. n. *Syr. At ſuper alia ligna nauis traiecit. S. Chryſ. Partim in quibuſdam nauis fragmentis.*
Et ſ. f. e. *Syr. Et ſic.*
Vt o. a. e. a. t. *Syr. Omnes ſalui euaſerunt in terram. S. Chryſ. Vt omnes incolumes euaderent in terram. Ar. M. Omnes præſeruari ad terram.*

CAP. XXVIII.

CAPVT XXVII.

Expenditur, & illustratur.

SECTIO VNICA.

Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ: & ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

INVENIENS *centurio nauem Alexandrinam:* Non casu factum, quòd ex vnâ in aliam nauem Paulus transferretur; vt plura in loca plures transferre possent, quæ in Paulo mira vidissent. *Nactus nauem Alexandrinam: Meritò inuenitur,* inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *ita vt & illi annuntient in Asiâ, quid Paulo acciderit, & hi in Lyciâ.* Nimirum, seruorum Dei virtutem in plura loca ferri, plurimum referr.

Tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Cretâ.

O*Portebat quidem:* Pauli mansuetudo hîc elucet, dum non asperè in eos inuehitur, qui eius monita contempserant. *Tu sapientiam Pauli hinc considera,* inquit ad hæc Sanctus Chrysostomus: *non enim increpat, & exasperatur, sed mansuetè sic: oportebat, inquit: sciebat enim, quòd calamitosis non est acceptus obiurgator.*

Ecce donauit tibi Deus omnes. Non à mente arrogantiæ labe tactâ hæc verba fluunt, sed à desiderio omnes ad Christum alliciendi. *Quod autem dixit,* inquit hîc Sanctus Chrysostomus, *Donauit tibi Deus omnes, non erat arrogantia, sed volentia, adduci ad fidem nauigationis socios: non vt ipsi gratiam habeant, sed vt credant his, quæ ab ipso dicebantur, sic dixit.* Aliorum salutem quærebat Paulus, non suam gloriam: sed hoc ipso maiori gloriâ est dignus, quia gloriam non quærebat suam.

Ecce donauit tibi Deus omnes: Quàm salutaris nautis vnius Pauli præsentia fuit. *Donauit tibi omnes:* Ac si diceret: *Digni quidem erant, qui perirent, quoniam* INOBEDIENTES *fuerunt; verùm in tui gratiam hoc fit.* Tantum iustorum præsentia etiam non iustis proficit.

Donauit tibi Deus omnes: Et Pauli vita Paulo non donatur? Ipse quoque Paulus in tempestate erat. Cur cæteri donantur Paulo, ipse non sibi donatur? *Iusti licèt in tempestate sint, licèt in mari, nihil graue patiuntur; quin & alios secum seruant. Igitur retineamus apud nos sanctos, nec erit tempestas; imò, etiamsi fuerit tempestas, erit serenitas, & tranquillitas, & à periculis liberatio,* Inquit Sanctus Chrysostomus.

Iactantes triticum in mare: Dixerat superiùs Paulus, fore vt solius nauis iacturam paterentur: quî igitur hoc verum, cùm hîc & triticum in mare iactare cogantur, quod periit? *Non erat,* inquit Vgo Catensis, *multi valoris triticum, & cætera, quæ iactabantur, comparatione hominum: ideo non reputantur.* Æquo rerum æstimatori terrena omnia, hominibus comparata, nihil videntur esse; vt nihil pereat, cùm illa pereunt: quod iis, qui rerum perituratum iacturam patiuntur, altè insidere debet, ne nimio dolore discrucientur, & eò grauiùs damnum sentiant, quò grauiùs sentiunt damnum.

Impegerunt nauem: Poterat Deus, saluâ, integrâque naui, omnes saluare, sed noluit; confractâ, Deo volente, est nauis, vt beneficij magnitudo magis appareret: *Si diceret quis,* verba sunt Sancti Chrysostomi, *quare non & nauim seruauit? Vt discant, quale periculum euaserint; quia non totum fiebat humano adiutorio, sed manu Dei, quæ absque naue seruauit:* sicque præteriti periculi magnitudo ad gratiarum actionem vehementiùs eos vrgeret.

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

CAPVT XXVIII. ACT. APOST.

Vers. 1.

ET, cùm euasissemus, tunc cognouimus, quia, Milita, insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis.

Et e. c. *Syr.* omittit. *S. Chrys. Et cùm euasissent. Ar. M. Et salui euasi.*
Tunc c. *Syr. Postea verò didicimus. S. Chrys. Tunc cognouerunt.*
Quia M. *Syr. Melitam. Quidd. Codd. Quia Mitylene.*
Insula v. *Syr. Vocari insulam illam.*
Barbari v. *Syr Porrò barbari, qui habitabant in eâ.*
Præstab. *Syr. Ostendebant.*
Non mod. *Syr. Multam. S. Chrys. Non vulgarem.*
Humanit. n. *Syr. Charitatem in nos.*

Vers. 2.

Accensâ enim pyrâ, reficiebant nos

Accensâ e. p. *Syr. Accenderunt enim ignem.*
Refic. *Syr. Vtque calefaceremus conuocauerunt. Si omnes*

Vulgata Editio.

omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

Lectionum Varietas.

Chryſ. Recipiebant. Ar. M. Acceperunt.
Imbrem. *Syr. Imbrem.*
Qui i. *Syr. Plurimum. Oecum. Qui oppreſſerat nos.*
Frigus. *Syr. Exiſtens frigus.*

Verſ. 3.

Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem; vipera, à calore cùm proceſſiſſet, inuaſit manum eius.

Cùm c. *Syr. Tulit.*
Sarment. *Syr. Sarmenta.*
Aliquan. m. *Syr. Multa. S. Chryſ. Multitudinem.*
Et i. *Syr. Impoſuitque.*
Super i. *Syr. In pyram. S.Chryſ. In ignem.*
Vipera. *Syr. Vipera autem.*
A calore. *Syr. Præ calore ignis. Pagn. E calore.*
Cùm p. *Syr. Prodiit ex eo. S. Chryſ. Prorepens. Ar. M. Exiens.*
Inuaſit. *Syr. Ac momordit.*

Verſ. 4.

Vt verò viderunt barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere.

De m. e. *Syr. Ex ipſius manu.*
Ad i. d. *Syr. Dicebant. Vat. Inter ſeſe dicebant.*
Vtique. *Syr. Forſitan. Vat. Omnino.*
Qui c. e. *Syr. Quem, cùm ſaluus euaſerit. Vat. Quem ſeruatum.*
De m. *Vat. E mari.*
Vltio. *Syr. Iuſtitia. Mar. Nemeſis.*
Eum v. *Syr. Viuere.*

Verſ. 5.

Et ille quidem, excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt.

Et i. q. *Syr. Ipſe verò Paulus. Ar. M. Ille quidem ergo.*
Excut. b. *Syr. Sublatâ manu ſuâ viperam deiecit. Pagn. Excuſsâ viperâ.*
Nihil m. *Syr. Nihilque aduerſi. Ar. M. Nullum malum.*
Paſſ. e. *Syr. Et contigit.*

Verſ. 6.

At illi exiſtimabant, eum in tumorem conuertendum & ſubitò caſurum & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus, nihil mali in eo fieri, conuertentes ſe, dicebant, eum eſſe Deum.

At i. *Syr. Barbari autem.*
Exiſt. *Syr. Putabant. Ar. M. Expectabant.*
Eum i. t. c. *Syr. Eo momento eum intumeſcere debere. Pagn. Futurum, vt incenderetur.*
Et ſ. caſur. *Syr. Mortuúmque in terram caſurum. Pagn. Aut concideret repentè mortuus. Ar. M. Aut decidere repentè mortuum.*
Diu. a. *Syr. Sed multum temporis. Ar. M. In multo autem.*
Illis e. *Syr. Expectaſſent. M. SS. Illis ſperantibus.*
Et v. *Syr. Videruntque. Oecum. Et intuentibus.*
Mali. *Syr. Aduerſi. Ar M. Incommodum.*
In e. f. *Syr Eum pati. Oecum. Illi accidere. Ar. M. In illum factuгum.*
Conuert. ſ. *Syr. Mutarunt ſermones ſuos. Oecum. Mutatâ mente. Ar. M. Mutati.*
Dic. *Syr. Et dicebant.*

Verſ. 7.

In locis autem illis erant prædia principis inſulæ, nomine Publij qui nos ſuſcipiens, triduo benignè exhibuit.

In l. a. i. *Syr. Eo autem ipſo loco.*
Princ. *Syr. Viro cuidam, qui erat princeps. S.Chryſ. Primatus. Pagn. Primati. Ar. M. Primario.*
Nom. Publij. *Syr. Nomine Publio. S.Chryſ. Cui nomen Publio.*
Qui n. ſ. *Syr. Itaque excepit nos. S.Chryſ. Qui nos exceptos.*
Trid. *Syr. Per triduum. Ar. M. Tres dies.*
Benig. e. *Syr. Domi ſua hilariter. S. Chryſ. Benignè tractauit hoſpitio. Ar. M. Amicè hoſpitio excepit.*

Verſ. 8.

Contigit autem, patrem Publij, febribus & dyſenteriâ vexatum, iacere: ad

Cont. a. *Syr. Cæterùm. Ar. M. Factum eſt autem.*
Patrem P. *Syr. Ipſius Publij Pater.*
Febr. e. d. *Syr. Febre ac dolore viſcerum.*
Vexatum i. *Syr. Laborabat. S. Chryſ. Vexatum decumbere. Ar. M. Detentum decumbere.*

quem

Vulgata Editio. | *Lectionum Varietas.*

quem Paolus iotraoit: &, cùm orasset, & imposoisset ei maous, saluauit eom.

Ad q. *Syr. Proinde ad eum.*
Iotrauit. *Syr. Introiit. S. Chrys. Vt ingressus est.*
Et c. o. *Syr. Precesque fudit. S. Chrys. Orauit.*
Et imp. *Syr. Et imposuit. S. Chrys. Imposuit.*
Manus. *Syr. Manum suam.*
Salu. *Syr. Sanitatique restituit. S. Chrys. Et curauit. Pagn. Sanauit.*

Vers. 9.

Quo facto, & omnes, qoi in insulâ habebaot infirmitates, accedebant, & curabantur.

Quo f. *Syr. Hoc itaque peracto. S. Chrys. Hoc autem facto.*
Et o. *S. Chrys. Cæteri quoque. Ar. M. Et reliqui. Quidd. Codd. Omnes.*
Iosulâ. *Syr. Eâ insulâ.*
Hab. i. *Syr. Ægrotabant.*
Acced. *Syr. Accedebant ad eum.*
Curabantur. *Pagn. Sanabantur.*

Vers. 10.

Qoi etiam multis hooorib us nos honoraueruot: & nauigaotibus imposuerunt, quæ necessaria eraot.

Qui e. m. *Syr. Proinde maximis.*
Nauig. *Syr. Cùm illinc progrederemur. S. Chrys. Soluentibus.*
Impos. *Syr. Suppeditarunt nobis.*
Quæ n. e. *Syr. Viaticum. S. Chrys. Quæ necessaria. Ar. M. Quæ ad vsum.*

Vers. 11.

Post menses autem tres, nauigauimus io oaoi Alexaodrinâ, quæ io iosulâ hyemauerat, cui erat insigne Castorum.

Post m. a. t. *Syr. Exiuimus autem tribus post mensibus.*
Nauig. *Syr. Et nauigauimus.*
In naui A. *Syr. Naui Alexandrina. Ar. M. In naui.*
Cui e. i. *Ar. M. Adsignata.*
Castorum. *Syr. Geminorum. S. Chrys. Castor & Pollux. Ar. M. Castori & Polluci. Quidd. Codd. Apud Carthus. Filiorum Iouis.*

Vers. 12.

Et, cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

Et c. v. *Syr. Porrò venimus. Ar. M. Et deuecti.*
Sytacusam. *Syr. Syracusas vrbem. Goth. Syracusas*
Mans. i. *S. Chrys. Mansimus.*
Trid. *Syr. Triduum.*

Vers. 13.

Inde, circumlegeotes, deuenimus Rhegium: & post vnom diem, flaote Austro, secuodâ die venimus Puteolos:

Circunl. *Syr. Circunlegimus autem. Ar. M. Circunuenientes.*
Deuen. *Syr. Et peruenimus.*
Rhegium *Syr. Rhegium vrbem.*
Post v. d. *Syr. Altero post die.*
Flante A. *Syr. Afflauit nos ventus australis. S. Chrys. Afflante Austro. Ar. M. Aduenіente Austro.*
Secundâ d. *Syr. Secundoque. S. Chrysost. Postridie, Ar. M. Secundantes.*
Put. *Syr. Puteolos ciuitatem Italiæ.*

Vers. 14.

Vbi, inueotis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.

Vbi i. f. *Syr. Et inuenimus illic fratres. S. Chrys. Vbi repertis fratribus.*
Rog. s. *Syr. Et efflagitarunt à nobis.*
Et s. v. *Syr. Tum demum profecti sumus.*

Vers. 15.

Et inde, cùm audisseot fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac Tres-Taberoas: quos cùm vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

Et inde. *Syr. Quod.*
Cum a. *Syr. Cùm auditione accepissent. S. Chrys. Cùm audissent de nobis. Ar. M. Audientes quæ de nobis.*
Fratres. *Syr. Fratres, qui illic erant.*
Occur. *Syr. Exierunt obuiam. S. Chrys. Prodierunt in occursum. Oecum. Egressi sunt in occursum.*
App. f. *Syr. Plateam, quæ vocatur Appij forum.*
Et Tres-Tab. *Syr. Et vsque ad Tres-Tabernas. Quidd. Codd. Et Tribus-Tabernis.*
Grat. a. *Syr. Gratias egit. S. Chrys. Vt gratias egit. Vat. Gratiis actis.*
Accep. f. *Syr. Et confirmatus est. S. Chrys. Sumpsit fiduciam.*

Vers. 16.

Vulgata Editio.

Verſ. 16.

Cùm autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo, manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite.

Verſ. 17.

Poſt tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum: cúmque conueniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil aduersùs plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ieroſolymis traditus ſum in manus Romanorum:

Verſ. 18.

Qui, cùm interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me.

Verſ. 19.

Contradicentibus autem Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare.

Verſ. 20.

Propter hanc igitur cauſam rogaui vos videre, & alloqui. Propter ſpem enim Iſraël, catenâ hac circundatus ſum.

Verſ. 21.

At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Iudæâ, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus eſt quid de te malum.

Verſ. 22.

Rogamus autem à te audire, quæ ſentis: nam de ſectâ hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.

Lectionum Varietas.

Cùm a. v. *Syr. Et ingreſſi ſumus.*

Romam. *Pagn. Romam, centurio tradidit vinctos Principi exercitus. Ar. M. In Romam, centurio tradidit vinctos præfecto caſtrorum.*

Perm. e. *Syr. Permiſitque centurio. Pagn. Permiſſum eſt autem.*

Manere ſ. *Syr. Vt habitaret quocunque vellet. Goth. Manere apud ſemetipſum. S. Chryſ. Vt maneret ſolus. Ar. M. Manere per ſe ipſum. Mar. Domi ſua.*

Poſt t. a. d. *Syr. Triduo autem poſt. Oecum. Contigit autem, vt poſt tres dies.*

Conuoc. *Syr. Miſit Paulus conuocatum.*

Primos. *S. Chryſ. Principes. Oecum. Primores. Ar. M. Exiſtentes primos.*

Cumque c. *Syr. Ipſiſque congregatis. S. Chryſ. Cùm veniſſent.*

Dic. e. *Syr. Dicebat. Oecum. Dixit ad eos.*

Fratres. *Syr. Fratres mei.*

Nihil ad p. *Syr. Quamuis nullo modo aduersùs populum. Ar. M. Nihil contrarium populo.*

Fac. *Syr. Inſurrexerim. S. Chryſ. Cum fecerim.*

Morem p. *Syr. Legem patrum meorum. S. Chryſ. Inſtituta maiorum. Ar. M. Moribus patriis.*

Vinctus. *Syr. In vinculis.*

Qui c. i. d. m. h. *Syr. Et ipſi cùm me interrogaſſent. S. Chryſ. Qui cùm examinaſſent. Oecum. Qui cùm examinaſſent me.*

Voluerunt. *S. Chryſ. Volebant.*

Eo q. *Syr. Quippe qui.*

Nulla e. c. m. *Syr. Culpam nullam dignam morte inueniſſent.*

Contrad. a. I. *Syr. Sed cùm inſurgerent aduerſum me Iudæi.*

Appellare C. *Syr. Clamare Cæſaris appellationem.*

Gent. m. *Syr. Filios gentis meæ.*

Hab. a. a. *S. Chryſ. Habeam de quo accuſem.*

Prop. h. i. c. *Syr. Propterea.*

Rogaui. *Syr. Petij à vobis. S. Chryſ. Aduocaui.*

Vos v. *Syr. Vt veniretis, vt viderem vos. S. Chryſ. Vt viderem vos.*

Alloqui. *Syr. Vobis hæc renunciarem. S. Chryſ. Alloquerer.*

Circund. *Syr. Vinctus.*

Litteras. *Syr. Epiſtolam.*

De te à Iud. *Goth. Aduerſùm te à Iudæis.*

Adu. a. f. *Syr. Quiſquam ex fratribus, qui venerunt ab Ieruſalem.*

Nunc. a. l. e. *Syr. Dixerunt nobis. Vat. Renunciauit aut loquutus eſt.*

Quid d. t. m. *Syr. Quicquam mali de te. S. Chryſ. Aliquid de te mali.*

Rogamus. *Syr. Velimus. S. Chryſ. Volumus. Ar. M. Digni ſumus.*

A te. *S. Chryſ. De te. Pagn. Ex te.*

Quæ ſ. *Syr. Quod ſentias.*

De ſ. h. *Syr. Hanc doctrinam.*

Not. e. n. *Syr. Scimus. Oecum. Notum eſt omnibus.*

Quia v. e. c. *Syr. A nemine recipi. Ar. M. Quia vbique contradicitur.*

Verſ. 23.

Vulgata Editio.

Verſ. 23.

Cùm conſtituiſſent autem illi diem venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans Regnum Dei; ſuadenſque eis de Ieſu ex lege Moyſi & Prophetis, à mane vſque ad veſperam,

Verſ. 24.

Et quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam verò non credebant.

Verſ. 25.

Cúmque inuicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum: Quia benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres noſtros,

Verſ. 26.

Dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos? Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis:

Verſ. 27.

Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt; ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.

Verſ. 28.

Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei; & ipſi audient.

Verſ. 29.

Et, cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo

Lectionum varietas.

Cùm conſtituiſ. a. *Syr. Proinde conſtituerunt.*
Ven. a. e. *Syr. Et congregati ſunt conuenerúntque ad eum.*
In h. *Syr. Quò loci diuerſabatur.*
Plurimi. *S. Chryſ. Complures. Ar. M. Plures.*
Quibus e. *Syr. Et reuelauit eis. S. Chryſ. Quibus expoſuit.*
Teſtific. R. D. *Syr. Regnum Dei teſtificans.*
Suadens. *Syr. Perſuadens.*
Lege Moyſi. *S. Chryſ. Moſe.*

Et q. *Syr. Quidam autem ex eis. S. Chryſ. Et alij quidem. Ar. M. Et hi quidem.*
Credebant. *Syr. Aſſentiebantur. Ar. M. Perſuadebantur.*
His q. d. *Syr. Sermonibus ipſius. Ar. M. Dictis.*
Quidam. *Syr. Alij. Ar. M. Hi.*
Credebant. *Syr. Aſſentiebantur.*

Cúmque i. *Syr. Caterùm cùm inter ſe.*
Non e. conſentient. *Syr. Diſcordes eſſent. S. Chryſ. Non eſſent concordes. Ar. M. Diſcordes exiſtentes.*
Diſced. *Syr. Diſceſſerant.*
Dicente P. *Syr. Et dixiſſet eis ipſemet Paulus. S. Chryſ. Vbi dixiſſet Paulus.*
Vnum. *Syr. Hoc.*
Quia b. *Syr. Perbellè. Ar. M. Quia pulchrè.*
Sanctus. *Syr. Sanctitatis.*
Per I. p. *Syr. Per os Eſaia propheta. Pagn. De Iſaiâ prophetâ.*
Ad Patres. *Syr. Aduerſus patres.*

Dic a. e. *Syr. Dic eis. S. Chryſ. Dic.*
Aure. *Oecum. Auribus. Ar. M. Auditu. Caiet. Aure corporis.*
Vident. v. *Syr. Videbitis.*
Perſp. *Syr. Animaduertetis. Ar. M. Cernetis.*

Incraſſat. *Syr. Tenebris offuſum. S. Chryſ. Ingrauatum. Vat. Craſſum effectum.*
Populi h. *Pagn. Populi eius.*
Auribus. *Syr. Auribus ſuis.*
Oculos ſ. *Syr. Oculis ſuis.*
Compreſ. *Syr. Conniuerunt. Oecum. Clauſerunt. Vat. Occlaſerunt.*
Ne fortè. *Syr. Ne. S. Chryſ. Ne quando.*
Vid o. *Syr. Videant oculis ſuis. Vat. Videreat oculis.*
Auribus a. *Syr. Audiant auribus ſuis. Vat. Auribus audirent.*
Corde i. *Syr. Intelligant corde ſuo. Vat. Corde intelligerent.*
Conuert. *Syr. Conuertantur ad me. Vat. Conuerterentur.*
Sanem e. *Syr. Remittam eis culpam. Vat. Sanarem eos.*

Vobis. *Syr. Vobis hoc.*
Quoniam Gentibus. *Syr. Gentibus. Vat. Quod etiam Gentibus.*
Miſſum eſt. *Syr. Miſſam eſſe.*
Hoc ſ. *Syr. Hanc redemptionem. Ar. M. Salutare.*
Ipſi a. *Syr. Illos quidem hanc audituros.*

Et cum h. d. *Syr.* omittit. *Goth. Et cùm non eſſent intelligentes. S. Chryſ. Et hac illo loquente. Ar. M. Et hac eo dicente.*
Exierunt ab eo. *Syr.* omittit. *Goth. Egreſſi ſunt Iudæi*

Vulgata Editio.

Iudæi multam habentes inter se quæstionem.

Lectionum Varietas.

dai. S. Chryſ. Abierunt. Oecum. Egreſſi ſunt ab eo. Vat. Diſceſſerunt.

Multam h. i. ſ. q. *Syr.* omittit. *Goth. Multa ſecum conquirentes. S. Chryſ. Habentes inter ſeipſos diſceptationem. Ar. M. Multam habentes in ſeipſis quæſtionem.*

Verſ. 30.

Manſit autem biennio toto in ſuo conducto; & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,

Manſit a. *Syr. Conduxit autem ſibi Paulus. Goth. Manſit autem Paulus.*

Bien. t. i. ſ. e. *Syr. Proprias ades in eiſque egit biennium. S. Chryſ. Biennio toto in conducto. Ar. M. Biennio toto in proprio conducto.*

Suſcipiebat omnes. *Syr. Illic excipiebat eos omnes. Goth. Recipiebat omnes.*

Ingr. a. e. *Syr. Ad ipſum veniebant. Goth. Ingrediebantur ad eum Iudaos atque Gracos.*

Verſ. 31.

Prædicans Regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto cum omni fiduciâ, ſine prohibitione.

Præd. R. *Syr. Prædicabatque de Regno.*

Docens. *Syr. Docebat. S Chryſ. Dicens.*

Quæ ſunt. *Syr. Palàm. Goth. Quoniam.*

De Domino I. C. *Syr. De Domino noſtro Ieſu Chriſto. Goth. Hic eſt Filius Dei, per quem omnis iudicabitur. S. Chryſ. De Ieſu Chriſto. Pagn. De Domino Ieſu.*

Cum o. f. *Syr.* omittit. *Ar. M. Cum omni libertate.*

Sine p. *S. Chryſ. Nemine prohibente. Ar. M. Improhibitè.*

CAPVT XXVIII.

Expenditur & illuſtratur.

SECTIO VNICA.

Pauli Humilitas *& modeſtia.* 1198

Illæſus cur Paulus *à viperâ.* 1198

Praua ſuggeſtioni *vt occurrendum.* 1198

Mali iuſtis *gloriam augent, dum conantur auferre.* 1199

Non eſt magnorum virorum, *aliorum ſcelera facilè recenſere.* 1200

Qui cæleſtia amat de cæleſtibus ſermonem ſerit. 1100

Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem.

1198. PAVLI humilitas hîc elucet, qui nullum vile munus detrectauit: ſarmenta collegit, nec officium iſtoc putauit apoſtolicæ dignitati quidpiam derogare. Hæc verè magnorum virorum conſignatio eſt: ad vilia quæque munia ſe demittunt, vt humilitatem exerceant. Elucet & charitas Pauli, *qui totus madefactus*, ait Lyranus hîc *non ſtatim cucurrit ad ignem, ſed collegit fragmenta ad ignis augmentationem*; vt aliorum indigentiæ potiùs ſuccurreret, quàm ſuæ.

Excutiens beſtiam in ignem nihil mali paſſus eſt.

EXcutiens *beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt:* Illæſus Paulus à morſu viperæ: vipera temeritatis ſuæ dat pœnas, quæ innocentem virum inuaſerat. *Cùm nihil*, inquit Theodoretus, *peccato tenerum, ac molle in eo reperiſſet, mox reſiliit, & in ignem ſe coniecit, ſupplicium quodammodo de ſeipſa ſumens, quòd corpus ſibi conueniens nullatenus adorta eſſet.* Apoſtolus verò patientiæ præmium accepit: non mortem obiit, ſed famam conſequutus eſt immortalitatis.

Inuaſit Pauli manum vipera, ſed nihil nocuit: tantùm eius ſanctitatis facta eſt teſtis, quæ eum accuſare, & tanquàm nocentem plectere videntium oculis videbatur. *Ictus à viperâ Paulus*, inquit Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 96. SPIRITVS SANCTVS VIRTVTEM, *quæ in ipſo habitabat oſtendit; vſus viperâ teſte.*

Quod de vipera hîc dicitur petitè ad peccata, peccatorúmque ſuggeſtionem tranſtulit Abſalon Abbas, ſerm. 10. vbi rem ita verſat: *Paulus dum à periculo maris eripitur, à ſerpente in terra inuaditur, ſed citius auertens periculum manum à beſtia excuſſit, quo facto venenum euaſit. Quis putas eſt Paulus qui de mari liberatur, niſi bonus clauſtralis qui de malitia ſeculi eripitur, qui dum vult ligna in ignem mittere, ab ipſis lignis ſerpens egreditur? Quia, dum priora mala flamma charitatis vult conſumere, ex ipſa malorum recordatione* TENTATIONIS ORIGO GENERATVR. *Quid ergo faciendum? citius debet manum excutere, id eſt prauæ ſuggeſtioni conſenſum operis denegare.*

Dicebant eum eſſe Deum.

DIcebant eum eſſe Deum: *Qui aderant, viden- 1199
tes à viperâ nihil mali in eo fieri plùs, quàm hominem, Paulum putabant. Nimirum *ictus à viperâ Paulus*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *Spiritus ſancti virtutem, quæ in ipſo habitabat, oſtendit, vſus viperâ*

viperâ teste. Sic fit, vt, qui tanquam viperæ, in iustos sæuiunt, sibi mortem consciscant, iustis gloriam, famamque parturiant.

Sic venimus Romam.

Romam venit tandem Paulus: Romam vinctus ingreditur, vt *à superstitionis vinculis* Romanos liberaret. *Cum custodiente se milite*: sui custodis custos Paulus exstiterat, quem à naufragio liberauerat. Felix iste custos, si tamen Pauli virtutibus, quem tenebat vinctum, vinciri se est passus.

Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem.

1200. Non refert Iudæorum calumnias, insidias; sed nudè dixit: *contradicentibus Iudæis*. Non est magnorum virorum, scelera aliorum recensere: satis illis, si se tueantur. Boni timent, sibi aliquid mali affricari, si malorum scelera sine vllâ necessitate traducant.

De secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.

Vt deessent alij, qui contradicerent, non deerant Iudæi, ex quibus erant qui hæc dicebant. *Notum*, inquiunt, *est nobis*. Sed vnde hoc illis innotuit? quis eam istuc illis manifestauit? An Iudæi, qui Ierosolymis erant? hi quippe nec veram Christi legem suscipere volebant, nec sinebant ab aliis suscipi, vt hac de causâ litteras ad eos in varias Orbis partes mitterent. Notat istuc Oecumenius hîc: *Priusquam*, inquit, *Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec ipsi soli, sed vbicunque terrarum dispersi erant. Vnde autem id manifestum esse poterit? Nacti sumus inter veterum commentaria, quonam pacto sacerdotes, qui Ierosolymam inhabitabant, vnà cum scribis ac senioribus litteras exarauerint, quas in omnes gentes ad Iudæos transmiserint, vbicunque dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes, tanquam à Deo alienam: admonuerunt autem per epistolas, ne eam susciperent.* Act. 28. 22.

Prædicans regnum Dei.

Prædicans regnum Dei: Cælo, cælestibusque rebus hærens Paulus de cælestibus loquitur, de Diuinis terrenorum oblitus. *Vide*, inquit sanctus Chrysostomus hîc, *nihil sensibile; nihil de præsentibus loquitur: omnia de Regno Dei loquebatur.* Nimirum, quod in corde erat Pauli, in os quoque exsiliebat; & quod menti gestabat impressum, verbis exprimebat. Detur nobis illud regnum indipisci, quod Paulus prædicabat. O quando! Claudo, & Obsigno.

CÆLESTE REGNVM DABITVR, QVI SE TERRENIS SVRRIPIT, CÆLESTIBVS DAT.







INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC LVCÆ EXPENSI VOLVMINE CONTINENTVR.

Productus numerus eſt marginalis.

Index in Lucam.

Cautio

Aliorum

Mali

Index in Lucam.

Nemo

Beneficiorum

Index in Lucam.

Culpa.

Ex

Index in Lucam.

Domi

E

F

Ficta.

Index in Lucam.

Mali

Mariæ

In

Non

Index in Lucam.

Fœminis

Summa

Præcipuè

Sonus.

Quàm

Virtutum

F I N I S.

1-6-1

